6
6-d M
5

Scaf. C. Ord. 5. Num. 19.

6
3 E
5

O 6. 12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
RHETORUM
PRÆCEPTA ET EXEMPLA
COMPLECTENS

QUÆ TAM AD ORATORIAM FACULTATEM, quàm ad POETICAM pertinent,

DISCIPULIS PARITER AC MAGISTRIS perutilis.

OPUS BIPARTITUM.

AUCTORE

P. GABRIELE FRANCISCO LE JAY,

È SOCIETATE JESU.

Ex libris SS. Congnis Dnæ Nræ Coll. S. M. in Monticellis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCCXLVII.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EMINENTISSIMO
S. R. E.
CARDINALI
MELCHIORI DE POLIGNAC
RERUM GALLICARUM
APUD SUMMUM PONTIFICEM
ADMINISTRO.

IAM diù eſt, quòd Bibliotheca qualiſcumque noſtra ſub auſpiciis tuis prodire geſtit in lucem; CARDINALIS EMINENTISSIME. *Nam quem alium illa Patronum cupidiùs ambiat, ab eo, qui naſcentem tam benignis oculis aſpexit; & rudioribus informatam lineamentis ſic excepit comiter, ſic amicè complexus eſt, ut novos, dum adoleſceret, adjecerit ſtimulos, & maturitatis alicujus compotem latiſſimæ cujuſdam ſortis expectatione recrearit?*

Ego certè damnare non poſſim vel ambitioſæ plus æquo Bibliothecæ noſtræ vota; quibus optatus inprimis mihi aperitur aditus teſtandi apud omnes, quorum in manus illa inciderit, devotiſſimum meum erga te ſtudium, & eximiam pro tua in me tam prolixa benignitate referendæ gratiæ voluntatem.

Quantum enim Tibi debeam, CARDINALIS EMINENTISSIME, *qui me politioris Literaturæ, cujus imperium nemo eſt Tibi qui non deferat, in commercium admiſeris: qui mihi ſingulare prorſus & verè*

aureum Poema illud legendum permiſeris, in quo divinam Providentiam ab inficetis Lucretii erroribus tam ſcienter, tam magnificè vindicas: qui Societati noſtræ, & meæ ſingulatim ſollicitudini credideris delicias tuas, ſpem dulciſſimam antiquæ Domus, quæ per continuam ſeptingentorum annorum ſeriem tot Vicecomites Poliniacos armorum gloria, honorum inſignibus, rerum geſtarum laude conſpicuos procreavit? Geminam dico amantiſſimi Fratris tui Vicecomitis ſobolem, cujus inſtituendam, formandam, erudiendamque pueritiam Tibimet uni reſervaveras; quorum animis tam multa jam inſeviſti felicis animæ tuæ ſemina, ut Te non vultu modò, ſed indole, moribus, comitate, quantùm per ætatem licet, contemplandum exhibeant.

Verùm aliò Te vocabant rerum Gallicarum commoda; &, qui tam varios apud Europæ populos hujus imperii majeſtatem egregiè ſuſtinueras, Te publica etiamnum utilitas contritum quibuſcumque negotiis atque habilem Miniſtrum poſtulabat. Nam ubi tandem excelſam mentem illam, quam nactus es, & magnarum rerum capacem illuſtribus monumentis non conſignaſti? Quis non ſuſpexit in Te excultum omnibus Diſciplinis, omnibus ornatum Literis ingenium; quo fit, ut de quacumque facultate diſertiùs, expeditiùs, elegantiùs multo diſſeras, quam qui res illas ſpeciatim profitentur? Eſt aliquis, qui non ſenſerit vim & illecebras illius Eloquentiæ, qua ſic demulces ac rapis omnium animos, ut dum Trajecti ad Rhenum cum ſumma poteſtate Gallica tuebaris jura, & coram ampliſſimo conſeſſu perorabas, vel ii ipſi, qui nitebantur contra, faterentur ultro, nihil eſſe prorſus, quod non evinceres, niſi privata cujuſque rationes plerumque facerent, ut videntes & probantes meliora, deteriora ſequi cogerentur?

Hinc illi omnium Ordinum plauſus & publica Romæ totius exultatio, cùm, evecto ad ſummi Pontificatus apicem

Digitized by Google

tem Benedicto XIII. redire Te ad nos properantem ſapientiſſimi Regis voluntas detinuit, & Gallicis rebus moderandis præfecit. Novit ſcilicet Itala gens ſuum Te jam diù hoſpitem experta, quid de prudentia tua, ſagacitate, ſolertia ſentiendum ſit. Ut jucundus omnibus & affabilis reſpuis neminem, nec quemquam recedere à Te triſtem pateris; ut imis pariter ac ſummis Te affatim impendis; ut faſtus oſor cujuſcumque dignitatis etiam tuæ interdum amas oblivisci, dum Te ad omnium captum atque indolem accommodas. Hæ ſunt illecebræ, EMINENTISSIME CARDINALIS, *quibus devincis animos atque voluntates.*

Quanquam itane mirum eſt, quòd Te Itali venerentur tantum ac diligant, qui ſui erga te ſtudii magnum auctorem habent in ipſo Pontifice Maximo, qui Te non ita pridem leviore tentatum ægritudine peramanter inviſit, & ſincerus virtutum tuarum admirator Tibi tam impensè gratulatus eſt.

Hoc ego fretus omnium de Te judicio non dubitavi, quin partem aliquam humanitatis Bibliothecæ noſtræ impertires; quæ, ſi deteriùs ſpe ſua Tibi fortè placitura ſit, non diſplicebit certè ipſius Auctoris animus, qui nihil tam velit, quàm videri, uti revera eſt,

CARDINALIS EMINENTISSIME,

Tibi deditiſſimus
GABRIEL FRANCISCUS LE JAY
è Societate JESU.

OPERIS TOTIUS

ET PRIORIS MAXIME PARTIS

PRÆFATIO.

FUit hæc mihi ſemper vitæ ratio ab ineunte ætate ſuſcepta, meum ut omne tempus, &, ſi quid unquam viſum eſt in mea tenuitate vel facultatis, vel experientiæ, totum hoc Juventutis ſtudioſæ commodis tranſmitterem. Nam me cùm per tot annos inſtituendæ eidem, & ad bonas Artes liberaleſque diſciplinas informandæ divina Providentia præfecerit, non putavi tam operoſam difficilemque provinciam rite obiri poſſe, niſi cogitationes omnes meæ, curæ, contentiones promovendo feliciter operi incumberent.

Nunc verò laborioſa jam pridem defunctus palæſtra, & tranquillius tandem nactus otium videbor fortaſſe quibuſdam impreſſa relegere velle veſtigia, & reſumere artem, quam abjeceram; qui non modò retractare labores priſtinos; ſed eoſdem in apertam lucem committere non verear. Tamen quis neſciat hoc eſſe fatum veteris conſuetudinis, ut alterius naturæ vim habeat, quam deponere penitùs non ſit minùs arduum, quàm prioris naturæ ſenſus atque indolem obliviſci. Servire autem conſuetudini priſtinæ, hanc ſequi, in ea ſe amare pluſculum, nemo reprehendendum arbitretur, ſi quantùm illecebrarum habet illa, tantum honoris ac gloriæ præ ſe ferat.

Porrò ſupervacaneum ſit hìc perſequi operoſiùs, quibus lenociniis humanitatis ſtudia devinciant animos; quàm ægrè divelli ſe ab iis patiantur, qui rerum iſtarum uſum aliquem habent, & iiſdem deguſtandis aſſuevere. *Nam cæteræ diſciplinæ*, inquit Tullius, *neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Quòd

Quòd ſi culpandus nemo jure videbitur, qui annis etiam ſeneſcentibus elegantiores Literas impenſiùs coluerit, vel ob id unum, quòd in iis excolendis reficitur animus & honeſta voluptate perfunditur; quanto minùs id ipſum vertendum dedecori, ii quotquot politiorum Artium laude floruerunt, omnium ætatum linguis ac ſcriptis commendationem meruere? Atque ut abſtineam ab amœniſſimis illis ingeniis, quibus Literæ tanquam parentibus ac procreatoribus ſuum decus ac pretium debent; quæ Literis viciſſim conſtantem tot ab hinc annis, & ad nos uſque propagatam nominis ſui celebritatem referunt acceptam, quo hodieque cenſentur loco eruditionis amantes bonæ, qui tritam veterum, cùm Oratorum, tum Poetarum veſtigiis viam ingreſſi, amœniores Muſas invexerunt noſtrum in orbem, earumdemque deſiderium & amorem feliciter promoverunt?

Nullus ergo mihi ſuccenſeat, ſi laudis ejuſdem ſtudio aliquem laborum meorum fructum cogitem decerpere, & nomen aliquod ab opella qualicumque noſtra inter percupidos Liberalium Artium cultores promereri.

Quanquam abſit hoc à me, ut in recognoſcendis vulgandiſque noſtris opuſculis, alio me incendi ſtudio patiar, quàm quo incendebar olim, dum illa primùm informarentur. Erudire Liberales ad Artes Juventutem illam, quæ diſciplinam in noſtram traditur, imbuere eandem optimis præceptionibus, quæ facilem aperiant aditum ad doctrinam capeſſendam, acuere Candidatorum ingenium ſolertiamque variis Exercitationibus, quæ dicendi facultatem ſtylumque perficiant; unum hunc labores noſtri finem, unum hunc exitum ſemper reſpexere; qui votis noſtris quàm bellè hactenus reſponderit, etſi non eſt meum confidentiùs dicere; faciunt tamen non pœnitendi fructus, quos olim percepiſſe ſe ex noſtra diſciplina viri jam omnium Ordinum primarii profitentur, ut impenſæ pro viribus operæ me non pigeat. Felix ſi prodeſſe ſtudioſæ juventuti etiamnum poſſim, & quod præſtare per me deinceps non eſt integrum, id ope ſcriptorum vicaria videar aſſecutus.

Hanc conſilii mei rationem teſtabitur ipſa totius operis Inſcriptio, **Bibliotheca Rhetorum**, non tam ſpecioſum nomen ad magnificentiam, quàm plenum ſincera voluntate bene merendi de Clariſſimo Rhetorum Ordine, in quem aggregatum me aliquando fuiſſe, non ſolum honori ſemper duxi maximo, ſed cum eodem fovere arctiſſimam neceſſitudinem non alia re magis, quàm laborum eorumdem communione ambiam.

Quanquam hoc ipſum *Bibliothecæ* nomen, quod operi noſtro præfigimus nemo incuſandum putet, quòd ejuſmodi appellatio illis vulgò Libris tribuitur, qui Scriptorum in quacumque Faculta-

te

te indicem ac ſeriem, aut elucubratorum ab iiſdem Operum Epitomen continent. Nihil quidem ſimile quidpiam *Bibliotheca* noſtra ſuſcipit; cum nec ullam de priſcis aut novis Rhetoribus faciat mentionem, nec editas eorum elucubrationes attingat. Verùm cum univerſam Rhetoricæ ipſius ſupellectilem complectatur; adeoque homini Rhetori poſſit eſſe multorum Librorum inſtar, qui de rebus ſingulis ad Rhetoricam pertinentibus ſeorſum pertractarunt, quanto æquiùs *Bibliotheca Rhetorum* debuit appellari? Rhetorem enimverò, quem informare aggredimur, non unius Eloquentiæ præceptionibus imbutum eſſe oportet, ſed paribus ad Poeſim præſidiis aſſurgat neceſſe eſt. Hic porrò quàm multiplex, quàm varia rerum ſeges ſe offert, quarum documenta non deprehendas, niſi multis diverſiſque ſparſa voluminibus. Ille ergo Liber, qui hæc omnia ſparſim disjecta ſic colligat ac complectatur; ut amanti bonarum Artium homini ſub uno quaſi aſpectu ſubjiciat, an *Bibliothecæ* nomen nullo jure ſuo ſibi vindicet? Certè uſus hic etiam apud omnes invaluit, ut, ſi qui reperiantur homines tam feliciter inſtructi diſciplinarum omnium cognitione, ut de re quaque ſciſcitantibus ac requirentibus ſatisfacere abunde poſſint, *Bibliothecæ viventes* appellentur. Et erit qui nobis inferat litem, quòd Opus hoc qualecumque noſtrum; quod juvandis imbuendiſque omni præceptionum genere, ex quibus Rhetorica coaleſcit, Rhetoribus natum eſt totum, *Bibliothecam Rhetorum* inſcripſerimus?

Hac ego cogitatione defixus id unum ſtudui præter cætera, ut, quæ ſcripſi cumque, hæc ad Juventutis indolem captumque accommodarem; neque tam novæ cujuſdam & inuſitatæ doctrinæ auctor, quàm veteris & in medio poſitæ interpres & explanator viderer. Hinc in Rhetorica illa quam tradimus, & quæ primum in hoc priori rerum noſtrarum volumine locum habet, multa putavi prætermittenda, quæ de Eloquentiæ commendatione, de præſidiis ad illam aſſequendam neceſſariis, de vario eloquentiæ genere, de Oratoribus tam Græcis, quàm Latinis paſſim diſputantur. De quibus quoniam diſertiſſimè ſcripſerunt jam non pauci, eo lubentiùs indicta relinquimus, quòd iſta ad contemplationem ſolam pertineant, non ad Exercitationem, quæ in inſtituendis Eloquentiæ Candidatis potiſſimum requiritur. Eſt enim hoc teneræ & imbecillæ adhuc ætatis ingenium, ut in mera rerum conſideratione immori non amet, neque documentorum pondus ac faſtidium ferat, niſi quantum eiſdem utendi neceſſitas exigit.

Et verò magna eſt in omnem partem vis & utilitas Exercitationis, nec ulla re fortiùs atque efficaciùs præcepta ipſa inculcantur animis, quàm ſi ad uſum frequentem revocentur. Atque

ut in.

ut in iis artibus, quæ requirunt artificis manum, fruſtra cogitando meditandoque ſudaveris, niſi ad eas artes exercendas ipſa manus accedat; ita nec ad capeſſendas Liberales Diſciplinas multùm conferat imbuta mens multis præceptionibus, niſi ad imitanda, quæ didicerit, & opere complenda diligenter ſe accingat.

Nihil ergo facere ſe conſultius poſſe exiſtiment, qui gravem docendi provinciam obeunt, quàm ſi crebris Exercitationibus extundant eorum ſolertiam, quos erudiendos ſuſcepere; meminerintque veteris illius Adagii, cui novam ipſa temporum diuturnitas fidem adſtruit, longum iter eſſe per præcepta, per exempla breviſſimum. Hanc mihi ipſe Juventutis etiamnum erudiendæ cupidiſſimus, ſequendam imprimis eſſe duxi rationem; ut in tradendis Præceptionibus Rhetoricis brevior, in Exercitationibus prolixior exiſterem; cujus conſilii neque levem, ut confido, fructum precipient Candidati Rhetores, neque ipſi fortè Magiſtri inficiandam penitus utilitatem fuiſſe experientur.

Jam verò reddenda mihi ratio eſt: cur Ciceronem unum inſtituti operis ducem ſequutus fuerim, neque alium quempiam tam è Græcis, quàm è Latinis Oratoribus propoſuerim imitandum. Dicam primùm conſulere me inprimis voluiſſe brevitati, quam multa cùm auctoritatum tum exemplorum congeries non admittat. Non quòd eorum ſtudium laudandum non putem, qui in adumbranda Eloquentiæ imagine varios totius antiquitatis colores curioſiùs ſcrutati ſunt. At quo diligentiùs id fecerunt multi, eo ſupervacaneum magis viſum eſt in opuſculo brevi, quod meditabar, eorum veſtigiis inſiſtere, & alienos labores invadere potiùs, quàm imitari.

Deinde viſus eſt mihi ſemper unus Tullius inſtar omnium à quo germanæ ſinceræque Eloquentiæ ſpecimen mutuari oporteret: cujus in ſtudio tanto feliciùs proceſſiſſe gratulari ſibi quis poſſit, quanto propiùs ad Ciceronem accedat. Atque hìc mihi dicere liceat quod ſentio de Latinis Oratoribus, qui poſt Ciceronis tempora floruerunt, & Panegyricorum Veterum Scriptores vulgò nuncupantur. Quos ego etſi minimè contemnendos puto, non tamen proponi ad imitandum ultro velim ſtudioſæ Juventuti, quæ ad veram Eloquentiæ laudem adſpiret. Habeant illi per me licet quædam Orationis lumina quæ perſtringant oculos, & primo aſpectu pariant admirationem. Inveniantur apud eoſdem multa ingenioſè excogitata, ornata copioſè, feliciter expreſſa. Sint illi ſolertes in adulando, in laudando magnifici. At quantula ſunt iſta ad ipſam Eloquentiam adjumenta, ſi oratio jejuna ac debilis, ſi pingui rerum ſucco deſtituta, ſi rationum momentis ac ponderibus vacua & inanis omninò ſit? Si deprehendas nuſquam vim illam ineluctа-

luctabilem, qua perſuadentur animi, & Oratoris ad arbitrium quamcumque in partem inclinantur.

His porro præſidiis dominabatur olim in foro Tullius, & Judicum religiones Senatuſque auctoritatem regebat: dominabatur in civitate, & populorum voluntates ita moderabatur, ut vel excitaret languentes, vel furentes & effrenatos compeſceret. His armis Catilinam ex Urbe ſceleratoſque conjurationis ſocios ejiciebat; his ſubſidiis furta Verris ac latrocinia revincebat, Antonium rerum potientem & ſumma poteſtate præditum perterrebat, amicorum gratia ferrum è Cæſaris manibus extorquebat, Clientum controverſias cauſaſque defendebat, afflictæ innocentiæ ſuccurrebat, deſertæ ſolitudini opitulabatur.

Tamen mirum eſt, quò proceſſerit quorumdam hominum faſtidium, ut robuſtam hanc maremque Tullii Eloquentiam reſpuant, phaleratam exilemque, qua Plinius cæterique ejuſdem ævi Oratores floruerunt, unam deament ac conſectentur, pluſque in ea momenti ad ingenii & facundiæ famam, quàm in ipſa Romani Oratoris imitatione eſſe exiſtiment. Quod malum quanto ingeniorum ac ſtudioſæ præſertim Juventutis detrimento ſerpat in vulgus, vel ex eo pronum eſt intelligere, quòd luminoſum iſtud ac ſpecioſum Eloquentiæ genus non modò fucum faciat rudibus & inexpertis rerum bonarum, ſed compendioſior etiam videatur ad commendationem via; quia non tam aſſidui atque improbi laboris partus, quàm felix quidam ac repentinus ingenii fœtus eſſe ſoleat. Terret autem plurimos immenſus labor, qui Tullianam ad Eloquentiam adſpirantibus adhibendus eſt; & infinitæ rerum ſegeti, quam offert, metendæ impares malunt lubricum minùs expeditiuſque ſtadium cum certa, ut ſibi videntur, gloria decurrere, quàm in operoſo difficilique curriculo, cum dubia & ancipiti laudis expectatione ſe ſe exercere.

Alia ratio eſt propter quam in una Tullii imitatione immorandum duxi, Stylus ſcilicet Ciceronianus, & nativa ejuſdem, gravis ac numeroſa imprimis Oratio: à qua optandum videretur, ut, qui Latinè ſcribunt, & in elaborandis Orationibus verſantur, tantopere non deflecterent.

Neſcio enim quo malo Eloquentiæ fato fiat, ut, quæ jam pridem in Orationes Gallicas irrepſit lues, eadem contagione ſua Latinas Orationes afflaverit. Placet hac ætate Oratoribus non paucis exile quoddam ac jejunum ſcribendi genus; cujus tota laus Antithetis & acuminibus continetur; quod tam numero, quàm majeſtate deſtitutum nihil objiciat menti atque auribus, præter vacuam & inanem verborum conſonantiam, & putidam, clauſularum ſimiliter deſinentium affectationem.

In hoc etiam plerumque vitium incurrunt, qui ſententioſum & plenum

plenum acuminibus Stylum ſectantur, ut in Latino ſermone Gallici idiomatis indolem formulaſque retineant, neque tam Romana lingua, quàm patria loqui videantur. Quibus ab incommodis nullum eſt certius præſidium, quàm ſi in aſſidua Ciceroniani Styli imitatione demoreris, neque alios promiſcuè Oratores verſandos ac terendos putes, donec ex longa ac quotidiana Tullianæ Orationis conſuetudine ſuccum ipſum coloremque Ciceronianum expreſſeris. Quæ cautio Tyronibus ac Candidatis tanto diligentiùs adhibenda eſt, quo recentes adhuc animi primas opiniones faciliùs imbibunt, & ab iiſdem ægriùs depurgantur. Eſt enim illorum ingenium non abſimile teſtis novis ac recentibus, quæ diù ſervant odorem, quo imbutæ primùm fuerint.

Hoc ipſum, quod præcipimus tantopere, an ipſi videbimur aſſecuti feliciter, eorum judicium & exiſtimatio ſit, qui Orationes noſtras lecturi ſunt. Id certè profiteri non dubitem, propoſitum mihi ſemper fuiſſe in ſcribendo Tullium; doliturus, ut fatear, quod res eſt, ſi duce ſub alieno meruiſſe ſtipendia cenſeri poſſim.

Tamen ne quis præclariùs ſentiendum putet de noſtris Orationibus, quàm ſentimus ipſi, aut illas proponi à nobis arbitretur, tamquam exemplar quoddam, cujus ad normam ac regulam exigi Oratio bona debeat. At quoniam Bibliothecam Rhetorum inſtruimus, prætermitti illud non oportuit, quod præcipuum eſt Rhetoris munus, & quò Rhetoricæ ipſius præcepta atque Exercitationes unicè referuntur.

Duplex eſt autem hodiernæ Eloquentiæ genus; ſacrum aliud, quod argumentis ad Dei cultum Religionemque pertinentibus continetur; aliud profanum, quod res cæteras, quæ cadere in contentionem poſſunt, tractandas ſuſcipit. De utroque genere Orationes, ne quid deeſſet ad complementum noſtri operis, inſtituendas duximus; confidentiùs fortè, quàm par erat, qui vix ullum apud Latinos Oratores à ſanctorum Patrum temporibus Eloquentiæ ſacræ veſtigium habeamus. Hic verò locus eſſet de Eloquentia cùm ſacra tum profana, & de vi utriuſque, commodis atque incommodis, aut etiam prærogativo jure diſſerendi, niſi hoc ipſum argumentum copioſè jam diſputatum referret Oratio poſtremùm à nobis habita atque edita, cujus hæc Inſcriptio legitur. *Utra utri præferenda ſit, Eloquentia Sacra, an Profana.* Hanc conſulat Lector curioſus, & quid ſuper ea controverſia ſentiendum ſit, judicium ferat.

Quod ſpectat ad Eloquentiam profanam, hæc ad tria Cauſarum genera vulgo revocatur; Primum Judicii, Secundum Deliberationis, Tertium Exornationis. Singulorum exempla abundè ſufficiet Collectio Orationum, quæ tam Panegyricis, quàm

Foren-

Forenſibus Cauſis in utramque partem agitatis continentur. Hoc verò genus Exercitationis quanti ſit ad germanam Eloquentiam præſidii; quantum habeat ad informandos ſtudioſæ Juventutis animos pondus ac momentum, præfixa Declamationibus iſtis Præfatiuncula ſuo tempore & loco declarabit.

Jam quia Rhetoris officium non ſolis Orationibus informandis coercetur, ſed ad quamcumque ſe extendit ſcribendi rationem, operæ pretium fuit, præſcribere varias in ſcribendo leges, quas ipſa argumenti varietas induxit. Neque enim in exarandis Epiſtolis adhibendus Stylus idem, quem Orationis gravitas ac majeſtas poſtulat: neque Narratiuncularum Fabellarumque ſimplicitas graviorem aut Orationis aut Epiſtolæ Stylum admittit. Varietatem illam, cùm Epiſtolæ, tum Fabellæ, quas Orationibus appoſuimus, Præfationes demonſtrabunt.

Denique is ſæpe Rhetori labor incumbit, ut Diſputationibus Philoſophicis ac Theologicis aperiat aditum eorum commendatione, quos honoris gratia oppugnandos habet; vel ipſe de Rhetore factus poſtmodum Philoſophus aut Theologus propugnandas à ſe Theſes, aliqua adornare Præfatiuncula meditetur. Sunt qui Magiſtratum adituri, aut adepturi Magiſterii Lauream habilem, qua pollent, Oratoris manum ad demerendos ſuffragantium animos adhibendam exiſtiment. Occurrunt occaſiones plurimæ in quibus Viris quocumque gradu primariis gratulari neceſſe ſit. Nos ad concluſionem prioris illius Voluminis præſcribemus leges Oratiuncularum iſtarum. Item & rerum fontes, unde illæ conflari commodè poſſint, tum & exempla omnis generis, ex quibus formam mutuari liceat, ex fundulo noſtro ſufficiemus.

RHE-

RHETORICA
AD TULLIANAM RATIONEM EXACTA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆFATIO BREVIS,
& inſtituti Operis Deſignatio.

CUm ad bene ornateque dicendum tota, Tullio teſte; nata ſit Rhetorica, cujus Præceptiones ad Tullianam rationem exactas tradituri ſumus; ſupervacaneum putamus, pro brevitate inſtituti Operis, vel de illius natura, vel de neceſſariis ad eam aſſequendam cùm corporis, tum Ingenii præſidiis diſputare. Imò neque eum, quem vulgò tenent Eloquentiæ Magiſtri, ſequemur ordinem; ut de Inventione primùm, deinde de Diſpoſitione Partium, tum de Elocutione ejuſdemque Amplificatione atque Ornatu tractemus. Nam cùm acuendus ſit ſtatim & exercendus Candidatorum Rhetorum ſtylus, eam docendi viam duximus potiorem, quæ à facilioribus ad difficiliora progrederetur. Quare in Oratione, quam ad informandam ornandamque Rhetorica potiſſimùm incumbit, ſpectabimus Primò Elocutionem, Secundò Amplificationem, Tertiò Ornatum, Quartò Argumenta rationeſque, quibus Oratio nititur. Denique Argumentationem, ſeu rationum atque argumentorum dilatationem.

Primum præſtabimus, cùm artem informandi Periodos cujuſcumque generis trademus. Alterum cum eaſdem amplificandi modum docebimus. Tertium, quod Ornatu continetur, ex tractatione Troporum ac Figurarum planum fiet. Quartum, quod Argumenta ſpectat, ex Locis tam intrinſecùs, quàm extrinſecùs petitis eruemus. Denique argumentationis partes ſingulas eaſque dilatandi rationem, quod eſt in Rhetorica longè difficillimum, ex-

Digitized by Google

planabimus. Quæ verò Partes Orationis varias earumque diſpoſitionem attinent, nos, propter brevitatem, cui conſultum volumus, ex Auctoribus bene multis, qui de Rhetorica copioſiùs ſcripſerunt, cognoſcenda relinquemus.

Verùm quia nihil tam juvat ad defigendas animis Præceptiones ipſas, quàm ſi exempla ad eaſdem accommodata ſubjiciantur; non ſatis habebimus illuſtria quæque Ciceronis loca, quibus Rhetoricæ præcepta deſignantur, aut deſcribere, aut ſaltem diligenter indicare, ſed explicatis Præceptionibus ſingulis, unam & alteram Exercitationem adjiciemus, quæ eiſdem utendi norma ac regula ſit. Atque ut elucubrandæ Orationis artificium ſtudioſam juventutem ne fugiat, brevem argumenti, ſecundùm leges traditas, informandi ſynopſim præmittemus.

Quoniam autem nobis propoſuimus Ciceronem unum ſequi ducem, & exactam ad Tullianas leges Rhetoricam promittimus, operæ pretium eſt de ratione ipſa legendi & imitandi Ciceronis pauca attexere. Quàm ſunt enim qui Ciceronem evolvunt; multi; tam pauci, qui, quo pacto ſit legendus, & imitandus, ſciant.

Sunt, qui nihil fere præter verba, & quoſdam elocutionis modos, quos vulgò Phraſes vocant, annotent, ac bene multos ejuſmodi, ubi ſæpius ac veluti per vim in Orationem intruſerint, non poſſunt ſibi temperare, quin egregiam Ciceronis imitationem ſibi gratulentur. Atque hoc præſertim juvenile vitium eſt, & eorum, qui primis Rhetoricæ elementis vacant.

Alii iique doctiores id fere unum obſervant, quod ipſi dictioni ſubeſt, & Elocutionis ornatu neglecto, ſententias duntaxat ſenſuſque verborum conſectantur.

Alii denique nihil aliud ſtudent, quàm ut ex Lectione Ciceroniana communes excerpant Locos, quos applicare deinde cuilibet argumento poſſint; quæ quidem exercitatio, licet utiliſſima ſit, nondum tamen aſſequitur imitandi Ciceronis artem, quæ tria potiſſimum complectitur.

Primum. Ut orationis copulæ duntaxat, non autem ipſa verba, neque ſenſus, qui verbis ſubeſt, ſubripiantur. Quòd ſi tibi Periodus occurrerit, cujus elocutio adeo ſit opportuna, ut invenire ad rem tuam aptiorem non poſſis, eam poteris aſſumere, ſed ea lege, ut alio, quàm poſita eſt, ordine collocetur. Quod ut facias, alia tibi erit quærenda Periodus, cujus ad exemplum verba ipſa accommodentur. Atque hoc ipſum præſtandum tibi eſt, quoties vel Sententiam aliquam Tullianam, vel Elocutionem aliquam orationi tuæ applicare volueris.

Secundum. Ut minus pateat, ſi quid in Periodo conficienda mutuatus è Cicerone fueris; ſatis erit tibi proponere unam aliquam Ciceronianam Periodum, cujus particulas aliquas, quæ vinciendæ orationi deſerviunt, non omnes accipias.

Tertium, idque momenti non levis, in eo poſitum eſt, ut ſi cauſam agas in genere Judiciali, hoc eſt ſi accuſandus aut defendendus aliquis, Periodos ac Figuras imiteris, quas in ſimili genere Cauſarum adhibuit Orator, potiùs quàm alias quaſcumque. Si quid in genere Deliberativo probandum ſuſcipias, conſulenda tibi erit Oratio pro Lege Manilia, quæ tota ad Deliberativum genus pertinet. Si Cauſam agas in genere Exornativo; conſules Orationem pro M. Marcello, quæ Caji Cæſaris, vel eam partem Orationis pro Lege Manilia, quæ Pompeji Laudes complectitur.

Deni-

Denique ſi placet in aliquem vehementiùs invehi, leges Orationes in Verrem, in M. Antonium, in Piſonem, in Catilinam. Idque propterea moneo, quòd pleruṁque varia ſint pro varietate cauſarum Orationis vincula, neque tam multa in accuſando, quàm in defendendo, aut deliberando requirantur. Quanquam quædam ſunt magis communes Orationis commiſſuræ, quæ in omni cauſarum genere uſurpantur.

Ut autem illa Ciceronis imitatio vitioſa non videatur, varianda eſt oratio Figuris; quod ut præſtes, proponenda tibi erit una aut altera Ciceronis Oratio, in qua diligenter obſerves varia Figurarum lumina, quibus illuſtrare pariter propoſitam tibi Orationem poſſis.

LIBER PRIMUS.

De Elocutione Oratoria.

CAPUT PRIMUM.

De Periodo.

Quid eſt Elocutio Oratoria?

R. Eſt modus ſeu ratio loquendi ac ſcribendi Oratorum propria, quam ſtylum vocant.

Quænam eſt Elocutio Oratoris propria?

R. Debet eſſe 1. Numeroſa, deinde ornata, denique accommodata rei de qua dicitur. Fit autem numeroſa per Periodos, ornata per Figuras, denique accommodata per rationes & argumenta.

Quid eſt Periodus?

R. Periodus à Cicerone definitur in libro qui *Orator* inſcribitur n. 207. *Oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis abſolutiſque Sententiis.* Hoc enim ipſum eſt quod Periodus ſonat, quæ vox eſt Græca, * nihil aliud ſignificans, quam ambitum quemdam atque circuitum: quia Periodus eſt comprehenſio verborum totam ſententiam ab initio uſque ad finem complectens.

* Περί-οδος.

Vox autem illa & ſignificatio metaphorica eſt à Ludis Olympicis deducta, in quibus Quadrigæ à Carceribus ad Metam pergebant, eamque circumflectentes redibant deinde ad Carceres. Sic Periodus à priori ſententiæ parte, quæ *Protaſis* vocatur, ducitur ad partem ſententiæ poſteriorem, quæ appellatur *Apodoſis*.

Huic explicationi congruit Ariſtotelica Periodi Definitio. Dicit enim, Periodum eſſe Orationem, quæ *initium habet & finem ex ſe ſe, & eam magnitudinem interjectam, quæ aſpectabilis facile ſit.*

Quæres, quid ſit *habere initium & finem ex ſe ſe?*

R. Initium illud vocatur ab Ariſtotele, poſt quod aliquid ſequi ſua ſponte debet, quo ſemel poſito, nihil ampliùs exquiritur. Neque enim Sententia quælibet habere initium & finem dicenda eſt, licet à quibuſdam vocibus inchoetur & per alias voces deſinat. v. g. Si dixeris; virtus multas habet & magnas illecebras. In hac ſententia nullum initium aut finis agnoſcitur, quia nihil debet ſequi, neque quidquam aliud ultra expectatur. Si vero dixeris, cùm virtus multas & magnas habet illece-

bras; tunc ſuſpenſus erit ſenſus, & expectabitur alia ſententia, quæ priori ſententiæ, & præmiſſæ particulæ, *Cùm*, reſpondeat, abſolvatque Periodum. v. g. Cùm virtus multas & magnas habet illecebras, tum ab ea tam amanda quàm conſectanda quis temperare poſſit? Erit hæc vera ac germana Periodus, quæ habeat initium & finem, & ad leges Ariſtotelicæ Definitionis exacta ſit.

Quid ſignificant voces illæ, *& Magnitudinem interjectam, quæ aſpectabilis facilè ſit.*

R. Deſignant ſpatium aliquod inter initium finemque Periodi interjectum, juſtum illud quidem; ut & ſpiritum dicentis juvet, nec aurem audientis, aut longiori ambitu obruat, aut breviori fallat.

Eodem pœne recidit illa Phalerii definitio, qui dicit, Periodum eſſe continuationem quamdam Membrorum ac Commatum, ita inter ſe aptè & rotundè connexorum, ut plenam ſententiam & concluſionem referant. Quare, ſecundùm ipſius mentem, Periodus ſimillima eſt fornicibus, in quibus lapides ita aptantur inter ſe ac vinciuntur, ut ſeſe omnes quodammodo fulciant, & compagem unam, quam efficiunt, ab omni parte ſuſtentent.

Tam egregiis Periodi Definitionibus aliam adjicimus, ſi magnificam minùs, breviorem certè & fortaſſe clariorem.

Igitur quid eſt Periodus?

R. Eſt Oratio habens ſenſum & numerum perfectum.

Quot ſunt partes Periodi?

κῶλα. κόμματα. R. Partes Periodi majores vocantur Cola, ſeu Membra. Minores Commata, ſeu Inciſa.

Quid eſt Colum, ſeu Membrum?

R. Eſt Oratio habens ſenſum & numerum, ſed utrumque imperfectum.

Quid eſt Comma ſeu Inciſum?

R. Eſt Oratio habens ſenſum perfectum, ſed nullum numerum, niſi Periodus ex multis inciſis conſtetur, quæ ſimul compoſita numerum efficiant: v. g. Nihil agis, nihil cogitas, nihil moliris, quod ego non videam planèque ſentiam.

Itaque Membrum cum Periodo convenit quidem, quòd Oratio ſit habens aliquem ſenſum ac numerum; diſconvenit verò, quòd ſenſus ac numerus, qui in Periodo perfectus eſt & abſolutus, in membro ſuſpenſus & imperfectus inveniatur. Inciſum autem habet hoc commune cum Periodo quòd perfectum ſenſum habeat, ut patet in illa Oratione, *nihil agis*: differt ab eadem & à Membro pariter, quòd omni numero propter Orationis brevitatem polietur.

Sit in exemplum illa Ciceroniana Periodus pro Marcello n. 19. quæ ex geminis membris coaleſcit. *Tantus eſt enim ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas* (hæc oratio ſeu ſententia prioris Membri rationem habet, in qua ſenſus eſt aliquis, ut patet, & numerus, propter aptam vocum ſingularum diſpoſitionem, ſed imperfectus uterque, donec altera pars Periodi, ſeu Membrum, quod ſequitur advenerit) *ut hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe videantur.*

Ex dictis colliges tria eſſe dicendi genera. Primò, Periodicè is dicit, qui ambitu finito Periodorum effert explanatque ſententiam. Ita Cicero de Provinciis Conſularibus n. 1. *Si quis veſtrum expectat, quas ſim provincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, quinam mihi homines ex provinciis potiſſimùm detrahendi ſint; non dubitabit quid me ſentire conveniat, cùm, quid mihi ſentire neceſſe ſit, cogitarit.*

Se-

Secundò Membratim, cùm ſingulis Membris inſiſtit Oratio, ut in Piſonem n. 56. *Audiſtis Philoſophi vocem? Negavit ſe triumphi cupidum unquam fuiſſe. Cùm extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis; addicebas Tribuno plebis Conſulatum tuum; Rempublicam evertebas, prodebas caput & ſalutem meam unà mercede provincias, ſi triumphum non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arſiſſe defendes?*

Tertiò Inciſim, cum oratio inciſis conſtat, ut in Piſonem ibidem. *O ſcelus! o peſtis! o labes!*

Et poſt Reditum in Senatu n. 13. *Cum hoc homine, an cum ſtipite, Æthiope, ſi in foro conſtitiſſes, an crederes intereſſe? ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem, modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quàm libidinoſus! quàm impurus! quàm intemperans!*

Interdum Membra Inciſis miſcentur; ut pro Archia n. 16. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent. Delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Primum genus in uſu eſt præſertim in Exordiis & in rebus gravioribus: poſteriora duo adhibentur, cùm Orator arguit & increpat aliquem.

CAPUT II.

De diviſione Periodorum.

PRo numero & varietate Membrorum multiplex eſt ac varia Periodus. Alia enim, ut quidam volunt, unius membri eſt, quæ dicitur à Græcis Μονόκωλος, à voce μόνος ſolus, & altera voce κῶλον membrum. Alia Bimembris, ſive Δίκωλος. alia trium membrorum, ſive τρίκωλος; alia quatuor membrorum ſive τετράκωλος.

Exemplum illud eſto Periodi Bimembris lib. 1. de Oratore n. 31. *Quid tam eſt admirabile, quàm ex infinita multitudine exiſtere unum* (1. Membrum) *qui, id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus vel cum paucis facere poſſit?* (2. Membrum)

Exemplum Periodi Trimembris habes pro Cœlio n. 28. *Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati* (1 Membrum) *& ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates;* (2. Membrum) *quæ ſi ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent.* (3. Membrum)

Exemplum Periodi Quadrimembris ſufficiet exordium pro Milone. *Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere;* (1. Membrum) *minimeque deceat, cùm T. Annius Milo ipſe magis de Reip. ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad ejus cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe:* (2. Membrum) *Tamen hæc novi judicii forma terret oculos,* (3. Membrum) *qui, quocumque inciderint, veterem conſuetudinem fori & priſtinum morem judiciorum minimè vident.* (4. Membrum)

Quæ vero Periodus quatuor membris admodum ſimilibus & ejuſdem fere magnitudinis conſtat, vocatur *Quadrata*; eadem quæ valde numeroſa ſit, *Rotunda* dicitur. Erit in exemplum Periodi hujuſcemodi exordium pro Rabirio Perduelli. *Etſi, Quirites, non eſt meæ conſuetudinis initio dicendi rationem dicere, qua de cauſa quemque defendam.* (1. Membrum) *Propterea quòd cum omnibus civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi:* (2. Mem-

(2. Membrum) *Tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur eſſe officii mei*; (3. Membrum) *propterea quod, quæ juſtiſſima mihi cauſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri*. (4. Membrum) Ejuſdem naturæ eſt 1. Periodus de Provinciis Conſul. jam laudata.

Quæ verò Periodus ſic inter ſe diſpoſita membra numerat, ut eodem manente ſenſu & orationis concinnitate pars prior Periodi, quæ *Protaſis* dicitur, collocari poſſit loco poſterioris; quæ appellatur *Apodoſis*, & poſtrema membra fiant prima; vocatur *Decuſſata* à vocabulo *Decuſſis*; cujus figuram exhibet numerus major Denarii Romani: quæ figura ſic eſt diſpoſita, ut, ſi eam invertas, & partem imam ponas loco ſummæ, maneat tamen eadem figura & nota Numeri Denarii X. Talis eſt illa Periodus, quæ initio Orationis pro Cæcinna legitur. *Si quantùm in agro locíſque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret*; (Protaſis.) *Non minùs in cauſa cederet Cæcinna Sex. Ebutii impudentiæ, quàm tum in vi facienda ceſſit audaciæ*. (Apodoſis)

Nam ſi *Protaſim* poſtponas *Apodoſi*, ſeu duo priora membra poſteriorum loco colloces, & duo poſteriora viciſſim priorem locum occupent, manebit idem ſenſus, qui priùs. v. g.

Non minùs in cauſa cederet Cæcinna Sex. Ebutii impudentiæ, quàm tum in vi facienda ceſſit audaciæ; ſi quantùm in agro locíſque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret.

Quod diximus ſuperiùs ambitum Periodicum ſimilem eſſe Quadrigis procurrentibus à Carceribus ad Metas, & à Metis ad Carceres recurrentibus; tantò verius eſt, quòd Periodus, cujuſcumque generis illa ſit, ex duabus tantùm partibus componatur; quarum prior, quæ *Protaſis* dicitur, itus; poſterior, quæ vocatur *Apodoſis*, reditus rationem habeat.

Has porro partes geminas facilè deprehendere eſt in Bimembri Periodo, cujus membrum prius *Protaſim*, poſterius *Apodoſim* conſtituit. Item in Quadrimembri, ubi duo priora Membra ad *Protaſim*, duo poſteriora ad *Apodoſim* pertinent. At in Trimembri Periodo, quæ tribus membris conſtat; Quæres 1. *Protaſis* ne *Apodoſi*, an *Apodoſis* debeat eſſe productior *Protaſi*; ſive an duo Membra *Protaſis* complecti debeat, *Apodoſis* unum; an contra geminum in *Apodoſi*, unum in *Protaſi* magis conveniat membrum contineri?

R. Nullam dari poſſe certam ſuper ea re regulam, cùm apud Ciceronem in Trimembri Periodo nunc *Protaſis*, *Apodoſi*, modò *Apodoſis Protaſi* inveniatur productior; At conſulendum eſſe judicium aurium, quo nihil eſt in hac arte ſagacius.

Quæres 2. Quomodo diſcernere quis poteſt in Periodo Trimembri, quot membra ſibi *Protaſis*, quot *Apodoſis* vindicet?

R. Attendendum eſſe præſertim ad ſecundum Periodi Membrum, quod, ſi vinculo aut particula conjunctum aliqua cum primo membro inveniatur; tunc duo priora membra ſpectabunt *Protaſim*; ſin ab eo penitus ſolutum ſit, tunc duo poſteriora membra pertinebunt ad *Apodoſim*. Hoc planum fiet ex ſequentibus exemplis.

Primum petitur ab illa Periodo Trimembri, quæ legitur pro Archia n. 14. *Niſi multorum præceptis multiſque literis mihi ab Adoleſcentia,*

ſua-

ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem atque honeſtatem; (1. Membrum) *in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi eſſe ducenda* (2. Membrum) (Protaſis) *Numquam me pro ſalute veſtra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objeciſſem.* (3. Membrum) Apodoſis.

Hic pronum eſt obſervare particulam *autem* in 2. Membro poſitam habere vim connectendi ſecundum membrum cum primo, adeoque duo priora membra ad *Protaſim* referri.

Secus accidit in exemplo ſequenti, quod ab Oratione pro Quintio n. 26. depromptum eſt: ubi ſecundum Membrum, quia nullo vinculo connectitur cum primo, cenſeri debet ad *Apodoſim* pertinere.

Etenim ſi veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur; 1. Membrum (Protaſis) *Neceſſe eſt iſte, qui amicum, ſocium, affinem fama & fortunis ſpoliare conatus eſt;* 2. Membrum *vanum ſe & perfidioſum & impium eſſe fateatur.* 3. Membrum, Apodoſis.

Antequam progrediamur ulteriùs, operæ pretium eſt illuſtriores omnis generis è Cicerone Periodos aliquot proferre, quarum ad normam atque imitationem aliæ Periodi, pro ratione propoſiti nobis conſilii, exigantur.

CAPUT III.

Periodi ad Ciceronis Imitationem exacta.

BIMEMBRES.

De Claris Oratoribus n. 7.

SENTENTIA CICERONIANA.

Nunquam plus valet boni civis auctoritas & oratio, quàm belli tempore.

SI fuit in Republica tempus ullum, cùm extorquere arma poſſet è manibus iratorum civium boni civis auctoritas & oratio, tum profectò fuit, cùm patrocinium pacis excluſum eſt, aut errore hominum, aut timore.

SENTENTIA.

Nunquam virtus probatur melius quàm in adverſis.

SI eſt in vita tempus ullum cùm probari poſſit viri fortis magnanimitas atque conſtantia, tum profectò eſt, cùm fortunæ reflantis æſtum experitur, aut inimicorum injuria, aut amicorum infidelitate.

ALIA SENTENTIA.

Nullum eſt tempus aptius ad induendam virtutem, quàm adoleſcentia.

Si eſt in vita tempus ullum, cùm inſtitui facilè poſſunt ad virtutem hominum animi, tum profectò eſt, cùm ætas flexilis ac cerea moderatoris manum non abnuit, aut pravitate cordis, aut morum corruptela.

CICERONIANÆ PERIODI.

Libro 1. de Oratore n. 31.

SENTENTIA CICERONIANA.

Nihil eſt tam admirabile, quàm virum aliquem infinitæ multitudini dominari poſſe.

Quid eſt tam mirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus vel cum paucis facere poſſit?

IMITATIO.

SENTENTIA.

Nihil laudabilius eſt in Principe victore quàm animum ad pacem adjungere.

Quid tam dignum eſt aut præſentium aut futurorum temporum præconio, quàm in medio victoriæ curſu, quæ natura ſuperba eſt atque inſolens, exiſtere virum Principem, qui propriæ laudis contemptor animum ad pacem ultro ac volens adjungat?

ALIA SENTENTIA.

Nihil admirabilius in Eloquentia; quàm vis, qua pollet ad flectendos animos.

Quid tam eſt admirabile inter cæteras Eloquentiæ dotes, quàm exiſtere vim illam, quæ, quod rerum omnium longe difficillimum eſt, hominum animos regere, & quamcumque in partem flectere poſſit?

Pro Archia Poeta n. 1.

SENTENTIA CICERONIANA.

Archias Ciceroni Auctor fuit ad perdiſcendas Artes liberales.

Quoad longiſſimè poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde uſque repetens; hunc video mihi Principem & ad ſuſcipiendam & ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum extitiſſe.

SENTENTIA.

Cicero Artis Rhetoricæ Princeps fuit.

Quàm curioſè quis velit perſcrutari ſcripta Oratorum omnium, qui per ſingulas ætates floruerunt, vel ab ipſis naſcentis Eloquentiæ temporibus inde uſque repetens, Ciceronem intelliget, & in tradendis Rhetoricæ præceptis, & in iiſdem exercendis Principem extitiſſe.

ALIA SENTENTIA.

Senſit Europa nullo hoſtium robore aut multitudine opprimi Galliam poſſe.

Quàm pertinaciter tot ab hinc annis in Galliæ ruinam atque exitium Europa tota conjuraverit copiarum ſuarum robore ac numero confiſa, ſenſit tandem aliquando tutiſſimum illam ſemper contra vim ac multitudinem in virtute ſua præſidium habuiſſe.

Pro Lege Manilia n. 1.

SENTENTIA CICERONIANA.

Plus Ciceronem deterruit initi ab adoleſcentia conſilii ratio, ne in Senatu diceret; quàm ipſa dicendi gloria & opportunitas illexit.

Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus; hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites; tamen hoc aditu laudis, qui

SENTENTIA.

Non tam valere debet apud virum Principem vincendi cupido, quàm amor Pacis.

Quanquam plenum illecebris victoris nomen ex ſe ſe, hæc autem commendatio fortiſſimis quibuſque jucundiſſima, ipſoque capitis periculo redimenda videri ſolet; tamen in tanta vincendi opportunitate, quanta viro Principi offerri poſsit, plus apud

eum

Digitized by Google

CICERONIANÆ PERIODI.

ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed mea vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſcepta prohibuerunt.

IMITATIO.

eum rationes pacis, quàm victoriæ cupido debent valere.

ALIA SENTENTIA.

Rerum à Ludovico Magno geſtarum amplitudo plus Oratorem deterret, quàm ubertas invitat.

Quanquam præconem eſſe rerum à Ludovico Magno domi foriſque geſtarum longè honorificentiſſimum; hoc autem argumenti genus factorum ubertate optatiſſimum, victoriarum magnitudine præſtantiſſimum videri poteſt, tamen in tanta dicendi copia ac varietate, in qua nemini oratio defuerit, plus ipſa operis dignitas & amplitudo prudentem Oratorem deterrere, quàm copioſa dicendi ſeges invitare debet.

Pro Marcello n. 19.

CICERONIANA SENTENTIA.

Laus vera unius virtutis merces eſt.

Tantus eſt ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe videantur.

SENTENTIA.

Unius Beatitudinis neceſſarius amor eſt.

Tantas habet ex ſe ſe Beatitudo ſuavitates atque illecebras, tantam cum ipſa hominum indole neceſſitudinem, ut cæteris quidem rebus facilè carere, ab illa conſectanda temperare non poſſe videantur.

ALIA SENTENTIA.

Conſcientiam malam nemo non execrari, bonam ſectari nemo non debet.

Tanta eſt inculpatæ mentis ſuavitas, tam graves conſcientiæ malæ ſtimuli, ut hanc execrari penitus, illam expetere votis omnibus nemo non debeat.

Pro Rabirio Perduelli n. 3.

SENTENTIA CICERONIANA.

Conſulis officium cum officio Civium collatum.

Si eſt boni Conſulis, cùm cuncta auxilia Reip. labefactari convellique viderit, ferre opem patriæ, conſulere ſaluti fortuniſque communibus, implorare Civium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: eſt etiam bonorum & fortium Civium, quales vos omnibus Reip. temporibus extitiſtis, intercludere omnes ſeditionum vias, munire præſidia Reip. ſummum in Conſulibus imperium, ſummum in Senatu conſilium putare.

SENTENTIA.

Parentis officium cum officio Liberorum comparatum.

Si eſt boni Parentis, cùm Liberos feliciter ſuſceperit, informare ſtatim ipſos ad virtutem, ſufficere iiſdem quotidiana rectè factorum incitamenta, liberalem educationem, vitâ ipſa, quam dedit, antiquiorem ducere: Bonorum quoque Liberorum eſt, cùm talem nacti fuerint Parentem, dociles afferre ad inſtitutionem animos, inſiſtere bonorum exemplis, vitam benè moratam quibuſcumque fortunis anteferre.

ALIA

ALIA SENTENTIA.

Viri prudentis eſt, res adverſas prævidere; fortis, cùm advenerint, patienter ferre.

Sicut viri prudentis eſt; cùm fortunam ſecundam habet, varios rerum eventus providere, declinare, ſi poteſt, caſus ingratiſſimos, & contra mala diligenter ſe munire; ita viri fortis eſt, cùm quid adverſum evenerit, fortem alteram tanquam multò antè præviſam excipere, graviſſimas ærumnas ferre patienter, & inter acerbiſſimas rerum humanarum tempeſtates fortunam meliorem expectare.

TRIMEMBRES.

Pro Archia Poeta n. 14.

CICERONIANA SENTENTIA.

Devovi caput meum multis periculis amore laudis & honeſtatis.

Niſi multorum præceptis multiſque literis mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnoperè expetendum, niſi laudem atque honeſtatem; in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exſilii parvi eſſe ducenda; nunquam me pro ſalute veſtra in tot ac tantas dimicationes atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objeciſſem.

SENTENTIA.

Peccant plerumque homines rerum æternarum inconſiderantia.

Niſi in media rerum cœleſtium luce miſeri mortales plerumque cæcutirent, negligerentque cogitare, dum peccant, brevem fœdæ voluptatis uſuram pœnarum æternitate eſſe aliquando redimendam, nunquam ſe vitiorum illecebris aut vinci, aut demulceri paterentur.

ALIA SENTENTIA.

Ludovicus Magnus multa victoriarum monumenta ſtudio pacis devovit.

Niſi fatigatis jamdiu longiore bello populis amicum pacis munus totis ambiri animis Ludovicus Magnus intellexiſſet, ſuorumque utilitates atque commoda ſua ipſius gloria duxiſſet antiquiora; nunquam profectò tot victoriarum ſuarum & rerum bellò fluentium monumenta ſtudio pacis devoviſſet.

Pro Cælio n. 28.

CICERONIANA SENTENTIA.

Tolerantur in juventute cupiditates quædam, ſi modum non excedant.

Datur conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates, quæ, ſi ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles ac tolerabiles haberi ſolent.

SENTENTIA.

Incultus animus nullam ſpem facit bonæ frugis.

Eget aſſidua diligentique culturæ hominis cujuſvis animus, &, ab ipſa ſtatim adoleſcentia, mala quædam cupiditatum ſemina profunduntur, quæ niſi reſecentur quamprimùm, ac penitus evellantur, vix ullam bonæ frugis patiuntur expectationem ſupereſſe.

ALIA SENTENTIA.

Singulis ætatibus laudabiles Orationes extiterunt.

Non eſt tam rarus, quàm videtur ipſe Tullius profiteri, Oratorum numerus; & ætates ſingulæ tulerunt viros ubertate atque elegantia dicendi eximios, qui ſi tales fortè non fuerunt, ut ſummum Artis illius apicem adepti videantur, laudem certò aliquam eamque non vulgarem meruere.

Pro

CICERONIANÆ PERIODI IMITATIO.

Pro Quintio n. 26.

CICERONIANA SENTENTIA.

Vanus ille, perfidioſus, impius, qui amicum, ſocium, affinem ſpoliare conatus eſt.

Si veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur, neceſſe eſt, iſte, qui amicum, ſocium, affinem fama ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe & perfidioſum eſſe fateatur.

SENTENTIA.

Dignus omnium amore & benevolentia, qui propriam gloriam communi utilitati devovit.

Si contemptu gloriæ vera laus, amore benevolentia, beneficentia gratus animus comparatur, neceſſe eſt ille, qui propriam gloriam, ſtudia, opes communibus populorum votis ac commodis devovit, laudem ab omnibus, benevolentiam & animi grati monimentum ferat.

ALIA SENTENTIA.

Qui contempto labore ſectatur otium, is aut ignarum ſe, aut fovendæ doctrinæ parum cupidum profitetur.

Si doctrina comparatur labore, fovetur ſtudio, diligentia promovetur; neceſſe eſt, ut, qui vel perpetuo vixit in otio, vel prioris diligentiæ pertæſus totum ſe inertiæ permiſit, is aut nullam doctrinæ partem unquam adeptus, aut illius tuendæ atque excolendæ parum cupidus eſſe videatur.

Pro Domo ſua n. 1.

SENTENTIA CICERONIANA.

Sapienter inſtitutum à Romani Imperii Moderatoribus, ut Pontifices & Religioni & Reipub. regendæ præeſſent.

Cùm multa divinitus, Pontifices, à majoribus noſtris inventa atque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quàm quòd vos eoſdem & religionibus Deorum immortalium, & ſummæ Reip. præeſſe voluerunt, ut ampliſſimi & clariſſimi Cives, Remp benè gerendo, Religiones ſapienter interpretando, Remp. conſervarent.

SENTENTIA.

Sapienter conſtituta ſunt virtuti præmia, & ſupplicia ſceleri.

Cùm multa in omni Rep. laudabiliter inventa feliciterque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius, quàm quòd virtuti præmia, ſupplicia ſceleri proponerentur; ut boni mercedis expectatione, mali pœnarum metu in officio continerentur.

ALIA SENTENTIA.

Prudenter proviſum eſt in Romanâ Rep. ut in largiendis honoribus non tam nobilitatis, quàm virtutis ratio haberetur.

Cùm ad tuendam Imperii Rom. dignitatem plenæ ſingulari prudentia leges à Reipub. Moderatoribus conſtitutæ ſunt, tum illa certè præſtantiſſima, quòd in largiendis honoribus non tam generis, quàm virtutis haberetur ratio, ut nobiles viri repulſæ metu, ignobiles gloriæ deſiderio ad magna quæque accenderentur.

QUA-

Digitized by Google

QUADRIMEMBRES.

Pro Milone n. 1.

SENTENTIA CICERONIANA.

Timet Cicero dicere pro Milone, vel dum turpe eſt pro ipſo dicentem timere.

Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat, cùm T. Annius Milo ipſe magis de Reip. ſalute, quàm de ſua perturbetur; me ad ejus cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe; tamen hæc novi judicii forma terret oculos, qui, quocumque inciderint, veterem conſuetudinem Fori, & priſtinum morem judiciorum non vident.

SENTENTIA.

Præcepta Rhetoricæ quantumvis difficilia neminem eloquentiæ candidatum debent deterrere.

Etſi multa ſunt in eloquentiæ ſtudio, quæ primo aditu difficultatis nonnihil præ ſe ferant, ipſaque adeo præceptorum multiplicitas atque varietas totidem veluti loca ſentibus aſpera Rhetoricæ Candidatis videri ſolent; tamen hæc eadem, qualiacumque ſunt, documenta neminem dicendi cupidum debent deterrere, quæ labore, uſu atque exercitatione molliuntur.

ALIA SENTENTIA.

Tempus res omnium pretioſiſſima incautis atque otiantibus deperditur.

Etſi pretioſiſſimum quoddam eſt particula quæcumque temporis; nihilque ſe offert rerum omnium, cujus jactura reſarciri minùs ac reparari poſſit: tamen vel ipſum totius vitæ tempus pleriſque hominum deperditur incautis atque otiantibus, qui vel ignorare temporis pretium, vel non illud, ut par eſt, videntur ſatis æſtimare.

Actione 2. in Verrem n. 5.

SENTENTIA CICERONIANA.

Fallere Verres potuiſſet, ſi quàm eſt audax, tam eſſet obſcurus in agendo.

Si quàm audax eſt ad conandum Verres, tam eſſet obſcurus in agendo, fortaſſe aliqua in re nos aliquando fefelliſſet; verùm hoc adhuc percommodè cadit, quòd cum incredibili ejus audacia ſingularis ſtultitia conjuncta eſt.

SENTENTIA.

Non eſt metuendus hoſtis humani generis, quia non eſt tam potens, quàm eſt attentus ad noſtram perniciem.

Si quàm eſt ad perniciem noſtram attentus, tam eſſet ad perficienda conſilia potens hoſtis humani generis, perpetuum certè ſanctiſſimis quibuſque viris metum incuteret; verùm hoc percommodè & magno noſtrum omnium ſolatio cadit, quòd infinita ipſius invidia cum incredibili imbecillitate conjuncta eſt.

ALIA SENTENTIA.

Stultorum natio ſi tacere poſſet, aliquam ferret ſapientiæ laudem.

Si quàm eſt inepta ad loquendum quidpiam feliciter, tam eſſet ſolers ad tacendum ſtultorum hominum natio, aliquam fortaſſe ſapientiæ laudem habere poſſet: verùm miſerabili ipſorum fato ut plurimùm contingit, quòd ad incredibilem ipſorum ineptiam inſanabilis prurigo garriendi quidlibet accedit.

Pro

CICERONIANÆ PERIODI.

Pro Rabirio Perduelli n. 1.

SENTENTIA CICERONIANA.

Reddit rationem Cicero præter conſuetudinem cur defendat Rabirium.

Etſi, Quirites, non eſt meæ conſuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua de cauſa quemque defendam; propterea quòd omnibus Civibus in eorum periculis ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi: tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarum omnium Caji Rabirii proponenda ratio videtur officii mei; propterea quòd, quæ juſtiſſima cauſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri.

IMITATIO.

SENTENTIA.

Res adverſæ ferendæ ſunt æquo animo; vel ſi durum illud eſt.

Etſi difficilioris cujuſdam operæ eſt æquam ſemper in humanis rebus ſervare mentem; propterea quòd multa plerumque, ut vivitur, contra ſpem atque expectationem evenire ſolent; tamen vel ad ipſas rerum aſperitates leniendas habenda eſt moderatio, propterea quòd, dum feruntur iniquiùs, fiunt ad ferendum graviores.

ALIA SENTENTIA.

Vel inter graviſſima ſtudiorum faſtidia adoleſcentes ſolatio non carent.

Etſi in comparandis liberalibus diſciplinis multa juvenum animi experiri faſtidia ſolent, propterea quòd rerum iſtarum cognitio longum aſſiduumque laborem exigit; tamen vel ipſas inter graviſſimas ſtudiorum moleſtias, ſuaviſſimo recreari ſolatio debent; propterea quòd improbo tandem labore difficillima quæque ſuperantur.

PERIODUS QUADRATA ET ROTUNDA.

De Provinciis Conſul. n. 1.

CICERONIANA SENTENTIA.

Facilè quis intelliget, quas ſit Provincias Cicero decreturus, ſi cogitarit, quinam homines ex Provincia detrahendi ſint.

Si quis veſtrum expectat, quas ſim Provincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines ex Provinciis potiſſimum detrahendi ſint; non dubitabit quid me ſentire conveniat, cùm quid me ſentire neceſſe ſit, conſiderarit.

SENTENTIA.

Intelligere quis poteſt ex ſua in pauperes humanitate, quam olim humanitatis partem apud Chriſtum habiturus ſit.

Si quis ſcire voluerit, quam olim apud Chriſtum mortalium omnium Judicem gratiam ſit habiturus, cogitet ille ſecum, quam ipſe gratiæ partem pauperibus & egenis impendere ſoleat; tunc facilè intelliget qualem in ſupremo judicio Chriſtum experturus ſit, cùm in egenos & pauperes qualis exiſtat ipſe, cogitarit.

ALIA SENTENTIA.

Non pigebit quempiam hujus vitæ labores ferre, qui remunerandos illos æterna mercede cogitarit.

Si quis laborum aſperitate, quibus conſita dicitur vitæ felicis ſemita, ab eadem inſiſtenda deterretur, reputet ille ſecum quantam bonorum amplitudinem amatoribus ſuis poſſidendam Deus deſtinarit; tunc leves exiſtimabit laboris cujuſcumque moleſtias, cùm mercedis æternæ pretium, qua remunerabuntur illæ conſiderarit.

PERIO-

PERIODUS DECUSSATA.

Pro Cæcinna n. 1.

SENTENTIA CICERONIANA.

Potuiſſet A. Cæcinna tam cedere in Foro Sex. Ebutii impudentiæ, quàm in agro ceſſerat audaciæ.

Si quantùm in agro locíſque deſertis audacia poteſt, tantùm in Foro atque in judiciis impudentia valeret; non minùs in cauſa cederet A. Cæcinna Sex. Ebutii impudentiæ, quàm tum in vi facienda ceſſit audaciæ.

SENTENTIA.

Potuit Alexander parem moderationis & fortitudinis laudem ferre.

Si quantam in expugnandis hoſtibus fortitudinem Alexander Magnus præ ſe tulit, tantam in privatæ vitæ conſuetudine moderationem animi exhibuiſſet; non minùs Principibus viris ad exemplum proponeretur ejus moderatio, quàm ad imitandum proponi ſolet ejus fortitudo.

ALIA SENTENTIA.

Potuit Catilina tam prudentia ſua, quàm auctoritate vincere Ciceronem.

Si quanta valuit ad conciliandos animos auctoritate Catilina, tanta ad diſſimulandas molitiones nefarias prudentia valuiſſet; non minùs in avertenda Reip. ruina Tullius ceſſiſſet civis exitioſi prudentiæ, quàm in ejuſdem pernicie machinanda ceſſerat auctoritati.

CAPUT IV.

De Venuſtate Periodi.

IN quo poſita eſt venuſtas Periodi?

R. In tribus præcipuè rebus. In Numero, in Verbis, in Clauſulis.

Quid eſt Numerus?

R. Numerus ſecundùm Ariſtotelem eſt Rhytmus quidam exquiſitus, non canorus, qualis eſt in poematis ac verſibus, ſed ita diſſimulatus ac latens, ut ſentiatur tamen ac jucundo fine concludatur.

Definitur aliter à Cicerone, Oratio conſtans partibus ſonoris aurium judicio rectè & æqualiter fluentibus. Quod ſpectat verò Numerum in Oratione adhibendum, hæc monet Tullius in Oratore ad Brutum n. 195. *Neque numeroſa eſſe, ut poema; neque extra numerum, ut ſermo vulgi eſt, debet Oratio. Alterum nimis eſt vinctum, ut de induſtria factum appareat; alterum nimis diſſolutum, ut pervagatum & vulgare videatur.*

Quid ſpectandum in Verbis?

R. Hæ ſunt in Verbis quærendæ virtutes. 1. Vis; ut ſi *Parricidam* dixeris pro nefario homine, *ſacrilegum* pro fure. 2. Majeſtas, ut *immenſitas locorum*, pro magnitudine. 3. Splendor, ut *immenſa camporum declivitates*, pro declivi aliquo loco. 4. Vehementia, ut *temporum procellæ*, pro calamitatibus. 5. Epitheta & verba ficta ad contumeliam; ut gurges bonorum, furia patriæ, fax, tempeſtas, Reipub. Peſtis. *Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſa gena, non dentes putridi deceperunt.* In Piſonem.

Quæ cavenda ſunt vitia in verbis?

R. 1. Conſonantium aſperior commiſſura, ut Xerxis exercitus. 2. Syllabarum earumdem repetitio, ut hunc timorem moremque perpetuò retinuit. 3. Crebra ejuſdem vocis repetitio. 4. Similiter cadentia.

5. Plu-

5. Plura monoſyllaba. 6. Verba longiora, niſi hoc poſtulet Orationis tarditas. 7. Inepta verborum trajectio.

Quid obſervandum in Clauſulis?

R. 1. Supervacaneum eſt dicere de pedibus, qui vel initio, vel in medio Periodi uſurpantur, hæc enim uſus & lectio meliùs docebunt. 2. Quod ſpectat ad finem; Periodus verbo elegantiùs quàm nomine clauditur. 3. Ejuſmodi clauſulis inſerviunt vulgò ſequentes pedes. Primus eſt, geminus Trochæus apud Ciceronem uſitatiſſimus. v. g. *Conſulatus, continebit, conſequentur*. Secundus, geminus Spondæus, ut *infringendam*. Tertius Tribracus & Spondæus, ut *prohibuerunt*. Quartus eſt Dactylus, maximè ſi præceſſerit Jambus, ut *perhorreſceret*.

CAPUT V.

De Arte informanda Periodi & Membra, ſeu partes Periodi alias cum aliis connectendi.

IN quo conſiſtit artificium Periodi?

R. In uſu & diſpoſitione Particularum, per quas Periodi ſenſus ſuſpenditur & abſolvitur. Nam particula quæque initio Periodi, ſive Protaſi præpoſita, relativa eſt, & dicit ordinem ad aliam particulam, Apodoſi præfigendam; quæ, niſi advenerit, perfectus & completus eſſe ſenſus non poteſt. Unde diceres particulas illas eſſe in Periodo, quod ſunt in ædificiis interruptis prominentes & ſalientes lapides, qui videntur alios expectare; quibus inſerantur, & quibuſcum unum opus perfectum & abſolutum efficiant.

Quænam ſunt illæ Particulæ?

R. Multiplicis generis recenſentur. Aliæ enim comparationem inſtituunt, v. g. *Tantùm, quantùm, talis, qualis; eo major, quo; quemadmodum, ſic*. Aliæ diſtributivæ ſunt ſerviuntque enumerationi partium; v. g. *ſive, aut, vel, neque*, bis aut ter repetita; *Primùm, deinde, poſtremo, cùm, tum*. Aliæ vocantur conditionales, v. g. *Si, ſiquidem, niſi*. Aliæ augentes, v. g. *Non ſolùm, ſed etiam: tam, adeo, ut*. Aliæ cauſales, v. g. *Quoniam, quandoquidem, cùm*. Aliæ pugnantes, v. g. *Etſi, quamvis, tamen*. Aliæ relativæ, v. g. *Qui, quæ, quod; is, ea, id*. Hæ particulæ connectendis Periodi membris ſeu partibus deſerviunt.

Quomodo Particularum illarum ope informari Periodus poteſt?

R. 1. Quærenda tibi ſententia aliqua, quam extendas in Periodum. v. g. *Nihil in vita amico utilius*. 2. Vel rationem ſubjunges propoſitæ ſententiæ, vel dilatabis tantùm vocem illam, *utile*, hoc vel alio modo, *nihil tam naturæ aptum, tam conveniens ad vitæ ſocietatem ac conſuetudinem*. 3. Præpoſita particula cauſali, *Cùm*, ut ſuſpenſus ſenſus eſſe poſſit, ita bimembrem Periodum efficies. Cùm nihil eſt tam aptum naturæ, tam conveniens ad vitæ ſocietatem, atque conſuetudinem, quàm amici benevolentia, (1. Membrum) Tum cordatus homo quiſquis erit, illam rebus omnibus humanis anteponendam judicabit. (2. Membrum.)

Sin ſubjungere ſtatim propoſitæ ſententiæ rationem volueris, iſtam v. g. quia *amicus ſecundas res lætiores facit, adverſas leviores*. Sic Periodum bimembrem efformabis. Cùm nihil eſt & ad ſecundas res lætiores, & ad adverſas leviores faciendas tam potens quàm amici benevolentia; tum cordatus homo quiſquis

erit,

erit, illam rebus omnibus humanis facilè anteponendam judicabit.

Jam de Bimembri ut Trimembrem facias, dilatabis *Protaſim* in duo membra, & beneficio particulæ, *Ut*, poſterius membrum junges cum priori, hoc modo. Cum ea eſt veri ſincerique amici natura atque indoles, (1. Membrum) ut res ſecundas lætiores, adverſas leviores efficiat (2. Membrum.) *Protaſis*) Quis tot inter ac tantas hujus vitæ varietates ſine amici benevolentia vivere ſe poſſe arbitretur? (3. Membrum) *Apodoſis*.

Denique ut Periodus quæ Trimembris eſt, fiat Quadrimembris, dilatanda *Apodoſis* eſt per particulas comparativas, *tam*, *ut*, vel *tantùm quantùm*, v. g. Erit ne aliquis tam parum amicus ſui, tam parum cupidus tranquillitatis ac pacis, ut tot inter ac tantas hujus vitæ varietates ſine amici benevolentia vivere ſe poſſe arbitretur? vel Quanto difficiliores operæ videtur, æquam rebus in arduis pariter ac bonis ſervare mentem, tanto dulcior amicus ac jucundior cenſendus eſt.

Obſervabis ex dictis, geminam eſſe ſententiæ in Periodum conformandæ rationem; aliam per ſolam dilatationem propoſitæ ſententiæ. Ita Cicero Oratione 2. in Verrem ſententiam illam: *Accidit tandem quod optabamus*. Sola dilatatione ſic in Periodum Trimembrem fundit. *Quod erat optandum maximè, Judices*, (1. Membrum.) *Et quod unum ad invidiam veſtri Ordinis, infamiamque judiciorum ſedandam maximè pertinebat*, (2. Membrum.) *Protaſis*) *id non humano conſilio, ſed prope divinitus datum atque oblatum vobis ſummo Reipublicæ tempore videtur*. (3. Membrum) *Apodoſis*.) Ubi patet totam Periodum nihil eſſe aliud, quàm meram brevioris hujus ſententiæ dilatationem, *Accidit tandem quod optabamus*.

Alia ratio eſt conformandæ ſententiæ in Periodum, nimirum cùm ſententiæ aliqua ratio ſubjicitur. Sit in exemplum iſta ſententia: *Caput meum objeci multis periculis*. Cui Cicero pro Archia num. 14. hanc rationem adjicit, *quia nihil non ferendum eſſe duxi pro conſectanda laude atque honeſtate*; & ſic Periodum Trimembrem informat. *Niſi multorum præceptis multiſque literis mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem atque honeſtatem*. (1. Membrum) *in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exſilii parvi eſſe ducenda*; (2. Membrum.) *Protaſis*. *Nunquam me pro ſalute veſtra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objeciſſem*. (3. Membrum) *Apodoſis*.

Quoties autem propoſitæ ſententiæ ratio ſubjicitur, hæc plerumque collocatur in *Protaſi*, ſententia verò ipſa in *Apodoſi*.

Id porro ut planius fiat, laudatam modò ſententiam cum ſubjecta ratione, ſcilicet, *nihil in vita amico utilius; quia lætiores facit res ſecundas, adverſas leviores*, operæ pretium eſt in varias omnis generis Periodos ad imitationem Ciceronianam informare, ex quibus hoc etiam commodum exurget, ut quo pacto ſingulæ Particulæ adhiberi debeant, uno quaſi intuitu liceat obſervare. Ipſas verò Ciceronis Periodos non hic deſcribimus, quia jam deſcriptæ ſunt in Capite tertio. Satis erit Orationes, & Numerum, ubi leguntur, indicare.

PE-

Digitized by Google

PERIODI BIMEMBRES.

Pro Archia n. 1. Per Particulas Relativas Quod, id.

Quod in ſecundis rebus dulciſſimum, in adverſis multo optatiſſimum eſt, id in amici veri ſincerique benevolentia invenitur.

Pro Lege Manilia n. 1. Per Particulas pugnantes Quanquam, Tamen.

Quamquam difficultatibus plurimis vita mortalis obnoxia, in bonis autem & in arduis rebus rara æquabilitas animi videri poteſt ; His tamen omnibus incommodis non certum modò in amici benevolentia remedium, ſed etiam ſuaviſſimum vitæ ſolatium offertur.

Lib. 1. de Oratore num. 31. Per Particulas Relativas Is, Qui.

Quid eſt tam expetendum in vita, quàm in ſecundis pariter & adverſis rebus habere eum, qui has leviores, illas jucundiores efficiat?

TRIMEMBRES.

Pro Domo ſua ad Pontifices num. 1. Per Particulas Diſtributivas Cum. Tum.

Cùm ad leniendas mortalis vitæ moleſtias multa nobis præſidia non deſunt, tum certè nullum eo majus, quod in amici ſinceri fideliſque benevolentia proponitur, qui res ſecundas lætiores, adverſas leviores efficit.

2. Oratione in Verrem n. 1. Per Particulas Relativas Id, Quod.

Quod erat ad ſuaviſſimum hujus vitæ ſolatium expetendum maximè, & quod ad ferendam æquo animo ſortis utriuſque conditionem inprimis juvare poterat ; id nobis in jucundiſſima veri ſincerique amici conſuetudine, ſingulari divinæ Providentiæ beneficio oblatum datumque gratulamur.

Pro Archia num. 14. Per Particulam Conditionalem. Niſi.

Niſi tot inter tamque varias, quibus vita hominum obnoxia eſt, miſerias dulciſſimum in amicis ſolatium haberetur, in iiſque præſentiſſimum adverſus utriuſque ſortis incommoda remedium occurreret ; quem demum, quantumvis cupidus vitæ videretur, longioris ævi non pigeret?

Pro Cælio n. 28. Per Particulas Augentes Tam, ut.

Datur vel inter graviſſimas vitæ hujus ærumnas ſuaviſſimum in amicis ſolatium ; & illi tam lætas blandientis fortunæ vices, tam ferendos reſtantis ejuſdem caſus reddere ſolent, ut, ſi minus jucunda ex omni parte vita, tolerabilis ſaltem videri poſſit.

Pro Quinctio num. 26. Per Particulam Conditionalem Si, & Relativas Is, Qui.

Si res aſperas mitiores, lætas jucundiores, vitam totam æquiorem verus ac fidelis amicus facit ; neceſſe eſt profectò, ut, qui in tanta hujus vitæ varietate de comparanda amici benevolentia curandum ſibi non arbitratur, is neque in adverſis ſolatium, neque in proſperis jucunditatem, neque in omni vitæ parte tranquillitatem habere velit.

QUADRIMEMBRES.

Pro Milone n. 16. Per Particulas Pugnantes Etſi, Tamen.

Etſi difficilioris operæ videtur æquam in varia ſortis utriuſque conditione mentem retinere ; multoſque reperire eſt, cùm iniquioris fortunæ telis reſtitiſſent, ejuſdem illecebris fuiſſe ſuperatos ; Tamen certiſſimum adverſus difficultates ejuſmodi ſubſidium ſemper invenias in amico fideli, qui & patientiam in adverſis, & in proſperis moderationem ſuadere poſſit.

De Provinciis Conſularibus n. 1. Per Particulam Conditionalem Si, & Diſtributivas, Cum. Tum.

Si quis noſſe velit, quàm neceſſaria ſit inter tantas hujus vitæ varietates fidelis amici ſocietas, conſideret ille ſecum, quantùm in utraque ſorte juvare amicus poſſit ; tum certè non dubitabit quantùm in amico parando debeat operam ponere, cùm ſine tali præſidio vix ferendam æquabiliter cùm proſperæ, tum adverſæ fortunæ conditionem eſſe intellexerit.

DECUSSATA.

Pro Cæcina n. 1. Per Particulas

Si quantùm ad mitigandas molliendaſque res adverſas amicus poteſt, tantùm ad temperandas ab inſolenti læ-

Condicionales *Si*, & Comparativas *Tantum*, *Quantum*, *non Minùs*, *Quàm*.

lætitia res ſecundas valet; non minùs quærendus eſt amicus in proſperis ad ſervandam moderationem, quàm in adverſis comparari ſolet ad retinendam patientiam.

Quæ ſequuntur in idem argumentum Periodi, etſi ad Tullianam imitationem exactæ omnino non ſunt, tamen docebunt uſum aliarum Perticularum.

Per Particulas Comparativas *Quàm*, *Tam*.

Quàm ſuave eſt in adverſa ſorte ſolatium, in proſpera lætitiam experiri; Tam ſedulò fidelis ſincerique amici benevolentia videtur eſſe comparanda.

Per Particulam Diſtributivam *Sive*, repetitam.

Sive blandientem ſuaviter votiſque aſpirantem omnibus ſortem experiare, ſive ſævientem immiſericorditer & reſtantem perpetuò fortunam feras; in utraque vitæ conditione tam diſpari, ſtudio tamen pari, parique diligentia fidelis amici conſuetudo conquirenda eſt.

Per Particulas Augentes, *Tam*, *ut*.

Tot ac tanta ex dulci fidelis amici commercio, tam in proſperis quàm in adverſis oriri commoda ſolent, ut, ſine paratiſſimo ſemper hujuſcemodi præſidio, amara prorſus & acerba vita videri poſsit.

Per Particulas Comparativas *Quemadmodum*, *ſic*.

Quemadmodum ventis tam æquam quàm ſiniſtram in partem ſpirantibus peritiſsimi Moderatoris prudentia navigium eget; ſic ſecundis pariter atque adverſis in rebus veri ſincerique amici commercio humana vita carere non poteſt.

Aliud ſtatuamus exemplum in illa ſententia, quæ rationem adjunctam habet. *Difficile eſt aſſentationibus aures occludere; quia homines vulgò ſe amant*. Illa poterit in Periodos pariter informari ad Ciceronis imitationem.

BIMEMBRES.

Lib. 1. de Orat. n. 31.

Quid eſſet tam novum tamque inſolens, quàm in tanta amantium plus æquo ſui hominum multitudine reperire unum aliquem, qui, quod cæteri tantopere ambiunt, nullum prædicationi laudum ſuarum locum eſſe patiatur.

Per Particulas Relativas.

Pro Archia n. 1. Per eaſdem Particulas.

Qui maturè perpenderit, quàm ſit amans ſui indoles hominum, per omnes ætatis flexus & varias vitæ conditiones volvens oculos; is mirari deſinet, pleroſque & merito rerum ſuarum præconio, & putidis etiam aſſentationibus nonnunquam delectari.

Pro Lege Manilia num. 1. Per Particulas Pugnantes *Quanquam*. *Tamen*.

Quanquam plenas fuco atque fallacia adulatorum laudes, & illas non tam ad veritatem, quàm ad voluptatem inſtructas eſſe nemo non ſentit; Tamen, ne declinentur eorum illecebræ, non ſolers modò iſtorum hominum induſtria, ſed etiam multo magis inſitus unicuique ſuimetipſius amor prohibere ſolet.

TRIMEMBRES.

Pro Archia n. 14. Per Particulam Conditionalem *Niſi*.

Niſi erudita ſemper ad omne blanditiarum genus eſſet adulatorum natio, & ad mulcendum eum, qui ſingulis hominum innatus eſt, amorem fingeret ſe totam atque accommodaret, non tam operoſum videretur ab eorum inſidiis declinare.

Oratione 2. in Verrem n. 1. Per Particulas Relativas *id*, *Quod*.

Quod eſt ad conciliandos animos potentiſsimum, & quod ad pertentandum ſuaviter eum, quo ſe quiſque proſequitur, amorem plurimùm poſſe videtur; hoc adulantum natio ſolertiſsima non apertè quidem, ſed clam & per cuniculos ſolet adhibere.

Pro Domo ſua ad Pontifices n. 1. Per Particulas Diſtributivas *Tum*, *Cum*.

Cùm res eſt planè difficilis, aſſentatorum vocibus aures occludere, tum certè tanto id operoſum magis, quod illi mollibus illecebris amantem ſui plus æquo hominum indolem demulcere ſolent; ut, qui ab amando ſe ſe non poſſunt, neque ab excipiendis ultro adulationibus valeant temperare.

Ma-

Pro Cœlio n. 28. Per Particulas Augentes Sic, ut.

Magnam habent homines ad amandos ſe ſe propenſionem, & ſolers adulatorum genus ſic inſitum unicuique ſui ipſius amorem palpare novit, ut aſſentationibus aures occludere, ſingulare quoddam modeſti ac temperantis viri ſpecimen videri ſoleat.

Pro Quinctio num. 26. Per Particulam Conditionalem Si, & Relativas Is, Qui.

Si condita mollibus illecebris, & ad uniuſcujuſque ſenſum voluntatemque comparata ſolet eſſe omnis adulatio, neceſſe eſt profectò, ut, qui laudis eſt amans plus æquo, & permulceri ſenſus ſuos lubentiùs patitur, is ab audiendis adulatorum vocibus temperare ſibi non poſſit.

QUADRIMEMBRES.

Pro Milone n. 1. Per Particulas Pugnantes Etſi, Tamen.

Etſi nemo pœne eſt qui neſciat adulatorum gentem totam eſſe ad fallendum decipiendumque compoſitam, nihilque contingere ſolet viro liberali ingratum magis quàm illudi; tamen molles blandientium illecebræ vel ipſos permulcent ſapientiſſimorum hominum animos, qui contra tam amabiles inſidias vix ac ne vix quidem tueri ſe poſſunt.

De Provinciis Conſularibus n. 1. Per Particulam Conditionalem Si.

Si quis fortè mirabitur unde tam ægrè homines, quotquot ſunt, aſſentationibus aures occludant, attendat ille ſecum, quàm pauci ab amandis ſemetipſis valeant temperare; tunc facilè intelliget quàm ultro ſibi, quiſquis eſt, adulari patiatur, cùm adulantum nationem totam eſſe ad mulcendum amorem proprium comparatam perſpexerit.

DECUSSATA.

Pro Cæcinna n. 1. Per Particulam Conditionalem Si, & Particulas Comparativas Tam,

Si quàm eſt amans ſui hominum indoles, tam eſt comparata ad mulcendum amorem illum omnis adulatio, non minùs quis poteſt ab excipiendis ultro aſſentationibus temperare, quàm ab amando ſemetipſo poteſt idem abſtinere.

Quam, non Minus, Quam. Per Particulas Comparativas Quemadmodum ſic.

Quemadmodum mare Siculum olim navigantibus ſingularis cujuſdam prudentiæ fuit, inſidioſis Sirenum cantibus aures occludere; ſic in hac vitæ conſuetudine, quæ adulantum multitudine infeſta eſt, eorum lenociniis non permulceri perfecta conſummataque ſapientia eſt.

Si cui fortè prolixiores fuiſſe videbimur in exemplis proferendis; ignoſcat tamen rem illam apertiorem facere volentibus, quam præceptionum omnium, quæ traduntur in Rhetorica, longè difficillimam Candidati experiuntur, cùm ad uſum atque exercitationem revocanda eſt.

CAPUT VI.

De Ratione Periodos alias cum aliis connectendi.

Egimus de Particulis, quibus membra cum membris vinciuntur, & ipſa Periodi conformatio conſtat; nunc agendum de vinculis, quibus Periodi ipſæ, aliæ cum aliis connectuntur, ſive de variis Orationis nexibus. Quæres ergo.

Quænam ſunt particulæ, per quas Periodi cum Periodis conjunguntur?

R. Hæ præſertim adhibentur, *atque ego quidem*, *& verò*, *atenim*, *quæ cùm ita ſint*, *itaque*, *nam*, *cùm*, *ac primò quidem*, *enim verò*, *neque verò*, *quinetiam*, *igitur*, *ergo*, *quid quod*, *adde quòd*, *accedit & illud*, & aliæ multæ, quas uſus frequens ac lectio docebunt.

Atque ut Præceptum iſtud exemplorum appoſitione non careat; proponenda ſunt ad imitationem quædam Ciceronis exordia quæ tota ferè Periodis conſtant: in quibus licebit obſervare, quinam nexus vinciendæ

B 2 Ora-

Digitized by Google

Orationi inſerviant. Porro ad majorem cognoſcendæ Artis facilitatem, non deſcribemus modò Ciceronis locum, cujus ad normam exigenda imitatio ſit, ſed brevem ejuſdem Synopſim præfigemus.

CICERONIANUM EXORD.

Pro Rabirio Perduelli.

SYNOPSIS CICERONIANA.

Cicero Judices adhortatur ad abſolvendum Rabirium.

1. R*Eddit rationem Cicero, cur Rabirium defendat, licet non ſoleat illud facere.* Periodus Quadrimembris.

2. *Dicit Cicero cùm ſua in Rabirium benevolentia, tum ſalute Reipub. impelli ſe, ad ſuſcipiendam ipſius defenſionem.* Periodus Bimembis.

3. *Dicit Cicero: ſicut eſt Conſulis ſuccurrere Reip. periclitanti; ita Civium eſt Conſulem in eo præſtando adjuvare.* Periodus Bimembris.

4. *Dicit Cicero. In me labor, in Senatu debet eſse ſtudium in defendendo Rabirio.* Periodus Bimemb.

IMITATIO.

Blanca Ludovico Filio Gallici & Imperii habenas moderandas tradit.

SYNOPSIS IMITATIONIS.

Blanca filium adhortatur ad moderandum ritè Imperium.

1. BLanca Filium ſuum admonet, etſi non videtur ille egere Præceptionibus.

2. Dicet Blanca; cùm multa ſolent obcæcare viros Principes, tum requiri multas virtutes ad declinandum hoc incommodum.

3. Dicit Blanca; ſicut exhibuiſti adoleſcens virtutes hujus ætatis proprias; ita Rex conſtitutus debes præ te ferre virtutes regias.

4. Dicet Blanca; tibi glorioſum erit Regio muneri ſatisfeciſſe, mihi non indecorum te inſtituiſſe.

ORATIO.

Etſi, Quirites, non eſt mea conſuetudinis rationem reddere, qua de cauſa quemque defendam; propterea quòd, cum omnibus civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi; Tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur eſſe officii mei, propterea quòd, quæ juſtiſſima mihi cauſa ad hunc defendendum viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri.

Nam me cùm amicitia vetuſtas, tum hominis dignitas, tum ratio humanitatis, tum mea vita perpetua conſuetudo ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata; Tum verò, ut id ſtudioſiſsimè facerem, ſalus Reipublicæ, Conſulare officium, Conſulatus denique ipſe, mihi unà vobiſcum cum ſalute Reipublicæ commendatus coegit, ...

Quamobrem ſi eſt boni Conſulis, cùm

Etſi, Fili chariſſime, novi ſatis non egere te maternis præceptionibus ad peragenda diligenter quæ ſunt officii tui; propterea quòd innata virtutis æmulatione, quidquid eſt cum laude conjunctum ultro conſectaris; Tamen in hoc rerum flexu, quo moderandas magni Imperii habenas ſuſcipis, te præmonendum putavi, propterea quòd, quanto ſublimior eſt locus ille quem capeſſis, tanto periculoſior debet videri.

Nam cùm dignitatis Regiæ majeſtas populorum admiratio, deliciarum illecebræ, rerum omnium copia viros Principes in hoc fortis apice conſtitutos occæcare plerumque ſolent; tum, ut declinare tam graves ſcopulos valeant, animus de ſe modeſtè ſentiens, continentia ſingularis, comis humanitas, egregius rerum humanarum contemptus requiruntur.

Qua-

cuncta Reip. auxilia labefactari convellique videris, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti fortuniſque communibus, implorare civium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute omnium ducere; eſt etiam bonorum & fortium civium, quales vos omnibus Reip. temporibus extitiſtis, intercludere omnes ſeditionum vias, munire præſidia Reip. ſummum in Conſulibus imperium, ſummum in Senatu conſilium putare....

Quamobrem labor in hoc defendendo præcipuè meus eſt; ſtudium verè conſervandi hominis commune mihi vobiſcum eſſe debebit.

Quamobrem ſi tuarum eſſe partium æſtimaſti, dum ſub diſciplina matris adoleſceres, ingenuum morum candorem, docilitatem mentis, pietatem in Parentes exhibere; mox, cùm evectus ad ſolium fueris, virtutes regias, fidem incorruptam, humanitatem in tuos, æquitatem in omnes debes præ te ferre.

Ita glorioſum erit tibi muneri Regio, populorum votis, Parentis expectationi ſatisfeciſſe, mihi verò non erit indecorum vitam tibi, inſtitutionem bonam, Regnum ipſum impertiviſſe.

EXORD. CICERONIANUM

Pro Lege Manilia.

SYNOPSIS CICERONIANA.

1. *Dicit Cicero deterritum ſe fuiſſe ab agendis Reip. cauſis, non voluntate ſua, ſed ſuſceptis vitæ rationibus.* Periodus Bimemb.

2. *Dicit Cicero, cùm ſit tenuitatis ſuæ conſcius, & noverit nihil niſi perfectum afferri oportere, maluiſſe ſe aliis rebus vacare.* Period. Trimemb.

3. *Dicit Cicero, non defuturos qui agant in Senatu, futurumque, ut ipſe cum aliqua amicorum utilitate & gloria pergat in inſtituto vivendi more.* Periodus Bimemb.

4. *Dicit Cicero ex collato ſibi Prætoris Munere ſe intellexiſſe, quas ſibi Populus Rom. quas aliis partes injungeret.* Period. Trimemb.

IMITATIO.

Negat Cicero audiendum eſſe de Pace Antonium.

SYNOPSIS IMITATIONIS.

1. Dicet Cicero deterreri ſe ab accipienda pace quam offert Antonius, non amore belli, ſed Reipublicæ gloria & ſalute.

2. Dicet Cicero, cùm noverit quid ſit è Reip. commodo, & prævideat Pacem Reip. turpem & damnoſam fore, illam eſſe bello poſtponendam.

3. Dicet Cicero, non defuturos qui bellum feliciter conficiant, futurumque, ut partam meliori fato pacem ſibi omnes aliquando gratulentur.

4. Dicet Cicero, cùm natura ſua cupidus rixarum Antonius pacem peteret, diffidere eum viribus ſuis & à virtute Populi Romani ſibi metuere.

ORATIO.

Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites; Tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt.

Nam cùm antea per ætatem nondum

Quanquam ſuaviſſimum ſemper Pacis nomen; hanc autem ſaluberrimam huic Urbi, Populo Romano longè optatiſſimam eſſe duxi, P. C. Tamen ad rejiciendam hodie, quam obtulit Pacem Antonius, non me intempeſtiva quædam cupido belli, ſed Reip. gloria cum ejuſdem utilitate conjuncta permovit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

hujus auctoritatem loci contingere auderem; ſtatueremque nihil hic, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria afferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendùm putavi.

Ita neque hic locus vacuus unquam ab iis, qui veſtram cauſam defenderent; & meus labor in amicorum periculis caſtè integrèque verſatus, ex veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus.

Nam cùm propter dilationem Comitiorum ter Prætor primus cunctis Centuriis renunciatus ſum, facilè intellexi, Quirites, & quid de me judicaretis, & quid aliis faciendum præſcriberetis.

Nam cùm longa temporum experientia didicerim, quid ad Reip. commoda maximè pertineat, intelligamque oblatas ab Antonio conditiones Pacis turpes ac pernicioſas fore; illam graviſſimo quocumque bello magis metuendam eſſe non dubitem profiteri.

Ita neque deerunt in hac civitate clariſſimi fortiſſimique Cives, qui bellum iſtud optata poſtmodum victoria perficiant, & partam meliori fato tranquillitatem licebit nobis aliquando gratulari.

Nam cùm turbarum amans rixarumque cupidus Antonius animum tandem ad Pacem adjecerit, facilè poteſtis intelligere, Quirites, & quàm parùm rebus confidat ſuis, & quantùm à veſtra virtute ſibi metuendum arbitretur.

CICERONIANUM EXORD.

Oratione ſecunda in Verrem.

SYNOPSIS CICERONIANA.

1. D*Icis Cicero accidiſſe illud quod erat optandum maximè Reip. & ipſius plurimùm intererat.* Period. Trimemb.

2. *Dicis inveteraſſe opinionem illam, hominem divitem non poſse condemnari.* Period. Trimemb.

3. *Dicis in tanto diſcrimine adductum eſſe Verrem in judicium.* Period. Bimemb.

4. *Dicis ſe Actorem huic cauſæ acceſſiſſe, ut Senatus exiſtimationi conſuleret.* Periodus Trimemb.

IMITATIO.

Juditha redux ad Betulienſes amputato Holophernis capite.

SYNOPSIS IMITATIONIS.

1. DIcet Juditha perfectum illud eſſe, quod neque tentare, neque ſperare licebat.

2. Dicet ſic intercluſos fuiſſe omnes aditus Holophernis exercitu, ut arceri malum non valeret.

3. Dicet in magno omnium metu Imperio & vita ſpoliatum fuiſſe Holophernem.

4. Dicet exhibere ſe ſpectandum Holophernis caput, ut gratias Deo populus referat.

ORATIO.

Quod erat optandum maximè; Judices, & quod unum ad invidiam veſtri Ordinis infamiamque Judiciorum ſedandam maximè pertinebat; id non humano conſilio, ſed propè divinitus datum atque oblatum vobis ſummo Reip. tempore videtur.

Inveteravit enim jam opinio pernicioſa Reip. vobiſque periculoſa, quæ non modò Romæ, ſed & apud exteras Natio-

Quod neque humanis viribus tentari poſſe videbatur, neque in miſerrimis rerum noſtrarum anguſtiis ſperare fas erat, Cives amantiſſimi; id hodie non armorum vi, aut militum numero, ſed imbelli fœminæ unius manu perfectum abſolutumque putatote.

Imminebant enim noſtris mœnibus cùm robore, tum multitudine ipſa

me-

nes omnium ſermone percrebuit, his judiciis, quæ nunc ſint, pecunioſum hominem, quamvis ſit nocens, neminem poſſe damnari.

Nunc in ipſo diſcrimine Ordinis judiciorumque veſtrorum, cùm ſint parati, qui concionibus & legibus hanc invidiam Senatus inflammare conentur, reus in judicium adductus eſt C. Verres, homo vita atque factis omnium jam opinione damnatus, pecuniæ magnitudine, ſua & ſpe ac prædicatione abſolutus.

Huic ego cauſæ, Judices, cum ſumma voluntate & expectatione Populi Rom. Actor acceſſi, non ut invidiam augerem Ordinis, ſed ut infamiæ communi ſuccurrerem.

metuendæ Holophernis copiæ, quæ non regionem modò totam, ſed interclusos omnes aditus ſic obſidebant, ut vel ruinam Urbis, vel præſens Civium capitibus arcere malum non liceret.

Nunc in tanta omnium trepidatione, cùm ad perficiendum deteſtabile conſilium ſuperbus hoſtis accederet, debitas temeritati ſuæ pœnas dedit Imperio pariter ac vita ſpoliatus.

Hujus ego caput hac ipſa reciſum à cervicibus manu ſpectandum vobis exhibeo, Cives amantiſſimi, non ut inſulteris triſtibus hominis impii reliquiis, ſed ut ampliſſimas, ut par eſt, omnipotenti Deo gratias referatis.

Ad abſolutionem hujus Articuli ſubjicimus Oratiunculam ex quatuor Periodis conflatam quæ referant imitatione Ciceronianas Periodos ex variis Orationibus depromptas.

CREUSA AD ÆNEAM

Cùm incenſa Troja ad propulſandum commune excidium ſe ſe armis accingeret.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet Creuſa addere ſe moram unà cum filio feſtinanti Æneæ ad ſervandam Trojam, licèt intelligat quàntum in ipſo præſidium communis ſalus habeat.

Propoſitio. Neminem fore, apud quem ipſa ejuſque filius patrocinium inveniant, ſi fortuna pergat adverſari.

Confirmatio. Dicet non ſibi minùs animi fore ad procurandam patriæ ſalutem, quàm ipſe præ ſe ferret; ſi, quantam movet fiduciam ipſius magnanimitas, tantam præſens rerum ſtatus expectationem ſuſcitaret.

Complexio. Dicet ſi fuit olim fortis Civis patriam tueri quocumque periculo, cùm ſpes affulgeret aliqua, jam eſſe boni parentis & conjugis domum tueri.

ORATIO.

Pro Milone n. 1. Etſi vereor, &c. Period. Quadr. Etſi ſatis intelligo, Conjux amantiſſime, quàm certum ad hanc uſque diem præſidium in te communis ſalus habuerit, neminemque video præter Æneam, qui præſentius ruenti patriæ afferre remedium poſſit, patere tamen, ut feſtinanti tibi ad ſervandam Trojam moras adjiciant mœrens uxor & infortunatus filius; qui vitam fortunaſque ſuas tui unius in ſalute collocatas habent.

Nam ſi fatorum vis inimica, nobis, Pro Lege Manil. n. 1. Nam cum antea &c. Period. Trim.
uti fecit hactenus, pergat adverſari; teque ſpem gentis unicam & afflictæ domus ſolatium eripiat, apud quem demum in ſupremo rerum noſtrarum diſcrimine opem patrociniumque inveniemus?

Equidem ſi quantam nobis affert Pro Cæcinna n. 1. Si quantum in agro, &c. Period. Quadr. Decuſſata.
animi tui magnanimitas fiduciam, tantam hodiernus rerum ſtatus fortunæ melioris moveret expectationem; Non minùs ego te ad propulſandum miſeræ urbis excidium adhortarer, quàm ab eadem fruſtra defendenda conor deterrere.

Verùm ſi fuit olim fortiſſimi Civis, Pro Rabirio Perd. n. 5. Quamobrem, ſi eſt boni.
cùm ſpes avertendæ ruinæ aliqua ſupereſſet, opitulari laboranti patriæ,

Conſulis, &c. Period. Bimemb.

nullam vereri diſcriminis aleam, ſuam ſuorumque ſalutem communi ſalute poſteriorem ducere: nunc fidi conjugis & optimi parentis eſt, cùm jam incenſa Troja ſpem omnem ejuſdem ſervandæ ademiſſe videatur, tutari triſtes miſeræ gentis reliquias, arcere ferrum & faces à ſuis Penatibus, rorumque ſe ad præſtandos conjugem & filium incolumes reſervare.

LIBER SECUNDUS.

De Amplificatione Periodi.

QUoniam Liber iſte ſecundus pertinet adhuc totus ad conformandam Elocutionem, quæ cùm delectu ac compoſitione verborûm, tum ſententiarum gravitate maximè conſtat; non hìc attingimus iſtud Amplificationis genus, quæ ex argumentorum varietate rebuſque cæteris ad faciendam fidem accommodatis nata Orationi ipſi dilatandæ inſervit. Sed ſpectamus ſolam Periodorum amplificationem, aut potiùs ſententiarum ipſarum dilatationem, ex quibus Periodi conficiuntur. Nam cùm ſententia plerumque ſit brevior, quàm ut ex ea Periodus informari commodè poſſit, hìc breviter exponemus quibus modis dilatari illa debeat.

CAPUT PRIMUM.

Quibus præcipuè modis fiat Periodorum amplificatio.

HIc ſpectari poteſt vel Membrorum Periodi, vel Periodi ipſiuſmet amplificatio.

Quomodò fit amplificatio Membrorum Periodi?

R. Fit illa vulgò adjectione Synonimarum vocum, nominum adjectivorum, Adverbiorum, vel ſententiæ alicujus, quæ ſit præcedentis ratio, aut explicatio.

Quot ſunt amplificandæ Periodi rationes?

R. Quatuor præcipuè modis amplificari Periodus poteſt. 1. Per Definitionem. 2. Per Enumerationem partium. 3. Per Interpretationem. 4. Per Auxeſim ſeu incrementum.

Primò igitur amplificabitur Periodus per Definitionem, quæ propoſitæ rei naturam explicat; vel per interpretationem ſingularum vocum ſubjectæ Orationis, & ſententiæ. Exemplum iſtud eſto. Sit Periodus conficienda ex hac brevi ſententia. Rhetoricam oportet perdiſcere. Rhetoricæ definitionem afferes. Nempe eſt Ars benè dicendi; deinde explicabis quid ſit perdiſcere Rhetoricam; nimirum legendo, ſcribendo, & audiendo illi operam dare; mox per Definitionem ita Periodum conficies.

Ars illa nobiliſſima, cujus eſt tradere præcepta benè ornatèque dicendi, non tantùm eſt aſſiduè legenda in ſummorum Rhetorum monumentis, aut à Doctore perito audienda, ſed etiam crebra ſcriptione & frequenti exercitatione perdiſcenda.

Ita Tullius Oratione pro Milone n. 90. qui cùm vocem illam *Curiam*, amplificandam haberet, ita dilatat per varias Curiæ definitiones. *Vidimus templum ſanctitatis, amplitudinis,*

men-

mentis, conſilii publici; caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo Populo Romano conceſſam uni Ordini inflammari, exſcindi, funeſtari.

Sic in Piſonem n. 43. Poſtquam Naufragium, exſilium, mortem, & cætera fortunæ tela negavit ſupplicii loco eſſe ducenda; delapſus ad Piſonis Gabiniique ſcelera, definit quid ſit propriè ſupplicium; contenditque ipſòrum furorem atque audaciam vera eſſe ſupplicia, quæ Deus ab illis exigat. *Quæ eſt igitur pœna, quod ſupplicium? Id mea ſententia quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti. Suſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens conſcientia, bonorum omnium odium, nota inuſta à Senatu, amiſſio dignitatis.*

Secundò per Enumerationem partium. Quando ejuſdem rei & ſententiæ partes variæ recenſentur. Ita Cicero pro Milone n. 20. cum per Ironiam hoc tantùm haberet dicendum: Omnes lugent Clodium; ita vocem illam *Omnes* dilatat per Enumerationem partium. *P. Clodii mortem æquo animo ferre nemo poteſt; luget Senatus, mœret Equeſter Ordo, tota Civitas confecta ſenio eſt, ſqualent Municipia, afflictantur Coloniæ, agri denique ipſi, tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum Civem deſiderant.*

Sic in Piſonem n. 96. Oſtendit illum fuiſſe omnium ſententiis damnatum: & vocem illam *Omnes* ita dilatat per Enumerationem. *Omnes memoriam Conſulatus tui, mores, facta, &c. deteſtantur. Legati, qui una fuere, alienati: Tribuni militum, inimici, Centuriones, &, ſi qui ex tanto exercitu milites reliqui exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtem exoptant, execrantur, &c.*

Et Orat. Poſt reditum, in Senatu brevem hanc ſententiam, *mihi omnia bona reddidiſtis*, ita per Enumerationem amplificat n. 1. *Mihi fratrem optatiſſimum; me fratri amantiſſimo; Liberis noſtris Parentes, nobis Liberos, dignitatem, ordinem, fortunas, ampliſſimam Remp. patriam, qua nihil poteſt eſſe carius, denique noſmetipſos nobis reddidiſtis.*

Tertius amplificandæ Periodi modus per Interpretationem, ſive Synonimiam, & verborum idem pœne ſignificantium congeriem; cum id, quod ſemel uno verbo dictum eſt, idem aliis verbis ejuſdem ſignificationis, ſed cum majore Emphaſi dicitur. Nam cavendum inprimis in hac Synonimia, ut poſtremæ voces augeant priorum ſignificationem. Ita Cicero Orat. Poſt reditum, in Senatu brevem hanc ſententiam, *Veſtra in me beneficia explicari dicendo non poſſunt;* ita per Interpretationem dilatat n. 1. *Quæ tanta poteſt exiſtere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus Orationis, quo quiſquam poſſit veſtra in nos univerſa promerita non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando?*

Et Philippica 2. num. 68. Sententiam illam brevem, *Tu Pompeji domum ingredi auſus es?* qua increpat Antonium, ita amplificat. *Tu ingredi domum illam auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium Diis Penatibus os importuniſſimum oſtendere? &c.*

Quartus amplificandæ Periodi modus per Auxeſim ſeu Incrementum; cùm per gradus creſcit Oratio & ad ſummum pervenit. Ita Orat. in Verrem 3. n. 8. ſcelera Verris per Incrementum amplificat. *Non enim furem, ſed ereptorem, non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque: non ſicarium, ſed crude-*

lem

Digitized by Google

lem carnificem Civium ſociorumque in veſtrum judicium adduximus.

Et pro Roſcio Amer. n. 12. *Eò prorumpere hominum cupiditatem & ſcelus & audaciam, ut non modò clam, ſed etiam hoc in Foro, ante Tribunal tuum M. Fannii, ante pedes veſtros, Judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint.*

Et Philip. 2. Antonii vinolentiam per Incrementum ſic amplificat n. 63. *Tantùm vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu Populi Romani vomere poſtridie. O rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu! Si inter cœnam, in immanibus illis tuis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu verò Populi Rom. negotium publicum gerens, Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus gremium ſuum, & totum Tribunal implevit.*

EXERCITATIO.

Divi Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi ad Theodoſium Imperatorem Oratio, cùm is poſt peractam Theſſalonicæ cædem Templum ingredi voluiſſet.

SYNOPSIS.

Exord. PEr Apoſtrophen petet à Theodoſio quò pergat, & vocem illam, *pergas*, amplificabit per Interpretationem. Tune ſanctiſſimum illud limen ingredi audeas? quam ſententiam ad exemplum Ciceronis Philip. 2. n. 68. pariter dilatabit ſubjiciendò voces ſynonimas, quæ idem ſignificent cum majore Emphaſi.

Propoſitio. Jubebit ipſum procul recedere ſacris ab ædibus, niſi velit Templum Domini novo ſcelere polluere; & vocem illam, *Templum*, per definitiones varias amplificabit, ad exemplum Ciceronis pro Milone n. 90. ubi Curiam per definitiones varias amplificat.

Veniet ad Confutationem, qua cædis cauſam elevabit. At enim occiſus Tribunus? violata Principis Majeſtas? &c. An debuit culpa illa tot Civium ſanguine expiari? quid illi commiſerant? & vocem, *illi*, amplificabit per Enumerationem ad Ciceronis exemplum qui pro Milone n. 20. vocem, *Omnes*, amplificat.

Concluſio. Per Incrementum ad exemplum Ciceronis Actione 2. in Verrem n. 8. Et tui te non pudet, ſed in oleſcis, ſed &c. Ah! reſipiſce, &c.

ORATIO.

Quò pergis, Theodoſi? quò tendis? quid mihi ſuperbus inceſſus ille? quid fluctuantes oculi? quid cædem ſpirans ac ſanguinem vultus minatur? Tu civium tuorum adhuc ſtillans cruore ſanctiſſimum iſtud limen ingredi? tu verendos penetrare aditus? tu metuendum inhabitantis ibi divini Numinis aſpectum ſubire non pertimeſcas? *Interpretatio.*

Procul hinc ſecede ſanctis ab ædibus: non capiunt tanti flagitii reum tam religioſa penetralia: caſtiſſimus hic ſanctiſſimorum virorum cœtus parricidas non admittit; niſi fortè nova amens iracundia, novo inflammatus furore auguſtiſſimum ſupremæ Majeſtatis tabernaculum, domicilium ſanctitatis, pietatis aſylum, afflictæ innocentiæ perfugium, locum ſacris myſteriis conſecratum, cædi & ſanguini per ſummum nefas deſtinaſti? *Definitio.*

Hanc igitur expectationem fecerant initia moderatiſſimi Principatus? Hanc te ſævitiam ſapere docuit illa Religio, quam ejurato falſorum Numinum cultu ſuſcepiſti; tam cruenti mores, tam barbari Chriſtianum Imperatorem decebant? Atenim violata Principis Majeſtas? non eſt reveritus populus Miniſtrum Imperatoris? occiſus turbas inter ac tumultus plebis militum Tribunus? Eſto: an debuit paucorum ſcelus tot Civium ſanguine expiari? an æquum fuit innocentes luere Perduellium

pœ-

pœnas? Nam quid commiſerant tot expertes purique ſeditionis viri, quos occidiſti? quid fecerant tot nobiles matronæ, quas immiſericorditer interemiſti? quod eluebant ſcelus tot pudicæ virgines, quas militum furori pariter ac libidini permiſiſti? *Enumeratio.* Quid peccaverant tot pueri, tot infantes, quos è parentum complexibus, quos matrum ab ubere tortor ac parricida abſtraxiſti? Denique quid habebant cum ſeditioſis quibuſdam commune tot religioſi Sacerdotes, quibus ad ſacra Templorum penetralia confugientibus, & aras amplexantibus non pepercisti?

Et tui te non pudet; & factum *Incrementum.* non doles? & admiſſi parricidii veniam ſupplex non petis? & iratum tibi, ſeque ad vindictam accingentem Deum non placas; ſed inſoleſcis, ſed ſuperbo tumidus faſtu triumphas, ſed etiam intra ſacratos receſſus admitti poſtulas? Ah! reſipiſce potiùs, ſi ſapis, & devotum non brevibus modò vitæ hujus ærumnis, ſed ſempiternis etiam ſuppliciis caput provide quamprimum ut ſubtrahas.

ALIA EXERCITATIO.

Moyſis ad Iſraelitas Oratio, cum illi longioris viæ laboribus deterriti reditum in Ægyptum cogitarent.

SYNOPSIS.

Exord. QUæret ab Iſraelitis quid cogitent, quid meditentur? &c. quod amplificabit per Interpretationem.

Propoſitio. Petet quid tantum ipſis placeat in Ægypto? & per Definitiones varias dicet, quid ſit Ægyptus: ærumnarum domicilium, &c.

Confirmatio. Petetur 1. ab iis ærumnis quas paſſi ſunt in Ægypto, quæ per Enumerationem amplificabuntur. 2. Ab illa Terra quam ſe daturum illis Deus promiſerat; & Terra illa deſignabitur variis Definitionibus.

Concluſio. Per Auxeſim. Quo igitur vos appellabo nomine? an dementes, &c.

ORATIO.

Quid agitis, Iſraelitæ miſeri? quò vos cœcitas immanis agit oblitos *Interpretatio.* veſtri Deique? Excutite torporem veſtrum, &, quæ veſtris mentibus tenebras offundit, caliginem depellite: quid enim in Ægypto quæritis, quid conſectamini? quid vobis tantum ſapit in hoc triſtiſſimo laborum, ærumnarum, luctus, lacrymarum domicilio? *Definitio.* Quid infelix exilium placet? quid perpetuæ ſervitutis habitaculum juvat libertati deſtinatos? Itane verò tam citò obliti eſtis dolores veſtros, nihil ut vobis injecerit infelicis illius ſoli, quod miſerè deperitis, faſtidium? Non labores quos *Enumeratio.* exhantlaſtis? non procellæ quas pertuliſtis? non pericula quæ ſubiiſtis? non calamitates, non miſeriæ, non Ægyptiorum odia, non furor, non verbera, & cætera malorum agmina, quibus jactati, conflictati, profligati eſtis, inſanabile, quo flagratis, infortunatæ regionis deſiderium extinguere potuerunt.

An ergo veſtris excidit animis, *Definitio.* Iſraelitæ, fortunatæ illius Terræ memoria, quam ſupremus rerum omnium arbiter, Deus ille, quem colitis, fideli populo deſtinavit? nihil vos movet beata illa quietis, pacis, gaudii lætitiæque manſio? nihil ſapit tutiſſimus poſt tot exhauſtas tempeſtates, & placidiſsimus, qui vos expectat, portus? non placet felix illa patria, quam fœcundiſſima rerum omnium ubertate fluentem ac manantem eſſe didiciſtis.

Auxeſis. Nam quo vos appellabo nomine, ſi ſpreto tam felicis ævi domicilio, infelix malorum omnium receptaculum pergitis furioſè conſectari? an de-

dementes? an veſtri rerumque veſtrarum oblitos? an potiùs vitæ ac ſalutis hoſtes inſenſiſſimos, pœnè dixerim veſtri ipſorum crudeles parricidas?

ALIA EXERCITATIO.

Marci Attilii Reguli ad Carthaginienſes Oratio, cùm infectâ re, quam ipſe diſſuaſerat, Carthaginem reverſus eſſet.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet non timuiſſe ſe reverti Carthaginem infectâ re, quamvis non ignoraret quàm gravia ſibi parata eſſent ſupplicia.

Propoſitio. Per Interpretationem: dicet non negare ſe, aut diſſimulare, fuiſſe ſe unum auctorem, ne fœdus ullum Romani cum Carthaginienſibus ſancirent.

Confirmatio. Dicet eò propendiſſe omnium animos, ut remitterentur Carthaginem, qui Romanorum in vinculis tenebantur. Et vocem illam *Omnes* per Enumerationem amplificabit. Addet nulla re potuiſſe ſe inflecti, ut communibus votis reſponderet; quod Enumeratione pariter dilatabit.

Concludet permittendo ſe Carthaginienſium furori: Hortabitur etiam, ut nocentem plectant; ſuppliciis, morte, afficiant; Quod Interpretatione & Incremento amplificabit.

ORATIO.

Etſi, Viri Carthaginienſes, minimè ignorabam, quàm grave capiti meo exitium accerſerem, niſi permutandos utrinque Captivos eſſe, quod volebatis omnes, Romanis perſuaſiſſem; Tamen infectâ re non modò revertor ad vos obligatæ fidei memor, ſed neque vereor etiam tam inſolentis conſilii unum me auctorem profiteri.

Sic eſt; non ego veni in hunc locum, Carthaginienſes, ut, quod eſt à me factum laudabiliter, aut infíciari, aut diſſimulare, aut excuſare velim. Unus omnium obſtiti, prohibui, vetui, ne tam indignum Romana gente vobiſcum fœdus ſanciretur. *Interpretatio.* Ego labantes jam & inclinantes ultrò pudendam in pacem animos confirmavi: fecit mea unius Oratio, ne turpiſſima noſtro nomini labes, ex tam iniquis conditionibus æternùm adhæreſceret.

Nam, ſi neſcitis, vidi cùm univerſa pœnè civitas, paucorum hominum ſtudioſa magis, quàm gloriæ ſuæ memor, dedi ſibi poſtularet, quos habetis veſtris in vinculis, parata viciſſim, quos captivos feciſſet, Carthaginem remittere: *Enumeratio.* vidi, & videre puduit in eandem ire ſententiam, quod erat apud nos maximè ſanctum atque integrum; partem nobilitatis longè maximam, clariſſimos Reip. noſtræ Ordines, Senatum ipſum molli neſcio quo commiſerationis ſenſu miſerabiliter inflexum aſſentiri votis communibus, & exiturum in patriæ dedecus ac ruinam Decretum pacis ac fœderis meditari. Reclamatum eſt à me viriliter, pugnavi in omnes, vici, perſuaſi. Non me tot matronarum orbitas, aut conjuges, aut liberos requirentium, non deſolatæ multitudinis obſecrationes, non urbis totius comploratio, non familiæ meæ dolor ac luctus, non parata mihi reduci ſupplicia, & cruentum quodlibet mortis genus commoverunt.

Agite ergo, Carthaginienſes, irritum per me fœdus meo ſanguine compenſate. Sum reus: in me unum manus ac furores vertite. Mulctate ſontem, macerate. Perdite. Tentate in Regulum novum aliquod ſupplicii genus. *Interpretatio.* Jam percepi mecum ante quidquid durum eſt atque aſperum: non vincetis expectationem: neque aut mori timidum, aut quacumque mortis imagine paveſcentem invenietis.

CA-

CAPUT II.

Quibus verbis conſtare debeat Amplificatio.

QUænam præcipuè verba vim habent Amplificandi?

R. Hæc præſertim recenſet Tullius libro Partitionum Oratoriarum n. 53. Sic enim ait. *Eſt igitur amplificatio, gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet dicendo fidem. Ea & verborum genere conficitur & rerum. Verba ponenda ſunt, quæ vim habent illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, Gravia, Plena, Sonantia, Juncta, Facta, Cognominata; non vulgata, Superlata, inprimiſque Translata, nec in ſingulis verbis, ſed in continentibus Soluta, quæ dicuntur ſine conjunctione, ut plura videantur. Augent etiam Relata verba, Iterata, Duplicata, & ea quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus verbis ad ſuperiora, omninoque ſemper quaſi naturalis & non explanata oratio, ſed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatior.*

De ſingulis operæ pretium eſt pauca dicere, & ſingula illuſtribus exemplis commendare.

Primò. Verba debent eſſe *Illuſtria*, ita tamen, ut ab omnibus intelligantur, nec abhorreant à ſenſu communi. Illuſtris eſt ea Ciceronis exclamatio pro Planc. n. 99. *O acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cùm hic in me incidit, complexus eſt conſperſitque lacrymis, nec loqui præ mœrore potuit! o rem cùm auditu crudelem, tum viſu nefariam! o reliquos omnes dies noctesque eas, quibus iſte à me non recedens, Theſſalonicam me in Quæſtoriumque perduxit.*

Et pro Milone n. 33. *Tu P. Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo, tu in publicum ejeciſti, tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti.*

Secundò. Debent eſſe *Gravia*, hoc eſt plena ſententiarum & majeſtatis. Ita Cicero pro Milone n. 97. *Ex omnibus premiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium, gloriam eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur; quæ efficeret, ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus: hanc denique eſſe cujus gradibus etiam homines in cœlum videantur aſcendere.*

Porro verba illa graviora ſunt, quæ majorem vim bonitatis oſtendunt, ut charitas & pietas, quam amor & benevolentia. Hinc Cicero C. L. 1. Epiſt. 9. *Perjucundæ mihi fuerunt Litteræ tuæ, quibus intellexi, te perſpicere meam in te pietatem, quid enim dicam benevolentiam, cùm illud ipſum ſanctiſſimum & graviſſimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis eſſe videatur?*

Graviora ſunt pariter, quæ majorem vitioſitatis vim præ ſe ferunt; ut latro, prædo, raptor; quàm fur; carnifex, quàm ſicarius; parricida, quàm homicida; impius ac nefarius, quàm improbus; profligator, quàm malus. Ita & quæ majorem nocendi vim habent; ut vulnerare & ferire, quàm percutere; exterminare, quàm ejicere; trucidare, quàm occidere, &c.

Tertiò. Debent eſſe *Plena*, qualia ſunt illa pro Milone n. 98. *De me ſemper Populus Rom. ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmuteſcet vetuſtas.*

Quartò debent eſſe *Sonantia*. Talia ſunt illa quæ leguntur in Miloniana n. 87. *Polluerat ſtupro ſanctiſſimas* Re-

Religiones; Senatus graviſſima Decreta perfregerat; Pecunia ſe palam à Judicibus redemerat; Vexarat in Tribunatu Senatum; omnium Ordinum conſenſu pro ſalute Reip. geſta reſciderat; me patria expulerat; bona diripuerat, &c.

Et pro Plancio n. 102. *Huc exurge tamen, quæſo, retinebo, & complectar; nec me ſolùm deprecatorem fortunarum tuarum, ſed comitem ſociumque profitebor.*

Quintò. Debent eſſe *Cognominata*, hoc eſt ejuſdem pœne ſignificationis, ut pro Milone n. 101. *Hæc tanta virtus ex urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur?* Et pro Plancio n. 101. *Quid me adſpectas! quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem imploras?*

Sextò. Vim habent amplificandi verba *Juncta*, quæ non ſimplicia, ſed compoſita ſunt, ut perhorreſcere, excruciare, contrucidare, &c.

Septimò. Augent Orationem *Facta* verba; quæ Orator ipſe fingit, ut acriùs & vehementiùs dicat. Ita Cicero ſcribens ad Appium Libro 3. Famil. Epiſt. 7. dicit; *Nullam Appietatem, nullam Lentulitatem valere, pluſquam ornamenta virtutis*. Sic malus poeta per contemptum Poetaſter nuncupari poteſt.

Octavò. *Non vulgata*, quæ ſupra vulgarem dicendi morem efferuntur, ne humilis videatur Oratio, ut pro Milone num. 85. *Vos Albani tumuli atque Luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor! voſque Albanæ aræ Sacrorum Populi Rom. ſociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis Lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat.*

Hæc aliquando ſubſtituuntur vulgaribus, & ex collatione videntur ampliora. Exemplum dabit hic locus ex Verrina 3. n. 9. *Non enim furem, ſed ereptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem Civium ſociorumque in judicium veſtrum adduximus.*

Nonò. *Superlata* dicuntur, quæ veritatem excedunt, & dicunt plus, quàm reverà eſt, ut pro Mil. n. 105. *O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit! hanc ingratam, ſi ejecerit! miſeram, ſi amiſerit!* Idem pro Archia n. 19. *Saxa & ſolitudines voce reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt.*

Et pro Marcello n. 8. *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.*

Et pro Lege Manil. n. 28. de Pompejo loquens. *Qui extrema pueritiæ miles fuit ſummi Imperatoris; ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator; qui ſæpiùs cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertavit, plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt, plures Provincias confecit, quàm alii concupierunt.*

Decimò. Multùm valent cùm ad illuſtrandam, tum ad augendam Orationem *Tranſlata* verba, qualia ſunt illa, lumen Orationis, ſplendor generis, concionum procellæ, Orationis fulmina, incenſus ira, inflammatus cupiditate, errore lapſus, &c. Pro Mil. n. 5. *Equidem cæteras tempeſtates ac procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas.*

Ibid. n. 35. *Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus?*

Monet autem Tullius adhibendam eſſe *Disjunctionem*; quod fit, cùm unumquodque membrum ſuum verbum habet ac ſenſum. Talis eſt locus ille

ille ſupra jam laudatus pro Mil. n. 87. *Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, Liberos, conjugem meam vexaverat, Cneo Pompeio nefarium bellum indixerat.*

Fit etiam Disjunctio ſingulis in verbis, ut pro Mil. num. 103. *Quodnam concepi tantum ſcelus, aut quod in me tantum facinus admiſi, cùm illa indicia communis exitii, indagavi, pateſeci, protuli, extinxi?*

Et pro Domo ſua n. 106. *Jus igitur ſtatueris eſſe uniuſcujuſque veſtrum ſedes: aras, focos, Deos Penates ſubjectos eſſe libidini Tribunitia.*

Maximam quoque, ſi Tullio credimus, vim habent amplificandi *Relata verba, Duplicata, Iterata*, & quæ aſcendunt ab humilioribus ad grandiora.

Quod ſpectat ad *Relata* verba, illa tribus modis poſſunt intelligi. 1. Cùm paria paribus referuntur, ut pro Mil. num. 10. *Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus, &c.*

2. Cùm contraria contrariis nectuntur, ut pro Sextio n. 138. *Sed mihi omnis Oratio eſt cum virtute, non cum deſidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum ratione, non cum amentia; cum iis, qui ſe patriæ, qui ſuis Civibus, qui laudi, qui gloriæ; non qui ſomno & conviviis & delectationi natos arbitrantur.* Pro Marc. n. 7.

3. Cùm ad unum verbum multi caſus per *Adjectionem* referuntur, ut pro Cluentio, n. 12. *Ita flagrare cœpit amentia, ſic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœror à cupiditate revocaret.*

Iterata dicuntur ea, quæ ſæpiùs initio Membrorum vel Inciſorum repetuntur, ut pro Mil. n. 94. *Ubi nunc Senatus eſt, quem ſecuti ſumus? ubi Equites Romani illi, inquit, tui? ubi ſtudia Municipiorum?* 2. Phil. n. 19. pro Lege Man. n. 30.

Duplicata verba ſunt ea, quæ geminantur, ut pro Mil. n. 91. *Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis.*

Plurimùm valent quoque ea verba ad augendum, quæ ab humilioribus ad grandiora perveniunt. Ita pro Mil. n. 103. *Utinam Dii immortales feciſſent (pace tua, patria, dixerim; metuo enim ne ſceleratè dicam in te, quod pro Milone dicam piè) ut P. Clodius non modò viveret, ſed etiam Prætor, Conſul, Dictator eſſet, antequam hoc ſpectaculum viderem.*

Et Verrina 7. n. 169. *Facinus eſt vinciri Civem Rom. ſcelus verberari, propè parricidium necari, quid dicam in crucem tollere?*

Denique conſectanda eſt in verbis conſonantia, Cicerone teſte. Hinc ſuperlativa melius ponuntur pro abſolutis. Pro Lege Manil. n. 1. *Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus.* Et pro Flacco n. 1. *Cùm in maximis periculis hujus urbis atque Imperii, graviſſimo atque acerbiſſimo Reip. caſu, ſocio atque adjutore conſiliorum, periculorumque meorum L. Flacco cædem à vobis, conjugibus, Liberis veſtris, vaſtitatem à templis, delubris, urbe, Italia depellebam, &c.*

Pluralia pro ſingularibus; ut pro Balbo num. 1. *Si auctoritates patronorum in judiciis valerent, ab ampliſſimis viris L. Cornelii cauſa defenſa eſt; ſi uſus à peritiſſimis, ſi ingenia ab Eloquentiſſimis, ſi ſtudia ab amiciſſimis, & cùm beneficiis cum*

L. Cor-

Digitized by Google

L. Cornelio, tum maximè familiaritate conjunctis.

Verbalia pro abſolutis conſonantiora ſunt, ut ſi dominatrix animi cupiditas, pro Domina vitæ; *Philoſophia dux*, *virtutis indagatrix*, *expultrixque vitiorum*, & *Artium procreatrix*. l. 5. Tuſcul. Quæſt. n. 5.

EXERCITATIO.

Luctus Jacobi, cùm tinctam Joſephi ſui, ut ferebatur, ſanguine Tunicam aſpexiſſet.

Per Verba Illuſtria, Gravia, Plena, Sonantia, Cognominata, Juncta, Facta, non Vulgata, Superlata.

SYNOPSIS.

1. ORietur à triplici Exclamatione verbis Illuſtribus expreſſa, qua ſuum & Joſephi fatum deplorabit.

2. Dicet nihil fore deinceps, quod acerbi funeris memoriam conſoletur. Per verba Gravia.

3. Per verba Plena, obverſaturam ſemper animo cruentæ cædis imaginem.

4. Per verba Sonantia queretur, quod adſuerit nemo vel in ſolitudine, qui rabiem ferarum compeſceret.

5. Filios increpabit per Cognominata verba, quòd Fratri opem non tulerint.

6. Per verba Juncta dicet, præſentire eos debuiſſe Joſephi fatum, niſi prohibuiſſet ipſos malus in fratrem livor.

7. Per non Vulgata ſemet ipſe incuſabit, qui per deſerta loca filium pergere ſolum permiſerit.

Denique per verba Superlata, dicet futurum fuiſſe, ut ipſe feris valentior, earum ferociam repreſſiſſet.

ORATIO.

Illuſtria pro Planc. 99. O acerbum miſero parenti nuncium, quod refers, cùm tunicam hanc mihi laceram miſerabiliter, & cruentatam objicis! o luctuoſum deplorandumque Joſephi fatum! ò reliquos mihi, quibus vivere ulterius dabitur, dies flebiles & amaros!

Nam quid mihi deinceps contingat in hoc ærumnoſæ vitæ curriculo, quod acerbiſſimi illius funeris memoriam poſſit conſolari? Gravia pro Mil. 97.

Obverſabitur ſemper ante oculos cruentæ illius cædis imago triſtiſſima, & gravibus ſtimulis uſque confixus animus miſero luctu contabeſcet. Plena pro Mil. 98.

Ergone vel deſertas inter ſolitudines nullus adſuerit, qui ferarum immanium impetum arceret? ſævitiam ac rabiem comprimeret? ſe ſe deſtitutæ innocentiæ patronum defenſoremque profiteretur? Sonantia pro Mil. 87.

Et vos, Fratres infidi ac perduelles, non adfuiſtis? non tuliſtis opem? fratrem veſtrum è cruentis belluarum faucibus non eripuiſtis, non defendiſtis, non ſervaſtis? Cognominata pro Mil. 101.

Præſentire debuiſſet veſtra pietas tam luctuoſum miſeri Joſephi fatum, & periculi magnitudinem antevertere. Erat hic locus conteſtandæ apud omnes veſtræ in fratrem charitatis, niſi mala vos æmulatio & degener livor continuiſſent. Juncta.

Sed quid Filios accuſas tuos, infelix parens? tuam ipſius ſocordiam argue, & expertem humanitatis omnis animum accuſa. Nam cur Joſephum tuum per ſaxa invia & inhoſpita, per vaſtas deſertaſque nemorum ſolitudines, per metuenda ferarum ſpelæa ſolum incomitatumque permittebas? Non vulgata pro Mil. 85.

Ah! ſi puero fidelis comes adfuiſſes, ſi te viæ ſocium adjunxiſſes, filium ab omni periculo tutum & incolumem præſtitiſſes. Tu Leonum ferocitatem perdomuiſſes, Tigrium aſperitatem mitigaſſes, contra vim atque impetum amor ipſe fortior ac valentior inſolitum robur & arma vinci neſcia ſuffeciſſet. Superlata pro Mil. 105. pro Archia 19.

ALIA EXERCITATIO.

Inſectatio Neronis, cum Britannicum ſub amicitiæ ſpecie ad Epulas invitatum veneno interfeciſſet.

SYNOPSIS.

1. TRiplici exclamatione Illuſtribus verbis expreſſa Neronis facinus inſectabitur.

2. Per verba Gravia Britannicum conſolabitur gratiſſima poſteritatis recordatione.

3. Per verba Plena & Sonantia petet à Nerone, num potuerit morientis Brittannici vultus ſuſtinere?

4. Per verba Juncta dicet perhorruiſſe ipſos ſceleris adminiſtros.

5. Per verba Facta, fingenda eſſe nova vocabula ad ſævitiam Neronis deſignandam.

6. Quæret à Nerone per verba Cognominata, qua fuerit injuria provocatus, antequam ſcelus iſtud peragerer?

7. Per non Vulgata eundem exagitabit, quod non habuerit ſatis Britannico eripere Imperium, niſi in ejus vitam graſſaretur.

Denique per Superlata, non eſſe Neronem amandandum ad feras, ne eaſdem faciat conſortio ſuo crudeliores.

ORATIO.

Verba Illuſtria. O ferale luctuoſumque Populo Romano ſpectaculum! Britannicus geniales inter epulas crudeliſſimo fato ſublatus! ò funeſtam bonis omnibus acerbamque hodiernæ diei memoriam! ò facinus nullo poſteritatis odio, nulla execratione ſatis deteſtandum!

Gravia. Tamen ne doleas tantùm, Juvenis fortiſſime; nec præciſum tibi ab immani parricida brevis fragiliſque vitæ curriculum acerbiùs deſideres. Non extinxit Nero perfidus una cum corpore gratiſsimam rerum à te geſtarum recordationem; &, dum ſæviſsimi Imperatoris immanitatem omnis ætas execrabitur, nulla de tuis laudibus unquam conticeſcet.

Plena & Sonantia. Ten' verò, mortalium omnium crudeliſsime, ſuſtinuiſſe irretortis oculis triſtiſsimam tui ſceleris imaginem? inſpexiſti ſine horrore quodam ac fremitu ſqualidos ac liventes vultus, extinctos flagitio tuo fratris oculos, revolutum inter menſas incruentum cadaver, flebilem & amaram omnium complorationem?

Juncta. At perhorruerunt ad tam immane ſpectaculum deteſtabiles tui furoris adminiſtri; ipſi feralis aulæ parietes viſi ſunt contremiſcere, & ad novum parricidii genus commoveri.

Facta. Crudelis! ſed quid ego te crudelem dico, quaſi vox ſit aliqua, quæ parricidii tui atrocitatem adumbrare poſsit? fingenda ſunt nova vocabula, quæ criminis novitati reſpondeant. Non jam crudelis Nero, ſed crudelitas ipſa Neronis nomine vocabitur, ut tuo deinceps nomine nuncupata, majorem animis terrorem incutiat.

Cognominata. Sed age; qua laceſsitus injuria, qua provocatus contumelia, quo Britannici flagitio ſtimulatus ad committendum tale parricidium te te comparaſti? cùm barbarum illud conſilium concepiſti, an eras apud te ſatis? an fueras ſceleris gravitatem meditatus? an Juvenis innocentiſsimi dignitatem, merita & propinquam tibi cum eo affinitatem expenderas?

Non vulgata. Parum igitur erat, quòd debitum Britannico ſolium malis Agrippinæ matris artibus eripueras? quòd ipſius bona, fortunas, munera ſuſtuleras? niſi in ipſius vitam immedicabili veneno graſſareris.

Superlata. O ſcelus! ò impietas! Et adhuc peracto tali flagitio conſpectum homi-

minum fuſtines? I, pete receſſus nemorum, inter ſaxa cauteſque aſperas cum immanibus feris immorare. Quanquam & illud cave, ne commiſeris. Tu contage crudelitatis immaniores feras, tu rupes præſentia tua duriores efficeres, qui immanitate feras, rupes duritie ſuperaſti.

EXERCITATIO.

Extolletur Prudentia Ciceronis, qui ceſſit in exilium, ne Rempublicam in diſcrimen adduceret.

Per Tranſlata verba, Diſſoluta, Relata, Iterata, Duplicata & Gradationem.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet non potuiſſe temperare vel in privato communique luctu ab extollenda Ciceronis ultro cedentis prudentia.

2. Per Tranſlata verba dicet magnæ fuiſſe prudentiæ cedere tempeſtati, & ſe privato potiùs, quàm publico naufragio exponere.

3. Deſcribet per Disjuncta, ſeu Diſſoluta verba luctum totius civitatis, abeunte Cicerone.

4. Dicet per Relata verba, pugnandum fuiſſe Ciceroni, non cum ratione; ſed cum amentia, &c.

5. Per Iterata verba, vidiſſe Ciceronem, ſi pugnaret cum Clodio, periculis infinitis Remp. eſſe exponendam.

6. Per Duplicata verba, appellabit Ciceronis prudentiæ teſtes Senatores. Vos, vos, &c.

Denique dicet Ciceronis prudentia ſervatam urbem, Remp. Italiam, idque per Gradationem.

ORATIO.

Quamvis, Marce Tulli, multo ſatiùs arbitrarer cum civitate univerſa dolori meo indulgere, quàm inutili, nec conveniente huic tempori præconio abeuntem proſequi; tamen vel in hac ipſa, in quam te ultro conjeciſti, fuga tam ſingularem prudentiam demonſtraſti, ut ad eam prædicandam, ut par eſt, publicam interpellare tantiſper complorationem non pertimeſcam.

Quantæ enimverò prudentiæ fuit, cùm perturbatam cauſa tua variis animorum æſtibus civitatem cerneres, ita ceſſiſſe non invitum tempeſtatibus ac procellis, ut adires ipſe quidem naufragii periculum, Rempublicam verò totam tranquillo in portu collocares! (Tranſlata verba pro Mil. n. 5.)

Nam quis meminiſſe poſſit ſine lacrymis triſtiſſimam illius diei imaginem; cùm te depoſcente ad pœnas nefaria P. Clodii conjuratione, lugeret Senatus, mœreret Equeſter Ordo, boni omnes afflictarentur, tota civitas proprii corporis oppoſitu imminentem capiti tuo perniciem, ferrum, faces, arma, gladios depellere conaretur? (Disjuncta ſeu diſſoluta pro Mil. n. 87. Domo n. 106.)

Tamen, quoniam pugnandum tibi erat, Marce Tulli, non cum ratione, ſed cum amentia, non cum æquitate, ſed cum furore, non cum homine, ſed cum pecude; putaſti eſſe prudentiæ tuæ illud ſubire pugnæ genus, in qua ſi viciſſes, ſine gloria viciſſes; vinci autem non poſſes, quin ſummum nomini tuo dedecus, fatalem ipſi Reip. ruinam acceſſeres. (Relata pro Mil. n. 10. Sex. n. 138. Mar. n. 7.)

Videbas enimverò pro ſingulari mentis tuæ perſpicacia, quantis Remp. periculis objiceres, ſi furenti Clodio molem opponere aggredereris. Videbas, everſis legibus, nullum fore conſiliis tuis, aut etiam divinæ facundiæ locum; videbas ſublata Magiſtratuum auctoritate nullum in Foro præſidium, nullam in æquiſſimis Judicibus ſpem eſſe poſitam; videbas exulante juſtitia, dominante ubique libidine, nullum (Iterata 2. Phil. n. 19. pro Lege Manilia n. 30.)

aſi-

afflictæ innocentiæ contra ſcelus atque audaciam patrocinium ſupereſſe.

Quod igitur neque vis, neque facundia perfeciſſet, hoc in prudentia tua conſecutus es, Marce Tulli, ut communibus malis mederere. Vos, vos appello, clariſſima Reipublicæ Lumina, vos ampliſſimi hujus Ordinis Principes, vos ſapientiſſimi rerum noſtrarum Moderatores, qui cedentem ultro tempori Ciceronem palam exuliſtis. An erit quiſquam veſtrum qui profiteri dubitet, ſingulari ipſius prudentia factum eſſe, ut ferro facibuſque ereptam hanc urbem, Rempublicam ab exidio communi, Italiam totam à funeſta vaſtatione, univerſum denique Imperium ab imminenti ruina conſervatum, contra ſpem omnem expectationemque noſtram, videremus.

Duplicata 7 Verrina, n. 161. Cat. 1.4. Per Gradationem pro Mil. n. 103. 7. Ver. n. 169.

ALIA EXERCITATIO.

Marco Tullio Ciceroni poſt ſuum in urbem Romam Reditum, Oratio Gratulatoria per laudata modò verba.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet Remp. voluiſſe in publico gaudio ſingulare aliquod lætitiæ ſuæ teſtimonium Ciceroni dare.

2. Dicet longè diſſimilem eſſe faciem Civitatis ab ea quæ fuerat, cùm Cicero ex urbe cederet, per Tranſlata verba.

3. Per relata explicabit, ut mœror mutatus fuerit in gaudium; & per Diſſoluta lætitiam ad omnes pertinuiſſe.

4. Per Iterata, non excidiſſe memoriam beneficiorum, quæ Cicero contulerat in Remp. Cùm, &c.

5. Per Duplicata Ciceronem invitabit, ut excipiat plauſus totius Civitatis.

Denique per Gradationem explicabit Ciceronis merita in Remp.

ORATIO.

Etſi ſincerus geſtientis undique Populi Rom. plauſus & læta omnium Ordinum acclamatio ſatis ſignificant, quantum univerſa civitas ex tuo in hanc urbem reditu gaudium perceperit, Marce Tulli; tamen ſuæ erga te propenſiſſimæ voluntati nunquam ſe Reſpublica noſtra feciſſe ſatis exiſtimet, niſi hoc publico lætitiæ ſuæ teſtimonio redeuntem proſequatur.

Proh! Dii immortales, Marce Tulli, quàm mutata civitatis hujus facies, ex quo ſuaviſſimo conſpectu tuo unumquemque noſtrum recreaſti! Quàm diſsimilis hodiernæ lucis feſtivitas ab eo triſtiſsimi illius diei apparatu, cùm perturbatis ſeditionum fluctibus cedendum eſſe ratus, ne Remp. certiſsimo naufragii periculo exponeres, te te immaniſſimis ſævientis belluæ furoribus ſubtraxiſti!

Translata.

An non enim verò ſentis ipſe, Marce Tulli, quantam in omnibus & ſingulis converſionem animorum adventus tuus effecerit? Non intelligis per temetipſe, ut mœrorem gaudium, riſus lacrymas, feſtæ gratulantium voces triſtiſsimos planctus exceperint. Ad quem porro tam ſingularis lætitiæ pars non pervenit? Lugebat Senatus abeuntem. Jam redeunti gratulatur. Mœrebat Equeſter Ordo, qui te maximum decus ſuum atque ornamentum deperderet; nunc, te recepto ac ſoſpite, plaudit ac triumphat. Afflictabantur omnes boni, dum ſe patrono ſuo ac defenſore deſtitutos cernerent; exultant hodie, cùm reſtitutum te ſibi fuiſſe gloriantur. Tota civitas confecta luctu atque ſenio ſalutis vindicem ac libertatis ſuæ aſſertorem requirebat; nunc erecta tandem & recreata

Relata. Diſſoluta.

novum ſibi à te præſidium adpromittit.

Iterata. Neque enim excidit gratiſſima tuorum erga civitatem hanc meritorum memoria, cùm pernicioſa in Remp. conſilia detegeres; cùm nefarios ſceleratorum civium impetus reprimeres; cùm pro ſalute publica graviſſimis periculis caput opponeres; cùm urbem hanc ab incendio, ſcelere, ferro, ſervitute eriperes.

Duplicata. Excipe ergo, Marce Tulli, excipe dignas prudentia, dignas pietate, dignas conſtantia triumphantis in cauſa tua civitatis univerſæ
Gradatio. gratulationes. Nam ſi multum tibi debet, quòd illam facundiæ tuæ laude ornaveras; ſi multò plura, quòd eandem tam prudenter adminiſtraveras; ſi plurimùm, quòd conſilio atque vigilantia multas ab ea calamitates depuleras; quantùm debere tibi dicenda eſt, quam ab exitio funeſtiſſimo ſalvam & incolumem præſtitiſti?

CAPUT III.

Quibus è Locis eruenda ſit Amplificatio.

HActenus de verbis egimus, ex quibus Amplificatio conſtat; reliquum, ut de rebus, ſeu de Locis, ex quibus eruitur Amplificatio, dicamus. Nam illa, etſi ex omnibus Locis tum inſitis ſeu intrinſecùs petitis, tum aſſumptis ſeu extrinſecùs acceſſitis haberi poteſt, de quibus dicemus poſtea; tamen ex his præcipuè decem Locis repetitur.

§ Primus eſt à *Definitionibus conglobatis*, ſeu à congerie Definitionum, per quas rei cujuslibet explicatio quæ aut naturam ipſius aut partes, vel cauſas & effecta, vel officia & adjuncta continet, vel propriis vocibus vel tranſlatis deſignatur. Ita Cicero pro Lege Manil. n. 36. definit Imperatorem ab iis virtutibus, quæ in eo adeſſe debent, & quas deinde in Cn. Pompejo reperiri demonſtrat. *Eſt hæc divina atque incredibilis virtus Imperatoris: quid cætera, quas paulò ante commemorare cœperam, quantæ & quàm multæ ſunt. Non enim ſolum bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt, ſed multæ ſunt artes eximiæ hujus adminiſtræ comiteſque virtutis. Ac primùm quanta innocentia debent eſſe Imperatores, quanta deinde in omnibus rebus temperantia! quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate! Quæ breviter qualia ſint in Cn. Pompejo conſideremus.*

Sic in Oratione poſt reditum ad Quirites, per varias Definitiones enumerat magnitudinem beneficiorum, quæ à populo Rom. acceperat n. 5. *Quorſum igitur hæc diſputatio? quorſum? ut intelligere poſſitis neminem unquam tanta eloquentia fuiſſe, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui veſtrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quæ in me fratremque meum, liberoſque noſtros contuliſtis, non modò augere, aut ornare oratione, ſed enumerare aut conſequi poſſit. A parentibus, id quod neceſſe erat, parvus ſum procreatus, à vobis natus ſum Conſularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus eſſet, dederunt, vos ſpectatum & incredibili pietate cognitum reddidiſtis. Remp. illis accepi temporibus eam, quæ pœnè amiſſa eſt, à vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera ſervatam judicarunt. Dii immortales mihi liberos dederunt, vos reddidiſtis. Multa prætereà à Diis immortalibus optata conſecuti ſumus; niſi voluntas veſtra fuiſſet, omnibus di-*

Digitized by Google

divinis muneribus caruiſſemus. Veſtros denique honores, quos eramus gradatim aſſecuti, nunc à vobis univerſos habemus; ut quantùm anteà parentibus, quantùm Diis immortalibus, quantùm vobiſmetipſis, tantum hoc tempore, univerſo cuncta Populo Rom. debeamus.

Et pro Cæcinna n. 77. & 78. probat Aquilium eſſe virum probum à prudentia, humanitate, fide, juſtitia.

Et 2. Oratione in Rullum n. 8. ait ſe Rempub. afflictiſſimam recepiſſe; quam deſcribens, per omnes calamitatis circumſtantias definit.

Ibidem n. 97. Avaritiam & ambitionem Rulli damnat per Definitiones conglobatas.

Secundus locus à *Frequentatione Conſequentium*, cùm proferuntur bona ſeu mala, quæ oriri poſſunt ex aliqua re. Hunc locum tractat Cicero pro Muræna n. 85. *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundarint? Unus erit Conſul, & is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo Collega occupatus. Hunc jam qui impedituri ſint, parati ſunt. Illa peſtis immanis, importuna Catilinæ prorumpet, qua poterit, & jam Populo Romano minatur: in agros ſuburbanos repente advolabit: verſabitur in caſtris furor, in Curia timor, in Foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas; omni autem in ſede ac loco ferrum flammamque metuemus. Quæ jam diu comparantur, eadem iſta omnia, ſi ornata ſuis præſidiis erit Reſp. facilè & Magiſtratuum conſiliis, & privatorum diligentia opprimentur.*

Et Catil. 4. n. 11. *Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium ſubitò uno incendio concidentem certo animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos acervos civium. Verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi & furor in veſtra cæde bacchantis.*

Tertius *à Contrariis*, in quo contraria multa congeruntur. Pro Muræna num. 89. *Ibit in exilium miſer? Quò? Ad Orientis-ne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & magnas res geſſit? At habet magnum dolorem, unde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reverti. An ſe in contrariam terrarum partem abdet, ut Gallia Tranſalpina, quæ nuper ſummo cum imperio libentiſſimè viderit, eundem lugentem, mœrentem, exſulem videat? In ea porro Provincia, quo animo C. Murenam, fratrem ſuum aſpiciet? qui hujus dolor? qui illius mæror erit? quæ utriuſque lamentatio? Quanta autem perturbatio fortunæ atque ſermonis, quòd, quibus in locis paucis ante diebus factum eſſe Conſulem Muranam nuntii literæque celebraſſent, & unde hoſpites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eò accedat ipſe nuntius calamitatis ſuæ.*

Sic pro Milone n. 99. Judicum benevolentiam ſibi conciliat commemoratione ſui in illos amoris & mæmotis animi, quibus iraſci non poſſit ob vulnus acceptum. *Nec verò ſi mihi eriperis, reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, ut his iraſci non poſſim, à quibus tantum vulnus accepero; non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi; non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè. Nullum unquam, Judices, mihi tantum dolorem inuretis (etſi quis poteſt eſſe tantus?) ſed ne hunc quidem ipſum, ut obliviſcar, quanti me ſemper feceritis.*

Et pro Cœlio n. 78. probat Tullius à contrariorum conflictione Cœlium nunquam Reip. defuturum; & comparatione inter illum & Clodium,

dium, qui non ita pridem abſolutus fuerat, inſtituta, Judices ab ejuſdem damnatione deterret.

Quartus locus eſt à *Diſſimilitudine*, in quo multa diſſimilia adhibentur, ut 2. Catil. n. 24. ubi probat Cicero à Diſſimilibus non eſſe metuendos Catilinæ ſocios. *O bellum magnoperè pertimeſcendum, cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem prætoriam! Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia veſtroſque exercitus, & primùm gladiatori illi confecto ac ſaucio Conſules Imperatoreſque veſtros opponite. Deinde contra illam naufragorum ejectam & debilitatam manum, florem totius Italiæ ac robur educite. Jam verò urbes Coloniarum ac Municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſylveſtribus. Neque verò cæteras copias, ornamenta, præſidia veſtra cum illius latronis inopia atque egeſtate debeo conferre.*

Et Verrina 6. n. 115. *Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus Prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidines, cum illius continentia; ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.*

Et ibid. n. 31. *Sic habetote plures eſſe à Syracuſanis iſtius adventu Deos, quam victoria Marcelli homines deſideratos.*

Quintus Locus à *Repugnantibus*. Pro Milone n. 103. *Nam qui poſſum putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahar ab iis, per quos reſtitutus ſum?* Et n. 104. *Hiccine vir patriæ natus, uſquam, niſi in patria morietur? aut ſi fortè pro patria: hujus vos animi monumenta retinebitis; corporis in Italia nullum ſepulcrum eſſe patiemini? hunc ſua quiſquam ſententia ex urbe expellet, quem omnes urbes expulſum à vobis ad ſe vocabunt?* ubi probat à contentione Repugnantium, Milonem in Italia retinendum eſſe.

Et pro Comœdo num. 18. probat Saturium pugnantia loqui. *Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter? Nonne, quotieſcumque in cauſa in hujus viri nomen incidiſti, toties hunc & virum bonum eſſe dixiſti, & honoris cauſa appellaſti; quod nemo niſi aut honeſtiſſimo aut amiciſſimo facere conſuevit?* Et ibid. n. 19. *Qua in re mihi ridiculè es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes & laudares; & virum optimum & hominem improbiſſimum eſſe diceres. Eundem tu & honoris cauſa appellabas, & virum primarium eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas. Sed, ut opinor, laudem veritati tribuebas, crimen gratiæ concedebas. De hoc, ut exiſtimabas, prædicabas, Chærea ab arbitratu cauſam agebas.*

Et pro Mil. n. 41. *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliorum querela. Quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè non eſt auſus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?*

Et pro Cœlio n. 47. probat à Repugnantibus Cœlium non potuiſſe fractum deliciis atque voluptatibus videri, qui Eloquentiam profeſſus fuiſſet. *An hic, ſi ſe iſti vitæ dediſſet, Conſularem hominem admodum adoleſcens in judicium vocaviſſet? hic ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitias, in judicium vocaret, ſubiret periculum capitis, ipſo inſpectante Populo Rom. tot menſes aut de ſalute, aut de gloria dimicaret?*

Sex-

Digitized by Google

Sextus à *Cauſis* dicitur, quando vel excuſatur aliquis, vel vituperatur à variis cauſis, propter quas videtur aut excuſandus aut vituperandus. Ita Cicero pro Sextio à n. 46. ad n. 50. cauſas affert, propter quas ſibi depugnandum aut etiam moriendum pro ſalute publica non cenſuerit; ſed maluerit exilium ſubire. Locus hic totus diligenter legendus, in quo etiam reddit rationes propter quas multis veniſſet in odium & ad mortem depoſceretur.

Et pro Milone n. 73. probat à Cauſis, cur Clodius cæſus jure videri poſſit, etiamſi inſidiator non fuiſſet, qui tanta impunitate per omnia facinora diripiendis civium bonis, faciendis cædibus, admittendis quibuſque flagitiis graſſatus eſſet: ſic ut gloriari Milo poſset cæde Clodii, & palam dicere, *occidi, occidi.... Eum, cujus ſupplicio Senatus ſolemnes ſæpè religiones expiandas cenſuit: eum, quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe Luc. Lucullus juratus, ſe, quæſtionibus adhibitis, dixit comperiſſe; eum, qui civem, quem Senatus, quem Populus, quem omnes gentes urbis ac vitæ civium conſervatorem judicabant, ſervorum armis exterminavit; eum, qui regna dedit, ademit; orbem terrarum, quibuſcum voluit, partitus eſt; eum, qui pluribus cædibus in foro factis, ſingulari virtute & gloria civem domum vi & armis compulit; eum, cui nihil unquam nefas fuit in facinore, nec in libidine; eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret.*

Ibidem multis rationibus Milonem vindicat ab inſidiarum ſuſpicione; & cædis odium in Clodium rejicit à congerie Cauſarum; quia Clodius erat ſceleſtus, quia Milonem oderat, quia honores ambiebat, quia ſperabat impunitatem, à numer. 24.

Ita pro Lege Manilia à n. 20. ad 27. probat bellum eſse difficile ac periculoſum à Cauſis; ſcilicet quia concurrunt ad illud Reges potentiſſimi; quia renovant agitatæ rationes, ſuſcipiunt gentes integræ, novus Imperator bello præficitur.

Septimus Locus ab *Effectis* petitur ſive eventis, quorum multitudo in laude admirationem parit; in vituperio ciet indignationem. Ita Cicero in Libro de Senectute n. 40. miſerabiles Effectus voluptatis enumerat ad amplificandos maturæ ætatis fructus, quæ habet, unde peſſimos æſtuantis ac libidinibus perditæ ætatis motus reprimat ac coerceat: *Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem dicebat à natura datam hominibus, cujus voluptatis avidæ libidines, temerè & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerump. everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina conſilia naſci dicebat; nullum denique ſcelus, nullum facinus magnum eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret, Stupra verò & adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptate. Cumque homini ſive natura, ſi quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri ac dono nihil eſſe tam inimicum, quàm voluptatem.*

Et Verrina 3. numer. 78. Verris libidines ab Effectis amplificat: *Tantane tuæ, Verres, libidines erunt, ut eas capere ac ſuſtinere non Provinciæ Populi Rom. non nationes externæ poſſint? Tunc quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? civi-*

tates non modò pacata, verùm etiam ſociorum atque amicorum ad vim atque ad arma confugient, ut ab ſe, à liberis ſuis legati Populi Rom. ſcelus atque libidinem propulſare poſſint?

Philippica 14. numer. 8. crudele bellum Antonii, peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta omnibus denuntiantis pariter ab Effectis amplificat. *Bellum inexpiabile infert quatuor Conſulibus unus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum Senatu Populoque Rom. Omnibus, quanquam ruit ipſe ſuis cladibus, peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta denuntiat. Dolabella ferum & immane facinus, quod nulla barbaria poſſet ignoſcere, id Deorum conſilio factum eſſe teſtatur, &c... Refugit animus, eaque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis & conjugibus effecerit, &c.*

Sic & à rebus geſtis Pompejum laudat pro Lege Manil. numer. 61. *Quid tam novum, quàm adoleſcentulum privatum exercitu difficili Reip. tempore conficere? confecit. Huic præeſſe? præfuit. Rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti, cujus à Senatorio gradu ætas longè abeſſet, Imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? Fuit in his Provinciis ſingulari innocentia, gravitate, virtute, &c.*

Octavus Locus petitur à *Similitudine*. Ita Cicero pro Archia numer. 19. probat eos, apud quos loquitur, moveri debere orantis Archiæ precibus; quandoquidem ipſa ſaxa Poetarum voce movebantur. *Saxa & ſolitudines voci reſpondent, beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur, nos inſtituti rebus optimis Poetarum voce non moveamur?*

Et pro Roſcio Amerino num. 131. Syllam cum Jove comparat & à Simili probat ignoſcendum Syllæ, ſi quid animadvertere non potuerit in tanta rerum cùm multitudine tum magnitudine, quas adminiſtrandas haberet; quandoquidem nec ipſi imputabatur Jovi, ſi quando imbres ac tempeſtates urbibus atque hominibus nocerent.

Et 1. Catilinaria num. 3. probat à Simili non eſſe ferendum Catilinam. *An verò vir ampliſſimus Pub. Scipio Pontifex maximus T. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit? Catilinam verò orbem terræ cæde atque incendiis vaſtare cupientem nos Conſules perferemus. Nam illa nimis antiqua prætereo, quòd Q. Servilius Hala Sp. Melium novis rebus ſtudentem ſua manu occidit; fuit, fuit, iſta quondam in hac Rep. virtus, ut viri fortes acrioribus ſuppliciis civem pernicioſum, quàm acerbiſſimum hoſtem coercerent. Habemus Senatuſconſultum in te, Catilina, vehemens & grave: non deeſt Reip. conſilium, neque auctoritas hujus Ordinis, nos, nos, dico apertè, Conſules deſumus.*

Nonus Locus ab *Exemplis*; quibus nihil ſolet eſſe efficacius ad movendum. Obſervandum eſt tamen, ea non eſſe in Amplificatione enucleatiùs explicanda; nam Amplificatio minores circumſtantias non patitur, nec admittit quidquam niſi magnum ſit, illud vel uſu, vel natura. Hæc porro quoties adhibet Tullius in Amplificatione, quaſi punctis quibuſdam ac ſtimulis utitur ad urgendum.

Sic pro Archia n. 19. quem admittendum in civitatem eſſe contendebat, affert congeriem exemplorum peti-

petitam à multis civitatibus, quæ Homerum, vel mortuum, ſuum eſſe defendebant æmulatione quadam dignitatis, quam in Poetis eſſe poſitam arbitrarentur. *Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum; Chii ſuum eſſe vindicant; Salamini repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; permulti alii præterea pugnant inter ſe atque contendunt; Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, & qui voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus?*

Et in laudata paulò ante Catilin. 1. num. 3. multis exemplis probat non eſſe ferendum Catilinam apertum hoſtem, & Senatus Conſulto jam damnatum: dignumque eſſe illum ſuppliciis, quæ ab aliis multo minùs nocentibus repetita fuerunt.

Et pro Milone num. 16. & ſequentibus probat multorum exemplis Livii Druſi, Pub. Africani, Pompeji, de quorum morte, etſi de Rep. benè meriti fuiſſent, nulla habita fuerat quæſtio, multo minùs de Clodii nece decerni debuiſſe. Idem argumentum tractat num. 7. ubi confutat præjudicia quæ contra Milonem jactabantur; ſcilicet in Rep. bonis legibus inſtituta plectendum eſſe morte, qui hominem occiſum à ſe fateretur, exemplis utriuſque Gracchi ac Saturnini, qui jure cæſi habebantur.

Decimus Locus petitur à *fictis perſonis*, & Proſopopeja nuncupatur; qua fit, ut homines, vel belluæ, vel etiam res inanimatæ loquentes inducantur. Frequentiſſimus toto Cicerone iſte Locus, de quo ſuo tempore dicemus fuſiùs in Libro qui de Figuris inſcribitur. Sic pro Mil. num. 93. Ita Milonem loquentem inducit. *Me quidem, Judices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Stet hæc urbs præclara mihique patria chariſſima: quoquomodo merita de me erit: tranquilla Rep. Cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamen perfruantur. Ego cedam atque abibo. Si mihi Rep. bona frui non licuerit; at carebo mala: & quam primum tetigero bene moratam & liberam civitatem, in ea conquieſcam, &c.*

Et 1. Catil. num. 27. Ita Patriam loquentem facit. *Etenim ſi mecum Patria, quæ mihi vitâ charior eſt, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur, Marce Tulli, quid agis? Tune eum, quem hoſtem eſſe comperiſti; quem ducem belli futurum vides; quem expectari Imperatorem in caſtra hoſtium ſentis; auctorem ſceleris, principem conjurationis, evocatorem ſervorum & civium perditorum exire patieris; ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis? quid tandem impedit te? Mos ne Majorum? At perſæpe etiam privati in hac Rep. pernicioſos cives morte mulctarunt? An leges quæ de Civium Rom. ſupplicio rogatæ ſunt? At nunquam in hac urbe ii, qui à Rep. defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam poſteritatis times? Præclaram vero Populo Rom. refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam maturè ad ſummum Imperium per omnes honorum gradus extulit, ſi propter invidiam, aut alicujus periculi metum, ſalutem civium tuorum negligis, &c.*

De-

De his decem Locis atque aliis tam inſitis, quàm aſſumptis, ex quibus Amplificatio petitur, quoniam ſingillatim acturi ſumus in quarto. Libro, ſuperſedemus in præſentia ſuas ſingulis accommodare pro inſtituti noſtri ratione Exercitationes. Satis habebimus unicam hic apponere, quæ ad præceptiones & regulas in hoc articulo traditas exacta ſit.

EXERCITATIO.

Chriſtiani apud Neronem Perduellionis accuſati ab homine Ethnico defenduntur.

A Definitione, à Frequentatione Conſequentium, à Contrariis, à Diſſimili, à Repugnantibus, à Cauſis, ab Effectis, à Simili, ab Exemplis, à Proſopopeja.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet non afferre ſe Chriſtianorum querelas, qui detinentur in vinculis, ad propulſandam illatam Perduellionis accuſationem; ne eorum defenſio minùs ponderis habeat in propria cauſa; ſed accedere ſe hominem Ethnicum, Chriſtianæ gentis Patronum. Tractabitur Exordium per Proſopopejam & per Cauſas, inducentur enim loquentes Chriſtiani, & criminationis illatæ cauſas à ſe amolientes.

Propoſitio. Dicet homo Ethnicus, non potuiſſe ſibi temperare, quin eorum defenſor accederet, quorum innocentiam noverat.

Confirmatio. Petetur à Repugnantibus, à quibus oſtendet alienos eſſe a Perduellionis crimine. Et 1. Quidem à Religione quam Chriani profitentur; quam definiet per Effectus, nimirum per leges & inſtituta, quibus conſtat tota, quæ leges & inſtituta contrariè pugnant cum illo crimine cujus rei accuſantur. Illa præcipit ſuis ſectatoribus obſequium, amorem, reverentiam ſuos in Principes. 2. A Diſſimili; illi ſcelerata moveant ſuos in Principes arma qui, &c. 3. Oſtendet Repugnantiam cum Chriſtianorum moribus, qui dociles ſemper viſi ſunt, qui laudem pro contumelia, amorem pro odio, &c. ſolent rependere; tractabitur etiam hic Locus à Contrariis. 4. Id confirmabit à Simili, revocando Chriſtianorum memoriam qui pro defenſione ſuæ Religionis tam ſæpe, tam multi mortem ſubjerunt. 5. A Teſtimoniis: appellabit omnium fidem, ſi auctores aut participes turbarum, tumultus aut ſeditionis argui Chriſtiani poſſint. Neronem ipſum teſtem appellabit. 6. Repugnat ut Chriſtiani ſine armis; ſine opibus, ſine Ducibus quidquam ejuſmodi moliti ſint.

Concludet. Dehortando ab inferenda Criſtianis contumelia, vel pœna, & à Frequentatione Conſequentium demonſtrabit quid metuendum habeat, ſi Chriſtianos innocentes pergat ulterius perſequi.

ORATIO.

Non adduco tuum ad Tribunal, Princeps æquiſſime, unum aliquem infortunatis illis ex hominibus, quos in vinculis habes, & cruentæ morti deſtinas; ſuam ut ſociorumque ſuorum peroret cauſam, & injuſtam toti Chriſtianorum genti accuſationis labem depellat. Non queruntur illi ſuis ex ergaſtulis, tuamque teſtantes æquitatem flebiliter clamant. Inſontes nos ſumus, accuſamur perperam, & nihil meriti unquam malè per ſummum nefas damnamur. Nam quis eſt tam injuſtæ criminationis artifex? aut quibus vel argumentis, vel teſtibus illa revincitur? An egimus quidquam, quod Perduellionis ſuſpicionem moveat? an fuit noſtris in moribus & vivendi conſuetudine ſceleris vel umbra, quæ facere ſuſpectam fidem poſſit? Tam juſta Chriſtianorum expoſtulatio, etſi valere poteſt apud æquiſſimum Principem, ad propulſandum iniquæ accuſationis probrum, tamen ab iis profecta, quos utilitatis propriæ & propenſæ in ſuos voluntatis ratio exſtimulat, minùs habere ponderis fortè videatur. At qui, ſtudio contrariarum partium, alienus ſem-

Proſopopeja.

A Cauſis.

A Diſſimili.

ſemper à peregrinis novæ ſectæ opinionibus vixerit, is non aliis, quàm ſolius æquitatis rationibus impulſus ad dicendum pro Chriſtiana gente debet videri.

Liceat igitur mihi pauca dicere Chriſtianorum in gratiam, quos probè cùm intelligam expertes eſſe prorſus illius criminis, cujus in invidiam vocantur, non potui mihi temperare, quin innocentiæ patronus ac defenſor accederem, & illatam contra fas omne Perduellionis calumniam amolirer.

A Repugnantibus. Ac primùm quidem quàm alienum Perduellionis crimen cenſeri debuit ab iis, qui Chriſtiani nuncupantur, & Chriſtum Religionis ſuæ Principem atque auctorem colunt? Nam quid ille commendat inprimis ac præcipit ſuis ſectatoribus? quibus inſtitutis ac legibus nititur Religio tota, quam tradidit, & communem omnibus pioque cultu ſervandam edixit? Nihil hæc occultum continet, nihil per ambages, aut cum fuco loquitur. A Definitione per Effecta. Palam eſt, & in ipſis Chriſtianorum expreſſum moribus, quodcumque profitetur ac prædicat. At illa, ſi neſcis, fidelem ac nativam ſuis in Principibus Dei præpotentis imaginem agnoſcit; ſingularem iiſdem cultum ac reverentiam, ſincerum amorem, devotiſſimum obſequium jubet exhiberi; pro iis tuendis quodlibet adiri periculum, ſanguinem ac vitam profundi imperat. An ergo nefaria legitimum in Principem conſilia meditentur, quibus ipſa Religio præcipit, moderatores ſuos ſinceris animorum ſtudiis demereri?

A Diſſimili. Illi, illi ſcelerata moveant in Imperatores arma, quos religio nulla retinet, quos una ſollicitat ambitio, incendit avaritia, regnandi libido per omne flagitium rapit ac præcipitat: qui nullas leges agnoſcunt, nullam dominationem reverentur, cùm violari jus poteſt impune, neque ulla ſceleris pœna nocentes expectat. At qui expreſſam ſuis in Imperatoribus ſui ipſorum Dei ſimilitudinem venerantur, qui eoſdem proprio capitis periculo totiuſque effuſione ſanguinis, niſi Religionem ſuam abnegent, debent tueri; qui fortunas, dignitates, vitam ipſam nullo ponunt in loco; illi Neronis in caput, in ſalutem conjurent? Non cadit gentem in iſtam tam deteſtabile facinus, neque Chriſtianorum inſtituta ſceleris hujus vel umbram patiuntur.

A Simili. Nam quid ſimile auditum unquam de ipſis eſt? quis nefarias molitiones, turbas, ſeditiones, tumultus exprobret? quam habuiſſe partem in variis civium noſtrorum totiuſque Italiæ motibus arguuntur? Exſurgant illi, quotquot ſunt Chriſtiani nominis accuſatores, & in ipſorum moribus vivendique conſuetudine quid reprehendant, quod habere affinitatem cum Perduellione videri poſſit. Nam quis eos Perduelles putet, aut ad inferendam injuriam comparatos, A Contrariis. qui laudem pro contumelia, pro odio amorem, beneficia pro ſuppliciis, preces & vota pro cruenta morte rependunt? Patere, Princeps æquiſſime, ut cum ea, quam debeo Ab exemplis. Imperatori meo, reverentia, ad tuum ipſius teſtimonium appellem; noſti enimverò & tuis ipſe uſurpaſti oculis, quàm dociles illi animos moderatoribus ſuis afferant, quàm patientes in laboribus, quàm conſtantes in cruciatibus perferendis, quàm parum cupidi retinendæ vitæ, quoties Religionis cauſa poſtulat, aut patriæ ſalus Imperatorumque juſſa repoſcunt.

Sed quid ego diutiùs immoror in ea confutanda calumnia, quæ nullis nixa fundamentis ruit ex ſe ſe ac ſubvertitur? A Repugnantibus. Sit ita ſanè, uti accuſatores imperiti clamitant: hoc informa-

re animo tam deteſtabile conſilium Chriſtiani potuerint, habuerint illi conjurandi in patriam & in Imperatorem ipſum voluntatem; quibus tandem rationibus meditatum ſcelus exequerentur? quas illi copias, quos exercitus, quas facultates habent? Quibus ſe tueantur armis, quibus Ducibus in aciem prodeant, quas urbes ad defenſionem, quæ propugnacula nobis oſtentet Chriſtianorum paucitas ex plebeculæ quiſquiliis ac colluvie fermè congregata?

Ah! cave, Princeps æquiſſime, ne, ſi gentem innoxiam perſequeris ulteriùs, præter commune odium nihil quidquam reportes; & dum populi tuæque ſecuritati videris allaborare, non apud Romanos modò, ſed etiam apud univerſum orbem crudelitatis ac ſævitiæ famam incurras. A Conſequentibus.

LIBER TERTIUS.

De Figuris ſeu de Elocutionis dignitate.

VErtitur totum Artis Oratoriæ momentum in hoc Libro; qui de Figuris inſcribitur. Cùm enim Artis Oratoriæ ſeu potiùs Rhetoricæ ſit finis aptè ornatèque dicere ad perſuadendum; nulla ratione perveniri ſecuriùs poteſt ad propoſitum exitum, quàm ſcientia & artificio Figurarum aliorumque Orationis ornamentorum, in quibus tota dicendi vis ac majeſtas poſita eſt.

Figura porro apud Rhetores nihil eſt aliud, quàm Orationis ornatus, ſeu ſermonis conformatio à communi ratione dicendi remota; in quo differt à Tropo, qui Orationis ornatus eſt, per quem ſenſus alicujus verbi aut ſententiæ proprius ad alium ſenſum deducitur.

Igitur Elocutionis ornamentum ac dignitas in Tropis & Figuris verſatur & conſiſtit; &, quemadmodum ſunt Figuræ quædam verborum, quædam ſententiarum, ita Tropi alii verborum, alii ſententiarum nuncupantur.

CAPUT PRIMUM.

De Tropis, ac de iis primum qui in uno verbo poſiti ſunt.

QUid eſt Tropus?

R. Eſt Verbi vel Orationis à propria ſignificatione, ad aliam cum aliqua virtute ac dignitate Translatio. Hoc ipſa vox indicat. Tropus enim dicitur à verbo τρέπω, id eſt convertó, ſive immuto.

Quot ſunt in uno verbo Troporum genera?

R. Septem vulgò recenſentur. Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Catachreſis, Antonomaſia, Onomatopeja, Metalepſis.

Quid eſt Metaphora?

R. Eſt Translatio verbi à propria ſignificatione ad aliam cum aliqua ſimilitudine. Verbi gratia, cùm quis dicitur incenſus ira, inflammatus cupiditate, lapſus errore: ſic & dicitur lumen Orationis, generis claritas, gloriæ ſeges, concionum procellæ, virtutum concentus: quæ omnia ſimilitu-

ſitudinem habent aliquam cum iis rebus à quibus denominantur.

Quis eſſe debet uſus Metaphoræ?

R. Cavendum eſſe, ne ſit frequentior, ne inverecundus, ne apud Oratores tam audax, quàm apud Poetas, ne Metaphora producatur nova, quæ auctorem bonum non habeat.

Quid eſt Synecdoche?

R. Eſt Tropus, in quo totum pro parte, vel pars pro toto ſumitur; vel ex antecedentibus conſequentia intelliguntur. Ita totum pro parte ſumpſit Virgilius, cùm dicit, *fontemque ignemque ferebant*. Hoc eſt aquam è fonte, carbones ex igne decerptos. Partem pro toto, cùm pro navi puppim uſurpat. Conſequentia verò ex antecedentibus intelliguntur, ut ſi quis dicat, *jam boves ab agricolis reducuntur domum*, pro nox adeſt.

Quid eſt Metonymia?

R. Eſt Tropus, qui cauſam per effecta, vel effecta per cauſam, vel id quod continet pro eo quod continetur, vel rem è ſigno declarat, verbi gratia: *Dona laborata Cereris*, pro, frumentum in panem redactum, eſt exemplum Metonymiæ, quæ per cauſam effecta deſignat, quia Ceres inventix frumenti dicitur. *Scelus & ſacrilegium deprehenſum eſt*, id eſt ſceleſtus & ſacrilegus. Hic cauſa per effecta declaratur: id verò quod continet pro eo quod continetur, ut *lectitare Platonem*, pro lectitare Platonis opera. Denique ſignum pro re ſignificata ſumitur, ut ſi quis bellum per *arma*, pacem per *togam* indicet.

Quid eſt Catachreſis?

R. Eſt Tropus, qui verbo ſimili aut propinquo, pro certo ac proprio utitur: v. g. cùm *Parricidam* appellamus eum qui matrem interfecit; quod ipſa vox Catachreſis innuit, ſignificat enim abuſum quemdam.

Quid eſt Antonomaſia, ſive Pronominatio?

R. Eſt Tropus, qui pro nomine ipſo, aliquid æquivalens nomini, aut etiam ſignificantius ſubſtituit; ut cùm dicitur *Everſor Carthaginis*, pro Scipione, *Aſiæ domitor*, pro Alexandro, *Orator*, pro Cicerone.

Quid eſt Onomatopeja?

R. Eſt fictio vocis ad rem ſignificatam nativa aliqua ſui ſoni ſimilitudine accedentis, ut *mugitus*, *boatus*, *ſibilus*, & ſimilia.

Quid eſt Metalepſis, ſive Tranſſumptio?

R. Eſt Tropus, quo ex alio, ad aliud veluti per gradus aſcenditur, ut cùm dixit Virgilius, *Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas*, id eſt poſt aliquot annos; nam ex ariſtis ſpicas & ſegetes, ex ſegetibus æſtates, & ex æſtatibus annos intelligimus.

CAPUT II.

De Tropis qui in Oratione, hoc eſt, in pluribus verbis fiunt.

Quot ſunt Tropi in Oratione, ſive in pluribus verbis?

R. Quatuor. Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, Hyperbole: quibus addi poteſt Ironia.

Quid eſt Allegoria, ſive Inverſio?

R. Eſt Tropus, quo aliud verbis, aliud ſenſu oſtenditur, ut pro Milone n. 5. *Equidem cæteras tempeſtates ac procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas*. Ubi per tempeſtates ac procellas, ſignificat perturbationes ac tumultus, quibus Milo obnoxius fuerat.

Habes alia Allegoriæ exempla apud Ciceronem pro Marcello nu. 4. in Piſo-

ſonem, n. 20. pro Muræna n. 35. Illuſtris eſt etiam illa Allegoria, qua Horatius Rempublicam nova bella molientem, ſub navis nomine, cui deſunt omnia ad felicem navigationem, compellat, & ab hujuſmodi conſilio deterret Lib. 1. Ode 14. *O Navis referent in mare te novi fluctus, &c.*

Hæc porro Allegoria omnium eſt præſtantiſſima, quæ ſimilitudinis & tranſlationis gratia permixta eſt. Talis eſt illa quæ legitur n. laudato 35. pro Muræna. *Quod fretum, quem Euripum tot motus tamque varias habere putatis fluctuum agitationes, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio Comitiorum? Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia; & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.* Ubi vides Comitia per ſimilitudinem Freto & Euripo comparari; dici perturbationes & æſtus de Comitiorum ſtrepitu ac negotiis per Allegoriam: & rationem pro modo ex ratione adhibito tranſlatitiò uſurpari. Item pro Sextio n. 20. Allegoria inſignis.

Obſervandum autem eſt in Allegoria, ut, quo genere cœperis tranſlationem, eodem finias. Quis enim non improbet initium à tempeſtate ſumptum, ruina, vel incendio concludi?

Quid eſt Periphraſis, ſeu Circumlocutio?

R. Eſt Tropus, quo pluribus verbis dicitur, quod poteſt paucioribus exprimi; ut ſit oratio plenior & ſignificantior.

Quid eſt Hyperbaton ſeu Tranſgreſſio?

R. Eſt Tropus, quo in perpetua Orationis ſerie ordo verborum, cum decore perturbatur, ut *mecum*, pro cum me, *quibus de rebus*, pro de quibus rebus.

Quid eſt Hyperbole?

R. Eſt Tropus qui rem auget vel minuit ſupra, vel infra veritatem; ſupra veritatem quidem ut pro Marcello n. 4. *Nullius tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis tantaque copia, quæ, non dicam exornare, ſed enarrare, C. Cæſar, res tuas geſtas poſſit.* Ibid. n. 11. *Vereor, ut, hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio: ipſam victoriam viciſſe videris, cùm ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti.* Alia ſunt ejuſdem Tropi exempla illuſtria pro Lege Manilia num. 28. Philip. 2. num. 67. Ver. 7. num. 144.

Exemplum verò Hyperboles quæ rem minuat infra veritatem, habes pro Roſcio Com. num. 20. ubi facetè jocatur in Fannium Cheream. *Oro atque obſecro vos, qui noſtis, vitam inter ſe utriuſque conferte; qui non noſtis, faciem utriuſque conſiderate: Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum, ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur; qui idcirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne ullum quidem pilum viri boni habere videatur?* Item in Piſonem num. 55. pro Flacco n. 41.

Quid eſt Ironia?

R. Eſt Tropus, qui aliter Illuſio vocatur, & ſenſum indicat contrarium iis verbis, ex quibus conflatur, ut, ſi quis diceret, *ò pium & mitem ac gratum animum!* de eo, qui hominem in ſe beneficum trucidaſſet.

Frequens eſt Cicero in Ironia; præſertim ſi jocari in aliquem mordaciùs voluerit.

Sic Verr. 6. num. 86. *Erat hyems ſumma*—

ſumma, tempeſtas perfrigida, imber maximus, cùm iſte imperat lictoribus, ut Soſopatrum de porticu, in qua ſedebat, præcipitem in forum dejiciant. Vix erat hoc etiam imperatum, cùm illum ſpoliatum ſtipatumque lictoribus videres. Omnes ideo putabant, ut miſer atque innocens virgis cæderetur; feſellit hæc homines opinio; virgis iſte cæderet ſine cauſa ſocium Populi Rom. atque amicum? non uſque eo eſt improbus, non omnia in eo uno ſunt vitia; nunquam fuit crudelis: leniter hominem clementerque accepit. Quo in exemplo ſimulatio tota fit in ſingulis verbis à ſua ſignificatione in contrariam mutatis. Nam narrat poſtea Cicero quàm cruentum in morem Soſopatrum illum Verres cruciaſſet.

Et pro Rabirio Perd. num. 13. T. Labienum irridet ironicè quòd popularem ſe eſſe dixiſſet. *Namque hæc tua, quæ te clementem popularemque delectant? I; lictor, colliga manus; quæ non modò hujus libertatis manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii; ſed Tarquinii ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina; quæ tu homo lenis ac popularis libentiſſimè commemoras; caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.*

Item Cat. 2. num. 24. pro Lig. num. 1. in Piſonem num. 56. pro Mil. num. 20.

Obſervandum autem Ironiam facilè intelligi vel ex modo quo pronunciatur, qui irriſionem ſonat, vel ex perſona aut rei natura verbis, quæ proferuntur, contraria.

EXERCITATIO.

In puriſſimos Beatæ Virginis Conceptus.

Per Allegoriam, Hyperbolem, & Ironiam.

SYNOPSIS.

1. SOcios invitabit ad celebrandos ſanctiſſimæ Virginis ortus puriſſimos. Laudemus enim verò, &c. Gratulemur parenti amantiſſimæ, &c. Adjunget definitiones aliquas allegoricas eaſdemque Virgini honorificas.

2. Per Hyperbolem dicet neminem eſſe non hominem, non cœleſtem Genium, non aliam quamlibet creaturam, quæ perfectiones animæ illius vel in ortu primo explicare poſſit. Solius eſſe Dei Patris, qui Mariam in filiam, Filii qui in parentem, Spiritus Sancti, qui in Sponſam elegit, enarrare dotes illas, &c.

3. Per Ironiam junctam cum Allegoria quæret à Dæmone cur otiaretur, cùm feliciſſima illa anima corpori conjuncta eſt. Quin tu Sydus illud obſcurabas, &c.

4. Per aliam Ironiam extollet lenitatem ac comitatem Dæmonis, qui non tantum Virgini pepercerit, ſed ultro etiam paſſus fuerit caput ſuum ab eadem conteri.

Concludet gratulando ſibi & ſociis, qui talem parentem nacti ſint.

ORATIO.

Laudemus enim verò, ò ſocii, fortunatiſſimam illam poſt homines natos Virginem, quæ ſingulari Omnipotentis Dei beneficio communis expers maculæ pulcherrima tota, tota puriſſima exoritur. Gratulemur parenti amantiſſimæ, quæ Deum aliquando nobis fratrem eſt editura. Recolamus horam illam, qua hæc anima è præpotentis Dei manibus, tanquam opus numeris omnibus & partibus abſolutum, tanquam cœleſtis potentiæ ac ſapientiæ ſpecimen prodiit. Hodie primùm Sydus illud emicat, cujus ſplendidiſſima luce orbis

bis

bis terrarum univerſus aliquando colluſtrabitur: hoc illud lilium eſt, cujus puriſſimum candorem nullus unquam nævus inquinavit; hoc illud ſpeculum eſt, cujus nitorem tartarei ſerpentis halitus peſtifer nunquam infecit, inquinavit, afflavit.

Allegoria.

Quanquam quis è nobis aſſequi dicendo poſſit dotes illas incontaminatæ Virginis, quæ omni commendatione major eſt? Quis, non hominum dico, ſed beatarum etiam mentium explicet, quot & quantis ornata virtutibus in hoc primo vitæ limine refulſerit? ò Tu, ſumme rerum omnium Moderator Deus, qui illam tibi dilectiſſimam in filiam adoptaveras: Tu æqualis in omnibus Patri Filii Unigenite, qui reliquas inter fœminas aſſumpſeras illam in Matrem: Tu, divine Spiritus, qui in Sponſam tibi chariſſimam Mariam elegeras, dicite, quam ſingulari perfectionum omnium comitatu deſtinatum vobis habitaculum adornaſtis?

Hyperbole.

Tu verò quid agebas interea, humani generis hoſtis infenſiſſime? quid ceſſabas? quid otiabare? Adeone reſederant iræ veteres, & inſatiabilis animi tui furor quieverat? Quin tu Sydus illud lucidiſſimum, cùm ſtatim exortum eſt, ſpiſſa noctis illius, quam incolis, caligine obſcurabas? quin glaciem illam nitidiſſimam infecto polluti oris halitu maculabas? Quin fontem illum limpidiſſimum venenata impuriſſimi pectoris peſte inficiebas? Quin in hortum illum amœniſſimum omni florum genere fragrantem ac redolentem pro tua ſubtilitate irrepebas? quin ſpecioſiſſimum illum florem, pretioſiſſimum naturæ partum medias inter ſentes ac ſpinas enatum atro pollice demetebas?

Ironia & Allegoria.

Sed quid in te priſtini furoris veſtigia requirimus? Admiremur potiùs indolem ad omnem humanitatem comparatam; extollamus nullo unquam elogio ſatis prædicandam! Parum eſt, quòd vel ad primum Virginis intactæ conſpectum trepidaveris; quòd ſacratiſſimos ipſius ortus veneratus fueris, quòd ab inferenda animæ ipſius labe temperaveris; niſi calcari te totum ab eadem Virgine, niſi conteri caput tuum, agni inſtar mitiſsimi, impune permiſiſſes. O patientiam admirabilem! ò incredibilem modeſtiam! ò raram in hoſte tam jurato manſuetudinem!

Ironia.

Gratulemur igitur nobis tam felicibus natam auſpiciis parentem optimam; celebremus ortus ipſius puriſſimos, & primigeniæ labis expertes; & nulla vox, nulla lingua ab ipſius laudibus unquam conticeſcat.

ALIA EXERCITATIO.

Defenditur Adoleſcens accuſatus in Areopago, quod Cothurnicis oculos effodiſſet.

Per Ironiam & Hyperbolem.

SYNOPSIS.

Exordium & Propoſitio. Dicet Ironicè & Hyperbolicè novum crimen illatum fuiſſe Adoleſcenti qui accuſetur, quòd aviculæ oculos effodiſſet.

Deinde Ironicam præ ſe feret ſollicitudinem, incertus unde repetat Adoleſcentis miſeri defenſionem: nam crimen patet: ipſa volucris æquitatem Judicum implorat, &c.

3. Refutabit Ironicè quòd adverſarius dixerat, non tam petendam eſſe accuſationis gravitatem ex ipſo facto, quàm ex malitia, quam facinus illud argueret: deſignari ſcilicet patranda olim ab eo Adoleſcente graviſſima quæque flagitia. 1. Extollet mitem Accuſatoris animum, qui commiſſum in avicula piaculum ipſum excuſet. 2. Exagitabit eundem, quaſi vidiſſet intimos Adoleſcentis ſenſus, ut malitiam, quam exprobrat, deprehenderet. 3. Per aliam Ironiam illudet adverſario, qui certam de rebus olim eventuris ferre judicium videatur.

Con-

Concluſio Ironica: Dicet nihil eſſe reli- ctum Clienti ſuo, niſi ut miſericordiam Judicum imploret, qui omnium voce, ſi quid accuſatori creditur, ſit condemna- tus.

ORATIO.

Ironia & Hyperbole. Novum crimen, Judices, & ante hunc diem inauditum, quod nulla legum ſeveritas, nulla atrocitas ſuppliciorum, nullum ſatis grave mortis genus eluat unquam aut expiet. Adverſarius meus, homo religioſus mirum in modum ac perſpicax ad vos detulit; Adoleſcentem minimè malum oculos aviculæ ludendo effodiſſe.

Ironia. Quid agam, Judices, quò me vertam? res patet: negare factum nequeo; habetis confitentem reum; perdidit oculos nullo ſuo ſcelere infelix volucris, & veſtram omnium æquitatem implorat, vindicem manum repetit, dignum tanto parricidio ſupplicium efflagitat.

Quanquam, fallor, Levis vel iſta culpa videri poſſit, inquit Adverſarius, niſi perverſitatem animi non ferendam in Adoleſcente argueret; niſi perpetrandis olim flagitiis majoribus viam ſterneret. O mutatam bene Accuſatoris indolem! ò placidum ultra, quàm ſperare fas erat, & mitem animum! Confide tandem, infelix Adoleſcens, & dubiis in rebus noli ſpem abjicere. Ecce

Ironia. cauſam agit tuam, qui te acriùs accuſabat; & quem Adverſarium ſenſeras, jam patronum experiris. Quod feciſti cumque, leve eſt, ſi quid accuſatori creditur, nec meretur pœnam. At te cordis tui perverſitas quolibet ſupplicio dignum efficit, nec ducere ulteriùs vitam patitur. Morieris ergo; miſerrime Juvenis; nam quis tutari te poſſit; aut vim accuſationis ejuſmodi deinceps elevet?

Vidit enim verò, quaſi oculis cerneret, animi tui naturam atque indolem Accuſator perſpicax; penetravit pro ſua ſagacitate, abditos quoſque pectoris tui receſſus, & implicatiſſimos ſinus revolvit. Tù malus eo judice atque arbitro, licèt nihil unquam edideris, unde quis ſuſpicari id poſſit. Fruſtra traducta tibi feliciter ad hunc uſque diem adoleſcentia eſt: nihil eſt quòd probatam omnibus ſuavitatem indolis, morum continentiam, in tota vitæ conſuetudine amabilitatem prætendas. Non te juvat quòd gratus parentibus, charus amicis, dilectus æqualibus habearis. Vincit conſtans de te totius urbis judicium nova & inſolens hominis unius opinio, qui cæteris oculatior vidit in te mala quædam improbitatis ſemina, quæ nemo hactenus deprehenderat.

Neque vero oculatus ille tantùm, ſed & peritus Augur, quod aliquando futurum eſt, certò percipit: habet hoc ſingulare Superum munus, ut, quæ cæteris mortalium latent, unus noverit atque intelligat. Jam objectas menti & quaſi præſentes oculis intuetur cædes, rapinas, populationes, parricidia, aliaque id genus, ab Adoleſcente miſero committenda olim flagitia, & multò ante ſontis capite plectenda arbitratur.

Quid igitur ſupereſt, niſi ut crimen ejuſmodi, cùm excuſari non poſſit, veſtram miſericordiam obteſter, & quem Accuſatoris voce, tanquam veſtris omnium ſententiis damnatum intelligo, in eundem partem veſtræ bonitatis aliquam derivare pertentem.

CAPUT III.

De Figuris.

Quid eſt Figura?

R. Eſt conformatio quædam ſermonis remota à communi & primùm ſe offerente dicendi ratione.

Quotuplex eſt Figura?

R. Duplex: altera Verborum, altera Sententiarum.

Quid eſt Figura Verborum?

R. Eſt ornatus quidam in Verbis ipſis poſitus, nimirum in eorum ordine, iteratione, & aliis id genus.

Articulus Primus.

De Figuris verborum quæ Repetione conſtant.

Quid eſt Repetitio ſeu Anaphora?

R. Eſt Figura, qua ab una eademque voce Oratio ſæpiùs inchoatu. Ut: *nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non videam, planèque ſentiam.* Pro Quinctio numer. 82. *Quid hæc amentia, quid hæc feſtinatio, quid hæc maturitas tanta ſignificat? Non vim? non ſcelus? non latrocinium? non denique omnia potiùs, quàm jus, quàm officium, quàm pudorem?* Ibid. num. 51. & 52.

Vide & num. 21. Divinatione in Verrem. Pro Roſcio Amerino n. 13. Pro Lege Manilia 40. 2. in Rullum num. 9. 1. Catilinaria num. 1. Philippica 2. num. 19. Pro Milone 94. & 100.

Quid eſt Converſio ſive Epiphora?

R. Eſt Figura Repetitioni contraria, qua Oratio in eadem voce ſæpe finitur. Sit exemplum illud Ciceronis Orat. in Vatinium num. 37. *Atque illud etiam audire à te cupio; quare, cum ego Legem ex Senatus Conſulto de ambitu tulerim, ſine vi tulerim, ſalvis auſpiciis tulerim, ſalva lege Ælia & Fuſi à tulerim, tu eam eſſe legem non putes?*

Item & illud Philippica 2. n. 55. *Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? interfecit Antonius: Deſideratis clariſſimos Cives? eos quoque vobis eripuit Antonius: auctoritas hujus Ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius.*

Quid eſt Complexio ſeu Symploce?

R. Eſt Figura Repetione ſimul & Converſione conſtans; ita ut ab eadem voce inchoetur Oratio, & eadem ſæpiùs finiatur. Celebre eſt illud exemplum Lib. 4. Auctoris ad Herennium nu. 18. *Qui ſunt, qui fœdera ruperunt? Cartaginienſes. Qui ſunt qui crudele bellum in Italia gesſerunt? Carthaginienſes. Qui ſunt qui Italiam deformaverunt? Carthaginienſes. Qui ſunt, qui ſibi poſtulant ignoſci? Carthaginienſes.* Et Oratione pro Milone n. 59. *Sed quæſtiones urgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio libertatis. Quibuſnam de ſervis rogas? de P. Clodii. Quis eos poſtulavit? Appius. Quis produxit? Appius: Unde? ab Appio.*

Quid eſt Traductio?

R. Eſt Figura, quæ facit, ut cùm idem verbum crebriùs ponatur, non modò non offendat animum, ſed etiam concinniorem Orationem reddat. Lib. 4. ad Herennium n. 19. *Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute non poteſt vitam colere.*

Ibid. *Eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo, nunquam hominis vitam tam crudeliter petiiſſet. At erat inimicus. Ergo inimicum ſic ulciſci voluit, ut ipſe ſibi reperiretur inimicus.*

Ibid.

Ibid. *Divitias ſine divitum eſſe; tu verò virtutem prefer divitiis; nam ſi voles divitias cum virtute comparare, vix ſatis idonea tibi divitiæ videbuntur, quæ virtutis pediſſequæ ſint.*

Ex eodem genere exornationis eſt, cùm idem verbum in diverſa ſignificatione ponitur. Ibid. num. 19. *Cur eam rem tam ſtudioſè curas, quæ multas tibi dabit curas?*

Item. *Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari.*

Quid eſt Conduplicatio?

R. Eſt Figura, qua idem verbum geminatur, ut Catilinaria 1. n. 4. *Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed confirmandam audaciam.*

Interdum verba repetuntur in fine ſententiæ, quæ poſita fuerant initio. Pro Sextio n. 6. *Ademit Albino ſoceri nomen mors filiæ: ſed charitatem illius, neceſſitudinis & benevolentiam non ademit.*

Item pro Marcello n. 17. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina in urbe vacuum non vidimus.*

Item pro Milone n. 95. Philippica 2. n. 98.

Quid eſt Gradatio ſeu Incrementum, ſive Climax?

R. Eſt Figura, in qua Oratio per certos Gradus ad aliquid ſummum & ultimum veluti aſcendit, aut ad aliquid infimum deſcendit. Ita pro Roſcio Amerino nu. 75. *In urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur.*

Et pro Quinctio nu. 95. *Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt, injuria: acerbum eſt ab aliquo circumveniri; acerbius à propinquo: calamitoſum eſt bonis everti, calamitoſius cum dedecore: funeſtum eſt jugulari à forti & honeſto viro, funeſtius ab eo, cujus vox præconio quæſtu proſtitit. Indignum eſt à pari vinci, indignius ab inferiore atque humiliore. Luctuoſum eſt tradi alteri cum bonis, luctuoſius inimico: horribile eſt cauſam capitis dicere, horribilius priore loco dicere.*

Et Verrina 7. n. 75. n. 169. Pro Milone n. 61. Pro Archia n. 4. Pro Sextio n. 32.

Quid eſt in Figuris iſtis præcipuè cavendum?

R. 1. Ne ſæpiùs adhibeantur. 2. Ne aſſumantur illæ, quæ frequentiori uſu viluerunt. 3. Ne per vim intrudantur. Hinc Quintilianus Lib. 9. cap. 3. Notat Figuras illas, etſi non parum venuſtatis habent, quia tamen affectatam artem & apertam nimis continent, rariùs uſurpari à magnis Scriptoribus, nec ferè niſi res ipſa ſucceſſionem habeat & certos gradus: cujus rei hoc profert exemplum. *Africano, inquit, virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.*

EXERCITATIO.

Defenditur Diogenes qui media luce hominem Athenis quæreret accenſa face.

Per Repetitionem, Converſionem & Complexionem.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet plenum ſapientia fuiſſe facinus illud Diogenis, quod ineptum plurimis ac ridiculum viſum eſt.

Propoſitio. Dicet vel in populoſa civitate paucos extitiſſe, qui nuncupari verè homines poſſent.

Confirmatio. 1. Per Repetitionem dicet non meruiſſe illos appellari homines, qui ambitioni, qui avaritiæ, qui voluptatibus unicè ſervirent, & unius curandi corporis ſolliciti animam negligerent.

2. Solos illos eſſe homines, qui rationem ducem ſequerentur. Quod tractabit

per Complexionem. Age quid facit hominem? Ratio, &c.

Contentio. Per Converſionem. Da mihi aliquem qui nihil agat, nihil loquatur, nihil meditetur niſi ex præſcripto rationis, & illum hominem reputabit Diogenes.

Concluſio. O ſi reviviſceret Diogenes, multos in hac ampla civitate homines inveniret?

ORATIO.

Etſi viſa eſt illa plurimis ridicula Philoſophi inſanientis oſtentatio, quòd Athenis ipſa luce meridiana accenſam facem circumferens hominem Diogenes quæreret; tamen qui causas facti illius rationeſque ſcrutari penitiùs voluerit, is ſummam in eo conſilio ſapientiam cogetur admirari.

Enimverò quot putatis vel in ampla illa ac populoſa civitate extitiſſe, quos homines eſſe verè diceres, & tam honorifica appellatione meritò nuncupandos arbitrareris?

An erant homines illi, taleſve merebantur appellari, quibus nunquam erat ſatis quod habebant, ſed cumulandis quotidie novis opibus inhiarent? An erant homines illi, qui inani gloriolæ cujuſdam accenſi fumo, nihil præter fragiles titulos & ambitioſa honorum inſignia quærerent ac venarentur? An erant homines illi, qui mollibus ineſcati deliciarum illecebris voluptatem unam in pretio ponerent? An erant homines illi, qui in curanda fovendaque cuticula & in iis, quæ ad corpus pertinent, vigiles & attenti, unius animæ bona, decorem ornatumque negligerent? Denique an homines erant illi, qui fraudibus, inſidiis, cædibus ſe ſe mutuò peterent, & ad ſuam ipſi ruinam exitiumque incumberent? Repetitio.

Age, te ipſum compello, age, Conduplicatio. qui Diogenem accuſas, & in ipſum, tanquam parùm ſanæ mentis hominem inſurgis: Dic mihi, quæſo, quid facit hominem aut eo dignum reddit nomine? opinor, Ratio. Quid tantum ipſi pretium, tantam ſupra res omnes creatas excellentiæ prærogativam arrogat? Ratio. Quid eum diſcernit à belluis, mutiſque pecoribus ſegregat? Ratio. Quid inter homines ipſos tantam affert vim diſcriminis, ut alii habeantur in pretio, alii contempti jaceant? Ratio. Et tu homines appellabis, aut etiam efferes inſolentiùs, quorum in moribus vix ullum rationis veſtigium agnoſcas? qui rationem benè monentem & ad ſaniora inflectentem audire non ſuſtineant? qui pravis cupiditatibus obſequi, quàm rectæ rationi obtemperare malint? Complexio.

Da, da mihi quempiam, qui meditetur nihil, niſi quod rationi ſit conſentaneum, & illum reputabit hominem Diogenes. Cedo aliquem qui nihil loquatur, niſi quod ratio ipſa dictitat, & illum ultro volenſque fatebitur hominem Diogenes. Prodeat unus aliquis è tanta multitudine, qui nihil agendum ſibi putet, niſi quod ad rectæ rationis normam ac regulam fuerit exactum; nec dubitabit illum agnoſcere hominem, atque ut talem venerari Diogenes. Converſio.

O ſi reviviſceret hodie ſapientiſſimus ille Philoſophus, & civitatem iſtam, tam amplam, tam confertam luſtraret circumcurſans; credis, tot inter homines, qui non modò glorioſum iſtud nomen uſurpant, ſed quidpiam ſibi præter vulgarem hominum ſortem arrogant inſolentiùs, credis inveniendos ab eo plurimos, quos homines appellaret?

ALIA

Digitized by Google

ALIA EXERCITATIO.

In Brutum Cæſaris Interfectorem.

Per Repetitionem, Converſionem, Complexionem & Gradationem.

SYNOPSIS.

1. DIcet mirum eſſe, quod Brutus ad occidendum Cæſarem adduci potuerit.

2. Per Repetitionem, Nihil erat ergo, Brute, quod à tanto ſcelere te averteret, ad imitationem Ciceronis. Cat. 1. n. 21.

3. Per Converſionem dicet Brutum fuiſſe cauſam malorum omnium quæ Cæſaris necem conſecuta ſunt.

4. Per Complexionem. Tamen, quod mirum eſt, Brutus ſibi ignoſci poſtulat, & affectat nomen Liberatoris patriæ.

Concluſio. Per Gradationem. Quis ergo Brutum non ſceleratum modò, ſed &c. appellet. Nam ſi facinus eſt Civem Romanum interficere, ſcelus innocentem trucidare, &c.

ORATIO.

Quanquam ea eſt ſceleris omnis funeſta quædam & nunquam pœnè evitanda conditio, ut eos, qui flagitioſum quidpiam meditantur, cæcos ſtatim efficiat; mirum eſt tamen eò cæcitatis atque dementiæ venire Brutum potuiſſe, ut Cæſarem inaudito hactenus & novo crudelitatis genere interficeret.

Repetitio. At unde tanta animi ferocitas? Unde in humano pectore tam implacabilis furor exarſit? Ergo nihil erat, ò Brute, nihil quod te ab immani facinore revocaret? Nihil loci ſanctitas, nihil majeſtas Principis, nihil oris vultuſque dignitas, nihil beneficiorum memoria, nihil paternæ cujuſdam benevolentiæ vis, nihil orbitas Reipublicæ & in tanti viri fato jam jam interituræ commiſeratio moverunt?

Converſio. Nam quem alium, Patres Conſcripti, malorum illorum quæ jam patimur, auctorem niſi M. Brutum appellabimus? Doletis extinctas Cæſaris victoria Civilis Belli faces fuiſſe denuò ſuſcitatas? Suſcitavit M. Brutus. Deſideratis expulſam urbe noſtriſque finibus tranquillitatem ac pacem? Expulit M. Brutus. Expoſtulatis ſublatas armorum licentia leges, violatam Senatus auctoritatem, libertatem Reipublicæ graviſſimo vulnere ſauciatam? Suſtulit, violavit, ſauciavit M. Brutus.

Complexio. Et tamen poſt tot ac tanta ſcelere in uno commiſſa flagitia, quis facti conſcientia ſuperbit? M. Brutus. Quis amiſſam libertatem in priſtinum decus reſtituiſſe gloriatur? M. Brutus. Quis miſeris ac perditis civibus inſultat? M. Brutus.

Gradatio. Quis ergo, M. Brute, non ſceleratum te ſolum, ſed impium? neque impium modò, ſed etiam parricidam? neque parricidam tantùm, ſed etiam totius Reipublicæ interfectorem non appellet? Nam ſi facinus eſt, Romanum Civem etiam nefarium occidere; ſcelus, innocentem trucidare; parricidium, optimum Principem de medio tollere; quid dicemus Patrem Patriæ totiuſque Imperii Romani columen ac præſidium ſuſtuliſſe?

ARTICULUS II.

De Verborum Figuris, quæ conſtant Similitudine.

Quot ſunt Figuræ Verborum, quæ conſtant ſimilitudine?

R. Quatuor. Compar ſive Iſocolon, Similiter Cadens; Similiter Deſinens, Annominatio.

Quid eſt Compar, ſeu Iſocolon?

R. Eſt Figura, in qua ponuntur Mem-

Membra ſive Commata ſimillimæ magnitudinis, v. g. Pro Lege Manilia n. 35. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latèque diſperſum Cn. Pompejus exeunte hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, extrema æſtate confecit.*

Sic & pro Sylla n. 14. *Multùm hæc vox deberet valere ejus hominis, qui Conſul inſidias Reipublicæ conſilio inveſtigaſſet, veritate aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet.*

Item. In Var. n. 5. Philippica 5. num. 44.

Quid eſt Similiter Cadens ſive Omioptoton?

R. Eſt Figura, qua iidem caſus ſæpe in fine Commatis, aut ſententiæ ponuntur. v. g. pro Roſcio Amerino n. 72. *Quid tam commune, quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* Ubi vides tria nomina in dandi caſu poſita.

Item pro Marcello n. 5. *Soleo ſæpe ante oculos ponere, idemque libenter crebris uſurpare ſermonibus, omnes noſtrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium potentiſſimorumque populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri.*

Item pro Cæcinna n. 1.

Quid eſt Similiter Deſinens?

R. Eſt Figura, qua duæ vel plures ſententiæ; ſeu Orationis membra ſimili terminationis modo finiuntur. Cicero pro Lege Manilia n. 48. *Itaque non ſum prædicaturus, quantas res ille domi Militiæque, terra marique, quantaque felicitate geſſerit; ut ejus voluntatibus non modò cives ſemper aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſque obſecundarint.*

Et Verrina 3. n. 9. *Quis hoc non perſpicit præclarè nobiſcum actum iri, ſi Populus Romanus iſtius unius ſupplicio contentus erit, ac non ſic ſtatuerit, non iſtum majus in ſe ſcelus concepiſſe, cùm fana ſpoliarit, cùm tot homines innocentes necarit, cùm Cives Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit, cùm prædonum duces accepta pecunia dimiſerit, quàm eos, ſi qui iſtum tot, tantis, tam nefariis ſceleribus coopertum jurati ſententia ſua liberarint.*

Et pro Milone n. 85.

Quid eſt Paronomaſia ſive Annominatio?

R. Eſt ſimilitudo verborum in ſententia diſſimili, ut Philippica 3. nu. 21. *En cur Magiſter ejus ex Oratore Arator factus eſt.*

Et de Haruſpicum reſponſis, nu. 6. *Non modò vincere, ſed vincire oporteret.*

Alia habes exempla Catil. 1. n. 93. Pro Rabirio Perd. n. 7. 2. in Verrem num. 5.

EXERCITATIO.

Auguſtiſſimum Jeſu Nomen celebratur.

Per Paronomaſiam, Iſocolon, Similiter Cadens & Similiter Deſinens.

SYNOPSIS.

1. Elevabit ac deprimet Imperatorum illorum vanitatem & ambitionem, qui non tam à beneficiis quàm à maleficiis ſibi nomen quæſierunt. Idque tractabit per Paronomaſiam.

2. Hoc ipſum probabit exemplo Romanorum, quorum alius Achaicus, alius Macedonicus, alius Aſiaticus ob expugnatam Achajam, Macedoniam, Aſiam appellati ſunt; idque tractabit per Similiter Cadens, & aliorum qui nomen habuere, quòd everſionem, depo-

depopulationem, vaſtationem intuliſſent.

3. Dicet Nomen Jeſu nihil præ ſe ferre præter bonitatem, beneficentiam, ſalutem, felicitatem, idque tractabit per Iſocolon.

4. Id confirmabit recenſendo mirabiles effectus, qui ex Nomine Jeſu oriuntur. In Cœlo Deum placat, miſericordiam conciliat, &c. In Terris morbos pelli, vetuſtatem tollit, &c. In Inferis Hoſtem humani generis coercet, &c. Id porro tractabitur per Similiter Deſinens

Concluſio. Quid ergo tam dulci ac benefico nomine nobis debet eſſe harum & acceptum magis?

ORATIO.

Paronomaſia. Valeant enimverò, valeant ambitioſum hominum genus, qui non tam à rebus geſtis, quàm à perditis ac profligatis, non tam à beneficiis, quàm à maleficiis nominari ſe volunt; quibus cæſi exercitus, deletæ civitates, direptæ Provinciæ, extinctæque gentes ac nationes nomen imponunt; quos feritatis potiùs atque injuriæ, quàm fortitudinis & munificentiæ monumenta nominant.

Similiter Cadens. Eſt ſcilicet, qui, quòd evertiſſet Græciam, ſit ex eo appellatus Achaicus; eſt qui, devicta Macedonia, magnam cladem genti Macedonum cùm attuliſſet, dictus eſt Macedonicus: eſt qui à Senatu Populoque Romano, quòd partem orbis tertiam vaſtaſſet bello ac perdidiſſet, vocatus ſit Aſiaticus: eſt qui, everſa ferro armiſque Numidia, ſit nuncupatus Numidicus?

Similiter Cadens. Nam quid ſexcentos appellem alios aliis nominatos vocabulis, quia urbibus exciſionem, agris inflammationem, Provinciis everſionem, populis deſolationem, publicis ac ſacris locis populationem intuliſſent; non in venia danda, aut in gratia miſerorum & innocentium ineunda probatum ac liberalem animum demonſtraſſent.

At Jeſu Nomen ambitioſis illis nominibus quàm diſſimile eſt! Quid enim aliud, niſi meram ſine cujuſquam damno præ ſe fert benefaciendi voluntatem? Quid aliud loquitur, niſi communem ſine ulla exceptione ſalutem? quid aliud clamat, niſi perpetuam, id eſt immortalis animi felicitatem? (Iſocolon.) Externum idemque non mediocre bonum tribuere alteri, liberalitas eſt; vitam dare, multo plus aliquid, quàm magnificentia; diutiſſimè propagare vitam, & ipſam vitæ immortalitatem conferre, quo id tandem, niſi nomine, optime Jeſu, tuo appellabimus? Fruere igitur tanto nomine, ſine ullius invidia, quod tu tibi ſine ullius injuria aſciviſti; retine cum omnium gratulatione, quod ad omnium ſalutem accepiſti; maxima gloria tua poſſide, quod maximis rebus geſtis tibi peperiſti.

Agite enim, quantam putatis vim eſſe atque efficientiam illius nominis, cujus pulcherrimis & uberrimis fructibus nulla pars orbis univerſi vacua videatur? Quid in altiſſimo Dei domicilio non molitur? Iratum humano generi Numen placat, divinam benignitatem atque miſericordiam conciliat; lætiſſimos beneficiorum omnis generis fontes in nos derivat. (Similiter Deſinens.) Quid non perficit in terris? Hujus nominis auditione freta fides ſubſiſtit, erecta ſpes augeſcit, amor inſtigatus ad omne erga Deum atque homines officiorum genus exardeſcit. Mentis verò caligo plerumque hujus cogitatione nominis nonne diſcutitur? ægritudines nonne ſedantur? geſtientes deliciæ indomitæque libidines nonne tanquam fræno cohibentur? Quid loquar nunc, ut ore tantum prolatum nomen infeſtos humano generi adverſarios, & ad noſtrum interitum animorumque perniciem ex In-

ſeris imminentes propulſet; ut cunctas fraudes conatuſque refutet, ut audaces debilitet, ut omni jam ſupplicio maceratos de integro excruciet.

Nos ergo jucundius aliquid, quàm Jeſu nomen audiemus? frequentius aliquid, quàm hoc nomen loquemur, libentius aliquid. quàm hoc nomen ſcribemus? Habitet in oculis, hæreat in medullis atque viſceribus; vivat atque ſpiret inuſtum cordi; ut nos antè vita ac ſpiritus, quàm nominis tanti grata recordatio deficiat.

ALIA EXERCITATIO.

Per eaſdem Figuras.

Burrhi ad Neronem Oratio, ut à Britannici cæde abſtineat.

SYNOPSIS.

EXordium & Propoſitio. Dicet temperare ſibi non poſſe, quin, vel cum periculo capitis Neronem dehortetur à tam pernicioſo exitialique conſilio.

Confirmatio petetur. 1. à funeſtiſſimis illius parricidii effectis, quod Populus Romanus, Exteri, Superi ipſi, quibus acceptiſſimus erat Britannicus, execrabuntur: idque per Iſocolon tractabitur.

2. Ab ea fama, quam ſibi Nero virtutibus ſuis pepererat, quas facinus ejuſmodi non poſſit non obſcurare. Tractabitur illud per Similiter Cadens.

Rationem illam illuſtrabit demonſtratione publica, quam ſuæ in Neronem benevolentiæ Populus R. dederat; idque amplificabit per Similiter Deſinens.

Concludet hortando Neronem, ut potiùs redeat in gratiam cum Britannico, ipſique amicè reconcilietur.

ORATIO.

Etſi deteſtandum illud, quod iniiſti de Britannico interficiendo conſilium, non poſſum palam incuſare, quin graviſſimum ipſe capitis periculum adire videar, Imperator fortiſſime; tamen ita me dies noctesque ſtimulat incredibile, quo ſemper exarſi, gloriæ tuæ ſtudium, ut tantam inuri nomini tuo labem ſegnis ac lentus non feram.

Enimverò, liceat mihi, cum ea, quæ debetur tanto Principi, reverentia ſciſcitari; an cogitaſti ſatis apud te facinoris illud genus, quod moliris? An perpendiſti tecum diligenter, eam adhæreſcere inaudito hactenus parricidio atrocitatem, quam univerſus Populus Romonus perhorreſcat, exteræ gentes deteſtentur, ipſi Superi impunitum non ſinant? Prævidiſti Britannicum extingui à te non poſſe, quin præcipuum ſibi decus eripi nobilitas doleat, ſuo ſe privari præſidio exercitus expoſtulet, tota civitas dulciſſimos adimi ſibi amores conqueratur?

Iſocolon.

Ten'verò, Princeps fortiſſime, quem vetus & implacabile Juvenis innocentiſſimi odium incendit, ten' partæ tot rebus præclarè geſtis gloriæ jam piget? tantum-ne te cepit laudum tuarum faſtidium, ut tuam extolli probitatem, prædicari palam humanitatem, uno omnium ore jactari pietatem non patiaris?

Similiter Cadens.

An ulla poſſit eſſe tibi vox ſuavior, an jucundior auribus concentus unquam accidat, quàm cùm imis pariter gratus ac ſummis, quò te agerescumque, medios inter exultantium populorum plauſus incederes; cùm virtutum tuarum fama omnium in te oculos, gratiam, admirationem concitares? cùm ſublatus honoris cauſa comitantium humeris, quaſi parta de ſingulorum animis atque voluntatibus victoria triumphares? Cùm ſuum te miſeri ſubſidium, afflicti ſolatium, perditi refugium appellarent; cùm te oſtentare ſenes, jactare juvenes, prædicare univerſi ordines properantibus ſtudiis certarent; cùm te

Similiter Deſinens.

ſemel

ſemel viſo, te compellato, te laudato felices ſe omnes beatoſque exiſtimarent?

Ah! ne, Princeps fortiſſime, tam lætam rerum tuarum ſegetem unius facinoris labe contamines ac corrumpas: placare potiùs Britannico fratri: vincat veteres inimicitias concordia, ſimultates amor ſuperet; odio jampridem inſito conſtans ac perennis benevolentia ſuccedat.

Articulus III.

De Figuris verborum, quæ aliquo conflictu conſtant.

Quid eſt Antitheton, ſeu Antitheſis, ut eſt Figura verborum?

R. Eſt Figura, qua verba verbis opponuntur, ut Ver. 5. n. 115. *Conferte hanc pacem, cum iſto bello; hujus Prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto.* Item Orat. pro Milone n. 10.

Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus.

Sunt & alia hujus Figuræ exempla illuſtria, Ver. 6. n. 121. Cat. 2. n. 10. ibid. n. 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc honeſtas, illinc turpitudo, &c.* Phil. 8. n. 10. 3. Ver. n. 3. Pro Font. n. 22.

Eſt alia Figura huic pœnè ſimilis, quæ Antitheſis dicitur & inter Figuras ſententiarum reponitur; quæ in ſententiarum oppoſitione poſita eſt; ſed de illa ſuo loco tractabitur.

Quid eſt Antimetatheſis ſeu Antimetavole?

R. Eſt Figura, in qua procurrit ſententiæ contrarietas, cum tranſpoſitione verborum. Ita Cicero Lib. 3. de Legibus n. 2. dicit *Magiſtratum eſſe Legem loquentem, Legem autem, mutum Magiſtratum.*

Et pro Quinctio n. 51. *Mavult commemorari de ſe, cùm poſſet perdere, pepercisſe; quàm, cùm parcere potuiſſet, perdidiſſe.*

Quid eſt Synœcioſis?

R. Eſt Figura, qua res eadem contrariis rebus tribuitur, ut, *Peſſima res eſt, & nimia ſervitus, & nimia libertas.*

Quid eſt Oximoron?

R. Eſt Figura, qua idem de ſeipſo negatur, ut fatuè dictum videatur illud, quod poſtea dictum acutè cognoſcitur. Ita Cicero Lib. de Amic. n. 23. ita de amicis loquitur, *Amici & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & mortui vivunt.*

Simile eſt ejuſdem de Sicilia teſtimonium, poſtquam illam expilaſſet Verres. *Sic erat deformis atque horrens ager Siculus, ut in ipſa Sicilia Siciliam quæreremus.*

Luculentum & illud Figuræ illius exemplum, quod Epigrammate concluditur, in veteres urbis Romanæ ruinas.

Qui veterem in veteri quæris novus advena Romam,
Et Romæ in Roma nil reperis media.
Aſpice murorum moles disjectaque ſaxa,
Obrutaque ingenti vaſta Theatra ſitu.
Hæc ſunt Roma; viden', velut ipſa cadavera tantæ
Molis, adhuc ſpirent imperioſa minas!
Vicit ut hæc mundum, voluit ſe vincere, vicit,
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Albula Romani permanſit nominis index,
Quique etiam rapidis fertur in æquor aquis.

Di-

Diſce hinc quid poſſit fortuna ; immota labaſcunt,
Et, quæ perpetuò ſunt agitata, manent.

EXERCITATIO.

Philippi Macedonis & Alexandri Magni natura diſpar atque indoles demonſtrat, non reperiri ſemper in indole, quæ in ſanguine eſt, ſimilitudinem.

Per Antitheta.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet mirandum non eſſe, ſi parentibus ſimiles liberi procreantur propter ſanguinis communionem.

Propoſitio. Id porro videri mirum poſſe, ſi nullam habeant liberi cum parentibus ſimilitudinem. Addet non eſſe illud tam infrequens, ut illuſtribus exemplis demonſtrari non poſſit.

Confirmatio. Petetur ab exemplo Philippi Macedonis & Alexandri Magni, qui non in virtutibus modò, ſed etiam in vitiis diſſimiles extitere ; quod Antithetis variis illuſtrabitur.

Concluſio. Adeo vel in ipſa ſanguinis communione diſparitas indolis reperitur.

ORATIO.

Cùm nihil eſt ad efficiendam in moribus atque indole ſimilitudinem potentius, quàm ejuſdem ſanguinis communio ; & ipſa natura pares amat in eis dotes contemplari, quos paribus, ut ſic loquar, cœmentis confinxerit ; tum certè nemo eſt cui mirum videri debeat, ſi liberi parentibus plerumque ſimiles procreentur.

Verùm, ſi quando talis è parentum ſinu ſoboles prodeat, ut non modò nullam habeat cum progenitoribus ſuis ſimilitudinem, ſed oppoſitos etiam affectus & contrarias voluntatum inclinationes præ ſe ferat ; tunc otiri jure poſſit admiratio non levis, & latentes tanti diſcriminis cauſæ curioſiùs inquiri.

Tamen etſi contra rerum naturam illud accidat ; neque legitima ſatis ſubjici ratio videatur illius, quæ liberos inter & parentes cernitur, diſcrepantiæ ; non eſt iſtud nihilominus tam infrequens, ut illuſtribus exemplis demonſtrari non poſſit.

Teſtis mihi ſit unus inter cæteros Magnus Alexander, qui Philippo parente procreatus, & ab eodem adeptus Imperium Macedonum, ita vixit, ita regnavit ; ut tam in virtutibus, quàm in vitiis, nihil paternæ indolis aut naturæ accepiſſe videretur.

Fuit enimverò utrique vincendi ratio diverſa ; Philippus clam & arte, Alexander aperto Marte bella tractabat. Deceptis ille gaudere hoſtibus ; hic palam fuſis. Prudentior ille conſilio, hic animo illuſtrior. Iram pater diſſimulare, plerumque etiam vincere ; filius ubi exarſiſſet, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini nimis uterque cupidus, ſed ebrietatis diverſa vitia. Philippo mos erat etiam de convivio in hoſtem procurrere, manum conſerere, periculis ſe offerre ; Alexander non in hoſtes, ſed in ſuos ſæviebat. Illum ſæpe vulneratum prælia remiſerunt ; hic amicorum interfector convivio frequenter exceſſit. Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, filius metui. Literarum cultus utrique ſimilis. Majoris ille ſolertiæ, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus ; Alexander rebus moderatior ; parcendi victis, filio animus & promptior & honeſtior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Denique orbis Imperii fundamen-

Antitheta.

menta Philippus jecit, operis totius gloriam Alexander conſummavit.

Adeo vel ex ipſa ſanguinis communione magna interdum indolis ac morum diſparitas exurgit!

ALIA EXERCITATIO.

Chriſtianos Heroas profanis Heroibus præſtare.

Per Antitheta.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. Dicet nihil habere heroicam fortitudinem, quod cum Chriſtiana virtute comparari poſſit.

Confirmatio. Petetur ex comparatione rerum à profanis heroibus geſtarum in adeundis periculis, aut debellandis hoſtibus; cum conſtantia Chriſtianorum Martyrum in ferendis patienter tormentis vincendiſque Tyrannorum furoribus; quod Antithetis illuſtrabitur.

Concludet. Dicendo, ne illos quidem fortes eſſe appellandos, qui ſe cupiditatibus vinci ac ſuperari paſſi fuerint.

ORATIO.

Etſi multa legimus ab Heroibus profanis edita fortitudinis exempla, quæ conſequentium deinde ætatum laudem atque admirationem meruerunt; hæc tamen, quantacumque ſunt, aut æſtimare, aut etiam mirari deſinet, quiſquis illa voluerit cum invicta Chriſtianorum Heroum conſtantia comparare.

Antitheta. Prodeant enimverò quotquot olim animi magnitudine conſpicui, aut præclaris facinoribus illuſtres extitere, ſuaſque victorias cum Martyrum noſtrorum triumphis conferant. Illi dubiis incertiſque periculis, iſti certis apertiſque doloribus caput devovebant. Illi hoſtes quidem ferociſſimos, ſed freti ſociorum auxiliis, ſed muniti armis aggrediebantur. Iſti ſoli atque inermes Tyrannis crudeliſsimis dilaniandos ſe ſe permittebant. Illi conquieſcebant identidem à laboribus, & beatæ pacis otio fruebantur. Iſti ad extremum uſque ſpiritum trajectam graviſſimis ærumnis vitam perferebant. Illi evertendas arces, urbes excidendas, vaſtandas Provincias; iſti frangendas cupiditates, vincendum animum, mortem ipſam ſuperandam ſibi proponebant. Illi arcano quodam ſuperbiæ faſtu ſtimulati; iſti ſolius divini amoris ſtudio incenſi. Illi ut ſibi apud poſteros fortis animi famam compararent; iſti ut Deo Superiſque gratioſi haberentur.

Eat ergo nunc oſtentatrix ſui vetus Roma, & Heroas ſuos cum noſtris conferat, aut etiam fortes appellandos putet, qui timidi plerumque, qui deſides & ignavi nihil veræ ſinceræque virtutis retinebant; qui cùm hoſtes vincerent, ſeipſos vincere minimè ſuſtinebant. Illi, illi fortes ſoli & tam glorioſo nuncupandi nomine, qui nullis cruciatibus corporis, nullo vel exilii vel mortis metu, nullis crudeliſſimorum Tyrannorum furoribus à ſuſcepta ſemel Chriſti fide deterreri potuerunt.

ARTICULUS IV.

De reliquis Verborum Figuris.

Quid eſt Adjunctio ſive Zeugma?

R. Eſt Figura, qua ad unum verbum, ſeu primum, ſeu medium, ſeu poſtremum plures ſententiæ referuntur. Cicero Lib. de Oratore ad Brutum. *Quid tam commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* Ubi vox illa *commune*, multis vocibus inſervit,

vit,

Digitized by Google

vit, ad quam illæ referuntur. Item pro Lege Manil. n. 40. *Sed hæ res, quæ cæteros remorari ſolent, non retardarunt: non avaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem.* Ubi multa vocabula ad unum idemque verbum, *revocavit*, referuntur. Pro Quint. num. 15. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Et Orat. pro Marcello n. 7. *Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil Turma decerpit.*

Quid eſt Disjunctio?

R. Eſt Figura Adjunctioni contraria; qua unicuique Orationis membro ſuum verbum apponitur, cùm unum toti Orationi poſſit ſufficere. Ita Cicero pro Archia n. 16. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Ibidem num. 19. *Homerum Colophonii ſuum eſſe civem dicunt, Chii ſuum vindicant, Salamini repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant.*

Quid eſt Diſtributio?

R. Eſt Figura, qua ita diſtribuuntur Orationis membra, ut ſingula ſingulis reſpondeant; quæ Figura eadem pœnè eſt ac Iſocolon, de quo jam diximus. Cicero pro Lege Manil. n. 35. *Tantum bellum tam diuturnum, tam longè lateque diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.*

Et pro Sylla n. 14. *Multum hæc vox deberet fortaſſe valere ejus hominis, qui Conſul inſidias Reipublicæ conſilio inveſtigaſſet, veritate aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet.*

Et Phil. 5. n. 44. in Vat. n. 5.

Hæc Figura in ſententiis efferendis vim habet & gratiam; ſed eadem parcè utendum Oratori, quia faſtidium parit propter nimiam artis affectationem.

Quid eſt Synonimia ſive Interpretatio?

R. Eſt Figura, qua plura idem ſignificantia congeruntur inſtandi urgendique gratia. Cat. 1. n. 10. *Nobiſcum verſari jam diutiùs non potes; non feram, non patiar, non ſinam.* Cat. 2. n. 1. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, ex urbe, vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſequuti ſumus; abiit, exceſſit, evaſit, erupit.*

Habes alia Figuræ hujus exempla pro Mil. n. 33. in Piſonem n. 47.

Obſervandum porro 1. magnum habendum eſſe verborum delectum, ne Orationem potiùs onerent, quàm ornent. 2. Ut quæ verba ponuntur extremo loco ſint graviora prioribus, imò aliquid paulò diverſum ſonent.

Quid eſt Synatroiſmus ſeu Congeries?

R. Eſt multarum rerum, ſeu potiùs verborum congeries, qua præſerrim utimur, cùm aliquid amplificare, aut vehementiùs inſtare volumus. Sit illud exemplum Orat. poſt Reditum, in Senatu n. 1. *Quæ poteſt exiſtere tanta ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile Orationis genus, quo quiſquam poſſit, veſtra in nos univerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere nu-*

me-

merando? qui mihi fratrem optatiſſimum, me fratri amantiſſimo, liberis noſtris parentes, nobis liberos: qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſſimam Rempublicam, qui patriam, qua nihil poteſt eſſe jucundius, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis?

Et Catilinaria I. numer. 10. *Quæ cum ita ſint, Catilina, perge quò cœpiſti, egredere tandem aliquando ex urbe: patent portæ, proficiſcere: Nimium te diu Imperatorem tua illa Manliana caſtra deſiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, ſin minus quamplurimos: purga urbem, magno me metu liberabis, dummodò inter me atque te murus interſit; nobiſcum verſari jam diutiùs non potes; non feram, non patiar, non ſinam.* Vide & n. 20. Item pro Cœlio num. 12. 46. pro Mil. 69.

Quid eſt Paradiaſton?

R. Eſt Figura, qua res inter ſe ſimiles diſtinguuntur. Ita Seneca de pigro homine loquens dicit. *Non diu vixit, ſed diu fuit.* Item. *Pergimus non quo eundum eſt, ſed quo itur, nec ad rationem vivimus, ſed ad ſimilitudinem.*

Quid eſt Polyptoton?

R. Eſt Figura, qua nomen idem variis in caſibus vel generibus iteratur. Cicero Orat. de Haruſpicum Reſp. num. 38. *Tibi verò, ſi diligenter attenderis, intelliges, hominum pœnas deeſſe adhuc, non Deorum. Homines te in re fœdiſſima defenderunt; homines turpiſſimum nocentiſſimumque laudaverunt; homines propter pecuniam judicio liberaverunt; hominibus injuria tui ſtupri illata in ipſos, dolori non fuit. Homines tibi arma, alii in me, alii poſt in illum invictum civem dederunt. Hominum beneficia prorſus concedo tibi, ac majora non eſſe quærenda.*

Et pro Archia numer. 14. *Pleni omnes ſunt Libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas.*

Item 7. Ver. n. 78. *Eſt certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reſervetur.*

Quid eſt Polyſyntheton?

R. Eſt Figura, qua multæ conjunctiones ſimul in eadem Orationis parte ponuntur. Cicero Lib. 1. Offic. n. 109. *In ſermonibus alium quidem videmus, quamvis præpotens ſit, efficere, ut unus de multis eſſe videatur. Quod in Catullo, & in patre, & in filio, itemque in Mutio vidimus.*

EXERCITATIO.

Chriſtus Infans Orator diſertiſſimus.

Per ſupra laudatas Figuras.

SYNOPSIS.

Exord. MOrtales invitabit ad audiendum cœleſtem Oratorem à Deo miſſum in terras ad homines erudiendos: quod tractabit per Congeriem & Synonimiam ſive Interpretationem.

2. Dicet Chriſtum Infantem, quanquam ſilere videatur, loqui tamen diſertiſſimè; neque ipſum tantùm, ſed & quæ circum adjacent omnia, ſtabulum, fœnum, pannos, &c. quod illuſtrabit Adjunctione.

3. Addet diſertiùs loqui ipſum è ſtabulo, quàm olim è monte locuturus eſt, qui exemplo ſuo erudiat homines ad rerum terrenarum contemptum: idque tractabit per Disjunctionem. Jam beatos pauperes clamat, jam, &c.

4. Rationem afferet per Adjunctionem. Nam quis commendanti paupertatem non credat, quem viderit, &c. Quis repudianti honores fidem deroget, &c.

Concludet per Diſtributionem. Quis ergo jam divitias ambiat; quis honores ſectetur, quis, &c.

ORA-

ORATIO.

Synonimia. Adeſte, mortales, quotquot eſtis, venite, properate frequentes: ecce promiſſus vobis tot ab hinc ſeculis, deſideratus ab innumeris gentibus, orbi univerſo tandiu expectatus è pulcherrimo Cœli domicilio delabitur cœleſtis Orator, qui obſitas veteris ignorantiæ tenebras depellat, mentes erudiat, & deprompcam ex ipſo Dei omnipotentis ſactario doctrinam impertiat. Accedite igitur propiùs, ſuccedite in ipſa loci illius penetralia, quæ ſibi ad perorandum elegit; & cavete ſedulò, ne quid eorum vobis excidat, quæ ab ipſius ore divino promanabunt.

Quanquam ludimur! nam quæ nova ſe oculis noſtris ſpecies objicit? Quærimus Oratorem, ecce reclinatum in præſepio, pannis involutum, conſtrictum faſciis, unius denique diei Infantem offendimus. Quin &, quem venimus auditum, is ſilet, aut nihil emittit præter vagitus miſerabiles, certiſſima paupertatis, anguſtiæ, dolorum ac miſeriarum, quas patitur, argumenta.

Adjunctio. Tamen ne vos inanis ſpecies decipiat; vel in Infante, vel in ſilente Oratorem agnoſcite diſertiſſimum. Neque verò loquitur ipſe tantùm, ſed & quæcumque hîc adjacent, omnia loquuntur. Stabulum, præſepe, panni, vagitus, lacrymæ, minuta corpuſculi membra, ipſum denique, quod miramur, ſilentium diſertiſſimè loquitur.

Disjunctio. Imò, imò excipite diligenter auribus cœleſtis illius, quam tradit, doctrinæ oracula; jam enim exemplo ſuo meliùs, quàm oratione beatos pauperes clamat, beatos, qui lugent, prædicat, beatos, qui patiuntur ultrò vitæ hujus ærumnas ac calamitates, profitetur. Nunc hodie primùm divitias improbat & ambitionem arguit, & molles delicatioris vitæ delicias execratur. Nunc è ſtabulo meliùs, quàm olim è monte facturus eſt, reconditioris ſapientiæ fundamenta orditur & jacit. Polyſyntheton.

Adjunctio. Nam quis, amabo commendanti paupertatem non credat, quem ad extremas egeſtatis anguſtias redactum & rebus ſpoliatum omnibus noverit; cui procul à cognatis, notis, amicis poſito, nullum comitatum, nullum auxilium, nihil eorum, quæ miſerrimis quibuſque nunquam deſunt, videat ſuppetere? quem ſine tecto, ſine lare, ſine foco, nihilo ſanè commodiùs quàm foris, in aperto ac propatulo loco natum & educatum ſciat. Quis repudianti honores ac dignitates fidem deroget, dum ipſe ſciens volenſque viliſſima quæque, ſpreto conculcatoque mundano faſtu, amplectitur? Dum patrem opificem, matrem peræque in vulgus ignotam, tenuiſſimis utrumque fortunis eligit? dum emendicato oſtiatim diverſorio ſpretus inſigniter, & per ſummam contumeliam excluſus undique, ad deſertas inhabitabileſque attegias, ad merum ceſpitem, meram maceriam, ad brutarum animantium vitam, ſocietatem ac veluti contubernium ſe demittit? Quis diffluentem deliciis voluptuoſamque vitam increpanti contradicere audeat, quem graviſſimos acerbitatum caſus intelligat ſubiiſſe, & innumeris, quibus hæc vita conflictatur, ærumnis obnoxium ac ſubditum eſſe fateatur?

Diſtributio. Erit ergo deinceps qui divitias tantopere conquirendas putet, dum Chriſtus exemplo ſuo paupertatem commendat? Erit qui honores ac dignitates ſectetur, dum Chriſtus abjecta ſeculi pompa obſcuræ

vitæ

vitæ opprobrium amandum eſſe reclamat? Erit qui mollioribus vitæ illecebris ſtudeat impenſiùs; dum Chriſtus inter acerbiſſimos dolorum aculeos natus conſectandas, aut ſaltem ferendas moleſtiarum acerbitates eſſe demonſtrat?

ALIA EXERCITATIO.

Servandam eſſe etiam in appetenda gloria moderationem.

Per eaſdem Figuras.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet tam exitioſam eſſe nimiam gloriæ cupiditatem, quàm eſſe ſolet fluvius, qui præſcriptos ſibi fines excedit.

2. Diſcurrendo per multa vitia oſtendet nullum eſſe, quod tam gravem Reipublicæ ruinam afferat, quam nimia gloriæ libido; idque tractabit per Adjunctionem.

3. Demonſtrabit nullam eſſe ætatem, nullum ordinem, quem non corrumpat, idque per Disjunctionem.

4. Per Diſtributionem contendet nihil eſſe tam ſanctum, quod non illa violet, nullum eſſe vitium ad quod non impellat.

Concludet per Adjunctionem providendum omni Reipublicæ, ut in ſuis immoderatum gloriæ deſiderium reprimat.

ORATIO.

Quemadmodum Fluvius leni ac temperato agmine profluens agris fertilitatem, urbibus merces peregrinas, populis ac regionibus ubertatem invehit; idem ſi exundans & impatiens ſuis ripis teneri erumpit, ſata læta evertit, campis vaſtitatem, perniciem ipſis urbibus importat: ita gloriæ cupiditas quamdiu tenebit modum, & præſcriptos intra limites ſe continebit, lucro erit ac laudi; ſin verò ultra fines illos proſilierit, quos illi ratio virtuſque poſuerint, incredibile dictu eſt, quas afferat calamitates, quantam perniciem publicis privatiſque rebus importet.

Cedo mihi enimverò aliam tam metuendam Reipublicæ perniciem, quam cupido gloriæ eſſe ſolet, ubi ſemel juſtos moderatæ virtutis fines prætergreſſa eſt. Non alieni ſemper appetens avaritia, non ignavia civium, non effrenata voluptatum libido, non iræ, non ſimultates, non ipſæ, quæ alios in alios acuunt, civiles diſcordiæ, tam gravem, tam apertam, tam fatalem Reipublicæ ruinam moliuntur. Adjunctio.

Nam cui demum parcit, cui non imperat, cui non dominatur impotens gloriæ libido? Adoleſcentes urit, viros inflammat, ſenes etiam accendit, nobiles acuit, plebejos extimulat, barbaris etiam & incultis gentibus faces ſubjicit, & graviſſima importat incendia. Disjunctio.

Sed quid iſta commemoro? Nihil eſt tam altis defixum radicibus, quod non evellat: nihil tam firmum, tam defenſum, quod non perfringat; Nihil tam indomitum quod non ſubjiciat; nihil tam ſanctè inſtitutum, quod non reſcindat; nihil denique tam ſacrum, quod non polluat. Diſtributio.

Hoc igitur præcavere ſedulò debet omnis benè morata Reſpublica, ut ſi dociles, modeſtos, obſequentes, pacis ac tranquillitatis ſtudioſos cives habere voluerit, eam in ipſis cupiditatem temperet, quæ audaciæ, temeritati, iræ, vindictæ, rebellioni, impietati, innumeris denique vitiis [illegible]i vexillum ſolet præferre. Adjunctio.

CA-

CAPUT III.

De Figuris Sententiarum.

QUid ſunt Figuræ Sententiarum?

R. Sunt Orationis ornamenta, quæ non in verbis, ſed in ipſis ſententiis collocatam habent ſuam dignitatem.

Quæ ſunt Figuræ Sententiarum?

R. Præcipuæ ſunt illæ.

Interrogatio, Reſponſio, Subjectio, Prolepſis, Correctio, Dubitatio, Communicatio, Proſopopeja, Apoſtrophe, Hypotipoſis, Apoſiopeſis, Ethopeja, Emphaſis, Suſtentatio, Prætermiſſio, Licentia, Conceſſio, Parentheſis, Diſtributio, Permiſſio, Antitheſis, Deprecatio, Optatio, Execratio, Epiphonema, Exclamatio.

Agemus de ſingulis ſuo ordine; atque ut uberior rerum ſeges Exercitationibus contingat, plures Figuras Articuli ſinguli complectentur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Interrogatione, Reſponſione & Subjectione.

Quid eſt Interrogatio?

R. Eſt Figura, qua Orator vel adverſarium vel alium quemlibet, vel ſemetipſum interrogat ob aliam, quàm ſimplicem ſciſcitandi cauſam. Hujus porro Figuræ tot ſunt apud Ciceronem exempla, ut in ſingulis pœnè paginis occurrant.

Catilin. 1. n. 1. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſe ſe effranata jactabit audacia? Nihil te nocturnum præſidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil munitiſſimus habendi Senatus locus, nihil horum ora vultuſque moverunt? Patere conſilia tua non ſentis? Conſtrictam jam horum omnium conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid ſuperiori nocte egeris, ubi fueris, quos convocaris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?*

Et pro Plancio n. 48. *Eſt-ne hæc vera contentio? Placet-ne ſic agi? Non poſſum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propiùs accedere. Quid taces? quid diſſimulas? quid tergiverſaris? Etiam atque etiam inſto atque urgeo, inſector, poſco atque adeo flagito crimen; quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu oſtendito, ſi poteris, vitium.*

Verrina 7. n. 15. 146. Pro Cœlio n. 71. Ver. 1. n. 21. Ver. 5. n. 160. Pro Flacco n. 79. Pro Cluent. n. 62. Pro Sextio n. 78.

Quis eſt Interrogationis uſus?

R. Frequentiſſimus eſt in omni genere cauſarum; in Exordio, Narratione, Confirmatione, & Peroratione. Valet autem præcipuè in laudando & vituperando, in votis ac deſideriis. Uſurpatur autem maximè cùm urgendus eſt adverſarius vehementiùs.

Quid eſt Reſponſio?

R. Eſt Figura, qua unum interroganti, aliud, quod utilius eſt, reſpondetur. Cicero pro Roſc. Amer. n. 143. *Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re voluntatem tuam à me lædi putas? Ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? Si ſpoliorum cauſa vis hominem occidere? ſpoliaſti. Quid quæris amplius? ſi inimicitiarum, quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus antea prædia poſſediſti, quàm ipſum cognoſti?*

ſti? ſin, metuis? ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſe ſe tam atrocem injuriam propulſare non poſſe? &c.

Et pro Muræna n. 73. *Quid enim, num Senatus obviam prodire crimen putat? non, ſed mercede convince. Num ſectari multos? non, ſed conductos, doce. Num locum ad ſpectandum dare, aut ad prandium invitare? minimè, ſed vulgo, paſſim: quid eſt vulgo? univerſos.* Item pro Flacco n. 4.

Quid eſt Subjectio?

R. Eſt Figura, qua Orator, vel interrogat ſeipſum, & reſpondet ſibi, vel cùm alium interrogavit, non expectat ejus reſponſum, ſed aliud addit de ſuo. Ita Cicero, *An domus tibi deerat? at habebas. An pecunia? at abundabas. An arma? at non ita pridem ad te miſſa fuerant.*

Et pro Lege Manilia n. 61. *Quid tam novum, quàm adoleſcentulum privatum exercitum difficili Reipublicæ tempore conficere? confecit. Huic præeſſe? præfuit, rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti cujus à Senatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? Fuit in his Provinciis ſingulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.*

Habes alia hujus Figuræ exempla pro Quinctio n. 43. 44. 79. Pro Roſc. Amer. n. 54. 74. 2. in Rul. n. 45. Ver. 4. num. 192.

Quis eſt uſus hujus Figuræ?

R. Uſurpatur illa maximè in Amplificatione cùm ad laudem, tum ad vituperium; ſeu cùm urgetur adverſarius, aut ſuadetur aliquid vel diſſuadetur. Egregium hujuſce rei exemplum offert Oratio pro Muræna n. 88. Ubi Cicero diſſuadet Judicibus exilium Murænæ. *Si, quod Jupiter omen avertat, hunc veſtris ſententiis afflixeritis, quò ſe miſer vertet? domum ne, ut eam imaginem clariſſimi viri parentis ſui, quam paucis ante diebus Laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia lugentemque videat? An ad matrem, quæ miſera modò Conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſollicita eſt, ne eundem paulò poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat? Sed quid ego matrem aut domum appello, quem nova pœna legis & domo & parente & omnium ſuorum conſuetudine conſpectuque privat? Ibit igitur in exſilium miſer? quò? ad Orientis ne partes, in quibus multos annos legatus fuit, & exercitus duxit, & magnas res geſſit? At habet magnum dolorem, unde cum honore diſceſſeris, eodem cum ignominia reverti, &c.*

EXERCITATIO.

Veturia Coriolani Mater ad Filium Romæ excidium meditantem.

Per Interrogationem, Reſponſionem, Subjectionem.

SYNOPSIS.

Exord. QUeretur Veturia repulſas Senatus preces, peretque per Interrogationem, num deprecantem matrem paret rejicere?

2. Per aliam Interrogationem, quæret ab eo quid velit? quid meditetur?

3. Per Interrogationem cum ſubjectione junctam oſtendet conſilii ipſius iniquitatem, qui devotam ſibi urbem, pœnitentem facti, & paratam ad omnia velit perdere.

4. Per Interrogationem & Reſponſionem dicet, vis nocentes plectere? punies innocentes. Hoſtes perſequeris? perdes amicos, &c.

Denique minabitur, niſi ille iram ponat, futurum, ut excidium urbis à ſuorum ſtrage incipiat.

ORATIO.

Interrogatio. Certum igitur deliberatumque eſt, Coriolane; cupidum cædis & appetentem vindictæ animum explere? Hodiernus dies nobis ultimus illuxit? Nihil Senatus preces, nihil vota populi, nihil totius civitatis mœror ac comploratio animum inflectunt? Tuos ne etiam durus abjicies ac reſpues? Tu parentis afflictæ gemitus, tu conjugis piæ lacrymas, tu miſeræ ſobolis orbitatem aſpicies ſiccis oculis, & inexorabili mente etiam perferes?

Sed quid agis? quid moliris? quid cogitas? quis eſt ſenſus armorum tuorum? quid ſibi volunt diſtricti illi gladii? quid accenſæ faces meditantur? Me-ne, an ſponſam, an filios petunt? Adeone veteris injuriæ memor atque iræ impotens, nihil ut avidum ultionis animum placare valeat?

Subjectio. Atenim te civem, te benemeritum de patria, te innocentem ingrata civitas damnavit: ſed ipſam facti piget. Te expulit? ſed revocat. Te Magiſtratibus ſpoliavit? ſed ampliores reſtituit. Te probro, te contumelia, te dedecore, per ſummum nefas, notavit? at devota jam tibi tota & ad omne obſequii genus parata, quidquid eſt admiſſum flagitii, ultro volenſque expiabit.

Quanquam ſi cædes placet, ſi te pereuntis patriæ funera delectant, ſaltem ah! diſtingue ſontes ab inſontibus, hoſtes ab amicis, alienos à Interrogatio & ſubjectio. tuis. Nocentes vis perdere? perdes innocentes. Inſenſos tibi perſequeris? mactabis amicos. Civium ingratorum ſanguinem appetis? tuorum cruorem fundes. Neſcis ergò, Coriolane, neſcis, quia ſub iſtis mœnibus, quæ jam evertes, in his Laribus, quos jam incendes, intra illius urbis pœnetralia, quam excidio deſtinas, neſcis, inquam, quia filii chariſſimi, fidelis uxor, & tua quondam cura, infelix mater, tegitur?

Ne dubita; niſi pacem annuis; niſi te amor, fides, pietas furentem retinent; idem qui parriam tumulus, & nos obruet. Ibo, ibo; & infeſtos inter gladios occurram nudato pectore; liberos tibi objiciam tuos; primos portarum aditus uxor & mater defendent. Aut arma pones nobis rogantibus; aut, ſi vindicta magis placet, prima cademus tibi victima; nec niſi noſtro cruentum ſanguine in civium tuorum corpora ferrum exiges.

ALIA EXERCITATIO.

Andromache ad Ulyſſem, cùm is Aſtyanacta mactandum repeteret.

SYNOPSIS.

Exord. Ulyſſi gratulabitur quod ſupplicem & advolutam genibus Priami Nurum & Hectoris conjugem videat.

2. Sententiam corriget, petetque ab Ulyſſe veniam, cujus in miſericordia ſalutem Aſtyanactis ſui poſitam eſſe fatebitur.

3. Per varias interrogationes; quæret an non ſatis graves pœnas Trojani dederint incenſa Troja, Priamo atque Hectore interfectis? Cur ultra Græci veteres injurias vindicent? cur puerum innocentem perdere meditentur?

4. Oſtendet per Interrogationem & ſubjectionem, nihil eſſe metuendum à puero, inermi, captivo, qui nec hoſtes, nec amicos noverit.

5. Jubebit Ulyſſem ſecurum eſſe ab omni metu; unumque rogabit ut ſibi vitam in tenebris trahere ingloriam liceat.

ORA-

ORATIO.

Quod hactenus nec incenſa Troja, nec ereptis hujus Imperii defenſoribus, nec ipſo Hectore amantiſſimo conjuge interfecto Græci conſecuti ſunt, ut advolutam cujuſquam ad pedes Andromachen, aut ſupplices manus protendentem viderent, id hodie, felici, dicam, fato tuo, Ulyſſe, an tua potiùs ſagacitate perfeciſti.

Gratulare igitur tibi, Imperator ſapientiſſime. Illa tot Regum neptis Andromache, illa magni Priami nurus, & fortis conjux Hectoris tua amplexari genua non erubeſcit. Quid in longa obſidione illuſtrius, quid in victoria glorioſius, quid in præda magnificentius ſperare potuiſti?

Interrogatio & Reſponſio. Quanquam ubi ſum? aut quem alloquor? Supplex dominum, victorem captiva, vitæ neciſque arbitrum, victima crudelibus fatis mancipata! Pone ingentes animos, Andromache, &, quos dedit fortuna ſenſus, indue. Hi ſpiritus olim ſtante Troja decebant, lapſa non decent. Da veniam, Ulyſſe; ignoſce, ſi me priſtinæ ſortis recordatio vel afflictam ac jacentem exſtimulet. Ad te confugio, tibi me permitto totam; in tua bonitate atque clementia vitam ac ſalutem repono. Te, per iſtam animi tui lenitatem, per communes Deos, per ſpem ſurgentis Telemachi, oro atque obteſtor; noli perdere, quos potes tueri; ſerva mihi ſoſpitem Aſtyanacta, & innocentis illius victimæ miſereſce.

Nam quid ultra nos perſequeris? num ergo ſatis graves pœnas miſeri Troes luimus? *Interrogatio.* num abundè veteres injurias ulti Græci ſunt? Heu! quos ego dolores vel una non ſenſi? Patriam ferro flammiſque evertiſtis; Propinquos ac conſanguineos interfeciſtis; Hectorem meum crudelem in modum raptaſtis! quid innocentem puerum, unicum afflictæ matris ſolatium ad pœnas repetiſtis? An veſtras ille turmas profligavit? an veſtris ſubjecit ignes navibus? an Græcorum ſanguine manus cruentavit?

Interrogatio & Subjectio. Sed quid ego hæc? Fruſtra ſum! Timemur, Aſtianax; neque ſe Græci ſecuros aut victores putant, dum vixeris! Ita ne verò eſt, Ulyſſe? nihil fingis? nihil diſſimulas? Ah ne te iſta cura maceret; non ſic jacemus miſeri, ut facere cuiquam metum valeamus? Timetis, ne reſides incenſæ Trojæ cineres Aſtyanax exſuſcitet? at puer eſt: veremini, ne ſuos olim priſtinam in libertatem vindicet? at in vinculis, at captivus eſt. Pertimeſcitis, ne parentis & avi mortem ulciſcatur? At nec patrem, nec avum novit, aut vidit.

Egregium enimverò timoris argumentum. Victores Græci victos, armati inermes, Ulyſſes puerum, univerſus exercitus triſtes deſolatæ familiæ reliquias extimeſcunt. Eſto ſolutus ab illo metu, Ulyſſe; plus miſerandi, quàm timendi ſumus! I, repete patriam, & reportatæ victoriæ gloriam noſtri ſecurus refer. Hoc unum exorem ab humanitate tua, ut ingloriam perpetuis in tenebris vitam trahere filio matrique liceat! Sic tu faventibus Superis Ithacam ſoſpes & incolumis appellas! ſic tibi Telemachus longùm vivat, & avum patremque factis ingentibus æmuletur! ſic Laertem chariſſimum, ſic Penelopen tuam reviſas, & diu multùmque utriuſque amplexibus perfruare.

ARTICULUS II.

De Prolepſi, Correctione, Dubitatione, Communicatione.

Quid eſt Prolepſis ſive Anteoccupatio?

R. Eſt Figura, qua Orator occupat id, quod ab adverſario objici poſſet. Uſum habet frequentem in Exordiis. Divinat. in Ver. n. 1. *Si quis veſtrum, aut eorum qui adſunt fortè miratur, me, qui tot annos in cauſis, judiciiſque publicis ita verſatus ſim, ut defenderim multos, læſerim neminem; ſubitò mutata voluntate ad accuſandum deſcendiſſe; is, ſi mei conſilii cauſam rationemque cognoverit, unà & id quod facio probabit, & in hac cauſa profectò neminem præponendum eſſe mihi actorem putabit.*

Item pro Roſc. Amer. n. 1. Ver. 6. n. 2. Ver. 7. n. 2. Pro Rab. Poſth. n. 1. pro Sextio n. 3.

Quot modis fieri poteſt Prolepſis?

R. 1. Cùm fatemur verum id eſſe, quod ab adverſario objicitur; ut in Orat. pro Rab. Poſthumo n. 1. *Si quis eſt, Judices, qui C. Rabirium, quòd ſuæ fortunæ fundatas præſertim atque optimè conſtitutas opes poteſtati Regiæ libidinique commiſerit, reprehendendum putet, adſcribat ad judicium ſuum non modò meam, ſed hujus etiam ipſius, qui commiſit, ſententiam; neque enim cuiquam ejus conſilium vehementiùs, quàm ipſi diſplicet.*

2. Cùm aliquid ſibi objicit Orator, & refellit ſtatim, ut pro Archia n. 15. *Quæret quiſpiam, quid? Illi ſummi viri, quorum virtutes literis proditæ ſunt, iſta-ne doctrina, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt. Difficile eſt hoc de omnibus confirmare, ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe & ſine doctrina naturæ ipſius habitu prope divino, per ſeipſos & moderatos & graves extitiſſe fateor; atque illud adjungo; ſæpius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, cùm ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam confirmatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolere exiſtere.* Item Ver. 7. n. 2.

3. Cùm aliquid Orator præſumit quod ab adverſario objici poſſet, ut pro Cœlio num. 39. *Dicet aliquis, hæc eſt igitur tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſam tibi hunc puerum parens commendavit & tradidit; ut in amore & voluptatibus adoleſcentiam collocaret, & hanc tu vitam, atque hæc ſtudia tu defenderes? Ego, ſi quis, Judices, hoc animi robore atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, ut reſpueret omnes voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis atque animi contentione conficeret; quem non quies, non æqualium ſtudia, non ludi, non convivia delectarent; nihil in vita putaret expetendum, niſi quod eſſet cum laude & cum dignitate conjunctum, hunc mea ſententia divinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto.*

Talis eſt & locus ille pro Lege Manilia n. 22. *Requiretur fortaſſe, nunc, &c.*

4. Cùm Orator emendat aliquid priuſquam id dicat, ut in Orat. pro Sextio n. 4. *Itaque ſi aut acrius egero, aut liberius, quàm qui ante me dixerunt, peto à vobis, ut tantum Orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori & juſtæ iracundiæ concedendum putetis.*

Item

Item pro Quinctio n. 5.

5. Denique cùm dicit Orator aliquid, antequam id dicere videatur, ut 6. Ver. num. 2. *Magnum videor dicere; attendite etiam, quemadmodum dicam; non enim verbi neque criminis augendi cauſa complector omnia, cùm dico nihil iſtum ejuſmodi rerum in tota Provincia reliquiſſe.*

Hujus autem figuræ ſunt illæ apud Tullium formulæ. *Forſitan quæretis; Fortè dicet quis; Etiam dicere audebis; Ac etiam ſunt qui dicant; ſed quæ exaudio diſſimulare non poſſum; At ne quis à nobis; Reprehendo igitur? minimè verò; neque enim, &c.*

Quid eſt Correctio?

R. Eſt Figura, qua Orator dictam ſententiam, alia magis idonea corrigit. Hac utitur Tullius inprimis, ſi quem pungere acriùs velit. Ut pro Cœlio n. 32. *Quod quidem facerem vehementiùs, niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratrem volui dicere, ſemper hic erro; nunc agam modicè, nec longiùs progrediar, quàm me mea fides, & cauſa ipſa coget.*

Alia eſt Correctio verbi, alia ſententiæ; in priori dictum verbum Orator emendat, & aliud ſubjicit; in poſteriori ſententiam ipſam corrigit.

Verbum *Corrigit*, loco jam laudato, pro Cœlio, item n. 71. *O ſtultitiam! ſtultitiam ne dicam, an impudentiam ſingularem?*

Et pro Roſc. Am. n. 134. *In hac vita quos ſumptus quotidianos, quas effuſiones fieri putatis? quæ verò convivia? honeſta, credo, in hujuſmodi domo? ſi domus hæc habenda eſt potiùs, quàm officina nequitiæ & diverſorium flagitiorum omnium.*

Item pro Ligario n. 26. pro Sextio n. 110. 2. Philip. n. 10.

Hæc Figura multùm leporis habet cùm in Paronomaſia luditur, ut *cum iſte vir optimus, opimum volui dicere.*

Corrigit ſententiam Cicero pro Lig. num. 24. *Veniebatis igitur in Africam Provinciam, unam ex omnibus huic victoriæ maximè infeſtam, in qua erat Rex potentiſſimus, inimicus huic cauſæ, aliena voluntas, conventus firmi atque magni. Quæro quid facturi fuiſſetis? quanquam quid facturi fueritis non dubitem, cùm videam, quid feceritis.*

Item Phil. 2. num. 42. *Quanquam hoc maximè admiratus ſum mentionem te hereditatum auſum eſſe facere, cùm ipſe hereditatem patris non adiiſſes. Hæc ut colligeres, homo amentiſſime, tot dies in altera villa declamaſti. Quanquam, tu quidem, ut tui familiariſſimi dictitant, vini exhalandi, non ingenii acuendi cauſa declamitas.*

Item 1. Catilin. num. 22. & 24. pro Comœdo n. 18. Pro Domo ſua num. 121. Pro Plancio n. 49. 2. Offic. num. 76.

Hac porro Figura non utitur modò Tullius ad vituperandum, ſed etiam ad laudandum, ut 3. Philip. num. 3. *Caius Cæſar adoleſcens, penè potiùs puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum maximè cùm arderet furor Antonii, cùm ejus à Brunduſio crudelis ac peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis, quia fieri poſſe non videbatur, firmiſſimum exercitum invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimonium ſuum effudit. Quanquam non ſum uſus eo verbo quo decuit, non enim effudit, ſed in ſalute Reipublicæ collocavit.*

Item pro Dejot. n. 16. *At, credo,*

hoc homo inconſultus & temerarius non videbat; quis conſideratior illo? quis tectior? quis prudentior? Quanquàm hoc loco Dejotarum non tam ingenio & prudentia, quàm fide & religione vitæ defendendum puto.

Ex laudatis jam locis facile eſt intelligere, quænam formulæ huic tractandæ Figuræ deſerviant.

Quid eſt Dubitatio?

R. Eſt Figura, qua Orator fingit neſcire ſe, quid dicere debeat, aut quam in partem animum convertat. Dubitatio autem altera verborum, altera rerum dici poteſt. Verborum quidem, cùm de nomine Orator dubitat, ut pro Quinctio num. 56. *Si iſta cauſa abs te tota per ſummam fraudem & malitiam facta eſt: ſi vadimonium omnino tibi cum Quinctio nullum fuit; quo te nomine appellemus? Improbum? at, etiamſi vadimonium deſertum eſſet, tamen in iſta poſtulatione & proſcriptione bonorum improbiſſimus reperiebare. Num malitioſum? negas. Fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi & præclarum putas. Audacem? cupidum? perfidioſum? vulgaria & obſoleta ſunt, res autem nova & inaudita.*

Item & 6. Ver. n. 1.

Illuſtre eſt exemplum apud Livium Lib. 8. Decade 3. ubi Scipio ita loquitur. *Apud vos quemadmodum loquar, nec conſilium nec oratio ſuppeditat, quos, nec quo nomine appellare debeam, ſcio. Cives? qui à patria veſtra deſciviſtis. An milites? qui imperium auſpiciumque abnuiſtis. Sacratos? Religionem rupiſtis. Hoſtes? corpora, ora, veſtitum, habitum civium agnoſco; facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.*

Dubitatio verò rerum ea eſt, cùm ex pluribus rebus Orator quærit, quid agere debeat. 6. Ver. n. 88. *Unum hoc crimen videtur eſſe, & à me pro uno ponitur de Mercurio Tyndaritano. Plura ſunt; ſed, ex quo pacto diſtinguere aut ſeparare poſſim, neſcio. Eſt pecuniarum captarum, quod Signum à ſociis pecunia magna ſuſtulit. Eſt peculatus, quòd publicè Populi Rom. Signum, de præda hoſtium captum, poſitum Imperatoris noſtri nomine non dubitavit auferre. Eſt majeſtatis, quòd Imperii noſtri gloria rerumque geſtarum monumenta evertere atque adſportare auſus eſt. Eſt ſceleris, quòd religiones maximas violavit. Eſt crudelitatis, quòd in hominem innocentem, in ſocium noſtrum atque amicum novum ac ſingulare ſupplicii genus excogitavit. Illud verò quid ſit, jam nequeo dicere; quo nomine appellem, neſcio, &c.* Totus ille locus egregius eſt.

Item pro Roſc. Amer. n. 29. *Hoc conſilio atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi, cùm cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt. Quid primum querar? aut unde potiſſimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorum-ne immortalium? Populi-ne Rom. veſtram-ne, qui ſummam poteſtatem habetis hoc tempore, fidem implorem?*

Habes alia ejuſdem Figuræ exempla 2. Ver. n. 32. 7. Ver. n. 2. 11. Phil. n. 19. Pro Cluentio n. 4.

Quis eſt uſus illius Figuræ?

R. Multiplex. Valet in Orationibus Panegyricis, quando ea rerum geſtarum ubertas occurrit, aut virtutum alicujus & ornamentorum magnitudo, ut Orator fingat neſcire ſe, unde potiſſimum debeat ordiri, & quid primum dicere. In genere judiciali, cùm indignitas alicujus facinoris eſt exponenda, aut vitia alicujus redarguenda. In genere deliberativo, quando rei gerendæ tot occurrunt

ra-

rationes, ut, quam primo loco ponat, fateatur Orator ſe neſcire.

Quid eſt Communicatio?

R. Eſt Figura, qua Orator vel adverſarios, vel auditores, vel Judices ita conſulit, ac compellat, ut eos rei judices quaſi conſtituere velle videatur, adeò bonitati cauſæ ſuæ confidit.

Cicero pro Rab. Perd. n. 22. *Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore; cùm ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras compelleret; improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arceſſeret; Conſules ad patriæ ſalutem ac libertatem vocarent? Quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus ſectam ſequi, cujus potiſſimùm imperio parere velles?*

Pro Muræna n. 9. *Quòd ſi licet deſinere, ſi te auctore poſſum, ſi nulla inertiæ, nulla ſuperbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa ſuſcipitur: ego verò libenter deſino; ſin autem fuga laboris deſidiam, repudiatio ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit. Nimirùm hæc cauſa eſt hujuſmodi, quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit. Atque hujuſce rei conjecturam de tuo ipſius ſtudio, Servi, facilè ceperis. Nam ſi tibi neceſſe putas, etiam adverſariis amicorum tuorum de jure conſulentibus reſpondere; & ſi turpe exiſtimas, te advocato, illum ipſum, quem contra veneris, cauſa cadere; noli eſſe tam injuſtus, ut, cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere.*

Habes alia hujus Figuræ exempla 1. Ver. n. 37. 7. Ver. n. 165. Pro Cæcin. n. 32. 35. Pro Quinctio n. 54. Pro Roſc. Am. 104. Pro Sextio n. 43. 81. 3. Agraria n. 20. Pro Domo ſua n. 130. Pro Plancio n. 7. Philip. 2. n. 34.

Sunt autem hujus Figuræ vulgares apud Tullium formulæ. *Nunc ego vos conſulo, quid mihi faciendum putetis, &c. Quæro, ſi te hodie domum tuam redeuntem coacti homines & armati, non modo limine tectoque adium tuarum, ſed primo aditu veſtibuloque prohiberent, quid acturus ſis, &c. Vide, Antoni, quid tibi futurum ſit, &c.*

EXERCITATIO.

Nobilis Carthaginienſis ad Annibalem Capuæ otiantem, ut Romæ obſidionem aggrediatur.

Per laudatas ſupra Figuras.

SYNOPSIS.

Exord. Fiet per Prolepſim. Præveniet Annibalis animum, quod tanto Imperatori dare conſilium præſumat.

Propoſitio. Per Dubitationem ſcrutando cauſas, propter quas Capuæ remoretur; an extinctum ſit ipſius in Romanos odium? an pœniteat ipſum partæ jam gloriæ? an timeat Romam aggredi?

Confirmatio. Petetur à facilitate expugnandæ urbis & per Correctionem, quid facilem dico, &c. oſtenderque quàm obvia ſit expugnatio Romæ, ab acciſis Romanorum viribus, à cladibus jam acceptis, à metu quo perculſa Roma eſt.

Id ipſum tractabit per Communicationem.... Quid facturos Romanos putares, ſi Carthaginienſes tot cladibus affeciſſent; ſi viciſſent ad Trebiam, ad Traſimenum, ad Cannas? an otiarentur deſides? an oblatam novæ victoriæ occaſionem aſpernarentur?

Concluſio. Vide ergo, ne, ſi ceſſaveris diutiùs, invaleſcant illi, & veteres ruinas reparent.

ORATIO.

Etſi bellicis in rebus per temet ipſe ſatis acutum vides, neque noſtrum eſt ſapientiſſimi Ducis conſilia curioſiùs perſcrutari; tamen ubi gloria tua, ubi patriæ ſalus vocatur Prolepſis.

in diſcrimen, ignoſces, reor, ſi longioris moræ, quam facis in hac urbe, periculum auſim demonſtrare.

Nam quid ſentiam, Imperator fortiſſime, vel quid loquar, cùm otiantes Capuæ ſextus jam menſis nos videat? An extinctum putem tuum illud in Romanos odium, quod niſi cum ipſa vita extinguendum Divum in præſentia tam ſolemniter promiſiſti; Ten' partæ jam gloriæ pœniteat, aut novam illuſtrioris triumphi ſegetem aſperneris? Num affectam per te tot cladibus Romam rurſum laceſſere, & tam facili redimendam victoria metuas occupare? *Dubitatio.*

Quanquam quid victoriæ mentionem hìc facio, ubi certamen eſſe non poſſit? Ecce, ſi volueris, Roma jam tua eſt, non ſanguinis pretio, non armorum vi, non militum robore pervincenda. Accede tu tantum; ſiſte te præſentem mœnibus; Annibalem videat ſuperba illa civitas, & victorem ultro triumphantemque excipiet. Nempe fatalem pugnæ infelicis exitum expectet? Acciſis viribus, defenſoribus ſpoliata, gravi perculſa metu victoris exercitus impetum ſuſtineat? ſuis faces admoveri mœnibus, cives ad internecionem cædi, Penates ac Deos objici ludibrio patiatur? Novi Romæ ingenium, Dux fortiſſime, in iis rerum ſuarum anguſtiis aleæ tam metuendæ diſcrimen ultimum nolit experiri. Quid ceſſamus ergo? quæ nos retinet vecordia ſic oblitos gloriæ, & faventis ultro fati contemptores? O ſi tam aſpirantem ſibi fortunam Romani experirentur, quanto illi utiliùs fortem lætiſſimam lucro apponerent! *Correctio.*

Hoc ipſum per te velim æſtimes, Dux ſapientiſſime. Fac eo Romanos eſſe, quo ſunt Carthaginienſes loco. Si rebus illi abundarent omnibus; ſi copiarum freti numero ac robore rem haberent cum hoſte fracto viribus & exhauſto; ſi victoriæ ſpem certam præſumerent; putas otiarentur illi ſegniter, & parandæ gloriæ occaſionem tam commodam prætermitterent? Unum te, inquam, arbitrum ac judicem volo. Liceat mihi etiam paulo liberiùs à te percunctari; ſi te Romani viciſſent ad Ticinum, ſi profligaſſent ad Trebiam, ſi ad Traſimenum lacum expugnaſſent, ſi cecidiſſent ad Cannas, an ſtetiſſent illi tam proſpero victoriarum in curſu? an triumphantem exercitum luxu & inertia corrumpi depravarique ſinerent? an relinquerent hoſtibus moram reparandi jacturas quas feciſſent? an non potiùs urgerent victos acriter? trepidantibus & inſolito metu perculſis inſtarent? triſtes deſolati exercitus reliquias perſequerentur, donec rerum potiti omnium plenam cumulatamque victoriam retuliſſent? *Communicatio.*

Tuum eſt pro tua prudentia, Imperator ſagaciſſime, cavere ſedulò, ut quod feciſſent illi opinione tua, id ipſum hodie tibimet ipſe faciendum putes. Eamus ergo, invadamus hoſtes, dum noſtris in manibus eſt victoria: petamus Romam, dum obſiſtere nobis illa non poteſt; non permittamus ipſi ulteriorem ad reſpirandum moram; ne, ſi colligendi ſe ſe & redintegrandi copias ſpatium habuerit, invaleſcat illa denuò, & otiantibus nobis parem aliquando acceptæ contumeliæ labem importet.

ALIA

ALIA EXERCITATIO.

Per eaſdem Figuras.

Poſthumii Junioris Oratio, cùm Volſcorum victor damnatus fuiſſet ad mortem, quòd Dictatoris ejuſdemque Patris injuſſu depugnaſſet.

SYNOPSIS.

Exord. Fiet per Prolepſim, dicetque non veniſſe ſe, ut de nimia Dictatoris ac Patris ſeveritate quereretur.

Deinde per Dubitationem fatebitur incertum ſe fuiſſe diu multumque quid ageret; an accederet ad dicendam cauſam, an indicta cauſa pergeret ad ſupplicium.

Propoſitio. Dicet pauca ſe dicturum, non ut latam mortis ſententiam declinet, ſed ut omnem amoveat detrectati Imperii ſuſpicionem.

Confirmatio. Per Communicationem cum univerſis exercitus Ducibus, à quibus petet, quid feciſſent in iis rerum adjunctis, cùm hoſtis laceſſeret, cùm partem exercitus Romani fundere meditaretur: cum ipſo Patre, rogando quid facere filium juſſiſſet, aut quid feciſſet ipſe in eas adductus anguſtias?

Concludet per Correctionem, petendo veniam à Patre, quaſi appellare velle ab ipſius ſententia viſus eſſet; &c.

ORATIO.

Quanquam victori duriſſimum eſt nullum ferre aliud victoriæ præmium, præter ignominioſam pudendæ mortis ſententiam; in eaque ſubeunda ſeveriſſimum in amantiſſimo patre Judicem experiri; non veni tamen, fortiſſimi Commilitones, vel ut nimiam Dictatoris ac patris inclementiam arguerem, vel ut indignis Poſthumio lacrymis ac precibus capitis periculum deprecarer. *Prolepſis.*

Quin & illud profiteri poſſum coram viris fortiſſimis, dubitaſſe me diu multumque, quid in his rerum anguſtiis præſtandum expediret: an capitis cauſam dicturus ampliſſimum hunc conſeſſum ingrederer, an indicta cauſa ad deſtinatum ſupplicio locum properarem. *Dubitatio.*

Quamobrem pauca pro me ſic loquar, ut commiſſæ modò pugnæ offenſionem quamlibet, & detrectati Imperii ſuſpicionem amoveam, non ut latam in me mortis ſententiam videar declinare. Felix vel hac ſorte fortunatuſque nimiùm, ſi, dum interibit corpus, fama nominis mei integra & incolumis vivat!

Qua in re veſtrum judicium, veſtra exiſtimatio ſit, ſapientiſſimi, quotquot hìc adeſtis, exercitus Romani Ductores. Veſtram in hac cauſa fidem appello; quid agendum vobiſmetipſis putaſſetis, ſi eadem vobis, quæ mihi, tempora, eadem rei ſtrenuè ac feliciter gerendæ occaſio incidiſſet? Fingite vos in iis poſitos fuiſſe præſidiis, quæ Volſcus inferior numero ac virtute provocaret ad pugnam, laceſſeret impunè, & emiſſis etiam telis procaciter inſultaret: dum Romanus miles probri impatiens fremeret; dum coerceri ſe per ſummum nefas, & ſibi victoriam eripi de manibus quereretur; dum Imperatorem ipſum timoris atque ignaviæ tantumnum argueret. *Communicatio.*

Tuque, ò Dictator prudentiſſime, idemque mihi colende imprimis parens, nam, liceat provocare ad teipſum; quod tu filio in hujuſmodi rerum adjunctis conſilium dediſſes? quid feciſſes ipſe? an haberi ludibrio Romanos Equites permiſiſſes? an irruentium Volſcorum agminibus turpiter ceſſiſſes? an partem Romani exercitus nobiliſſimam everti funditùs, mactari tuis in oculis ac trucidari paſſus eſſes? an non potiùs vim viacriter repuliſſes? nobiliſſimo militum noſtrorum ardori colligendæ glo-

gloriæ viam aperuiſſes? tui ipſius illuſtrandi nominis occaſionem arripuiſſes?

Correctio. Quanquam quid loquor? Ignoſce, Pater amantiſſime, ſi fortè videri poſſim oblitus, quid Dictatori, quid tibi patri debeam; ſi amovendi ſuſpicionem violati Imperii plus æquo cupidus patratum à me contra leges tuas facinus aggreſſus ſum multitudini approbare. Non me ſpecies mortis ulla terreat; de me quidquid ſtatueris, ultro lubenſque perpetiar, paratus eadem conſtantia mortem excipere, qua eandem medios per hoſtes toties laceſſivi? Quid moror? huc ades, lictor, manus colliga, caput infelix obnube, &, quam Dictator & Pater imperat, mortem irroga.

Articulus III.

De Apoſtrophe & Proſopopeja.

Quid eſt Apoſtrophe?

R. Eſt Figura, qua Orator convertit Orationem vel ad Deum vel ad Judices, vel ad adverſarios, vel etiam res inanimatas.

Orationem convertit ad Deum Tullius 1. Cat. n. 33. *Tum tu, Jupiter, qui iiſdem, quibus hæc urbs, auſpiciis à Romulo es conſtitutus, quem Statorem hujus urbis atque Imperii verè nominamus: hunc & hujus ſocios à tuis aris cæteriſque templis, ac tectis urbis ac mœnibus, à vita fortuniſque civium omnium arcebis, & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum inter ſeſe ac nefaria ſocietate conjunctos æternis ſuppliciis vivos mortuoſque mactabis.*

Orat. pro Domo ſua num. 104. *O Dii immortales, vos enim hæc audire cupio; Pub. Clodius veſtra ſacra curat? veſtrum Numen horret? res omnes humanas religione veſtra contineri putat? hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adſunt, ſummorum virorum? non veſtra, Pontifices, gravitate abutitur? ex iſto ore religionis verbum excidere aut elabi poteſt?*

Item pro Cœlio n. 59. 2. Phil. n. 32. 32.

Ad Judices convertit Orationem 7. Ver. num. 122. *Per Deos Immortales, Judices, quo tandem animo ſedetis? aut hæc quemadmodum auditis? Utrum ego deſipio, & plus quàm ſatis opus eſt, doleo in tanta calamitate miſeriaque ſociorum? an vos quoque hic acerbiſſimus innocentium cruciatus & mæror pari ſenſu doloris afficit?*

Pro Muræna num. 82. *Quis locus eſt, Judices, quod tempus, qui dies, quæ nox, cùm ego non ex iſtorum inſidiis ac mucronibus, non ſolùm meo, ſed multo etiam magis divino conſilio eripiar atque evolem, &c.*

Habes alia exempla 3. Ver. num. 81. Pro Ligario num. 6. Pro Archia num. 19. Pro Muræna num. 78. 3. Phil. num. 22.

Ad adverſarios Orationem convertit. Pro Ligario num. 9. *Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

In Piſonem num. 1. *Jam-ne vides, bellua, jam-ne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ? Nemo queritur Syrum neſcio quem de grege novitiorum factum eſſe Conſulem; non enim nos color iſte ſervilis, non piloſa gena, non dentes putridi deceperunt. Oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidem tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus eras ignotus, dece-*

decepit, feſellit, in errorem induxit. Pauci iſta lutulenta vitia tua noveramus; pauci tarditatem ingenii, ſtuporem, debilitatemque linguæ; nunquam erat audita vox in foro; nunquam periculum factum conſilii; nullum non modò illuſtre, ſed ne notum quidem factum aut militiæ aut domi; obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil præter colorem.

Item 1. Ver. n. 35. 3. Ver. n. 77. 78. 6. Ver. num. 18. 79. 82. Pro Quintio n. 4. 1. Cat. n. 1. 2. Phil. n. 33. 34. 14. Philip. n. 21. Pro Roſc. Am. num. 144.

Ad res inanimatas convertit Orationem pro Balbo n. 13. *O nationes, urbes, populi, Reges, Tetrarchæ, teſtes Cn. Pompeji non ſolùm virtutis in bello, ſed etiam religionis in pace: vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultimarum; vos maria, portus, inſulæ litoraque! Quæ eſt enim ora, quæ ſedes, quis locus, in quo non exſtent hujus cùm fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia?*

7. Ver. n. 170. *Si hæc non ad Cives Romanos, non ad aliquos amicos noſtræ Civitatis, non ad eos qui Populi Rom. nomen audiſſent, denique ſi non ad homines, ſed ad beſtias, aut etiam, ut longiùs progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine, ad ſaxa & ſcopulos hæc conqueri & deplorare vellem; tamen omnia muta atque inanima, tanta & tam indigna rerum atrocitate commoverentur.*

Similiter & 2. Philip. n. 32. & 33. Dicit nullos eſſe tam agreſtes homines, nulla tam deſerta loca, quæ Brutum & Caſſium non affarentur, & parratum ab ipſis glorioſum facinus non gratularentur. Item pro Milone n. 85.

Valet autem hæc Figura, ut ex laudatis exemplis colligitur, ad increpandos acriùs adverſarios, etiam ad delectationem & commiſerationem commovendam.

Quid eſt Proſopopeja?

R. Eſt fictio perſonæ cujuslibet loquentis, qua rebus etiam mutis ac ſenſus expertibus ſermo accommodatur, aut vita functi tanquam præſentes ſpirantesque loquentes inducuntur.

Pro Muræna n. 38. Fingit Tullius & inducit loquentes milites, qui ſub Muræna meruerant. *In Conſule declarando multum apud univerſum Populum Romanum auctoritatis habet ſuffragatio militaris. Imperatores enim Comitiis Conſularibus, non verborum Interpretes deliguntur. Quare gravis eſt illa Oratio: me ſaucium recreavit, me præda donavit, hoc duce caſtra cepimus, ſigna contulimus; nunquam iſte plus laboris militi impoſuit, quàm ſibi ſumpſit: ipſe cùm fortis, tum etiam felix.*

Similis pœnè locus ibid. num. 45. ubi colloquentem populum inducit de vario Candidatorum habitu. *Vides tu illum triſtem, &c.*

Item & pro Plancio num. 12. in Piſonem n. 59. Pro Quinctio n. 55. Pro Roſcio Amer. n. 32. & 145.

Mortuos ab Inferis excitat & loquentes exhibet pro Cœlio n. 33. *Aliquis mihi excitandus eſt ab Inferis ex barbatis illis, non ex illa barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis & imaginibus videmus: qui objurget mulierem; & pro me loquatur, ne iſta mihi fortè ſuccenſeat. Exiſtat igitur ex illa familia aliquis, ac potiſſimùm cæcus ille (minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit) qui profectò ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur. Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine*

ado-

adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris illi fuiſti, ut aurum commodares; aut tam inimica, ut venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum, non avum, non proavum, non atavum audieras Conſules fuiſſe? &c. Locus egregius totus & perlegendus.

Et num. 36. *Sin autem urbaniùs me agere mavis, ſic agam tecum. Removebo illum ſenem durum ac pœnè agreſtem, ex iiſque tuis ſumam aliquem ac potiſſimum minimum fratrem tuum, qui eſt in iſto genere urbaniſſimus, qui te amat plurimùm, qui propter neſcio quam, credo, timiditatem, & nocturnos quoſdam inaneſque metus tecum ſemper puſio cum majore ſorore cubitavit. Eum putato tecum loqui. Quid tumultuaris ſoror? quid inſanis? quid clamore exorſa rem parvam magnam facis? vicinum adoleſcentulum aſpexiſti, candor hujus te & proceritas, vultus oculique pepulerunt, &c.* Hæc Proſopopeja continuatur uſque ad num. 38.

Habes alia hujus Proſopopejæ exempla 3. V. num. 94. 7. Ver. 135. & 187. Pro Milone n. 72. & 77. Pro Balbo 44.

Denique rebus etiam inanimatis ſua vox tribuitur, ut Ver. 4. n. 19. *Sicilia tota, ſi una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris fuit, quod in unaquaque re beneficio Senatus, populique Romani juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuiſti atque abſtuliſti. Quo nomine abs te ſeſtertium millies ex lege repeto.*

Et 1. Catil. n. 18. *Nunc te patria odit, quæ communis omnium noſtrum parens eſt ..... quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodò tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus extitit niſi per te; nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque ſociorum impunita fuit ac libera. Tu non ſolùm ad negligendas leges ac quæſtiones, verùm etiam ad evertendas perfringendaſque valuiſti. Superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli. Nunc verò me totam eſſe in metu propter te unum: quidquid increpuerit, Catilinam timeri. Nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe. Si verus, ne opprimar; ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam.*

Item n. 27. & 28. ejuſdem Catilinariæ, Patria Ciceronem alloquitur.

EXERCITATIO.

Saul incertus & anxius quis eſſet futurus exitus certaminis, quod erat contra Philiſtæos commiſſurus ſtatuit Samuelis umbram per Pythoniſſam conſulere.

Per Apoſtrophen & Proſopopejam.

SYNOPSIS.

PRimo per Apoſtrophen ad Deum, queretur quòd interrogatus de committendæ mox pugnæ exitu nullum per Vates ac Sacerdotes reſponſum dederit.

2. Per aliam ad ſeipſum Apoſtrophen quæret, quid ſibi agendum ſit in eo rerum diſcrimine, ſtatuetque adire Inferos, quoniam Cœlum tacet.

3. Per aliam Apoſtrophen ad ſcipſum damnabit conſilium ſuum, qui nihil audire poſſit à Samuele, niſi funeſtum, nihil cujus conſcius eſſe ſibi non debeat.

4. Per Proſopopejam finget audire ſe loquentem Samuelem, & denunciantem mala jam jam eventura.

Concluder. I, perge, quando ſic placet evoca virum illum; diſce ab eo calamitatum tuarum ſeriem, &c.

ORA-

ORATIO.

Apoſtrophe. Quid eſſe dicam, ò Deus? Ecquid ferale non occinit ſilentium illud, quod hodie præter morem affectas? Ecce Philiſtæi populum tuum impetunt, triſtiſſimam nobis perniciem minitantur! & taces? conticeſcunt Vates tui, & interrogati Sacerdotes reſponſum non ferunt! ita-ne miſerum Regem objicis, ò Deus, & hoſtis barbari furoribus illudendum permittis?

Apoſtrophe. Quid agès, Regum infortunatiſſime? quò te vertes? cujus implorabis opem in tantis rerum tuarum anguſtiis? Statue nunc tandem aliquid. Cur hæres dubius? cur deliberas? cur times? ſume dignum animo tuo, dignum præſenti calamitate, dignum deſperatiſſimis rebus conſilium. Nullum nobis de Cœlo reſponſum venit? eſto: adeamus Inferos; penetremus intima terrarum viſcera; evocemus inde virum illum, cujus ex ore divina toties oracula promanarunt; ne parcamus magicis artibus, neque adhibere pudeat eorum induſtriam, quos pepuliſti nuper atque exterminaſti; ſcelera ipſa atque flagitia hac hodie mercede nobis placeant.

Atenim quò pergis? quò properas? quò præceps ruis? quid ſperan- Apoſtrophe. dum habes ab eo, quem contrarium tibi, dum viveret, quem infenſum ſemper, quem perpetuum impietatis tuæ obtrectatorem expertus es? quin interrogas potiùs te ipſum, quin conſcientiam perſcrutaris, quin tumultus illos, metus, pavores, quibus agitatur infelix animus, perſentiſcis, atque hinc certiùs triſtiſſimam paratæ tibi ſortis acerbitatem auguraris?

Nam quid Samuelem adeas, inconſulte? quid ipſius quietem etiam poſt ultima fata inturbes? An vis audire denuò ſeverum Vatem increpantem te duriùs, & commiſſa toties in Deum per ſummum nefas piacula diſertiſſimè retractantem? Vis ut excitatus Pythoniſſæ incantationibus è media prodeat umbrarum caligine; & ardentibus ut olim oculis, minaci fronte, vultu ad indignationem compoſito ſic loquatur, Proſopopeja. aut potiùs fulminet? Quid me ſuſcitaſti, Regum infeliciſſime, vel me quid interrogas? an neſcis, quod ego tibi jam prædixi tam ſæpe, receſſiſſe à te omnipotentem Deum, & ad æmuli tui viri ſanctiſſimi partes tranſiiſſe? An ignoras, auferendum tibi modò regnum illud, quod per tot annos flagitiis tuis dedecoraſti? Nempe jam oblitus es, quoties, quàm turpiter datam Deo fidem violaveris? quàm temerè ſacratiſſimas ipſius leges perfregeris, quàm inconſultè atque impiè avaritia impulſus tua Regi Amalecitarum & opimis ipſorum ſpoliis ipſo repugnante & contradicente Deo peperceris? Quid igitur à me audire lubet ulteriùs? an exitum illius pugnæ, quam meditaris, fore triſtiſſimum? an vincendos, cædendos, mactandoſque à Philiſtæis Iſraelitas? an medias inter populi tui ſtrages ac ruinas tibi unà cum filiis eſſe occumbendum? Hæc ſunt, infelix Saul, quæ audies.

I nunc ergo, quandoquidem ſic placuit, i, perge certam in perniciem; Samuelem interroga, diſce diligenter crudelis fati, quod capiti impendet tuo, atrocitatem omnem; noli expectare, dum hora fatalis advenerit, ſed macera jam te ipſum funeſtiſſimo nuntio, quod auditurus es, & ante tempus debitas ſceleribus tuis pœnas à temetipſo exige.

ALIA

ALIA EXERCITATIO.

Theodoricus Oſtrogothorum Rex, cùm Symmachum falſo accuſatum crimine capitali ſupplicio affeciſſet, viſus eſt ſibi ejuſdem Symmachi caput intueri in capite Piſcis ingentis, quod cœnanti ſibi fuerat appoſitum.

Per eaſdem Figuras.

SYNOPSIS.

PRimo ſtuporem ſuum teſtabitur; & conversâ ad miniſtros ſuos oratione, petet an illudant ſibi, jubebitque removeri triſte ſpectaculum.

2. Arguet ſeſe, qui inanibus terriculis moveatur.

3. Priorem ſententiam corriget & quaſi loquens audiret Symmachi caput, per Proſopopejam inducet Symmachum exprobrantem ſibi crudelitatem ſuam, & denunciantem mox eventuras calamitates.

Denique per Apoſtrophen ad Deum fatebitur ſe meritò puniri, & mortem mox adfuturam præcipiet.

ORATIO.

Quid video, Rex infelix? me-ne fallunt oculi? quid hoc ſibi vult oblitum recenti cruore caput? quid pallida & exanguis facies? quid iſti oculi in me unum truces & efferati? Piſcis-ne, an Symmachi potiùs caput inter epulas mihi appoſitum intueor?

Apoſtrophe. Ah! removete ocyùs triſte ſpectaculum; ita-ne Regi veſtro illuditis, miniſtri perduelles? Me-ne, an vos ignoratis? quod eſſe decuit ferarum præda, hoc Regis veſtri, credo, cibum eſſe vultis? cedo arma miles; hic modò gladius meritas à proditoribus pœnas hauriet... Sed caligant oculi, vires deficiunt, vox hæret, & præſagus mali animus dirum neſcio quid perhorreſcit!

Quanquam reſume animos, Theodorice, Quid trepidas? quid inania tibi fingis ſomnia? ſcilicet hunc timeas mortuum, quem vivum contempſiſti? Nihil ago, nihil promoveo! fruſtra ſum. Perii miſer! ecce terribilis & minax ſonus auribus intonat meis, & animum nequicquam obluctantem exanimat! Audio, audio Symmachi vocem; meme petit illa, & edita nuper crudelitatis argumenta palam exprobrat! Utinam liceret triſtibus querelis aures occludere! Nam quid audio infelix? quæ me fulmina percellunt! Intuere, Rex crudeliſſime, tuo ſpectacula digna convivio; porrige dexteram, nequid ſævitiæ tuæ deſit, & inter digitos rivi defluant innocentis cruoris. Et quoniam ſæviendo reſtingui non poteſt inexpleta ſanguinis humani ſitis, bibe cruorem illum ſcaturientibus adhuc exſecti capitis venis profluentem. Infelix! quò uſque tandem in cives tuos bacchabere? quandiu inſontes quoſque perſequeris, & clariſſimorum virorum ſanguine impias cruentabis manus? Age, age; quæ tibi mens? quod conſilium? quis animus fuit? quid, me interfecto, ſperaſti crudelis? quæ te ſpes, vel quis metus ad inauditas illas & impias Senatorum ampliſſimorum cædes ſtimulabat? Hanc feceras expectationem tui, degener, cùm fauſtis omnibus ad ſolium evectus inviſus nulli, nemini non acceptus, proponendum cunctis Imperatoribus humanitatis, clementiæ, æquitatis exemplum, regni habenas moderabare? Quantùm mutatus ab illo es! quis jam Theodoricum in Theodorico agnoſcat?

Heu! me, quid miſerum aſperas, Symmache? abſiſte, ſatis eſt; habes fatentem reum; facti pudet, pigetque: aſpice manantes ex oculis fletus,

fletus ; audi triſtes ſincerique doloris indices gemitus &, ſi fas, ignoſce.

Apoſtrophe. At tu, ſupreme rerum omnium arbiter Deus, qui Regum perinde ac cæterorum mortalium fata moderaris : tuam ſentio, quæ capiti ſcelerato impendet, ultricem manum : merui quæ patior, & graviora merui. Mors imminet; nec mortem deprecor; quæ utinam ſcelera mea antevertiſſet ! Hoc unum obſecro, ſi quid adhuc rogare me ac flagitare pateris, hic ſontem plecte, ſi modò te nec vitiis meis iniquum, nec ultra mortalis ævi ſpatiâ gravem experiar.

ARTICULUS IV.

De Hypotipoſi & Etopeja.

Quid eſt Hypotipoſis?

R. Eſt Figura, qua res ſubjiciuntur oculis perinde ac ſi coram gererentur. Ad hanc Figuram pertinent Deſcriptiones locorum, rerum, perſonarum, &c.

Pro Roſcio Amer. n. 98. *Etiam-ne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda ſit? Nonne vobis hæc, quæ audiſtis, cernere oculis videmini? Num illum miſerum, ignarum caſus ſui redeuntem à cœna videtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur vobis ante oculos in cæde Glaucia? non adeſt ipſe Roſcius? non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum, ſui ſceleris acerbiſſimi nefariæque victoriæ nuntium? non orat ut eam noctem pervigilet? ut honoris ſui cauſa laboret? ut Capitoni quam primum nuntiet?*

Pro Milone n. 28. ita deſcribit egreſſum Clodii ex urbe, ut inde concludat ſtructas ab eo Miloni inſidias fuiſſe.

Et 2. Phil. num. 105. *Perſonabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum meritoriis; ſcorta inter matres familias verſabantur.*

Ibid. num. 58. *Vehebatur in eſſedo Tribunus plebis. Lictores laureati antecedebant : inter quos aperta lectica Mima portabatur, quam ex oppidis municipales homines honeſti neceſſariò obviam prodeuntes, non noto illo & mimico nomine, ſed Volumniam conſalutabant. Sequebantur rhedam cum lenonibus comites nequiſſimi; rejecta mater amicam impuri filii, tanquam nurum ſequebatur.*

Alia hujus Figuræ exempla habes 3. Ver. num. 67. 141. 4. Ver. num. 108. 6. Ver. num. 74. 7. Ver. num. 17. & à 26. ad 29. 2. Catil. num. 5. 4. Cat. num. 11. ij. Phil. n. 7.

Valet autem hæc Figura plurimùm ad commovendos affectus, & Judicum animos concitandos.

7. Ver. num. 105. *Hæc poſtea quam acta & conſtituta ſunt, procedit iſte repente è prætorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate in Forum venit. Navarchos vocari jubet, qui nihil metuerent, ſuſpicarentur nihil, ſtatim occurrunt. Iſte hominibus miſeris innocentibuſque injici catenas imperat : implorare illi fidem Populi Rom. &, quare id faceret, rogare. Tum iſte hoc cauſa dicit, quòd claſſem prædonibus prodidiſſent. Fit clamor & admiratio populi tantam eſſe in homine impudentiam.*

Et n. 141. ibid. *Hæc cùm maximè loqueretur, ſex Lictores circumſiſtunt validiſſimi, & ad pulſandos verberandoſque homines exercitatiſſimi; cædunt acerrimè virgis. Denique proximus lictor Seſtius, converſo bacillo, oculos miſero tundere vehemen-*

tiſſimè

tiſſimè cœpit. Itaque illi cùm ſanguis os oculoſque compleſſet, concidit; cùm illi nihilominus jacenti latera tunderentur, ut aliquando ſpondere ſe diceret, &c.

Ibid. Numerus 139. & 160. uterque egregium exhibet hujus Figuræ exemplum, & ad movendos affectus aptiſſimum.

Item 2. Philip. n. 7. *Ponite igitur ante oculos miſeram illam quidem & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos veſtros neceſſariam: nocturnum impetum in urbem Aſiæ clariſſimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum; cùm miſer ille priùs latronum gladios videret, quàm, quæ res eſſet, audiſſet; furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram atque os illud infame, vincula, verbera, equuleum, carnificem tortoremque Samarium, quæ tuliſſe illum fortiter & patienter ferunt.*

Denique in Oratione pro Murxna illuſtris eſt Hypotipoſis gemina eademque vehementiſſima num. 85. & 88.

Quid eſt Ethopeja?

R. Eſt Figura, qua vitam & indolem alicujus quibuſdam ſignis ita deſcribit Orator, ut in cognitionem morum ſaltem aliquàm deducat. Hæc autem Figura magnam habet cum Hypotipoſi affinitatem, &, quemadmodum illa, in exornatione & in motibus excitandis frequenter uſurpatur.

Pro Roſc. Amer. n. 135. *Ipſe verò quemadmodum compoſito & delibuto capillo paſſim per forum volitet cum magna caterva togatorum; videtis Judices, ut omnes deſpiciat, ut hominem præ ſe neminem putet; ut ſe ſolum beatum, ſolum potentem putet.* Lege ibid. n. 59. & 110.

Pro Comœdo n. 20. *Oro atque obſecro vos, qui noſtis, vitam inter ſe utriuſque conferte; qui non noſtis, faciem utriuſque conſiderate. Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam & clamare calliditatem videntur! nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum, ſi quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare videtur? qui idcirco capite & ſuperciliis eſt ſemper raſis, ne ullum pilum viri boni habere videatur.*

Item pro Sextio num. 18. ad 20. *Quorum ſi nondum ſcelera vulneraque inuſta Reipublicæ vultis recordari, vultum atque inceſſum animis intuemini; faciliùs facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis. Alter unguentis affluens, calamiſtrata coma, deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac veteres vexatores ætatulæ ſuæ, puteali, & fœneratorum gregibus inflatus atque perculſus, olim, ne Scyllæo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret, in Tribunatus portum perfugerat ..... Alter, ò Dii boni, quàm teter incedebat! quàm truculentus! quàm terribili aſpectu! Unum aliquem te ex barbatis illis exemplum Imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri. Veſtitus aſper, noſtra hac purpura plebeja ac pœnè fuſca; capillo ita horrido, ut Capuæ, in qua ipſe tum imaginis formandæ cauſa Duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſupercilium, ſed Reipublicæ pignus videbatur? tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo ſupercilio Reipub. tanquam Atlante Cœlum niti videretur.*

Sunt & alia Ethopejæ exempla illuſtria 4. Ver. n. 74. 134. & 135. 5. Ver. n. 22. & 23. 7. Ver. n. 27. 2. in Rullum in 13.

Item & Gabinium effœminatum ſic deſcri-

deſcribit. Orat. poſt Reditum, in Sen. num. 12. *Primùm proceſſit qua auctoritate vir, vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce & temulenta.*

Eſt & aliud ſingulare Ethopejæ exemplum 7. Ver. n. 27. jam laudato, ubi mollem & delicatam Verris vitam per ſingulas anni tempeſtates graphicè deſcribit.

EXERCITATIO.

Extolletur magnanimitas Matris Machabæorum, quæ ſeptem filios pro divina Lege morientes non modo conſtanter vidit, ſed & ipſos ad ſpernendas Tyranni furias eſt adhortata.

Per Hypotipoſim & Ethopejam.

SYNOPSIS.

EXord. & Propoſitio continebitur ſola dilatatione argumenti.

Confirmatio fiet per Hypotipoſim: deſcribetur terribilis ſuppliciorum apparatus ad crucianda Machabæorum corpora. Expediebantur enſes, aculei, rotæ, incendia, &c. & per Ethopejam exhibebitur Antiochus inflammatus ira, &c.

3. Per aliam Hypotipoſim exponetur luctus aſtantium & comploratio. Alios videſſes effuſos in lacrymas, & fortiſſimorum Juvenum ſortem deplorantes, alios affixos ſacris corporibus, alios deteſtantes Antiochi furias, &c.

4. Per Ethopejam deſcribetur mater cruentam inter natorum carnificinam erecto animo, ſpe firma, gaudio exultans, &c.

Concluſio. Eat nunc ſuperba antiquitas & Heroas ſuos jactet.

ORATIO.

Nam quæ illa fœmina eſt, ſupra fortem ſexus ſui tam fortis, ut ad mortis aſpectum non expalleſcat? adverſus naturæ ſenſus omnes ſic obſfirmata, ut inter cruenta chariſſimæ ſobolis funera gaudeat ac triumphet? Agnoſco generoſam illam Machabæorum matrem; quæ divinæ legis amore ſuccenſa non habuit ſatis, ſi pro eadem tuenda mortem viriliter oppeteret, niſi ad parem animi conſtantiam ſeptem, quos pepererat, filios adhortaretur; & antequam extingueretur ipſa, ſepties cum totidem filiis interiret.

Quantæ porro virtutis erat non commoveri funeſtiſſimo carnificinæ illius apparatu, qui amantiſſimæ ſuæ ſoboli triſtiſſima quæque minitabatur! quæ mater alia non perhorruiſſet, vel ad cruentam mortis tam multiplicis imaginem? Hinc enim expediebantur enſes, aculei, rotæ, incendia, ferventes ollæ, & alia cujuſcumque generis inſtrumenta luxandis, ac dilaniandis artubus accommodata. Illinc erumpebat immanis tortorum furor, quos innata barbaris pectoribus feritas, & crudelia immanis Tyranni imperia in ſanctiſſimos Juvenes incitabant. Interim ſpretus inſigniter Rex Antiochus; quod blanditiis, precibus, promiſſis non potuerat exorare, id minis, terroribus, ſæviſſimis cruciatibus urgebat. Ardebant oculi, frons igneſcebat, vultus furore ac ſcelere inflammabatur, & toto ex ore crudelitas emicabat!

Hypotiposis.

Ethopeia.

Nullus erat ex confertiſſima circumſtantis populi multitudine, quem terribilis ſpectaculi hujuſmodi facies non moveret. Hinc audiri gemitus; illinc erumpere lacrymæ, inde triſtiſſima omnium comploratio miſceri. Miſerabantur alii luxata equuleis corpora, laceratos plagis artus, inundantes ex omni parte rivos ſanguinis, & abſumptum ante tempus ætatis florem lamentabantur. Alii genibus affuſi fortiſſimorum Juvenum ſacra ipſorum veſtigia oſculabantur; alii ruebant in am-

Hypotiposis.

amplexus; alii, quia turbam hominum non valebant ſubmovere, protenſis à longè manibus lugubri planctu ac lamentabili voce invictos Heroas proſequebantur. Alios audiiſſes diriſſimam tortorum barbariem increpare, alios ſuam ipſi Antiocho exprobrare crudelitatem, alios vindices ſceleratis capitibus pœnas imprecari.

At quid Mater interea tot inter adſtantium gemitus, ſuſpiria, lacrymas, ejulatus, minas, execrationes? An cæterarum Matrum de more ſcindebat capillos, laniabat genas, tundebat pectus, & luctuoſa comploratione omnia latè loca perſonabat? an impii Regis genibus affuſa ſuppliciter parata ſupplicia deprecabatur? an filios convolantes ad mortem lacrymis ſuis ac precibus retardabat?

Ethopeja. Imò, imò: erat aſpectus ipſius ſpe plenus, erectus conſtantia, & incredibili quadam lætitia perfuſus. Nunc defixis in Cœlum oculis novum inde robur certantibus accerſebat; nunc deflexis paulùm in amantiſſimos filios virilem omnibus conſtantiam inſpirabat; modò ſuperni Numinis erumpens in laudes, divinam ſuis in pugilibus potentiam celebrabat; mox ſanctos Heroas blandè compellans ruentes ultro certas in neces ſtimulis acrioribus incendebat. Lacerabantur alii ferreis pectinibus, alii diſtentabantur rotis & equuleis, alii ferventibus ollis immergebantur; cædebantur alii poſt alios, & cruentum in morem mactabantur. Plaudebat interim ipſa, exultabat, triumphabat, & carnificum furias prævertens filiorum corpora perimenda porrigebat.

Eat nunc oſtentatrix ſui antiquitas, extollat Heroas ſuos ac prædicet, aut cum fœmina illa fortitudinis ac conſtantiæ laude comparandos arbitretur.

ALIA EXERCITATIO.

Bacchanalium inſectatio.

Per eaſdem Figuras.

SYNOPSIS.

Exord. Deplorabit Chriſtianæ Religionis fatum, quæ, poſt refixam jam diu falſorum Numinum ſuperſtitionem, dolere poſſit profanos eorumdem cultus fuiſſe revocatos.

Propoſitio. Sic efferetur per Hypotipoſim. Nam quid ſibi vult tumultus ille concurſantium, quid vociferantium clamores? &c. an, ſi coleretur hodie Bacchus, celebraretur aliter à Bacchantibus?

Confirmatio. Deſcribentur per Hypotipoſim & Ethopejam inſani Bacchanalium mores, quos dicet nihil differre à priſcis Orgiis: diurni, nocturnique tumultus ac ſtrepitus, ſonitus tympanorum, larvatæ facies, Mimici habitus, immoderatæ epulæ, ridicula ſpectacula, contentiones, rixæ, cædes.

Contentio. Petet à Religione, an profanos hujuſmodi cultus in ſuis approbet? Mox inducet Religionem ipſam expoſtulantem, & degeneres Chriſtianos objurgantem, quòd à Majorum virtute deflexerint.

ORATIO.

Quàm luctuoſo Religionis Chriſtianæ fato fieri dicam, ut, cùm incredibili labore ſuo priſcam falſorum Numinum ſuperſtitionem jam diu refixerit; profanos tamen eorumdem cultus, aut ſervatos tanto poſt tempore doleat, aut poſtliminio certè revocatos conqueratur?

Nam quid ſibi vult tumultuoſus ille ſonitus? quid nocturnæ furentium concurſationes? quid clamores vociferantium inconditi? quid accenſæ faces vel innuunt, vel loquuntur? An ergo vigent hodieque & in pretio ſunt priſca inſanientium hominum Orgia; an apud nos etiamnum Hypotypoſis.

habe-

habere Numen aliquod Bacchus creditur? Nam qui forent alii Bacchantium mores, quàm nunc ſunt; aut quibus aliis ritibus Bacchus ipſe coleretur, ſi ad noſtra uſque tempora ſuperſtitio vana perſtitiſſet?

Sed quid dico Bacchi cultus hodie non viget, aut ineſſe Baccho divinum quidpiam homines noſtri non putant? Unde ergo diurni nocturnique Bacchantium ſtrepitus aures perſonant? Cur intempeſtivi tympanorum ſonitus aut vigilantibus obſtrepunt, aut dormientium ſomnos interturbant? Quid mentitas video facies undique, & ridiculum vel horrendum in morem larvatas? Quis turpes illos Mimorum & Hiſtrionum habitus induxit? Quare tam obliti pudoris ac modeſtiæ, quotquot ſunt ex illo deſipientium hominum grege, nemo ut prodire in publicum, niſi diſſimulatus inſigniter, & monſtro cuipiam, quàm homini propior videri ſuſtineat? Hinc offerunt ſe mihi perennes epulæ, illinc immoderatæ commeſſationes, inde ebrietas ac crapula! Hic turpiſſima ſpectacula offendunt oculos, illic cachinnantium ſtrepitus, plauſus laſcivientium aures obtundunt! Ibi concertantium clamores ac rixæ funeſtiſſimam futuri poſtmodum certaminis ſcenam denuntiant! Jam ventum eſt ad jurgia, à jurgiis ad manus; jam ſtringuntur enſes, mutuis hinc inde vulneribus res geritur. Omnes inflammati ſcelere, ebrietate, furore, crudelitatem ſpirant ac cædem! Jam miſceri ſuſdeque omnia, convivæ in Corybantas mutari, natare pavimentum vino ac ſanguine, & luctuoſi cruentique belli facies exurgere. O tempora! ò mores!

Hypotiposis & Ethopeja.

Et hæc pateris, Religio ſancta? Tu ritus illos, hæc flagitia tuis in aſſeclis atque ſectatoribus approbas? Imò, imò: queritur, gemit, & illatam ſibi per ſummum nefas contumeliam graviter expoſtulat. O ſi audire poſſis per turbas ac tumultus, quiſquis depravatis hiſce moribus funeſtam Religioni labem ac maculam importas! Quieſce tantiſper ab inſanis illis clamoribus; reprime ad breve tempus impetum illum, qui te ad inſaniam adigit; reſipiſce paulùm, ſi potes, & perſonam hominis ſobrii ac temperantis, vel deponendam poſtmodum, indue. Audi, Chriſtiane degener, quibus te tuique ſimiles querelis ac probris Religio illa, quam ſpernitis atque illuditis, inſectetur.

Hanccine mihi refertis gratiam, ſceleſti ac perduelles filii, quos peperi olim tot laboribus, quos fovi toties in ſinu, quos alui tam diligenter! Hic erit unus impenſi amoris fructus, hæc inſtitutionis bonæ, quam dedi, merces unica, ut proſcindi me veſtris opprobriis ac contumeliis affici videam? Itane ſoboles infida à majorum ſuorum virtute deflexit? Illi me pio ſanctoque cultu ad ſupremum dignitatis apicem evexerunt; vos dejectam ex illo gradu ac jacentem illuditis. Suas illi vigilias, labores, curas mihi devoverunt; vos in meam perniciem omni ſcelere ac flagitio incumbitis. Illi jus meum contra nefarios hoſtium impetus vel ſanguinis ſui diſpendio defenderunt; vos inita cum iiſdem ſocietate expugnatis. Statuite porro quid agere vos deinceps oporteat; an haberi vos velitis hoſtes, an amicos? Eligite, per me licet, utrum impietatis, an Religionis partes ſectari vos conveniat. Si primum placet; nihil ego vos moror; profugite tandem, caſtris meis abſcedite penitùs; deponite nomen illud, cujus tantum vos piget. Sin potiùs ſaniora vos juvant conſilia,

Digitized by Google

abjicite mores illos tam injurios mihi, veſtro nomini tam alienos; & dignos tandem Religione, quam coluitis, ſenſus induite.

Articulus V.

De Suſtentatione, Apoſiopeſi, Emphaſi.

Quid eſt Suſtentatio?

R. Eſt Figura, qua diu ſuſpenduntur Auditorum animi, donec aliquid inexpectatum, ſive riſu, ſive admiratione dignum ſubjiciatur.

Hinc Figuræ hujus duplex eſt uſus, alter in rebus magnis & inſolitis facinoribus exponendis; alter in rebus quibuſdam levioribus; quando jocandi cauſa magnum aliquid promittit Orator, illudque tandem in jocum aliquem recidit. Hic agimus potiſſimum de Suſtentatione, quæ in rebus magnis ac ſeriis adhibetur.

Habes illuſtre Suſtentationis exemplum 7. Ver. num. 10. & 11. *Res delata ad iſtum ſtatim, ut par fuit, juſſu ejus homines, qui nominati fuerant, comprehenſi adductique Lilybæum: domino denunciatum eſt, ut adeſſet, cauſa dicta damnati ſunt. Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe aut prædam expectatis aliquam? Nolite uſquequaque eadem quærere: in metu belli, furandi locus quis poteſt eſſe ..... Etiamnum mihi expectare videmini, Judices, quid deinde factum ſit; quod iſte nihil unquam fecit ſine aliquo quæſtu atque præda. Quid in ejuſmodi re fieri potuit? quod commodum eſt? Expectate facinus quàm vultis improbum: vincam tamen expectationem veſtram; nomine ſceleris conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum alligati repente multis hominum millibus inſpectantibus ſoluti ſunt, & Leonidæ illi domino redditi.*

Et Phil. 2. num. 12. *Quid putem contemptum-ne me? Non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quod deſpicere poſſit Antonius. An in Senatu facillimè de me detrahi poſſe credidit? qui ordo clariſſimis Civibus, benè geſtæ Reip. teſtimonium multis, mihi uni conſervatæ dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium eſt? quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profectò eſt: non exiſtimavit ſui ſimilibus probari poſſe, ſe eſſe hoſtem patriæ, niſi mihi eſſet inimicus.*

Hæc porro Figura multam vim habet & gratiam, cùm ita ſuſpenduntur Auditorum animi, allatis multis rebus, iiſdemque rejectis, ut ſubjiciatur tandem novum aliquid & minimè expectatum; quod in laudato mox loco videre eſt.

Habes alia Suſtentationis exempla pro Roſc. Amer. num. 39. pro Quinctio num. 66. 3. Ver. 141. 4. Ver. 106. 3. in Rul. num. 11. pro Dejotaro num. 26.

Quid eſt Apoſiopeſis ſeu Reticentia?

R. Eſt Figura, qua Oratio interciditur & interrumpitur, alicujus gravioris affectus ſignificandi gratia. Ita Cicero Epiſt. 21. ad Atticum Lib. 7. de Pompejo loquens, cujus ſaluti metuebat, utitur Apoſiopeſi. *De Pompejo ſcio nihil, eumque niſi in navim ſe contulerit, exceptum iri puto. O celeritatem incredibilem! hujus autem noſtri, ſed non poſſum accuſare eum; de quo angor & crucior ......* reticet *tarditatem* aut *ignaviam*.

Et Epiſtola ultima Lib. 9. ad eundem.

dem Atticum, utitur Apoſiopeſi diſſimulandæ indignationis gratia. *Sed erit immitiſſimus Servius, qui filium miſit ad affligendum Cn. Pompejum, aut certè capiendum. Etſi hic quidem timoris cauſam; ille verò .... ſed ſtomachari deſinamus.*

Adhibetur etiam nonnumquam, ut, quod reticetur, majus quidpiam ſuſpicandi det cauſam, quàm ſi efferretur. Cicero pro Cœlio n. 69. *Hic etiam miramur, ſi illam commentitiam pyxidem obſcœniſſima ſit fabula conſecuta. Nihil eſt quod in ejuſmodi mulierem cadere non videatur. Audita & pervulgata & celebrata ſermonibus res eſt. Percipitis animis, Judices, jamdudum quid velim, vel potiùs quid nolim dicere: quod etiam ſi eſt factum, certè à Cœlio non eſt factum.*

Poteſt etiam dici prætermiſſum illud à Cicerone vitandæ obſcœnitatis cauſa.

Quid eſt Emphaſis?

R. Eſt Figura, qua Orator plus ſignificat, quàm dicit. Quæ quoniam refertur ad Hyperbolem, de qua jam diximus, pluribus hic ſuperſedebimus.

EXERCITATIO.

Amici opes viri Principis.

Per Suſtentationem, Apoſiopeſim, Emphaſim.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. Dicet nihil eſſe oportere pretioſius Viro Principi, quàm amicos.

Rationem afferet; quia rebus omnibus abundat, qui amicos paravit, eiſdem qui caret, omnium egenus eſt.

Confirmatio. Petetur ab Alexandri Magni auctoritate, qui venientibus ad ſe Perſarum Legatis, & Alexandri theſauros videre cupientibus, circumſtantes amicos oſtendens, dixit: En opes Alexandri. Tractabitur hic locus per Suſtentationem & Emphaſim.

Concludet in amicis veras eſſe divitias, quas nulla fortunæ mutabilitas auferre poſſit.

ORATIO.

Extollant alii per me licet, &, quantùm volent, prædicent magnificentiùs in Principibus viris ingentia auri argentique pondera, pretioſam ſupellectilem, ſuperba palatia; eoſque ditiſſimos arbitrentur, qui rebus iſtis omnibus abundant. Ego certè opulentiſſimum inter cæteros eum ſemper æſtimabo, qui amicos quàm plurimos potuerit ſibi jure merito gratulari.

Enimverò quibus rebus non abundat, aut quibus tandem egere poteſt ille, qui ſinceram amicorum multitudinem comparavit? Liceat mihi compellare aliquem eorum de numero, qui quanto ſuperiorem dignitatis gradum adepti ſunt, tanto diligentiorem in demerendis amicis operam poſuere. Age, quid times, qui fideles amicos habes, ut ſic loquar, ad manum? an ærarii penuriam? at amicorum opes tuæ ſunt. An pericula? at illi continuò præſtò ſunt, tuum vel capitis diſcrimine parati latus defendere. An adverſos fortunæ reſtantis ictus? at fortunam adverſam vix ſentit, cujus acerbitatem amici mulcere poſſunt. Tu verò, qui amicos negligis; qui .... pœne dixi, amicum habes præter te neminem, noli jactare nobis inſolentiùs vel ipſas Arabum gazas, quibus, ſi quis caſus ingruerit, ſi quod inciderit periculum gravius, neque ad arcendam, neque ad mitigandam calamitatem amicis deſtitutus uti feliciter poſſis. Apoſiopeſis.

Atque hoc noverat certè ſapientiſſimus rerum æſtimator Alexander

Magnus, qui ſe non tam Orientis pœne totius ſpoliis beatum ac divitem, quàm amicis ſuis ſemper reputavit. Venerant ad eum aliquando Legati Perſarum, quos non minùs divitiarum ipſius fama, quàm rerum ab eo geſtarum gloria excitarat. Ii perfecta legatione, cùm flagitaſſent ab Alexandro curioſiùs, ſuos ut ipſis theſauros atque opes oſtenderet; quid putatis feciſſe Principem ſapientiſſimum? An recluſit arcas auri argentique pondere refertas? an oſtentavit aulæ ſuæ magnificentiam? an aurata palatia, pretioſam ſupellectilem, tot erepta devictis à ſe Regibus ſpolia, tot Provinciarum manubias, tot exuvias Aſiæ perdomitæ, quibus caſtra & armamentaria redundabant, ambitioſiùs jactavit? Sed quid feciſſent alii Reges ac Principes in æſtimandis rebus minùs periti, & inani rerum ſuarum pompa inflati plus æquo ac ſuperbi? Nihil hujuſmodi expectate ab Alexandro; habebat pretioſius aliquid, quod & ſibi lubentiùs gratularetur, & aliis jactantiùs oſtentaret. Tunc enim expectantibus avidè Perſarum Legatis, unde curioſos oculos paſcerent, circumſpiciens Alexander quamplurimos, qui ſtipabant latus, ſuos familiares, & Legatos amicè compellans, En, inquit, opes Alexandri. O vocem auream! ò reſponſum Literis omnibus ac monumentis prædicandum! ò dignam tali Principe, dignam omnibus, qui populis imperant, commendationem!

Suſtentatio. *Emphaſis.*

Quis enimverò neget haberi in amicorum benevolentia divitias, quas neque fortunæ mùtabilitas unquam adimat, neque ipſa rerum humanarum inconſtantia labefactet?

ALIA EXERCITATIO.

Per eaſdem Figuras.

Orator popularis.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet, quantopere Oratori ſit elaborandum, ut ſe ad populi captum guſtumque accommodet.

Rationem afferet; quia nihil eſt tam amans libertatis, & neceſſitatis inimicum, quàm ingenium multitudinis.

Confirmatio petetur ab exemplo Demoſthenis, qui gravibus de rebus cùm diceret aliquando apud Athenienſes; ſenſiſſetque populi oſcitantis faſtidium, fabulam incœptavit de umbra Aſini; idque tractabit per Suſtentationem, an? &c.

Concludet per Emphaſim, umbram Aſini præferendo cuilibet rationi ſpecioſiſſimæ; ſiquidem illa perfecit Demoſthenes, ut attentum rebus ſuis Populum redderet.

ORATIO.

Cùm is debet eſſe propoſitus optimo cuique Oratori finis, ut eorum, apud quos agit, animos ac voluntates quamcumque voluerit in partem flectat & inclinet; tum certè operam in ea re ſuam benè collocatam æſtimabit, ſi eorumdem mentes ſenſuſque, priuſquam ad dicendum accedat, diligenter deguſtarit.

Nam qui rem averſam à multitudine per fas & nefas facere acceptam, quia ſe in ea amavit pluſculum, ſuſcipiat, is ignorare videatur, quàm ſit amans ſuæque retinens libertatis multitudinis ingenium, quàm inimicum cujuſcumque neceſſitatis.

Quare non committet unquam Orator bonus, ut quidquam in vulgus efferat, quod non ſit auribus Populi accommodatum; ſed ita temperabit omnia,

omnia, ut, quidquid dicturus eſt, non tam ex aurificis ſtatera, quàm populari quadam in trutina examinet.

Demoſthenes Orator ille percelebris, & Eloquentiæ Atticæ facilè princeps, cùm aliquando diceret ad Athenienſes, remque magni, ut videbatur, ponderis, ea, qua valebat, dicendi vi perſuadere niteretur; vidit non audiri ſe tam attentè, quàm par erat, & oſcitantis langueſcentiſque populi ſenſit faſtidium. Hìc verò quod putatis iniiſſe conſilium Demoſthenem? qua ratione medendum cenſuit multitudinis tædio peritiſſimus ille dicendi vir? An invectus eſt acriter in populum levem, & inſanientem indormiſcentis ſocordiam objurgavit? at riſiſſent omnes intempeſtivum objurgatorem. An orationem perſecutus ſuæ populum ſomnolentiæ permiſit? at quid orando longiùs profeciſſet? An relicto ſuggeſtu faſtidioſam multitudinem dimiſit? at illuſus ab eadem fuiſſet ac contemptus. Quid ergo fecit Orator præſtantiſſimus? cogitate aliquid dignum illius induſtria, qui ſe hominum ingeniis ac rationibus accommodare noverat: expectate quidpiam, quod exercitatam in tractandis hominum animis dexteritatem redoleret. Præſtabiliùs duxit Orator ille ſummus deſipere ad tempus, ut ſic loquar, cum multitudine, dum aſſequeretur quod vellet, quàm ſi ſapuiſſet intempeſtivè. Quare abjicit continuò materiam, quam tractabat, & converſa penitùs oratione lepidam de Aſini Umbra fabulam inceptat.

Suſtentatio.

Ecce expergiſcitur ſtatim populus, & excuſſo omnes torpore; quaſi novi ac recentes ad audiendum Oratorem accedunt. Diſſipatam aliò mentem occupat attentio, ſtudium languorem excipit, & tædio ſuccedit hilaritas. Tum verò ſuſpenſis omnium animis & fabulæ exitum avidè expectantibus, quid feciſſe rurſum putatis Demoſthenem? An ſua in populum indulgentia demereri eum aggreſſus eſt? an fabulæ finem curioſè quærentibus liberaliter ſatisfecit? an quidpiam ingenioſè commentus eſt, quo incœptam fabulam concluderet? Imò ſubſtitit medio in ſermone Orator egregius, & objurgata populi levitate, qui rebus graviſſimis indormiſceret, dum evigilaret in nugis, ita inclinavit omnium voluntates, ut non modò langueſcentem excitaret, ſed etiam, quod erat meditatus primùm, perſuaderet. Sic, obſequendo in ſpeciem multitudinis ingenio, id conſecutus demum eſt, quod nullis fortè rationum momentis perfeciſſet.

Suſtentatio.

O felicem, & ratione quacumque Umbram Aſini potiorem! Emphaſis.

Articulus VI.

De Prætermiſſione, Diſtributione, Licentia, Conceſſione.

Quid eſt Prætermiſſio?

R. Eſt Figura, qua Orator id maximè dicit, quod dicere nolle ſe fingit. Hæc autem Figura etſi tam ad laudem quàm ad vituperium valet, tamen ea ſæpiùs utitur Cicero ad objurgandum, quàm ad laudandum. Utitur ad increpandum Prætermiſſione de Proc. Conſ. n. 8. *Nihil dico nunc P.C. hominem ipſum relinquo. Itaque omnia illa, quæ & ſæpe audiſtis, & tenetis animis, etiam ſi non audiatis, prætermitto. Nihil de hac ejus urbana, quàm ille præſens in oculis veſtris mentibuſque defixit, audacia loquor: nihil de ſuperbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate diſputo. Lateant libidines ejus illæ tenebricoſæ, quas fronte & ſu-*

& ſupercilio, non pudore & temperantia contegebat; de Provincia quod agitur, id diſputo.

3. Ver. n. 32. & 33. *Itaque primum actum iſtius vitæ turpiſſimum & flagitioſiſſimum prætermittam. Nihil à me de ſua pueritia flagitiis audiet; nihil ex illa impura adoleſcentia ſua, quæ qualis fuerit, aut meminiſtis, aut ex eo, quem ſui ſimillimum produxit, recognoſcere poteſtis. Omnia prætereo quæ mihi turpia dictu videbuntur. Neque ſolum, quid iſtum audire, verùm etiam, quid me deceat dicere, conſiderabo. Vos, quæſo, date hoc, & concedite pudori meo, ut aliquam partem de iſtius impudentia reticere poſſim. Omne illud tempus, quod fuit, antequam iſte ad Magiſtratus Remquepublicam acceſſit, habeat per me ſolutum ac liberum. Sileatur de nocturnis ejus Bacchationibus ac vigiliis; lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat; damna, dedecora, quæ res patris ejus, ætas ipſius pertulit, prætereantur. Lucretur indicia veteris infamiæ: patiatur ejus vita reliqua, &c.*

Habes alia hujus Figuræ exempla 1. Ver. n. 26. 29. 2. Ver. n. 14. 3. Ver. n. 75. 128. 4. Ver. n. 110. 5. Ver. n. 59. 103. 106. 6. Ver. n. 37. 48. 2. in Rul. n. 21. Pro Flacco n. 79. poſt Red. in Sen. n. 22. in Vat. n. 11. De Prov. Conſ. n. 6. in Piſonem 38. 87. 2. Phil. n. 47.

Utitur aliquando Tullius Prætermiſſione ad laudandum. Pro Sextio n. 7. *Poſſum multa dicere de liberalitate, de domeſticis officiis, de Tribunatu militari, de Provinciali in eo Magiſtratu abſtinentia; ſed mihi ante oculos obverſatur Reipublicæ dignitas, quæ me ad ſe ſe rapit; hæc minora relinquere hortatur.*

Et pro Roſc. Amer. n. 75. *Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad ejus innocentiam poterat eſſe, in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere. Ut non omnem frugem, neque omnem arborem in omni agro reperire poſſis, ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In urbe luxuries creatur; ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt; ex avaritia erumpat audacia, inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt. Verùm hæc miſſa facio.*

Item 1. Ver. num. 36. pro Flacco num. 103.

Sunt autem illæ ex Tullio formulæ, quibus hæc Figura exponi ſolet. Prætereo, non dico, non commemoro, non hìc profero, non audietis à me, non attingam. Sinite me hoc loco præterire, poſſem multa dicere, ſentio mihi eſſe moderandum, jam Orationi meæ fugiendam ſatietatem veſtram. Non verſabor in uno genere. Hìc nolite expectare; ſed quid ea commemoro? Nunc agam modicè, nec longiùs progrediar, &c. & ſimiles.

Quid eſt Diſtributio?

R. Eſt Figura, qua Orator dividit aliquid in partes ſuas, ita ut partes ſingulas acervatim ſemel propoſitas ſtatim reſumat, &, quod cuique parti convenit, ſubjiciat.

Pro Lege Man. n. 28. *Ego enim ſic exiſtimo in ſummo Imperatore quatuor has ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine ſcientior unquam aut fuit, aut eſſe debuit, &c.* Singulis hujus Diſtributionis membris ſuas rationes ſubjicit, quibus probat, quatuor illas magni Imperatoris virtutes in Pompejo adfuiſſe.

Et pro Cœlio n. 2. *Sed ego Atratino humaniſſimo atque optimo Adoleſcen-*

ſcen-

Digitized by Google

ſcenti, meo neceſſario ignoſco, qui habet excuſationem vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis. Si voluit accuſare, pietati tribuo: ſi juſſus eſt, neceſſitati: ſi ſperavit aliquid, pueritiæ.

Pro Quinctio n. 1. *Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt hoc tempore. Summa gratia, & eloquentia; quarum alteram C. Aquili, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſii ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor; gratia Sex. Nævii ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco.*

Habes alia hujus Figuræ exempla illuſtria pro eodem Quinctio n. 26. pro Roſc. Amer. n. 9. 35. 72. 86. pro Muræna n. 88. de Prov. Conſ. n. 43. in Piſ. n. 64. pro Marcello n. 7. pro Dejot. n. 15.

Interdum ita Diſtributio fit, ut Orationis membra inter ſe ſolum dividantur, neque ſubjiciatur quidquam, quod ipſis reſpondeat. Sit in exemplum deſignatus jam Numerus 7. pro Marcello. *At verò hujus gloria, Cæſar, quam es paulò antè adeptus, ſocium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil turma decerpit; quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina Fortuna in illius ſe ſocietatem gloriæ non offert, &c.*

Quid eſt Licentia?

R. Eſt Figura, qua Orator pro jure ſuo dicit aliquid audacius apud eos, quos vereri ac metuere debet.

Pro Sylla n. 33. *Attende jam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem Conſulatus tui. Maxima voce, ut omnes exaudire poſſent, dico, ſemperque dicam; adeſte omnes animis, qui adeſtis corporibus, quorum ego frequentia magnoperè lætor; erigite mentes auresque veſtras, & me de invidioſis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Ego Conſul, cùm exercitus perditorum civium clandeſtino ſcelere conflatus crudeliſſimum & luctuoſiſſimum patriæ exitium comparaſſet, &c.*

Item n. 46. & 47. ejuſdem Orationis, egregium habes exemplum Licentiæ, qua libertatem & audaciam Cicero præ ſe fert.

Uſurpatur hæc Figura ad oſtendendam fiduciam 1. in Rull. n. 23. *Erraſtis, Rulle, vehementer, & tu & Collegæ tui, qui ſperaſtis vos contra Conſulem veritate, non oſtentatione popularem poſſe in evertenda Repub. populares exiſtimari. Laceſſo vos, in concionem voco, Populo Rom. diſceptatore uti volo.*

Valet ad inſultandum adverſario. Pro Domo ſua n. 99. *Quare Remp. diſrumpatur licet iſta furia* (Clodium intelligit) *atque audiat hæc ex me, quoniam laceſſivit, bis ſervavi, & cùm Conſul togatus armatos vici, & cùm privatus armatis ceſſi. Utriuſque temporis fructum tuli maximum; ſuperioris, quòd ex Senatus auctoritate, & Senatum, & omnes bonos meæ ſalutis cauſa mutata veſte vidi; poſterioris, quòd & Senatus & Populus Rom. & omnes mortales & privatim & publicè judicarunt ſine meo reditu Remp. ſalvam eſſe non poſſe.*

Ad objurgandum etiam utilis eſt. Pro Mil. n. 33. *An verò Judices ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures; neque in hoc pervagato civitatis ſermone verſantur, quas ille leges (ſi leges nominandæ ſunt, ac non faces urbis & peſtes Reip.) fuerit impoſiturus nobis omnibus atque inuſturus? Exhibe, quæſo, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum ve-*

veſtrarum, quod te ajunt eripuiſſe è domo & ex mediis armis, turbaque nocturna, tanquam Palladium ſuſtuliſſe: ut præclarum inde munus ac inſtrumentum Tribunatus ad aliquem, ſi nactus eſſes, qui arbitrio tuo Tribunatum gereret, deferre poſſes. Et aſpexit me illis quidem oculis, quibus tum ſolebat, cùm omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen Curiæ. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cujus tu inimiciſſimum multo crudelius etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ poſtulare, &c.

Item 7. Ver. num. 153. Phil. 10. num. 8. & 19.

Interdum aſſentationi deſervit, ut pro Marc. n. 26. *Itaque illam tuam præclariſſimam & ſapientiſſimam vocem invitus audivi, ſatis te diu vel naturæ vixiſſe vel gloriæ; ſatis, ſi ita vis, naturæ fortaſſe, adda etiam, ſi placet, gloriæ; at quod maximum eſt, patriæ certè parum. Quare, omitte, quæſo, iſtam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli periculo noſtro ſapiens eſſe: ſæpe enim venit ad aures meas, te iſtud nimis crebro dicere ſatis te tibi vixiſſe: Credo: ſed tum id audirem, ſi tibi ſoli viveres, aut ſi etiam ſoli natus eſſes. Nunc, cùm omnium ſalutem civium cunctamque Remp. res tuæ geſtæ complexæ ſint, tantùm abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris.*

Quid eſt Conceſſio?

R. Eſt Figura, qua Orator aliquid etiam iniquum, fiducia cauſæ ſuæ adverſario videtur concedere. Eſt autem Conceſſio illa vel ſeria, cùm, parte aliqua conceſſa, ſperat Orator ſe in reliquis fore ſuperiorem, vel ironica, cùm res conceſſa invidiam conflare poteſt adverſario.

Prioris exemplum habes, pro Quinctio n. 56. *Hæc ille ſi verbis non audet, re quidem vera palam loquitur. Etenim ſi vult bonorum virorum inſtituto vivere, multa diſcat oportet, atque dediſcat, quorum illi ætati utrumque difficile eſt. Non dubitavi, inquit, cùm vadimonium deſertum eſſet, bona proſcribere. Improbè: verùm quoniam tu id tibi arrogas & concedi poſtulas, concedamus.*

Et pro Roſc. Amer. n. 73. *Utrum, quid agatur, non vides? aut apud quos agatur? Agitur de parricidio, quod ſine multis cauſis ſuſcipi non poteſt. Apud homines autem prudentiſſimos agitur, qui intelligunt neminem, ne minimum quidem maleficium ſine cauſa admittere. Eſto: cauſam proferre non potes, tametſi viciſſe debeo; de meo jure decedam, & tibi, quod in alia cauſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quæro abs te quare patrem Sex. Roſcius occiderit, quæro quomodo occiderit.*

Item 5. Ver. n. 28. 219. 7. Ver. n. 4. pro Domo ſua n. 43. pro Muræna n. 41.

Ironicæ Conceſſionis exempla habes 4. Ver. n. 46. *Quæ eſt iſta Prætura? Eripis hæreditatem, quæ venerat à propinquo, venerat teſtamento, venerat legibus; cujus hæreditatis, cùm ille aliquanto ante te Prætorem eſſet mortuus, controverſia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo? Verùm eſto: eripe hæreditatem propinquis, da palæſtritis, prædare in bonis alienis nomine civitatis; verte leges, teſtamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum: num etiam Heraclium bonis privari oportuit.*

Et 5. Ver. n. 16. *Qua in re illud primum reprehendo & accuſo, cur in re tam veteri, tam uſitata novi aliquid feceris, ingenio aliquid aſſecutus es? tot homines ſapien-*

tiſſi-

Digitized by Google

tiſſimos, qui illam Provinciam ante te tenuerunt, prudentia conſilioque viciſti? Eſt tuum, eſt ingenii prudentiæque tuæ. Do hoc tibi & concedo: ſcio te, Romæ cum Prætor eſſes, edicto tuo poſſeſſiones hereditatum à liberis ad alienos, à primis heredibus ad ſecundos, à legibus ad libidinem tranſtuliſſe. Scio te edicta Superiorum omnium correxiſſe & poſſeſſiones hereditatum, non ſecundùm eos, qui proferrent, ſed ſecundùm eos, qui dicerent teſtamentum factum, dediſſe; eaſque res novas à te prolatas & inventas magno quæſtui tibi fuiſſe ſcio.

Item & 4. Ver. n. 150.

Delectat autem inprimis Conceſſio, cùm id, quod conceditur, adverſario nocet. Ut pro Ligario n. 2. *Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te, Tubero, quà virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque priùs de delicto veſtro fateamini neceſſe eſt, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.*

Habet etiam multam gratiam hæc Figura, cùm id adverſario conceditur, quod negari non poteſt, ut alia meliora & majoris momenti ſubjiciantur. Ut pro Flacco n. 9. *Hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo illis literas, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam ſi qua ſumunt alia, non repugno. Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit; totiuſque hujuſce rei, quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant.*

Sunt autem illæ, quibus Figuram illam Tullius adhibet, formulæ: Eſto. Verùm fac: verùm eſto: patior non moleſtè. Ut tibi concedam, Sed ierit ad bellum, &c. ſit ita ſanè, ſed hinc ſint parta omnia. Hoc do tibi & concedo. Tamen de meo jure cedam. Ita fac, &c.

EXERCITATIO.

Marcus Attilius Regulus ad Senatum Romanum de non permutandis Captivis.

Per Licentiam, Prætermiſſionem, Diſtributionem, Conceſſionem.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. Flent per Licentiam, diceique non vereri ſe arguere nimiam quorumdam hominum in ſe commiſerationem.

Rationem afferet per Diſtributionem, quia illa commiſeratio indigna eſt viris graviſſimis, periculoſa Reipub. ſibi ipſi injurioſa.

Primam partem probabit per Licentiam, admonendo plus ipſos conſulere debere æquitati, quàm inutili pietati.

Secundam partem probabit; quia nihil eſt Reip. pernicioſius, quàm ſi redimantur illi cives, qui dedere ſe hoſtibus, quàm fortiter in acie mori maluerunt. Quod tractabit per Prætermiſſionem. Liceat mihi prætèrire ſilentio quæ vidi, &c. Dicetque vidiſſe ſe vexilla Romana affixa delubris Carthaginienſium, Romanos indignis aut nullis vulneribus ſaucios, &c.

Tertiam probabit partem, & oſtendet pietatem ipſorum arguere in ipſo paratum minùs ad ferenda quælibet adverſa animum; Mox per Conceſſionem; at carebitis Romanis civibus; Eſto: at, &c. at graviſſima mihi intentantur ſupplicia, Sit ita ſanè, &c.

Concludet dicendo certum ſibi eſſe redire Carthaginem, nec paſſurum ſe, ut redimatur ipſe, quidquid de aliis ſtatuatur.

ORATIO.

Quis ille, Patres Conſcripti, qui ſingulorum frontem obnubit dolor? quid illi mœrorem ac triſtitiam ſpiran-

tantes oculi volunt? aut quem tandem ad finem univerſa omnium reclamatio meis auribus inſonuit; cùm retinendos in urbe Carthaginienſium milites, noſtros verò furori hoſtium permittendos eſſe defendi?

Licentia. Equidem ſcio apud quos agam, P. C. revereor, ut par eſt, auctoritatem hujus Ordinis, & tot clariſſimorum virorum ſuffragia maximi eſſe apud me ponderis ac momenti ultrò volenſque profitebor. Tamen ubi veſtra omnium dignitas, Reipub. ſalus, mea ipſius gloria vocantur in diſcrimen, non poſſum mihi temperare, quin palam & maxima qua poſſum voce, ita ut omnes exaudire poſſint, de vobis omnibus graviter expoſtulem, & intempeſtivam illam, qua videmini me proſequi, commiſerationem duriùs etiam coarguam.

Diſtributio. Nam quid alienum magis à dignitate veſtra, quid Reip. ſaluti pernicioſius, quid Marco Regulo magis injurioſum eſſe poterat, quàm inutilis dolor, inanis gemitus, pietas mollior; ubi gravitas, conſtantia, & omni periculo ſuperior magnitudo quædam animi requiritur?

Licentia. Alienum dico à dignitate veſtra, P. C. Agite enim; an eſtis obliti quales ſitis, & quibus hìc partibus defungamini? Meminiſtis in eo vos amplitudinis gradu eſſe conſtitutos, non ut imbelli pietatis ſenſu afflictorum miſerias lugeatis, ſed ut plena ſummæ gravitatis judicia exerceatis; An excidiſſet vobis è memoria eſſe vos heredes priſcæ illius ſeveritatis, quæ tanta in hoc Imperio fuit, ut clariſſimi Imperatores in filios ſuos atrociſſimè interdum animadverterint, ſi tamen illud atrox, aut crudele videri poteſt, quod cum paucorum jactura univerſæ Reip. bono ac ſaluti conjunctum eſt?

Atque hinc mihi alia ſuboritur objurgandæ commiſerationis veſtræ ratio, quæ dum redimendos eſſe ab hoſtium ſervitute Romanos videtur perſuadere, funeſtiſſimam Reipub. perniciem importat. Quid enim opinione illa, cùm ad fovendam militum noſtrorum ignaviam, ac debilitandas ipſorum vires efficacius, tum ad excitandos hoſtium animos præſentius eſſe poteſt? Ubi hercule! in prælio paulò acriùs ex adverſo pugnabitur, plena fugientibus caſtra atque hoſtibus ſe ſe dedentibus videbitis; malent tradere ſe ſervituti turpiter, quàm honeſtæ vitæ finem conſequi. Quam porro ſpem in illis deinceps habebitis, quos putatis eſſe redimendos? Redibit nimirùm redemptus auro miles ad pugnandum paratior, qui pacem ac vitam petendam ab hoſte cenſuit priùs, quàm fortiter occumbere? reſumet virtutem priſtinam, qui ſe ab ea degenerem aliquando præſtitit? invadet hoſtem acriter, & cum eò ſtrenuè pugnabit, cujus olim jugum ac vincula expertus eſt?

Hìc verò ſinite me, P. C. æterno præterire ſilentio illatam nomini Romano labem, & nullo eluendam piaculo ignominiam. *Præteremiſſio.* Hoc indulgete dolori meo, ut obductas malè cicatrices non refricem, dum repeto memoriam triſtiſſimi illius ſpectaculi, quod ego vidi his oculis, atque utinam videre nunquam licuiſſet? Non dicam ſpectaſſe me ad ſempiternum hujus Imperii dedecus affixas Carthaginienſium delubris victrices illas aquilas, quarum vel aſpectus hoſtibus noſtris metum ac terrorem incutit. Tacebo direpta Romanis Civibus vexilla, quæ templorum tholis ſuſpenſa impunè volitant, non lacera, non infecta cæde ac ſanguine, ſed integra, ſed ultrò permiſſa. Non referam plena ſpoliis noſtris armamentaria, & auctum eſt Romano-

no-

norum manubiis Carthaginienſium ærarium! Silebo, nam refugit animus meminiſſe, ſilebo, inquam, cives noſtros ac milites, quorum præcipua laus ac gloria libertas eſſe debuiſſet, ſervorum inſtar onuſtos vinculis, & retortis poſt tergum manibus infami jugo depreſſos. Non dico vacua ſvulneribus omnium pœnè corpora, aut, quod longè turpiſſimum eſt, indignis ac pudendis plagis inuſta. Nolite igitur P. C. de redimendis hujuſmodi militibus cogitare, quorum ſalus multò majorem Reip. perniciem, quàm ipſa clades ac jactura allatura ſit. Abſit à veſtris animis tam pernicioſa Reip. noſtræ commiſeratio, quam ſi mea cauſa ſuſcepiſtis, rogo vos, ut eandem deinceps, niſi jam infelicis Reguli vos piget, deponatis.

Hoc enim ſaltem mereri poſſim à vobis, ut ſatis animi cenſeatis eſſe in Regulo ad perferendum fortiter, quidquid in me durius fortuna ſtatuerit. Neque vero audiendos putetis illos, qui me deditionis turpiſſimæ infamia liberant, & illius conſilii auctorem non fuiſſe profitentur. Certè, ſi quid in ea re ignominiæ eſt, cui potiùs, quàm Imperatori tribuendum?

Nihil hic purgandus apud vos ſum, P. C. nec quidquam derivandi criminis gratia dicam. Utcumque geſta res eſt, nequaquam me ab eorum cauſa ſegregabo, nec turpis facti auctoritatem defugiam. Ero igitur in hoſtium poteſtate atque arbitrio, quominus id moleſtè ferant, meoque exitio patriæ dedecus abolebo. Diſcant exemplo noſtro Romani milites, nullum in acie, præterquam in virtute atque manibus, eſſe perfugium. Documento erimus generi humano, pugnantibus Romanis aut victoriam aut necem eſſe propoſitam, mediam inter eas fugam nunquam niſi hoſtibus patere.

Atenim carebitis Romanis illis Civibus, quos in vinculis Pœni detinent? Nam video occurrendum eſſe illorum pietati, quos hæc jactura Cōceſſio.
moveat, carebitis, inquam, illis Civibus? Eſto: at retinebitis apud vos partem maximam nobiliſſimæ ac florentiſſimæ Juventutis, quibus non tam eſt patriæ, quàm illorum in patria deſiderium; quorum maximè gratia Legatio iſta ſuſcepta eſt, quorum jactura magna fit Carthaginienſibus virium & animorum deceſſio. Graviſſima nobis ſupplicia præparantur? nihil moror, at illarum Romano nomini opprobrium licebit eluere. Mortem non effugiemus? at mori glorioſe præſtat, quàm turpiter vivere.

Quanquam ſi doletis graviùs jacturam tam levem, P. C. ſtatuite Cōceſſio Ironica.
de cæteris; ut placuerit, per me licet, redimite, quando ſic libitum eſt, ignavos milites, qui plus nocere nobis, quàm prodeſſe poſſunt. Effundite opes veſtras, exhaurite ærarium, flagitio flagitium addite, ut belli nervis deſtituti neceſſariis ad dubia Reipub. tempora præſidiis careatis. Remittite Carthaginienſibus præcipuum totius exercitus robur, exercitatam militari diſciplina juventutem, ut jam jam majori numero reparatiſque viribus vobis ingruant. Mihi in patria manere nulla conditione certum eſt, atque decretum, nec, ut reliquos maximè redimendos cenſueritis, quemquam mecum de Carthaginienſibus captivis permutabitis.

ALIA EXERCITATIO.

Per eaſdem Figuras.

Marcus Tullius Cicero ad Senatum, ut peracta in Lentulo, Cethego, aliiſque Conjurationis Catilinariæ ſociis cædis invidiam amoliatur.

SYNOPSIS.

EXord. & Propoſitio fiet per Licentiam. Dicet Cicero non venire ſe, ut peractæ cædis ſuſpicionem amoliatur à ſe, qua Romanus quilibet gloriari debeat.

Rationem afferet per Diſtributionem, quia cædes illa fuit juſta, neceſſaria & utilis. Ex triplici illo capite eruetur Confirmatio.

1. Juſtam illam cædem fuiſſe probabit enumeratione illarum rerum, quas Catilinæ ſocii cum Catilina moliebantur in Reip. perniciem: recenſebitque excidium urbis, bonorum occiſionem, ruinam totius Italiæ, idque tractabit per Prætermiſſionem, petendo à Judicibus, ut ab ejuſmodi rebus commemorandis abſtinere liceat.

2. Neceſſariam fuiſſe demonſtrabit; quia etiam ſublato Catilina, erat timendi locus, ne conjuratio redintegraretur, ſi ſuperſuiſſent Catilinæ ſocii. Hoc tractabit per Conceſſionem. Eſto dederit Catilina pœnas temeritati ſuæ pares, diſſipata, extincta conjuratio videri potuerit. At, &c.

3. Demonſtrabit fuiſſe utilem, ab ea tranquillitate, qua gaudebat civitas, ex quo conjurati pœnas dederant; deinde ex publica omnium Ordinum gratulatione, quam ſibi decreverant pro ſervata patria.

Concludet admonendo eos qui nimis dolerent de interfectis conjuratis, ne veniant ea demonſtratione in ſuſpicionem neceſſitudinis alicujus cum Conjuratis.

ORATIO.

Etſi novi unus omnium optimè, P.C. quàm graviter apud vos de me expoſtulaverint, qui Lentulum ac Cethegum reliquoſque peſtiferæ conjurationis ſocios dignas temeritate ſua dediſſe pœnas affliguntur; nolite tamen exiſtimare veniſſe me hodie in hunc celeberrimum conſeſſum veſtrum, vel ut amoliri à me peractæ cædis ſuſpicionem, vel adhibitam in nefarios cives ſeveritatem conarer excuſare.

Eſt enim hujuſmodi factum illud, quod auctoritate mea patratum eſſe profiteor, & ita profiteor, ut à vobis omnibus qui hic adeſtis, quorum & frequentia maximè lætor, exaudiri velim; ut non modò Conſul, qualem eſſe me benevolentia veſtra voluiſtis, ſed etiam Civis Romanus quilibet ſincero patriæ ſtudio ſuccenſus eo debeat gloriari. Licentia.

Nam quis, amabo vos, P.C. niſi quam habuerit ille cum apertis Reip. hoſtibus ſocietatem, aut ejuſdem hodie etiam reſtincto jam incendio perniciem meditetur, qui ſublatos cruenta morte cives eos doleat, quorum damnatio tam juſta, tam neceſſaria, tam utilis Reip. totique adeo Italiæ videri debuit? Agite; quàm ſeverè, quàm duriter animadverti in eos oportebat, qui unumquemque noſtrum fatali exitio deſtinabant? An decuit ullam impertiri miſericordiæ partem iis, qui neminem à ſua crudelitate atque ſævitia immunem volebant? an æquum erat eorum quemquam eſſe diutiùs in vita ſuperſtitem, qui Remp. nullam eſſe ac funditùs interire decreviſſent? Diſtributio.

Hic verò ſinite me, P.C. prætetire funeſtiſſimam conjurationis illius memoriam, quam meis conſiliis, meis laboribus, mei capitis periculo, ſine multitudine, ſine delectu, ſine armis, ſine tumultu, à veſtris omnium cervicibus depulſam fuiſſe mihi voſmetipſi gratulati eſtis. Vel ipſa periculorum, quæ defugimus, recordatio me angit atque ex- Prætermiſſio.

cruciat mirum in modum; quoties recogito mecum tacitus, eò proruпiſſe quorumdam hominum improbitatem, ut incenſioni urbem, internecioni cives, Italiam vaſtitati deſtinaſſent: cùm redit in mentem vix unius noctis ſpatium abfuiſſe, quin perditi ac ſcelerati cives vitam omnium, ſtatum orbis terrarum, urbem hanc denique noſtrum omnium ſedem, arcem Regum ac Nationum exterarum, lumen Gentium, domicilium Imperii perderent ac labefactarent.

Et erit aliquis tam inimicus huic urbi, tam alienus à ſalute civium, tam parum cupidus Romani nominis, ut eos ſublatos de medio doleat, qui niſi communi omnium exitio vitam trahere ulteriùs non potuiſſent? Majores noſtri Gracchum utrumque, Tiberium & Cajum, Spurium Melium, Saturninum & alia civitatis hujus clariſſima lumina merita mulctatos morte judicarunt, quòd ſtudere novis rebus, & nimiam in libera civitate poteſtatem affectare viderentur; nos patiemur iniquo animo peſtiferæ conjurationis ſocios interiiſſe, qui Remp. totam peſſumdare moliebantur.

Atenim video, quid objiciant homines manſueti planè ac miſericordes. Diſſipata, inquiunt, conjuratione, extincto penitùs, quod imminebat, funeſti belli incendio, exulante longiùs Catilina quid erat deinceps metuendum huic urbi? cur in clariſſimos Cives tam inhumaniter ſævitum eſt? Quæ tua, Marce Tulli, tanta, tam incredibilis ſanguinis humani ſitis, ut medio pacis in ſinu triſtiſſimam carnificinam exerceres? an videbatur aliquid deeſſe gloriæ tuæ, niſi tot illuſtriſſimas civitatis hujus familias luctu ac mœrore perderes?

Sit ita ſanè, P. C. id vigilantia noſtra & Conſulari auctoritate conſecuti ſimus, ut imminentem patriæ, civitati, Reip. perniciem averteremus; diſſipata, extincta, ſi vultis conjuratio ſit; pœnas dederit dignas ſcelere, dignas furore ſuo nequiſſimus poſt homines natos Catilina. Tamen putatis nihil fuiſſe quod pertimeſceremus, niſi ſocii pariter funeſtæ conjurationis concidiſſent; inertes illi ſcilicet ac lenti quieviſſent à flagitio? non tetendiſſent novas Reip. inſidias? non collegiſſent vires? non conſopitam malè incendium ſuſcitaſſent? non ſpirantem adhuc & anhelantem ſcelus Catilinam per fas ac nefas intra urbis hujus mœnia revocaſſent? Sic vobis notus animus, ſic nota perditorum hominum indoles fuit? Non ignorabam ego, P. C. quales eſſent, non illuſerant mihi, non fecerant fucum. Vidi quid vellent, quò tenderent, quid meditarentur; non quieviſſent illi, mihi credite, non abſtinuiſſent à ſcelere, donec Remp. penitùs everтiſſent. Hinc intelligite, P. C. quanti momenti fuerit, ut cives perditi, quaſi putrida totidem membra à reliquo Reip. corpore reſcinderentur.

Conceſſio.

At quantus hinc fructus, quanta ad omnes utilitas pervenit! Quis eſt in hac ampliſſima civitate, qui reſpirare tandem, & poſt longos graveſque metus ſecurum eſſe ſe poſſe non æſtimarit? Quis graviſſimis periculoſæ tempeſtatis fluctibus defunctus, beatum tranquillæ pacis attigiſſe portum ſibi non viſus eſt? Eſt aliquis adhuc tam timidus, tam procellæ metuens, qui ſublatis de medio conjurationis funeſtæ reliquiis, bona, fortunas, domum, liberos, conjugem ſeque ipſum veluti è communi naufragio ereptum fuiſſe non arbitretur? Ut immutata paucis ab hinc diebus hujus urbis facies! ut pa-

pacatâ ubique regnat quies ac tranquillitas! ut omnes, quotquot ſunt, boni & amantes Reip. cives quaſi ex longa recreati malorum ſerie plaudunt ſibi ac triumphant!

Mihi verò, P.C. quem in ſedanda tempeſtate non inanem operam poſuiſſe arbitrati ſunt, quàm frequentes, quàm honorificas gratulationes univerſi Reip. Ordines decreverunt! Quis habendas mihi gratias non putavit, quòd viveret, quòd luctuoſam ſuæ ſobolis fortunarumque ſuarum perniciem non vidiſſet? quòd domeſticos intra Penates tranquilla pace frueretur?

Me-ne veſter Ordo ampliſſimus ſolemni ſupplicatione decorandum tanquam parentem patriæ & conſervatorem hujus urbis cenſuiſſet, niſi perſenſiſſet omnino, quanta interfectis, quicumque veſtrum exitium machinabantur, pernicioſis civibus, utilitas in omnes redundaſſet?

Valeant ergo, qui me crudelitatis ac ſævitiæ accuſandum putant; caveantque diligenter, ne, dum apertos Reip. hoſtes intempeſtivis querelis requirunt acerbiùs, arctiori, quàm par eſt, odioſæ cum ipſis neceſſitudinis vinculo conjuncti videantur.

ARTICULUS VII.

De Antitheſi, Permiſſione, Parentheſi.

Quid eſt Antitheſis, ut eſt Figura Sententiarum, & ab Antitheſi, ſeu Antitheto, quæ eſt Figura Verborum, diſtinguitur?

R. Eſt Figura, qua non tantùm verba verbis, ſed ſententiæ ſententiis opponuntur, ut pro Roſc. Amer. n. 13. *Accuſant ii, qui in fortunas hujus invaſerunt; cauſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accuſant ii quibus occidi patrem Sex. Roſcii bono fuit; cauſam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, ſed etiam egeſtatem. Accuſant ii qui hunc ipſum jugulare ſummè cupierunt, cauſam dicit is, qui etiam ad hoc judicium cum præſidio venit, ne hic ibidem ante oculos veſtros trucidetur. Denique accuſant ii, quos populus poſcit; cauſam dicit is, qui unus relictus ex nefaria cæde reſtat.* Egregium ejuſdem Figuræ exemplum ibid. n. 88. quod vide.

Pro Cœl. n. 12. *Habuit ille* (Catilina) *ſicut meminiſſe vos arbitror, permulta maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis; & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ; erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam ſtudia rei militaris ..... Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effuſior? Illa verò, Judices, in illo homine mirabilia fuerunt; comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, ſervire temporibus ſuorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia; verſare ſuam naturam, & regere ad tempus atque huc illuc torquere & flectere; cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſè vivere.*

Item pro Ligario n. 15. pro Lege Manil. n. 28.

Quid eſt Permiſſio?

R. Eſt

R. Eſt Figura, qua Orator bonitate cauſæ ſuæ fretus quædam judicibus aut adverſariis æſtimanda permittit, & ſtatuendi facultatem largitur. Hæc Figura eadem pœne eſt cum Conceſſione, niſi quòd illa multò gravior & acerbior eſt, ut Philippica 2. num. 5.

At beneficio ſum uſus tuo? quo? Quòd me Brundiſii non occideris, quem ipſe victor, qui tibi, ut tu te gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis principatum, ſalvum eſſe voluiſſet, in Italiam ire juſſiſſet, eum tu occideres? Fac potuiſſe. Quod eſt aliud, P. C. beneficium latronum, niſi ut commemorare poſſint iis ſe dediſſe vitam, quibus non ademerint? Quod ſi eſſet beneficium, nunquam ii, qui illum interfecerunt, à quo erant ſervati, quos tu ipſe viros clariſſimos appellare ſoles, tantam eſſent gloriam conſecuti. Quale autem beneficium eſt, quòd te abſtinueris à nefario ſcelere? Qua in re non tam jucundum mihi videri debuit, non interfectum à te, quàm miſerum, id te impunè facere potuiſſe. Sed ſit beneficium, quandoquidem majus obtineri à latrone non potuit, in quo me dicere potes ingratum? An de interitu Reip. queri non debui, ne ingratus viderer, &c.

Et Catil. 1. num. 10. *Catilina, perge quò cœpiſti; egredere aliquando ex urbe; patent portæ, proficiſcere. Nimiùm diu te Imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, purga urbem.*

Et pro Flacco n. 96. *Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus ejectos; nimiæ pietatis & ſummi amoris in patriam viciſſim nos pœnas, ſi ita Diis placet, ſufferamus.*

Habes alia Permiſſionis exempla de Provinc. Conſ. n. 8. & n. 16. in Vatin. n. ii.

Quid eſt Parentheſis?

R. Eſt Figura, qua Orator breviter declinat à propoſito, & nonnihil alicujus continui partibus interjicit.

Eſt autem hæc Figura tam frequens apud Ciceronem, ut pœne ſupervacaneum ſit exempla in medium proferre.

Divin. in Ver. n. 28. *Quare negent; ex me non audies; hos patere id ſuſpicari, quod neceſſe eſt. Illi quidem (ut eſt hominum genus nimis acutum & ſuſpicioſum) non te ex Sicilia literas in Verrem deportare velle arbitrantur, &c.*

2. in Ver. n. 15. *Sed video quid agat (neque enim agit occultiſſimè) proponit inania mihi nobilitatis, hoc eſt arrogantium hominum nomina.*

2. Philip. n. 16. *At etiam auſus es, (quid eſt autem quod tu non audeas?) Clivum Capitolinum dicere, me Conſule, plenum ſervorum armatorum fuiſſe.*

Ibid. eodem numero. *O miſerum, ſive illa tibi nota non ſunt (nihil enim boni noſti) ſive ſunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare.*

Et pro Sextio n. 25. & 49. in Piſonem n. 72.

EXERCITATIO.

Diva Genovefa Heroibus quibuſcumque illuſtrior.

Per Antitheſim & Permiſſionem.

SYNOPSIS.

Exord. Flet per Permiſſionem, ultroque patietur Orator jactari ab admiratoribus antiquitatis priſcos Heroas, qui nominis ſui memoriam factis illuſtribus conſecrarunt.

Propoſitio. Dicet, Divam Genovefam feliciorem fuiſſe, licèt diverſam omnino viam ab iis tenuerit.

Confirmatio. Per Antitheſim. Comparabit

bit Beatæ Genovefæ vitam & agendi modum cum vita factiſque veterum Heroum. Illius modeſtiam cum horum ambitione, illius otium pacificum, cum ſollicitis horum laboribus; illius de ſeipſa victoriam, cum edita ab his hoſtium ſtrage, &c.

Confirmabit deinde, comparando per alias Antitheſes gloriam, quam ſibi Genovefa peperit, cum illa laude, quam priſci Heroes meruere. Hæc fragilis ac caduca, illa ſolida ac ſincera, hæc brevis, illa ſempiterna, &c.

Concludet, Dicendo Deum mirabilem extitiſſe in illuſtranda Sanctorum gloria, ut mortales ſuum ad obſequium & amorem illiceret.

ORATIO.

Permiſſio. *Parentheſis.*

Jactet enimverò ambitioſa vetuſtas Heroas ſuos, & futuris ætatibus pergat magnificentiùs oſtentare. Prædicet, (nam quis hoc illi leve ſolatium invideat?) exhantlatos ab iiſdem labores, & edita paſſim bello facinora, quibus immortalem, ſi Superis placet, gloriam apud poſteros meruerunt, inſolentiùs efferat.

Ecce ignobilis Puella laboravit illis omnibus feliciùs, & ſublimius quoddam laudis honoriſque faſtigium aſcendit. Ac licèt diverſam penitus ab iis tenuerit viam, qui memoriam ſui nominis in omne tempus conſecrare ſtuduerunt; licèt nihil ſit ab ea geſtum cum faſtu, nihil palam aut per oſtentationem, tamen poſt emenſum ſemel vitæ curriculum bellatorum omnium decus ac famam tanto ſuperavit intervallo, quanto illi, dum viverent, Genovefæ tenuitatem atque obſcuritatem ſuperabant.

Agite enimverò, B. Genevefam cum tot clariſſimis viris, tot famoſis orbe toto nominibus, immenſos eorum labores cum pacifico illius otio conferamus. *Antitheſis.* Illi acrioribus parandæ ſibi gloriæ ſtimulis incenſi ad magna quæque ferebantur. Illa uno ſui deprimendi ſtudio ſtimulata, quod erat abjectum cumque ambiebat; Illi res ſuas magno cum faſtu palam & ubique jactabant. Illa ſectabatur hoc unum, ut lateret. Illi armorum præſidio ad nominis ſui commendationem abutebantur. Illa perpetuis apud Deum precibus atque obſecrationibus indulgebat. Illi ſuſcitabant hoſtes ſibi quos vincerent, ut partam ex victoria gloriam conſequerentur. Illa nullum ſibi, niſi cum vitiis, bellum volebat eſſe, & meritam ex eorumdem ſtrage laudem uni Deo referebat. Illi populorum cæde ac ſanguine venturis olim ætatibus innoteſcere quæſierunt. Illa aſſidua corporis ſui afflictatione ſoli placere Numini cogitavit. Illi rerum à ſe geſtarum titulis atque inſcriptionibus, erectis ad pompam ex ære vel marmore monumentis breves ævi mortalis anguſtias compenſare conati ſunt. Illa impreſſis ubique virtutum ſuarum veſtigiis, quam vixit olim vitam ad hæc uſque noſtra tempora meliori fato prorogavit.

Vicerunt illi quidem ex parte ruentis omnia ac labefactantis temporis injurias, & aliquam apud nos retinent nominis ſui commendationem. At vicit illas multò feliciùs Genovefa, & illuſtriorem apud hominum memoriam locum obtinet. Narrantur hodièque res ab illis laudabiliter feliciterque geſtæ; at in pleriſque rerum iſtarum gloriam ingrata recordatio vitiorum obſcurat. Genovefæ memoria ſic apud nos recolitur, ut nulla labe corrupta, ſed grata penitùs occurrat. Illorum cineres ſine honore contempti jacent; nullumque à nobis cultum ſibi vindicant. Pretioſæ illius reliquiæ omnium venerationi proponuntur. Nihil illi poſſunt hominum cauſa; neque jam benemereri de quoquam valent.

Ge-

Genovefa ſuum ultrò impertit ab alto præſidium, & ſe clientum precibus patitur exorari.

Verè tu mirabilis, ò Deus, tu colendus ante omnes & amandus, qui mortales miſeros ſic extollis, & leve fragilis obſequii munus, ingenti laudis nunquam interituræ pretio compenſas.

ALIA EXERCITATIO.

Mutius Scævola Romanus ad Porſenam Cluſinum Regem, cùm Scribam ejus, pro Rege ipſo interfeciſſet.

Per Permiſſionem.

SYNOPSIS.

Exord. Romanum ſe eſſe hoſtemque Porſenæ fatebitur, eoque acceſſiſſe conſilio, ut ipſum interficeret.

Deinde per Permiſſionem admonebit Porſenam, ut ſtatuat de ipſo, quidquid volet, ſibi interim exurendam videri manum illam quæ erraverat.

Mox per eandem Figuram jubebit Porſenam exemplum ſumere ex ea ſeveritate, quæ errorem ſuum plecteret, quàm grave ſupplicium ipſe viciſſim de Mutio ſtatueret.

Concludet per eandem Figuram, Porſenam admonendo trecentos eſſe Romanos juvenes, qui facinus idem audeant.

ORATIO.

Romanus civis ego ſum, quem Mutium vocant, hoſtis hoſtem occidere volui. Non mihi ad cædem, vel meditandam conſilium, vel perficiendam animus defuit; neque etiam ad plectendam, quæ erravit, manum æquitas deerit. Proinde tu de me ſtatue, ut voles; nihil moror. Interim de me ipſo, aut de hac potiùs, quæ me fefellit, manu quid ſtatuam, vide. Errorem illa ſuum vindicibus flammis expiabit, & ſolvet ipſa pœnas, quas irrogare tibi debuiſſet. Et quoniam facti illius honorem, cui fuerat devota per me, non adepta eſt, illam deinceps, tanquam vile & inane membrum reputo, & à reliquo corpore reſcindi volo.

Permiſſio. Jam diſce vel ex me, quid te facere oporteat. Age, facinus vindica, iras acue, enſes expedi, lacera, petute, jugula, mille in partes divide, noſtro te ſanguine exſatia; non erit ad mortem minùs animi, quàm fuit ad cædem. Non me ſuppliciorum acerbitas terret, aut tortorum furor incutiet metum. Et facere & pati fortia Romanum eſt.

At unum moriens te monitum volo. Non unus in te ego hos animos geſſi; longus poſt me ordo eſt idem ambientium decus. Unus eorum aliquis, ſpero, ſi non in agendo me fortior, ſaltem in perficiendo felicior futurus eſt. Proinde in hoc diſcrimen, ſi juvat, accingere, ut ſingulas horas de capite dimices tuo, ferrumque & hoſtem habeas in veſtibulo Regiæ. Hoc tibi Juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris; uni tibi & cum ſingulis res erit.

ARTICULUS VIII.

De Deprecatione, Optatione, Execratione, Epiphonemate & Exclamatione.

Quid eſt Deprecatio ſeu Obſecratio?

R. Eſt Figura, qua alicujus opem aut miſericordiam Orator vehementer implorat. Opem quidem, ut pro Rabirio Perd. num. 5. *Quæ cùm ita ſint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famæ fortunarumque omnium fieri neceſſe eſt, ab Jove*

Optimo, Maximo, cæteriſque Diis Deabuſque immortalibus, quorum ope & auxilio multò magis hæc Reſp. quàm ratione hominum & conſilio gubernatur, pacem ac veniam peto, precorque ab iis, ut hodiernum diem & ad hujus ſalutem conſervandam, & ad Remp. conſtituendam illuxiſſe patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum poteſtas maxima ad Deorum immortalium Numen accedit, oro atque obſecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miſerrimi atque innocentiſſimi, ſalus Reip. veſtris manibus ſuffragiiſque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in Reipub. ſalute ſapientiam quam ſoletis.

Et pro Domo ſua n. 146. *Quapropter, ſi Diis immortalibus, ſi Senatui, ſi Populo Rom. ſi cunctæ Italiæ, ſi Provinciis, ſi exteris Nationibus, ſi vobiſmetipſis, qui in mea ſalute principem locum auctoritatemque tenuiſtis, gratum ac jucundum meum reditum intelligitis eſſe; quæſo obteſtorque vos, Pontifices, ut me, quem auctoritate, ſtudio, ſententiis reſtituiſtis, nunc, quoniam Senatus ita vult, manibus quoque veſtris, in ſedibus meis collocetis.*

Egregia eſt ibid. n. 144. Deprecatio, qua Jovis, Junonis, Minervæ & Veſtæ opem implorat.

Illuſtris etiam multò magis locus ille 7. Ver. n. 183. quo Tullius omnium omnino Numinum fidem & opem implorat adversùs Verrem, qui ſimulacra illorum eripuerat, delubra violaverat, Religiones polluerat. Legendus totus, qui omittitur hic à nobis, quia prolixior eſt.

Habes alia Deprecationis exempla ad implorandam opem comparata, pro Quinctio n. 10. pro Roſc. Amer. n. 1 '. 6. Ver. n. 113.

Valet etiam plurimùm Deprecatio ad excitandam miſericordiam, ut pro Mil. num. 92. *Quid reſtat, niſi ut orem obteſterque vos, Judices, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat, ego autem repugnante hoc & imploro & expoſco. Nolite, ſi in noſtro omnium fletu, nullam lacrymam aſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem ac non mutatam videtis, hoc minùs ei parcere; atque haud ſcio an multò etiam adjuvandus magis.*

Et pro Flacco n. 106. *Qui vos, quoniam eſt id ætatis, ut ſenſum jam percipere poſſit ex mœrore patrio, auxilium nondum patri ferre poſſit, orat, ne ſuum luctum patris lacrymis, patris mœrorem ſuo fletu augeatis. Qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodammodo flens fidem implorat; ac repetit eam, quam ego patri ſuo quondam ſpoponderim pro ſalute patriæ dignitatem.*

Eſt & hæc præclara Deprecatio pro Muræna n. 86. *Quæ cùm ita ſint, Judices, primùm Reipub. cauſa, qua nulla res cuiquam potior debet eſſe, vos pro mea ſumma & vobis cognita in Remp. diligentia, moneo, pro auctoritate Conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, ut otio, ut paci, ut ſaluti, ut vitæ veſtræ & cæterorum civium conſulatis: deinde ego fidem veſtram & defenſoris & amici officio adductus, oro atque obſecro, Judices, ut ne hominis miſeri & cùm corporis morbo, tum animi dolore confecti Luc. Murenæ recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. Modò maximo beneficio Populi Rom. ornatus fortunatus videbatur, quòd primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum Conſulatum attuliſſet; nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lacrymis ac mœrore perditus, veſter eſt ſupplex, Judices, veſtram fidem* ab-

obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem ac veſtras opes intuetur. Nolite, per Deos immortales, Judices, &c.

Alia ſunt ejuſdem Deprecationis exempla pro Quinct. n. 97. pro Roſc. Amer. n. 150. pro Cluent. num. 200. pro Dejotaro n. 9.

Adhibetur hæc potiſſimum Figura in Perorationibus; quia nata eſt tota ad movendos affectus, quod præſtatur vulgò in Peroratione.

Quid eſt Optatio?

R. Eſt Figura, qua Orator vehemens aliquod deſiderium ſignificat, ut 5. Ver. n. 81. *Unus adhuc fuit, poſt Romam conditam (Dii faxint, ne ſit alter) cui Reſpublica tota ſe tradidit, temporibus coacta, malis domeſticis, L. Sylla.*

Et pro Lege Manil. n. 27. *Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium tantam copiam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis eſſet, quemnam potiſſimum tantis rebus ac tanto bello præficiendum haberetis!*

Et pro Rab. Perd. n. 18. *Utinam hanc mihi facultatem cauſa concederet, ut poſſem hoc prædicare C. Rabirii manu L. Saturninum hoſtem Populi Rom. interfectum!*

Valet hæc Figura plurimùm, ad ſpem, dolorem, timorem & amorem ſignificandum. Sed frequentiùs uſurpatur apud Poetas, quàm apud Oratores.

Quid eſt Execratio ſeu Imprecatio?

R. Eſt Figura, qua Orator malum alicui imprecatur, ut 6. Phil. num. 12.

Igitur eſt Patronus L. Antonius? malam quidem illi peſtem; clamori enim veſtro aſſentior: non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit, ſed quis unquam tantis opibus, tantis rebus geſtis fuit, qui ſe Populi Romani victoris dominique omnium gentium tutorem dicere auderet?

Et Phil. 13. n. 48. *Quin tu abi in malam peſtem malumque cruciatum! ad te quiſquam veniat niſi Ventidii ſimilis?*

Valet hæc Figura ad ſignificandum odium & indignationem: ſed uſurpatur illa rariùs ab Oratoribus, quàm à Poetis.

Quid eſt Epiphonema, ſeu Acclamatio?

R. Eſt ſpecies quædam Exclamationis, qua Orator rei narratæ vel probatæ pronunciatum aliquod, inſtar coronidis ſubjicit ex ſuperioribus expreſſum. Ita Tullius pro Sextio num. 86. poſtquam docuit oportere legibus ac judiciis vitam tueri; quod ſi fieri non poteſt, vim vi propulſandam, ſubdit. *Hoc ſentire prudentiæ, facere fortitudinis; ſentire verò & facere, perfectæ cumulatæque virtutis.*

Ita pro Milone num. 9. poſtquam laudavit adoleſcentis cujuſdam pudicitiam, qui Tribunum Militarem Imperatoris propinquum ſibi vim inferentem interfecerat, hoc addit, *Facere probus adoleſcens periculosè, quam perpeti turpiter maluit.*

Sic & paradoxo 1. Cùm parſimoniam multis extulit laudibus, concludit. *Dii immortales! non intelligunt homines, quàm magnum vectigal ſit Parſimonia!*

Egregia eſt etiam illa Acclamatio Ciceroniana v. Ver. n. 176. Ubi cùm probaſſet miſſum Romam à Verre frumentum fuiſſe Siculorum pecunia emptum, cùm ipſe pecuniam publicam impunè ſibi ſervaſſet, hæc adjicit. *O conſuetudo peccandi quantam habet jucunditatem in improbis & audacibus, cùm pœna abfuit, & licentia conſecuta eſt!*

Ex Ver. 6. n. 8. *Sed quid ego tam vehementer invehor ? verbo jam uno repellar; Emi, inquit, ò Dii immortales præclaram defenſionem ! Mercatorem cum imperio ac ſecuribus in Provinciam miſimus!*

Aliud exemplum ſufficit Orat. in Piſon. n. 93. loquens de Militibus, qui, non invento Piſone, quem interficere volebant, deturbarant ac comminuerant ipſius ſtatuam, ait.

Sic odium, quod in ipſum attulerunt, in ejus imaginem ac ſimulacrum profuderunt.

Uſurpatur autem hæc Figura præſertim in rebus quæ ſunt admiratione dignæ, ad commendationem vel commiſerationem excitandam.

Quid eſt Exclamatio?

R. Eſt Figura, qua Orator vehementem aliquem affectum ſignificat, cujuſcumque tandem generis ille ſit.

Nihil tam obvium apud Ciceronem quàm hæc Figura: quare ſatis habebimus illuſtriora quædam illius exempla tantùm deſignare.

Pro Roſc. Amer. num. 146. *Per Deos immortales! Quæ iſta tanta crudelitas eſt? quæ tam fera immaniſque natura? quis unquam prædo fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus, ut cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet?*

Pro Cluent. num. 15. *O mulieris ſcelus incredibile & præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! ò audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minùs vim Deorum hominumque famam; at illam ipſam noctem faceſque illas nuptiales, &c.*

1. Catil. num. 9. *O Dii immortales ubinam gentium ſumus! quam Rempub. habemus? in qua urbe vivimus?*

Pro Flacco num. 102. *O nox illa, quæ penè æternas huic urbi tenebras attuliſti, cùm Galli ad bellum, Catilina ad urbem, conjurati ad ferrum & flammam vocabantur! ..... O Nonæ illæ Decembres, quæ me Conſule fuiſtis; quem ego diem verè natalem hujus urbis aut certè ſalutarem appellare poſſum! O nox illa, quam iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic urbi! miſerum me! metuo, ne funeſta nobis!*

Habes alia hujus Figuræ exempla 5. Ver. num. 137. 6. Ver. num. 146. Pro Cluent. num. 48. Pro Sylla n. 91. Pro Sextio num. 27. Pro Cœlio n. 59. 71. In Piſon. n. 41. Pro Milone num. 104. & 105. 2. Phil. n. 16. 54. 68. 8. Phil. n. 23. 29. 10. Phil. n. 8. 11. Phil. n. 8.

Interdum eſt Exclamatio Ironica, & tunc magnum leporem habet. In Piſonem num. 58. *Non eſt integrum Cn. Pompeio conſilio jam uti tuo, erravit enim; non guſtarat iſtam tuam Philoſophiam. Ter jam homo ſtultus triumphavit. Craſſe, pudet me tui! quid eſt, quod confecto formidoloſiſſimo bello coronam illam lauream tibi decerni volueris à Senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audiſtis, tam doctum hominem, tam eruditum, priuſquam in iſtum errorem inducerentini ..... O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos, ò amentem Paullum, ruſticum Marium, nullius conſilii patres iſtorum amborum Conſulum, qui triumpharunt!*

Et pro Balbo n. 20. *O præclarum Interpretem Juris! Auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem noſtræ civitatis; qui hanc pœnam fœderatis adſcribat, ut omnium præmiorum beneficiorumque noſtrorum faciat expertes fœderatos!*

Item 3. Philip. num. 27. *O Cai*

Ce-

Ceſar (adoleſcentem appello) quam tu ſalutem Reip. attuliſti, quàm improviſam, quàm repentinam! qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret inſequens? Etenim dixerat, ſe cuſtodem futurum urbis, uſque ad Calendas Majas ad urbem exercitum habiturum. O præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, Lupum! cuſtoſne urbis, an direptor & vexator eſſet Antonius?

Et pro Cluentio n. 108. *O innocentiam Opiniaci ſingularem! quo in reo, qui abſolvit, ambitioſus; qui diſtulit, cautus; qui condemnavit, conſtans exiſtimatur.*

EXERCITATIO.

Per laudatas ſupra Figuras.

Judas ad Fratres ne perire Joſephum in Ciſterna patiantur.

SYNOPSIS.

Exord. AB abrupto, petet ab ipſis, an non ſatis huc uſque odiis indulſerint, niſi ulteriùs iras promoveant.

Deinde ipſos deprecabitur, ne perire Joſephum in Ciſterna patiantur. Hæc autem erunt Deprecationis momenta. 1. Gravitas ſceleris, quod nihilo inferiùs videri debeat, quàm ſi manus fratris ſanguine cruentaſſent. 2. Tenera pueri ætas cui indulgeri aliquid poſſit. 3. Parentis dolor, cùm peremptum fratrum ſcelere Joſephum audiet: hic erit locus Exclamationi. 4. Judas ipſe qui ſe Joſephi patronum profitetur.

3. Per Epiphonema, quaſi ipſos minimè commoveri ſentiret, dicet tanti eſſe aſſueviſſe odiis & invidiæ!

4. Per Execrationem funeſta quæque ipſis comminabitur, niſi placidos ſenſus induant.

Denique per Optationem, orabit, ut Deus fratrum animos inflectat.

ORATIO.

Actum eſt igitur; Fratres; peribit puer Joſephus, neque ulla vos miſeri fratris commiſeratio duros atque intractabiles inflectet? Tamen nondum-ne ſatis veteribus odiis datum eſt? an non exſaturatus adhuc cupidus vindictæ, & invidiæ impotens animus? Placet ulteriùs iras perſequi, ac niſi tetro in ſpecu fame pereat infelix frater, quidquid admiſſum eſt hactenus, leve reputabitis? Per Deum immortalem! quæ iſta veſtra crudelitas eſt? quæ tam fera immaniſque natura? quis tantus fuit odiorum furor, ut niſi fratris funere expleri nequeat? *Exclamatio.*

Vos ego, per quidquid ſanctum vobis formidandumque eſt, oro atque obteſtor, mentem à tanto flagitio reflectite, niſi fortè expertes vos puroſque ſceleris arbitramini, quòd puerum ipſi non peremiſtis? quòd manus fraterna cæde abſtinuiſtis? quòd exhorruiſtis ad illud facinus, quod volentibus vobis ac jubentibus dira fames jamjam peraget? Sed quid ego hæc? ſentio, veteres ſimultatum cauſæ etiam animum pungunt & exſtimulant; reus eſt Joſephus, aut talis certè vobis viſus eſt; ſit ita ſanè; nihil moror. At numquid benè pueri infelicis gemitus, amaræ doloris indices lacrymæ, terribilis ipſe propinquæ mortis metus, quidquid peccatum ab eo eſt, totum exſolvit? Si tamen quidpiam adhuc luendum reſtat, id annis, precor, indulgete, quod ſceleri deberetur. Nolite, quæſo, committere, ut fratrum invidia cecidiſſe Joſephum parens mihi vobiſque amantiſſimus audiat. O pater! infelix pater! quo ſenſu ferale nuncium accipies? quo vultu cruentam filii tunicam intuebere? quis erit doloris aut lacry- *Deprecatio.* *Deprecatio.* *Exclamatio.*

4. Quædam Figuræ ſunt, quæ ſtatim initio uſurpantur, ut Interrogationes, Apoſtrophæ, Diſtributiones, &c. Nonnullæ verò aliquam veluti præparationem requirunt, ut ſunt Exclamationes, quæ non uſurpantur, niſi poſt explicatas res graviores; Hypotipoſes, Proſopopejæ & ſimiles, quas abſurdum eſſet ſtatim ab initio alicujus Orationis, vel Capitis adhibere.

5. Figuræ Verborum ſunt hujuſmodi, ut plus afferre tædii Orationi poſſint, quàm Figuræ Sententiarum, ſi illæ crebriùs uſurparentur.

Denique nulla re magis poteſt de Figurarum uſu judicari, quàm frequenti Ciceronis lectione, qui Figuras ſuis quibuſque locis ſic accommodat, ut ad eadem perſactanda factæ quodam modo videantur.

LIBER QUARTUS.

De vi Oratoris ſeu de Inventione.

CAPUT PRIMUM.

HActenus egimus de Elocutione Oratoria, de ejuſdem Amplificatione, de Ornatu ſive de Figuris; nunc agendum nobis de Inventione & Probationibus, ſine quibus, ut ait Cicero, Elocutio inanis eſt ac pœne puerilis.

Quid Inventionis nomine intelligitur, in qua vis Oratoris præcipua eſt?

R. Inventio eſt excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quæ valeant tam ad faciendam fidem, quàm ad motus animorum excitandos. Argumentis utuntur Rhetores ad faciendam fidem, amplificatione ad motus excitandos.

Quid eſt Argumentum?

R. Eſt probabile inventum ad faciendam fidem.

Quid eſt Argumentatio?

R. Eſt argumenti ipſius fuſior explicatio.

Unde quærenda ſunt Argumenta?

R. Ex locis Oratoriis, quorum duplex eſt genus; alii qui ex ipſa re ejuſque quaſi viſceribus educuntur, & propterea appellantur Inſiti ſeu intrinſecùs petiti, alii qui aliunde eruuntur & nominantur extrinſecùs accerſiti.

Quot ſunt Loci Oratorii in ipſa re inſiti?

R. Sexdecim, Definitio, Enumeratio Partium, Notatio nominis, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Diſſimilitudo, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Cauſæ, Effecta, Comparatio.

Quot ſunt loci extra rem poſiti?

R. Sex, Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Teſtes.

Huc etiam pertinent Hiſtoriæ, Fabulæ, Leges, Sententiæ veterum, & ſimilia; de quibus antequam agamus, res videtur exemplo demonſtranda.

C A-

CAPUT II.

De Ratione eruendi ex Locis Oratoriis Argumenti.

SIt illud Oratori Forenſi propoſitum ut de Juriſprudentia ac Juſtitia dicat ; ita Locos Oratorios alios poſt alios perveſtigare poterit.

Locus à Definitione ſegetem uberem materiemque dicendi ſuppeditabit. Juſtitia enim eſt regnorum & imperiorum moderatrix , expultrix ſcelerum , virtutum conciliatrix , pacis alumna , concordiæ parens , &c.

Enumeratio partium ſubjiciet ſingulos regni Ordines quibus Juſtitia prodeſt , Regibus ad dignitatem , nobilibus ad ſpendorem, civibus ad concordiam, populis ad mutuam ſocietatem, improbis ad frænum, militibus ad obedientiam, omnibus ad felicitatem.

Notatio Nominis hæc eſt ; Juſtitia dicitur, quòd jus ſuum cuique tribuat.

Conjugata. Qui Juſtitia præditus eſt , juſtus ille dicitur , juſtèque Rempublicam adminiſtrat.

Genus. Si oſtendas juſtitiam complecti cæterarum virtutum dotes & ornamenta.

Species. Cùm Juſtitiæ ipſius, quatenus ſingularis virtus eſt , laudes perſequeris, ſeu qua mentem & voluntatem in bono dirigit , ſeu qua Deum ipſum, proximum, noſmetipſos ſpectat.

Cauſæ. Deum auctorem habet Juſtitia, cui ſimilem facit hominem , qui imago eſt Divinitatis ; ipſa etiam orbis perfectio eſt, cujus ad bonum tota dirigitur.

Effecta. Sunt ea quæ ex Juſtitia derivantur, pax, tranquillitas civium, pietas, Religionis cultus, vitiorum extinctio, procreatio virtutum , & alia ſimilia.

Antecedentia. Complectuntur ea naturæ præſidia & diſciplinarum ſubſidia, quæ ad Juriſprudentiæ cognitionem, Juſtitiæque profeſſionem requiruntur.

Conſequentia. Vel coincidunt cum Effectis, vel continent laudes, quibus ille dignus eſt, qui hac utraque facultate præſtat.

Adjuncta. Sunt ea quæ cum Juriſprudentia ſocietatem habent individuam, veluti ſtudia Philoſophiæ, Hiſtoriarum, Legum, Exemplorum, & totius antiquitatis notitia.

Repugnantia. Quomodò fieri poteſt, ut vir legum omnium ſcientiæ ſtudens, aut earum cognitione præditus obnoxius ſit communibus vitiis , ut otio , vitæ molliori & aliis.

Similitudo. Talis inſtitui poteſt. Juſtitia inter cæteras virtutes ſolis inſtar obtinet ; atque ut ſolis præſentia nimbos diſſipat, ſedat tempeſtates, campis ſegetes, arboribus fructus, herbis viriditatem parit , orbemque univerſum efficit lætiorem ; ita juſtitia imperiis tranquillitatem , pacem rebus publicis conciliat ; &c.

Diſſimilitudo. Ut gentes, quibus juſtitia non illuxit, feram traducunt & agreſtem vitam ; ita è contrario, qui hanc præcipuo ſtudio colunt , cæteris humanitate præſtant.

Comparatio. Si Fortitudo , Prudentia, cæteræque virtutes tot laudibus dignæ ſunt atque præconiis , quarum eſt privato cujuſque bono conſulere ; quid Juſtitia, quæ ipſum omnium commune bonum ſpectat , omnium utilitatibus proſpicit, &c.

Contraria. Juriſprudentia hominum ſocordiam excutit, tollit Literarum contemptum . Juſtitia verò ſce-

ſcelera, dolos, fraudes, rapinas expellit, nonne ergo utraque laudanda?

Similiter à Locis extrinſecus petitis ſeu remotis erui poſſunt argumenta, quibus eadem res confirmetur. Et quidem non ineptè Forenſis Orator Orationem incipiet ab auctoritate Legiſlatoris alicujus, aut Philoſophi, aut Oratoris. Item militaris Orator ab exemplo & dicto alicujus egregii Ducis, puta, Cæſaris; Orator Chriſtianus ab auctoritate ſanctorum Patrum. Huc adde Proverbia, Parabolas, Apologos, Hiſtorias & ſimilia. Notandum eſt autem non eſſe neceſſe Locos omnes ita ſcrupuloſè inveſtigare, ſed eos tantum qui præſtantiora argumenta ſufficient.

CAPUT III.

Locus à Definitione Regula Artis.

QUid eſt Definitio?

R. Eſt Oratio explicans naturam rei. Fuſiùs à Cicerone 2. de Orat. deſcribitur: *Definitio eſt earum rerum, quæ ſunt ejus rei propria, quam definire volumus, brevis & circumſcripta explicatio.*

Quomodò fit Definitio?

R. Accipiendo aliquid illi rei, quæ definitur, quod ſit commune cum aliis, idque vocatur à Philoſophis *Genus*, deinde ſumendo aliquid quod ſit eidem peculiare ac proprium, idque ab iiſdem Philoſophis *Differentia* nuncupatur. Sic Rhetorica definitur Ars benè dicendi; Ars *Genus* eſt, quia eſt hoc illi commune cum Grammatica, cum Poeſi, cum Pictura & cæteris Artibus; benè verò dicere, eſt illius *Differentia*, quia hoc proprium habet ac ſuum.

Quomodò probares à Definitione utilem eſſe Rhetoricam?

R. Hoc modo. Ars benè dicendi eſt utilis, ſed Rhetorica eſt Ars benè dicendi; ergo Rhetorica eſt utilis.

Quotuplex eſt apud Oratores Definitionis genus?

R. Multiplex. Nam ſæpe uſurpant illi rei deſcriptionem pro accurata illius Definitione; idque faciunt

Primò. Per Enumerationem Partium vel Adjunctorum, vel per Hypotypoſim; ut ſi definire velles hominem improbum, deſcriberes caput illius torvum neſcio quid præ ſe ferens, oculos ſcelus ac flagitium ſpirantes, manus ad rapinam incurvas; totum denique corporis habitum reſpice, quid aliud præ ſe fert præter improbitatem?

Habes exempla Definitionis apud Ciceronem 2. Phil. num. 29. Ita definit gloriam, *Ea eſt laus rectè factorum, magnorumque in Remp. meritorum, quæ cùm optimi cujuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur*. Quæ definitio deſcriptio potiùs quàm accurata definitio dicenda eſt.

Et Phil. 2. num. 113. ita pacem definit & ſervitutem. *Pax eſt tranquilla libertas, ſervitus malorum omnium poſtremum, non modo bello, ſed morte etiam repellendum.*

Et ii. Phil. num. 28. ita definit Legem. *Eſt Lex nihil aliud, niſi recta & à Numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria.*

Et in Piſonem pœnam & ſupplicium ita definit. *Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? Id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt niſi nocenti. Suſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens conſcientiâ, bonorum omnium odium, nota juſtè Senatus, amiſſio dignitatis.*

In

Digitized by Google

In Oratione autem pro Sextio n. 97. ita optimates deſcribit aut definit per Enumerationem. *Quis ergo optimus eſt iſte? quis? De numero ſi quæris, innumerabiles: neque enim aliter ſtare poſſemus: ſunt principes conſilii publici: ſunt, qui eorum ſectam ſequuntur, ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet Curia; ſunt municipales ruſticique Romani; ſunt negotia gerentes; ſunt etiam libertini optimates; numerus, ut dixi, hujus generis latè & variè diffuſus eſt, ſed genus ipſum, ut tollatur error, brevi circumſcribi & definiri poteſt. Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti.*

Secundò Definitio fit per Similitudinem & Comparationem. Ita deſcriberes hominis perturbati & immoderati animum. Eſt inſtar plateæ publicæ, ubi perpetuus clamantium ſtrepitus, & voces inconditæ audiuntur; ubi omnia disjecta ac diſſipata, ubi rixæ & jurgia. Eſt mare turbidum ventis jactatum & procellis.

Contra, conſcientiam bonam definire quis poteſt per Similitudinem, hortum deliciarum, theſaurum gazis Regum omnium ditiorem, aulam divini Numinis. Hæc porro Definitio, quia levioris eſt efficaciæ ad perſuadendum aut permovendum rariùs ab Oratoribus debet uſurpari.

Tertiò. Definitio fit per Congeriem multorum nominum, ex quibus in rei cognitionem faciliùs devenimus. Ita Cicero lib. 5. Tuſculanarum Quæſtionum ſic Philoſophiam definit. *O vita Philoſophia dux, indagatrix virtutum, vitiorum expultrix, mater omnium Artium, quid eſt aliud, ut ait Plato, niſi Deorum inventum?*

Et pro Milone n. 90. ita Curiam definit per Congeriem. *Quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, caput omnium gentium, ſedem ab univerſo Populo Rom. conceſſam uni Ordini inflammari, exſcindi, funeſtari?*

Item pro Plancio num. 70. Opimii calamitatem ita per Congeriem definit. *Opimii quidem calamitas utinam ex hominum memoria avelli poſſet. Vulnus illud Reipublica, dedecus hujus imperii, turpitudo Populi Romani non judicium putandum eſt.*

Sic egregè pariter Hiſtoriam definit Cicero lib. 2. de Oratore n. 36. *Hiſtoria verè teſtis temporum, lux veritatis, vita memoria, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis, qua voce alia, niſi Oratoris immortalitati commendatur.*

Quartò. Traditur Definitio rei per cauſas, quando exprimitur rei natura per eas res, à quibus habet ut ſit, & talis ſit. Ita Cicero lib. 1. de Legibus n. 54. Hominem definit à ratione quæ eſt ipſius *cauſa formalis*, ut ajunt Philoſophi. *Animal hoc providum ac ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſt à ſupremo Deo. Solus eſt enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia.*

Eodem pertinet illa hominis definitio ex Seneca Epiſt. 76. *Omnia bono ſuo conſtant. Vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorſo jumenta ſint, quæris? quia eorum hic unus eſt uſus ſarcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inveſtigare debet feras: curſus, ſi conſequi: audacia,*

ſi

ſi mordere & invadere. Id in unoquoque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio. Hæc antecedit animalia, Deos ſequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum eſt: cætera illi cum animalibus ſatiſque communia ſunt. Valet? & Leones. Formoſus eſt? Et Pavones. Velox eſt? & Equi. Non dico in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum: corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes. Habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luſciniæ? quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta & conſummata felicitatem hominis implevit.

Sic à Cauſis ſimul omnibus definiri homo poſſet. Animal à Deo ſupremo rerum opifice conditum, ex corpore mortali quidem conſtatum, ſed animo conſtans immortali, & ad divinæ naturæ ſimilitudinem expreſſo; denique ad perfruendas æternæ vitæ delicias deſtinatum.

Quintò. Fit etiam Definitio per Effecta, & hic definiendi modus apud Oratores frequentior, quia notiora ſolent eſſe Effecta quàm Cauſæ; cùm res deſignatur per ea, quæ ab ipſa procedunt.

Ita Cicero virum bonum definit ab Effectis pro Cæcinna n. 78. *Vereor de tali viro ne plus dicam, quàm vos aut ſentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatem nimiùm valere, cujus prudentiam Populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexerit; qui Juris Civilis rationem nunquam ab æquitate ſejunxerit; qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam Populo Rom. promptam expoſitamque præbuerit; qui ita bonus & juſtus vir eſt, ut natura, non diſciplina conſultus eſſe videatur; ita peritus ac prudens, ut ex Jure Civili non ſcientia ſolùm quædam, verùm etiam bonitas nota videatur; cujus tantum eſt ingenium, ita prompta fides, ut; quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire ſentias.*

Ita bellum crudele, quod intulerat Antonius, deſcribit per Effecta, 14. Philip. n. 8. *Bellum inexpiabile infert quatuor Conſulibus unus omnium latronum teterrimus. Gerit idem bellum cum Senatu Populoque Romano. Omnibus, quamquam ruit ipſe ſuis cladibus, peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta denuntiat.... Refugit animus, P. C. eaque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis & conjugibus effecerit; quas enim turpitudines Antonii libenter ſubjerunt, eaſdem lætantur per vim aliis ſe intuliſſe. Sed vis calamitoſa eſt, quam illis intulerunt, libido flagitioſa, qua Antoniorum oblita eſt vita..... Recordamini per Deos immortales, P. C. quid hoc biduo timuerimus à domeſticis hoſtibus, rumoribus improbiſſimis diſſipatis. Quis liberos, quis conjugem aſpicere poterat ſine fletu? quis domum? quis tecta? quis Larem familiarem? Jam aut fœdiſſimam mortem omnes, aut miſerabilem fugam cogitabant. Hæc à quibus timebantur, eos hoſtes appellare dubitamus? Gravius ſi quis attulerit nomen, libenter aſſentiar; hoc vulgari contentus vix ſum, leviore non utar.*

Et Oratione pro Plancio n. 9. ingenium populi definit ab iis quæ facere ſoleret in Comitiis.

Similiter Phil. 8. num. 12. Calenum arguit, qui pacem optaret, definiendo per Effecta pacem illam cujus ſtudium præ ſe ferebat. *Quid tu, Calene, ſervitutem pacem vocas? Majores quidem noſtri non modò ut liberi*

eſſent,

eſſent, ſed etiam ut imperarent, arma capiebant; at tu abjicienda arma cenſes, ut ſerviamus.

Eleganter definit ab Effectis quid ſit ſuſtinere pœnam, à Diis immortalibus. De Haruſpicum reſponſis n. 39. *A Diis quidem immortalibus quæ major eſſe poteſt homini pœna, furore atque dementia? &c.* Legendus hic Locus.

Denique celebratur inprimis apud Rhetores illa Definitio quæ fit per Negationem & Affirmationem; ita nimirùm, ut Orator primò quidem dicat quid res ipſa non ſit; deinde quid ſit ipſa; adjecta interdum Ironia poſt Negationem.

Ita Cicero in Piſonem num. 23. & 24. probat Piſonem non fuiſſe Conſulem, definiendo Conſulatum, quem negat eſſe poſitum in lictoribus, in toga, ſed in conſilio cæteriſque virtutibus. *Tu etiam mentionem facies Conſulatus tui; aut te fuiſſe Romæ Conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, in prætexta eſſe Conſulatum putas, quæ ornamenta etiam in Sext. Clodio te Conſule eſſe voluiſti? Hujus tu Clodiani canis inſignibus Conſulatum declarari putas? Animo Conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere Conſulatus, &c.*

Et Oratione pro Domo ſua num. 89. Populum Rom. definit, tum remotis iis quæ abhorrent à Populi Romani dignitate, tum eorum affirmatione, quæ huic dignitati conveniunt. *An tu Populum Romanum eſſe illum putas, qui conſtat ex iis qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant Magiſtratibus, ut obſideant Senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? Quem tu tandem populum, niſi clauſis tabernis frequentare non poteras? cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios præfeceras? O ſpeciem dignitatemque Populi Rom. quam Reges, quam Nationes exteræ, quam Gentes ultimæ pertimeſcunt, multitudinem ex ſervis conductis, ex facinoroſis, ex egentibus congregatam. Illa fuit pulchritudo Populi Romani, illa forma, quam in campo vidiſti, tum, cùm etiam tibi contra Senatus totiuſque Italiæ auctoritatem & ſtudium dicendi poteſtas fuit. Ille, ille populus eſt dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clariſſimo die, ſcelerate, vidiſti, tum cùm omnes principes civitatis, omnes ordinum atque ætatum omnium ſuffragium ſe, non de civis, ſed de civitatis ſalute ferre cenſebant; cùm denique homines in campum non tabernis, ſed municipiis clauſis venerunt.*

Item laudato jam paulò ante n. 97. Orationis pro Sextio, definit Optimates, dicendo quid non, & quid ſint, ab his verbis, *Quis ergo optimus eſt iſte, &c.*

Et Orationis ejuſdem numer. 17. probat nec Piſonem nec Gabinium fuiſſe Conſules, per viam Negationis deſcribendo utriuſque mores per elegantem Hypotipoſim & Ethopejam ab his verbis. *Sed fuit profectò quædam illa Reipublicæ fortuna fatalis, &c.*

Similiter 2. in Rullum num. 10. definit per Negationem quid ſit populare ab his verbis, *Neque verò illa popularia ſunt exiſtimanda, &c.*

Philip. 3. numer. 12. per viam Affirmationis & Negationis definit quid ſit eſſe Conſulem, & negat Antonium debuiſſe Conſulem reputari, ex quo nudus & ebrius concionatus eſſet, ab his verbis. *Nec verò M. Antonium Conſulem poſt Lupercalia putare debuiſtis, &c.*

Et

Digitized by Google

Et in Piſon. numero jam laudato 43. definit quid pœna ſit, & quid non ſit. Ab his verbis, *Quid eſt igitur pœna? &c.*

EXERCITATIO.

Definitio per Similitudinem.

Tanto ſuavius bonæ conſcientiæ teſtimonium, quanto acerbior malæ ſtimulus.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. Conſtabunt ſola explicatione & dilatatione ipſius Propoſitionis.

Confirmatio Petitur. 1. à Definitione bonæ conſcientiæ per varias Similitudines ſeu comparationes ductas à tranquillo mari, agro fertiliſſimo, domo ſplendida & ornata. 2. A Definitione malæ conſcientiæ per contrarias Similitudines; dicendo illam eſſe inſtar plateæ publicæ, agitati maris tempeſtatibus, Inferorum carceris, &c.

Concluſio. Quis ergo alteram alteri præferendam non putet?

ORATIO.

Ut eſt nemo omnium, quantum eſt qui vivunt, ſi quid modò humanum ſapiat, qui beatas pacis ac tranquillitatis delicias miſeris perturbationum ac turbarum motibus anteponendas non judicet; ita nullum reperias tam ferum, tam barbarum, tam expertem omnis humanitatis, qui bonæ conſcientiæ ſuavitates, malæ conſcientiæ moleſtiis potiores eſſe non fateatur.

Agite verò quid uſquam eſt rerum omnium, quod altiſſimæ pacis imaginem feliciùs adumbret quàm bonæ conſcientiæ facies. Diceres illam eſſe mare quoddam pacatum ſemper ac tranquillum, unde cupiditatum inſani fluctus, inordinatæ mentis tempeſtates, & graves perturbati animi procellæ longiùs exulant. Illam crederes agro fertili ſimillimam, quem ſuaviſſimis virtutum omnium floribus ubique conſitum, nulla vitiorum inimica vis unquam temeravit. Intueri putes claram domum ac ſplendidam, in qua nihil non ornatum, nihil non compoſitum rectèque ordinatum ſe offert: ubi confuſio rerum nulla, nullus tumultus, nullæ agitationes; ſed quies ſecura, pax ſumma, æterna tranquillitas, feliciſſimum domicilium defixere. Definitio per Similitudinẽ.

Nunc verò, ſi quis funeſtiſſimam cruenti belli ſpeciem videre velit, flectat oculos contrariam in partem, & hominis nequiſſimi conſcientiam diligenter conſideret. An non illa ſe objiciet animo inſtar plateæ cujuſdam publicæ, qua permeantes perpetuò per apertos latoſque aditus immoderati omnis generis affectus rixas, jurgia, contentiones, tumultus, bella ſingulis momentis excitant. An non exhibebitur oculis æſtuans aliquod & efferveſcens terribilem in modum pelagus, in quo decertantes contrariis ſtudiis, totidem inſtar concitatorum turbinum, graviſſimi vitiorum motus triſtiſſimas, in ſingulas horas, tempeſtates ac procellas commovent? An non delapſum te in ipſum Inferorum carcerem exiſtimes, ubi nullus ordo, nulla concordia, nulla pars quietis, ſed ſempiternus horror, perpetua diſſenſio, æterna perturbatio ſedem poſuere?

Quis ergo tam parum amans pacis, tam perditè belli cupidus, qui non omni ſtudio enitendum ſibi putet, ut quanto cautiùs conſcientiæ malæ vitabit acerbitatem, tantò acriùs bonæ conſcientiæ ſuavitatem conſectetur?

EXER-

EXERCITATIO.

Definitio per Effecta & Enumerationem.

Modeſtiam inter cæteras virtutes Adoleſcente eſſe digniſſimam.

SYNOPSIS.

HÆc ipſa Propoſitio dilatata Exordio & Propoſitioni deſerviet.

Confirmatio. Petetur à Definitione Modeſtiæ per Effecta, deſcendetque Orator ad Enumerationem ſingularum corporis partium, quibus componendis Modeſtia præeſt; puta linguæ, vultus, oculorum totiuſque hominis.

Deinde dicet Modeſtiam non ſe tenere intra limites corporis fingendi, ſed etiam informare animum: quod tractabit pariter per Definitionem Modeſtiæ ab Effectis quæ parit in animo; & verſabitur in iiſdem enumerandis: ſcilicet medetur iracundiæ, ſuperbiæ, & aliis pravis animi motibus.

Concluſio. Quanto igitur ſtudio ſectari Modeſtiam Adoleſcentes debent.

ORATIO.

Cùm nihil in Adoleſcentibus laudabilius eſſe ſolet, quàm recta corporis & animi compoſitio quædam atque moderatio, tum certè ex eò facilè quivis intelligat, quanto ſtudio Adoleſcenti cuilibet expetenda Modeſtia ſit, quæ in componendis moderandiſque corporis atque animi partibus tota occupetur.

Agite enim inter cæteras corporis animique dotes quænam Modeſtia potior, quænam Adoleſcente dignior? Eſt enim illa virtus, quæ linguam frænat, ne elatiùs quàm par ſit, aut petulantiùs quid audeat: quæ vultum componit & ſerenat oculos, ne quid ſuperbum, aut lubricum præ ſe ferant: quæ riſum moderatur, ne ſit effuſus nimis & procax. Hæc occludit aures, ne improborum conſiliis ſermonibuſque pateant. Illa manus continet, ne ſit geſtus fractior aut inconcinnior. Eadem inceſſum dirigit, ne quid ſit in eo molle, aut languidum, aut concitatum, ſit verò gravis, conſtans & moderatus. Atque, ut uno verbo omnia complectar, Modeſtia virtus eſt, quæ hominem ad urbanitatem, decorem humanitatemque totum fingit ac componit. Definitio per Effecta & Enumerationem Partium.

Neque verò intra corporis fingendi limites ſe continet, aſſurgit altiùs, animumque ipſum, ut & corpus, egregiè conformat. Hæc eſt enim iracundiæ moderatrix, expultrix ſuperbiæ, impolitiæ inimica, & vitiorum omnium, quæ humanitatem lædunt, hoſtis acerrima. Etenim ſi in animum inſurgat vehemens & turbulenta cogitatio, adeſt continuò Modeſtia, quæ graſſantem ac luxuriantem compoſcat, refrænet, ac coerceat.

Quæ cùm tot ac tantæ ſint Modeſtiæ dotes, quis eſt tam parum cupidus liberalis rectæque inſtitutionis Adoleſcens, qui in Modeſtia ſibi comparanda omnem ſuam curam atque operam benè collocatam non arbitretur?

EXERCITATIO.

Definitio per Negationem & Affirmationem.

Veram Nobilitatem in una Virtute eſſe poſitam.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet Orator, multos eſſe qui Nobilitatis laude glorientur, paucos, qui nobiles debeant appellari.

Rationem afferet quæ Propoſitionem continebit, quia pauci ſunt qui Virtutem colant, in qua vera Nobilitas poſita eſt.

Et Ver. 6. n. 8. *Sed quid ego tam vehementer invehor? verbo jam uno repellar; Emi, inquit, ò Dii immortales præclaram defenſionem! Mercatorem cum imperio ac ſecuribus in Provinciam miſimus!*

Aliud exemplum ſufficit Orat. in Piſon. n. 93. loquens de Militibus, qui, non invento Piſone, quem interficere volebant, deturbarant ac comminuerant ipſius ſtatuam, ait:

Sic odium, quod in ipſum attulerunt, in ejus imaginem ac ſimulacrum profuderunt.

Uſurpatur autem hæc Figura præſertim in rebus quæ ſunt admiratione dignæ, ad commendationem vel commiſerationem excitandam.

Quid eſt Exclamatio?

R. Eſt Figura, qua Orator vehementem aliquem affectum ſignificat, cujuſcumque tandem generis ille ſit.

Nihil tam obvium apud Ciceronem quàm hæc Figura: quare ſatis habebimus illuſtriora quædam illius exempla tantùm deſignare.

Pro Roſc. Amer. num. 146. *Per Deos immortales! Quæ iſta tanta crudelitas eſt? quæ tam fera immaniſque natura? quis unquam prædo fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus, ut cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruentia ſpolia detrahere mallet?*

Pro Cluent. num. 15. *O mulieris ſcelus incredibile & præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam! ò audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minùs vim Deorum hominumque famam; at illam ipſam noctem faceſque illas nuptiales, &c.*

1. Catil. num. 9. *O Dii immortales ubinam gentium ſumus! quam Rempub. habemus? in qua urbe vivimus?*

Pro Flacco num. 102. *O nox illa, quæ pœnè æternas huic urbi tenebras attuliſti, cùm Galli ad bellum, Catilina ad urbem, conjurati ad ferrum & flammam vocabantur! . . . . . O Nonæ illæ Decembres, quæ me Conſule fuiſtis; quem ego diem verè natalem hujus urbis aut certè ſalutarem appellare poſſum! O nox illa, quam iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic urbi! miſerum me! metuo, ne funeſta nobis!*

Habes alia hujus Figuræ exempla 5. Ver. num. 137. 6. Ver. num. 146. Pro Cluent. num. 48. Pro Sylla n. 91. Pro Sextio num. 27. Pro Cœlio n. 59. 71. In Piſon. n. 41. Pro Milone num. 104. & 105. 2. Phil. n. 16. 54. 68. 8. Phil. n. 23. 29. 10. Phil. n. 8. 11. Phil. n. 8.

Interdum eſt Exclamatio Ironica, & tunc magnum leporem habet. In Piſonem num. 58. *Non eſt integrum Cn. Pompeio conſilio jam uti tuo, erravit enim; non guſtarat iſtam tuam Philoſophiam. Ter jam homo ſtultus triumphavit. Craſſe, pudet me tui! quid eſt, quod confecto formidoloſiſſimo bello coronam illam lauream tibi decerni volueris à Senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audiſtis, tam doctum hominem, tam eruditum, priuſquam in iſtum errorem inducereminì . . . . O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos, ò amentem Paullum, ruſticum Marium, nullius conſilii patres iſtorum amborum Conſulum, qui triumpharunt!*

Et pro Balbo n. 20. *O præclarum Interpretem Juris! Auctorem antiquitatis, correctorem atque emendatorem noſtræ civitatis; qui hanc pœnam fœderatis adſcribat, ut omnium præmiorum beneficiorumque noſtrorum faciat expertes fœderatos!*

Item 3. Philip. num. 27. *O Cai*

Ca-

Ceſar (adoleſcentem appello) quam tu ſalutem Reip. attuliſti, quàm improviſam, quàm repentinam! qui enim hec fugiens fecerit, quid faceres inſequens? Etenim dixeras, ſe cuſtodem futurum urbis, uſque ad Calendas Majas ad urbem exercitum habiturum. O praclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, Lupum! cuſtosne urbis, an direptor & vexator eſſet Antonius?

Et pro Cluentio n. 108. *O innocentiam Opiniaci ſingularem! quo in reo, qui abſolvit, ambitioſus; qui diſtulit, cautus; qui condemnavit, conſtans exiſtimatur.*

EXERCITATIO.

Per laudatas ſupra Figuras.

Judas ad Fratres ne perire Joſephum in Ciſterna patiantur.

SYNOPSIS.

Exord. AB abrupto, petet ab ipſis, an non ſatis huc uſque odiis indulſerint, niſi ulteriùs iras promoveant.

Deinde ipſos deprecabitur, ne perire Joſephum in Ciſterna patiantur. Hæc autem erunt Deprecationis momenta. 1. Gravitas ſceleris, quod nihilo inferiùs videri debeat, quàm ſi manus fratris ſanguine cruentaſſent. 2. Tenera pueri ætas cui indulgeri aliquid poſſit. 3. Parentis dolor, cùm peremptum fratrum ſcelere Joſephum audiet: hic erit locus Exclamationi. 4. Judas ipſe qui ſe Joſephi patronum profitetur.

3. Per Epiphonema, quaſi ipſos minimè commoveri ſentiret, dicet tanti eſſe aſſueviſſe odiis & invidiæ!

4. Per Execrationem funeſta quæque ipſis comminabitur, niſi placidos ſenſus induant.

Denique per Optationem, orabit, ut Deus fratrum animos inflectat.

ORATIO.

Actum eſt igitur; Fratres; peribit puer Joſephus, neque ulla vos miſeri fratris commiſeratio duros atque intractabiles inflectet? Tamen nondum-ne ſatis veteribus odiis datum eſt? an non exſaturatus adhuc cupidus vindictæ, & invidiæ impotens animus? Placet ulteriùs iras perſequi, ac niſi tetro in ſpecu fame pereat infelix frater, quidquid admiſſum eſt hactenus, leve reputabitis? Per Deum immortalem! quæ iſta veſtra crudelitas eſt? quæ tam fera *Exclamatio.* immaniſque natura? quis tantus fuit odiorum furor, ut niſi fratris funere expleri nequeat?

Vos ego, per quidquid ſanctum vobis formidandumque eſt, oro at- *Deprecatio.* que obteſtor, mentem à tanto flagitio reflectite, niſi fortè expertes vos puroſque ſceleris arbitramini, quòd puerum ipſi non peremiſtis? quòd manus fraterna cæde abſtinuiſtis? quòd exhorruiſtis ad illud facinus, quod volentibus vobis ac jubentibus dira fames jamjam peraget? Sed quid ego hæc? ſentio, veteres ſimultatum cauſæ etiam animum pungunt & exſtimulant; reus eſt Joſephus, aut talis certè vobis viſus eſt: ſit ita ſanè; nihil moror. At numquid benè pueri infelicis gemitus, amaræ doloris indices lacrymæ, terribilis ipſe propinquæ mortis metus, quid- *Deprecatio.* quid peccatum ab eo eſt, totum exſolvit? Si tamen quidpiam adhuc luendum reſtat, id annis, precor, indulgete, quod ſceleri deberetur. Nolite, quæſo, committere, ut fratrum invidia cecidiſſe Joſephum parens mihi vobiſque amantiſſimus audiat. O pater! infelix pater! quo *Exclamatio.* ſenſu ferale nuncium accipies? quo vultu cruentam filii tunicam intuebere? quis erit doloris aut lacry-

Digitized by Google

marum modus, quoties tuo te Joſepho orbatum memineris? filios in tanto ſcelere agnoſces tuos? Et me, fratres, precantem rejicietis? nihil poterit apud vos infelix Juda? ah! finite potiùs veſtrum furorem exarmet. Si nulli vos gemitus movent, nullæ lacrymæ placare poſſunt, veſtrum & in me furorem acuite, condite me horrendo in ſpecu, & ærumnoſam hîc finire vitam cum fratre chariſſimo permittite. *Deprecatio.*

Siletis! conticeſcitis! nemo veſtrum reſpondet! Ita-ne vos mulceri vel inflecti pigeat? Tanti eſt, Fratres, aſſueviſſe malis odiis, & impotentis invidiæ ſtimulis paruiſſe! Tamen niſi meliores ſenſus indutis, niſi æquiores vos Joſepho fratri præſtatis, niſi me bene monentem & ad ſaniora flectentem auditis, pertimeſcite, Fratres, debitas parricidis pœnas. Eſt aliquis Cœlo Deus; is admitti ſcelus prohibet & admiſſum graviter plectit! Erit, erit, ne dubitate, dies illa, cùm me precantem ſpreviſſe vos pœniteat, cùm ademptum fratrem Joſephum lugebitis, cùm imminens capitibus veſtris periculum declinare nequicquam conabimini. *Epiphonema.* *Execratio & Comminatio.*

At tu, ſupreme rerum omnium arbiter ac moderator Deus, qui ſolo voluntatis tuæ nutu mortalium animos quamcumque in partem moves ac flectis. Utinam talem à fratribus perniciem avertas! utinam mutati per te ſtudia in contraria ſe ſe ad ſervandum innocentem puerum convertant, & quod nullæ hactenus preces exorarunt, id tuum benigniùs aſpirans Numen efficiat! *Optatio.*

ALIA EXERCITATIO.

Per eaſdem Figuras.

Marcus Tullius Cicero Marci Tullii Ciceronis Filius, poſt interfectum ab Antonio parentem ſuum ad Cæſarem Auguſtum.

SYNOPSIS.

PRimò per Deprecationem obſecrabit Cæſarem ut pro Clementia ſuccurrat miſeris, pro fortitudine reſiſtat improbis, pro æquitate ſcelus puniat.

2. Per Optationem dicet, utinam loqui poſſet ipſe Cicero, quanquam truncum cadaver & muta lingua loquitur.

3. Per Execrationem, Dii te perdant, Antoni, qui cultorem Deorum, innocentiæ patronum occidiſti! involet in te Reſpub. cui defenſorem eripuiſti, &c.

4. Per Epiphonema, ergo triumphabit ſicarius! gement boni? Cæſare vindice.

Denique per Exclamationem, ò glorioſum te, Cæſar, ſi defenſor Ciceronis extiteris, ò miſeram ætatem noſtram, ſi ſcelus impunitum viderit!

ORATIO.

Periit infelix Tullius, periit, Auguſte Cæſar, & devota jam pridem Antonii furoribus victima per ſummum nefas occubuit. Quid agam parente orbatus amantiſſimo? cujus implorabo præſidium in hoc rerum meatum diſcrimine, niſi, me, Cæſar, miſeri parentis infortunatam ſobolem à cruentis ſceleſti parricidæ manibus vindices?

Per ego te hanc dexteram, quam perditis ac jacentibus toties porrexiſti; per ſingularem clementiam, quam vel reis ac nocentibus ultro ac volens impendis; per illam fortitudinem atque conſtantiam, qua nefarios improborum civium impetus contundis ac coerces; per ſummam æquitatem, qua prohibes ſcelus ac plectis, afflictam innocentiam *Deprecatio.*

tuo-

tuere; reprime infandi proditoris audaciam, & graſſantem impune optimorum civium in vitam vim ac furorem meritis, ut par eſt, pœnis ulciſcere. Sentiat extinctus pater aliquam humanitatis illius partem, quam ipſe afflictis civibus, dum viveret, exoravit.

Optatio. Atque utinam loqui poſſet pro ſe ipſe, qui nemini miſero vocem unquam abnuit! utinam illi fas eſſet ſuam apud te cauſam tueri, qui tam multorum, quos præſentes hìc intueor, patrocinium tam feliciter ſuſcepit!

Quanquam, quid Ciceronis vocem requiro, ubi truncum ejuſdem cadaver loquitur ſatis? ubi muta

Execratio. perorat lingua & Antonii flagitium ac nequitiam diſertiſſimè coarguit? Dii te perdant, ſceleratiſſime parricida, qui cultorem Deorum impenſiſſimum, innocentiæ patronum, deſertæ virtutis ultorem ac vindicem occidiſti! involet in te Reſpublica, cui ſtudioſiſſimum defenſorem, cuſtodem vigilantiſſimum, parentem amantiſſimum eripuiſti! inſurgat in te Cæſar ipſe, neque à flagitioſo capite ſacras manus abſtineat! ignoſce, Cæſar, ſi vehementiùs loquar, quàm Majeſtas tua patitur. At quis eſſe poſſit expoſtulandi modus, ubi nullum ſceleris modum Antonius fecit? Tuum eſt, Cæſar, frænare præcipitem audaciam; tuum eſt ſanctiſſimarum legum præſidio coercere improbitatem, &, quam tanti flagitii atrocitas poſtulat, vindictam exercere.

Epiphonema. Nempe triumpharet ſicarius? volitaret impune totam per urbem? gemerent fruſtra boni, aut infamem parricidam plecti nequicquam poſtularent, Cæſare teſte ac vindice?

Exclamatio. O glorioſum te, Cæſar, ſi perempti Ciceronis ultor extiteris! ò miſeram ætatem hanc noſtram, ſi tantum ſcelus videret impunitum! ò miſeros, quotquot ſunt, cives bonos, niſi parricidarum ſupplicio certum ſibi adverſus improbitatem patrocinium gratulari poſſent!

ARTICULUS IX.

De uſu Figurarum.

Primò. Figurarum uſus debet eſſe parcus & moderatus, ne crebra hujuſmodi ornamentorum uſurpatio tædium generet, aut puerilitatem redoleat. Diſtinguendum tamen eſt duplex Figurarum genus; primum earum, quæ tantum ornatum præ ſe non ferunt, quales ſunt Interrogationes, Apoſtrophæ, Diſtributiones, &c. Alterum earum eſt, quas ſtudioſiùs Oratoris induſtria perſequitur, quales ſunt Complexiones, Antitheſes, Hypotipoſes, Proſopopejæ, &c.

2. Primarum quidem uſus frequentior eſſe poteſt; nihil enim apud Tullium crebrum magis, quàm Interrogationes, Repetitiones, Diſtributiones, &c. quæ latentem magis ornatum habent. Quod verò ſpectat ad ſecundi generis Figuras; illæ nimirum ſunt, quorum uſus frequentior parere faſtidium poſſet.

3. Nonnullæ Figuræ ſunt, quæ adhiberi poſſunt in omnibus Orationis partibus, ut ſunt Diſtributiones, Dubitationes, Communicationes, Apoſtrophæ, &c. Aliæ verò quæ ſingularum partium propriæ ſunt. Quæ ad docendum valent, pertinent ad Exordium: quæ ad delectandum, ad confirmationem, & confutationem: quæ ad movendum, ad Perorationem. Quæ tamen non ita ſcrupuloſè intelligenda ſunt, ut non liceat aliquando ordinem hunc immutare.

4. Quæ-

4. Quædam Figuræ ſunt, quæ ſtatim initio uſurpantur, ut Interrogationes, Apoſtrophæ, Diſtributiones, &c. Nonnullæ verò aliquam veluti præparationem requirunt, ut ſunt Exclamationes, quæ non uſurpantur, niſi poſt explicatas res graviores; Hypotipoſes, Proſopopejæ & ſimiles, quas abſurdum eſſet ſtatim ab initio alicujus Orationis, vel Capitis adhibere.

5. Figuræ Verborum ſunt hujuſmodi, ut plus afferre tædii Orationi poſſint, quàm Figuræ Sententiarum, ſi illæ crebriùs uſurparentur.

Denique nulla re magis poteſt de Figurarum uſu judicari, quàm frequenti Ciceronis lectione, qui Figuras ſuis quibuſque locis ſic accommodat, ut ad eadem pertractanda factæ quodam modo videantur.

LIBER QUARTUS.

De vi Oratoris ſeu de Inventione.

CAPUT PRIMUM.

HActenus egimus de Elocutione Oratoria, de ejuſdem Amplificatione, de Ornatu ſive de Figuris; nunc agendum nobis de Inventione & Probationibus, ſine quibus, ut ait Cicero, Elocutio inanis eſt ac pœne puerilis.

Quid Inventionis nomine intelligitur, in qua vis Oratoris præcipua eſt?

R. Inventio eſt excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quæ valeant tam ad faciendam fidem, quàm ad motus animorum excitandos. Argumentis utuntur Rhetores ad faciendam fidem, amplificatione ad motus excitandos.

Quid eſt Argumentum?

R. Eſt probabile inventum ad faciendam fidem.

Quid eſt Argumentatio?

R. Eſt argumenti ipſius fuſior explicatio.

Unde quærenda ſunt Argumenta?

R. Ex locis Oratoriis, quorum duplex eſt genus; alii qui ex ipſa re ejuſque quaſi viſceribus educuntur, & propterea appellantur Inſiti ſeu intrinſecùs petiti, alii qui aliunde eruuntur & nominantur extrinſecùs accerſiti.

Quot ſunt Loci Oratorii in ipſa re inſiti?

R. Sexdecim, Definitio, Enumeratio Partium, Notatio nominis, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Diſſimilitudo, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Cauſæ, Effecta, Comparatio.

Quot ſunt loci extra rem poſiti?

R. Sex, Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Teſtes.

Huc etiam pertinent Hiſtoriæ, Fabulæ, Leges, Sententiæ veterum, & ſimilia; de quibus antequam agamus, res videtur exemplo demonſtranda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Ratione eruendi ex Locis Oratoriis Argumenti.

SIt illud Oratori Forenſi propoſitum ut de Juriſprudentia ac Juſtitia dicat; ita Locos Oratorios alios poſt alios perveſtigare poterit.

Locus à Definitione ſegetem uberem materiemque dicendi ſuppeditabit. Juſtitia enim eſt regnorum & imperiorum moderatrix, expultrix ſcelerum, virtutum conciliatrix, pacis alumna, concordiæ parens, &c.

Enumeratio partium ſubjiciet ſingulos regni Ordines quibus Juſtitia prodeſt, Regibus ad dignitatem, nobilibus ad ſpendorem, civibus ad concordiam, populis ad mutuam ſocietatem, improbis ad frænum, militibus ad obedientiam, omnibus ad felicitatem.

Notatio Nominis hæc eſt; Juſtitia dicitur, quòd jus ſuum cuique tribuat.

Conjugata. Qui Juſtitia præditus eſt, juſtus ille dicitur, juſtèque Rempublicam adminiſtrat.

Genus. Si oſtendas juſtitiam complecti cæterarum virtutum dotes & ornamenta.

Species. Cùm Juſtitiæ ipſius, quatenus ſingularis virtus eſt, laudes perſequeris, ſeu qua mentem & voluntatem in bono dirigit, ſeu qua Deum ipſum, proximum, noſmetipſos ſpectat.

Cauſæ. Deum auctorem habet Juſtitia, cui ſimilem facit hominem, qui imago eſt Divinitatis: ipſa etiam orbis perfectio eſt, cujus ad bonum tota dirigitur.

Effecta. Sunt ea quæ ex Juſtitia derivantur, pax, tranquillitas civium, pietas, Religionis cultus, vitiorum extinctio, procreatio virtutum, & alia ſimilia.

Antecedentia. Complectuntur ea naturæ præſidia & diſciplinarum ſubſidia, quæ ad Juriſprudentiæ cognitionem, Juſtitiæque profeſſionem requiruntur.

Conſequentia. Vel coincidunt cum Effectis, vel continent laudes, quibus ille dignus eſt, qui hac utraque facultate præſtat.

Adjuncta. Sunt ea quæ cum Juriſprudentia ſocietatem habent individuam, veluti ſtudia Philoſophiæ, Hiſtoriarum, Legum, Exemplorum, & totius antiquitatis notitia.

Repugnantia. Quomodò fieri poteſt, ut vir legum omnium ſcientiæ ſtudens, aut earum cognitione præditus obnoxius ſit communibus vitiis, ut otio, vitæ molliori & aliis.

Similitudo. Talis inſtitui poteſt. Juſtitia inter cæteras virtutes ſolis inſtar obtinet; atque ut ſolis præſentia nimbos diſſipat, ſedat tempeſtates, campis ſegetes, arboribus fructus, herbis viriditatem parit, orbemque univerſum efficit lætiorem; ita juſtitia imperiis tranquillitatem, pacem rebus publicis conciliat; &c.

Diſſimilitudo. Ut gentes, quibus juſtitia non illuxit, feram traducunt & agreſtem vitam; ita è contrario, qui hanc præcipuo ſtudio colunt, cæteris humanitate præſtant.

Comparatio. Si Fortitudo, Prudentia, cæteræque virtutes tot laudibus dignæ ſunt atque præconiis, quarum eſt privato cujuſque bono conſulere; quid Juſtitia, quæ ipſum omnium commune bonum ſpectat, omnium utilitatibus proſpicit, &c.

Contraria. Juriſprudentia hominum ſocordiam excutit, tollit Literarum contemptum. Juſtitia verò ſce-

ſce-

Digitized by Google

ſcelera, dolos, fraudes, rapinas expellit, nonne ergo utraque laudanda?

Similiter à Locis extrinſecus petitis ſeu remotis erui poſſunt argumenta, quibus eadem res confirmetur. Et quidem non ineptè Forenſis Orator Orationem incipiet ab auctoritate Legiſlatoris alicujus, aut Philoſophi, aut Oratoris. Item militaris Orator ab exemplo & dicto alicujus egregii Ducis, puta, Cæſaris; Orator Chriſtianus ab auctoritate ſanctorum Patrum. Huc adde Proverbia, Parabolas, Apologos, Hiſtorias & ſimilia. Notandum eſt autem non eſſe neceſſe Locos omnes ita ſcrupuloſè inveſtigare, ſed eos tantum qui præſtantiora argumenta ſufficient.

CAPUT III.

Locus à Definitione Regula Artis.

QUid eſt Definitio?

R. Eſt Oratio explicans naturam rei. Fuſiùs à Cicerone 2. de Orat. deſcribitur: *Definitio eſt earum rerum, quæ ſunt ejus rei propria, quam definire volumus, brevis & circumſcripta explicatio.*

Quomodò fit Definitio?

R. Accipiendo aliquid illi rei, quæ definitur, quod ſit commune cum aliis, idque vocatur à Philoſophis *Genus*, deinde ſumendo aliquid quod ſit eidem peculiare ac proprium, idque ab iiſdem Philoſophis *Differentia* nuncupatur. Sic Rhetorica definitur Ars benè dicendi; Ars *Genus* eſt, quia eſt hoc illi commune cum Grammatica, cum Poeſi, cum Pictura & cæteris Artibus; benè verò dicere, eſt illius *Differentia*, quia hoc proprium habet ac ſuum.

Quomodò probares à Definitione utilem eſſe Rhetoricam?

R. Hoc modo. Ars benè dicendi eſt utilis, ſed Rhetorica eſt Ars benè dicendi, ergo Rhetorica eſt utilis.

Quotuplex eſt apud Oratores Definitionis genus?

R. Multiplex. Nam ſæpe uſurpant illi rei deſcriptionem pro accurata illius Definitione; idque faciunt

Primò. Per Enumerationem Partium vel Adjunctorum, vel per Hypotipoſim; ut ſi definire velles hominem improbum, deſcriberes caput illius torvum neſcio quid præ ſe ferens, oculos ſcelus ac flagitium ſpirantes, manus ad rapinam incurvas; totum denique corporis habitum reſpice, quid aliud præ ſe feret præter improbitatem?

Habes exempla Definitionis apud Ciceronem 1. Phil. num. 29. Ita definit gloriam. *Ea eſt laus rectè factorum, magnorumque in Remp. meritorum, quæ cùm optimi cujuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.* Quæ definitio deſcriptio potiùs quàm accurata definitio dicenda eſt.

Et Phil. 2. num. 113. ita pacem definit & ſervitutem. *Pax eſt tranquilla libertas, ſervitus malorum omnium poſtremum, non modo bello, ſed morte etiam repellendum.*

Et ii. Phil. num. 28. ita definit Legem. *Eſt Lex nihil aliud, niſi recta & à Numine Deorum tractata ratio, imperans honeſta, prohibens contraria.*

Et in Piſonem pœnam & ſupplicium ita definit. *Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? Id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt niſi nocenti. Suſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens conſcientiâ, bonorum omnium odium, nota juſtâ Senatus, amiſſio dignitatis.*

In

In Oratione autem pro Sextio n. 97. ita optimates deſcribit aut definit per Enumerationem. *Quis ergo optimus eſt iſte? quis? De numero ſi quæris, innumerabiles: neque enim aliter ſtare poſſemus: ſunt principes conſilii publici: ſunt, qui eorum ſectam ſequuntur, ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet Curia; ſunt municipales ruſticique Romani; ſunt negotia gerentes; ſunt etiam libertini optimates; numerus, ut dixi, hujus generis latè & variè diffuſus eſt, ſed genus ipſum, ut tollatur error, brevi circumſcribi & definiri poteſt. Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti.*

Secundò Definitio fit per Similitudinem & Comparationem. Ita deſcriberes hominis perturbati & immoderati animum. Eſt inſtar plateæ publicæ, ubi perpetuus clamantium ſtrepitus, & voces inconditæ audiuntur; ubi omnia disjecta ac diſſipata, ubi rixæ & jurgia. Eſt mare turbidum ventis jactatum & procellis.

Contra, conſcientiam bonam definire quis poteſt per Similitudinem, hortum deliciarum, theſaurum gazis Regum omnium ditiorem, aulam divini Numinis. Hæc porro Definitio, quia levioris eſt efficaciæ ad perſuadendum aut permovendum rariùs ab Oratoribus debet uſurpari.

Tertiò. Definitio fit per Congeriem multorum nominum, ex quibus in rei cognitionem faciliùs devenimus. Ita Cicero lib. 5. Tuſculanarum Quæſtionum ſic Philoſophiam definit. *O vitæ Philoſophia dux, indagatrix virtutum, vitiorum expultrix, mater omnium Artium, quid eſt aliud, ut ait Plato, niſi Deorum inventum?*

Et pro Milone n. 90. ita Curiam definit per Congeriem. *Quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, caput omnium gentium, ſedem ab univerſo Populo Rom. conceſſam uni Ordini inflammari, exſcindi, funeſtari?*

Item pro Plancio num. 70. Opimii calamitatem ita per Congeriem definit. *Opimii quidem calamitas utinam ex hominum memoria avelli poſſet. Vulnus illud Reipublicæ, dedecus hujus imperii, turpitudo Populi Romani non judicium putandum eſt.*

Sic egregè pariter Hiſtoriam definit Cicero lib. 2. de Oratore n. 36. *Hiſtoria verè teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis, qua voce alia, niſi Oratoris immortalitati commendatur.*

Quartò. Traditur Definitio rei per cauſas, quando exprimitur rei natura per eas res, à quibus habet ut ſit, & talis ſit. Ita Cicero lib. 1. de Legibus n. 54. Hominem definit à ratione quæ eſt ipſius *cauſa formalis*, ut ajunt Philoſophi. *Animal hoc providum ac ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſt à ſupremo Deo. Solus eſt enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia.*

Eodem pertinet illa hominis definitio ex Seneca Epiſt. 76. *Omnia bono ſuo conſtant. Vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorſo jumenta ſint, quæris? quia eorum hic unus eſt uſus ſarcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inveſtigare debet feras: curſus, ſi conſequi: audacia,*

ſi

ſi mordere & invadere. Id in unoquoque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio. Hac antecedit animalia, Deos ſequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum eſt: cætera illi cum animalibus ſatiſque communia ſunt. Valet? & Leones. Formoſus eſt? Et Pavones. Velox eſt? & Equi. Non dico in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum: corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes. Habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luſciniæ? quid in homine proprium? Ratio. Hac recta & conſummata felicitatem hominis implevit.

Sic à Cauſis ſimul omnibus definiri homo poſſet. Animal à Deo ſupremo rerum opifice conditum, ex corpore mortali quidem conflatum, ſed animo conſtans immortali, & ad divinæ naturæ ſimilitudinem expreſſo; denique ad perfruendas æternæ vitæ delicias deſtinatum.

Quintò. Fit etiam Definitio per Effecta, & hic definiendi modus apud Oratores frequentior, quia notiora ſolent eſſe Effecta quàm Cauſæ; cùm res deſignatur per ea quæ ab ipſa procedunt.

Ita Cicero virum bonum definit ab Effectis pro Cæcinna n. 78. *Vereor de tali viro ne plus dicam, quàm vos aut ſentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatem nimium valere, cujus prudentiam Populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexerit; qui Juris Civilis rationem nunquam ab æquitate ſejunxerit; qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam Populo Rom. promptam expoſitamque præbuerit; qui ita bonus & juſtus vir eſt, ut natura, non diſciplina conſultus eſſe videatur; ita peritus ac prudens, ut ex Jure Civili non ſcientia ſolùm quædam, verùm etiam bonitas nota videatur; cujus tantum eſt ingenium, ita prompta fides, ut, quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire ſentias.*

Ita bellum crudele, quod intulerat Antonius, deſcribit per Effecta, 14. Philip. n. 8. *Bellum inexpiabile infert quatuor Conſulibus unus omnium latronum teterrimus. Gerit idem bellum cum Senatu Populoque Romano. Omnibus, quamquam ruit ipſe ſuis cladibus, peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta denuntiat.... Refugit animus, P. C. eaque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis & conjugibus effecerit; quas enim turpitudines Antonii libenter ſubierunt, eaſdem lætantur per vim aliis ſe intuliſſe. Sed vis calamitoſa eſt, quam illis intulerunt, libido flagitioſa, qua Antoniorum oblita eſt vita..... Recordamini per Deos immortales, P. C. quid hoc biduo timuerimus à domeſticis hoſtibus, rumoribus improbiſſimis diſſipatis. Quis liberos, quis conjugem aſpicere poterat ſine fletu? quis domum? quis tecta? quis Larem familiarem? Jam aut fœdiſſimam mortem omnes, aut miſerabilem fugam cogitabant. Hæc à quibus timebantur, eos hoſtes appellare dubitamus? Gravius ſi quis attulerit nomen, libenter aſſentiar; hoc vulgari contentus vix ſum, leviore non utar.*

Et Oratione pro Plancio n. 9. ingenium populi definit ab iis quæ facere ſoleret in Comitiis.

Similiter Phil. 8. num. 12. Calenum arguit, qui pacem optaret, definiendo per Effecta pacem illam cujus ſtudium præ ſe ferebat. *Quid tu, Calene, ſervitutem pacem vocas? Majores quidem noſtri non modò, ut liberi eſſent,*

eſſent,

eſſent, ſed etiam ut imperarent, arma capiebant; at tu abjicienda arma cenſes, ut ſerviamus.

Eleganter definit ab Effectis quid ſit ſuſtinere pœnam, à Diis immortalibus. De Haruſpicum reſponſis n. 39. *A Diis quidem immortalibus quæ major eſſe poteſt homini pœna, furore atque dementia? &c.* Legendus hic Locus.

Denique celebratur inprimis apud Rhetores illa Definitio quæ fit per Negationem & Affirmationem; ita nimirùm, ut Orator primò quidem dicat quid res ipſa non ſit; deinde quid ſit ipſa; adjecta interdum Ironia poſt Negationem.

Ita Cicero in Piſonem num. 23. & 24. probat Piſonem non fuiſſe Conſulem, definiendo Conſulatum, quem negat eſſe poſitum in lictoribus, in toga, ſed in conſilio cæteriſque virtutibus. *Tu etiam mentionem facies Conſulatus tui; aut te fuiſſe Romæ Conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, in prætexta eſſe Conſulatum putas, quæ ornamenta etiam in Sext. Clodio te Conſule eſſe voluiſti? Hujus tu Clodiani canis inſignibus Conſulatum declarari putas? Animo Conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere Conſulatus, &c.*

Et Oratione pro Domo ſua num. 89. Populum Rom. definit, tum remotis iis quæ abhorrent à Populi Romani dignitate, tum eorum affirmatione, quæ huic dignitati conveniunt. *An tu Populum Romanum eſſe illum putas, qui conſtat ex iis qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant Magiſtratibus, ut obſideant Senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? Quem tu tandem populum, niſi clauſis tabernis frequentare non poteras? cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios præfeceras? O ſpeciem dignitatemque Populi Rom. quam Reges, quam Nationes exteræ, quam Gentes ultimæ pertimeſcunt, multitudinem ex ſervis conductis, ex facinoroſis, ex egentibus congregatam. Illa fuit pulchritudo Populi Romani, illa forma, quam in campo vidiſti, tum, cùm etiam tibi contra Senatus totiuſque Italiæ auctoritatem & ſtudium dicendi poteſtas fuit. Ille, ille populus eſt dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clariſſimo die, ſcelerate, vidiſti, tum cum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque ætatum omnium ſuffragium ſe, non de civis, ſed de civitatis ſalute ferre cenſebant; cùm denique homines in campum non tabernis, ſed municipiis clauſis venerunt.*

Item laudato jam paulò ante n. 97. Orationis pro Sextio, definit Optimates, dicendo quid non, & quid ſint, ab his verbis, *Quis ergo optimus eſt iſte, &c.*

Et Orationis ejuſdem numer. 17. probat nec Piſonem nec Gabinium fuiſſe Conſules, per viam Negationis deſcribendo utriuſque mores per elegantem Hypotipoſim & Ethopejam ab his verbis. *Sed fuit profectò quædam illa Reipublicæ fortuna fatalis, &c.*

Similiter 2. in Rullum num. 10. definit per Negationem quid ſit populare ab his verbis, *Neque verò illa popularia ſunt exiſtimanda, &c.*

Philip. 3. numer. 12. per viam Affirmationis & Negationis definit quid ſit eſſe Conſulem, & negat Antonium debuiſſe Conſulem reputari, ex quo nudus & ebrius concionatus eſſet, ab his verbis. *Nec verò M. Antonium Conſulem poſt Lupercalia putare debuiſtis, &c.*

Et

Digitized by Google

Et in Piſon. numero jam laudato 43. definit quid pœna ſit, & quid non ſit. Ab his verbis, *Quid eſt igitur pœna? &c.*

EXERCITATIO.

Definitio per Similitudinem.

Tanto ſuavius bonæ conſcientiæ teſtimonium, quanto acerbior malæ ſtimulus.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. CONſtabunt ſola explicatione & dilatatione ipſius Propoſitionis.

Confirmatio Petitur. 1. à Definitione bonæ conſcientiæ per varias Similitudines ſeu comparationes ductas à tranquillo mari, agro fertiliſſimo, domo ſplendida & ornata. 2. A Definitione malæ conſcientiæ per contrarias Similitudines; dicendo illam eſſe inſtar plateæ publicæ, agitati maris tempeſtatibus, Inferorum carceris, &c.

Concluſio. Quis ergo alteram alteri præferendam non putet?

ORATIO.

Ut eſt nemo omnium, quantum eſt qui vivunt, ſi quid modò humanum ſapiat, qui beatas pacis ac tranquillitatis delicias miſeris perturbationum ac turbarum motibus anteponendas non judicet; ita nullum reperias tam ferum, tam barbarum, tam expertem omnis humanitatis, qui bonæ conſcientiæ ſuavitates, malæ conſcientiæ moleſtiis potiores eſſe non fateatur.

Agite verò quid uſquam eſt rerum omnium, quod altiſſimæ pacis imaginem feliciùs adumbret quàm bonæ conſcientiæ facies. Diceres illam eſſe mare quoddam pacatum ſemper ac tranquillum, unde cupiditatum inſani fluctus, inordinatæ mentis tempeſtates, & graves perturbati animi procellæ longiùs exulant. Illam crederes agro fertili ſimillimam, quem ſuaviſſimis virtutum omnium floribus ubique conſitum, nulla vitiorum inimica vis unquam temeravit. Intueri putes claram domum ac ſplendidam, in qua nihil non ornatum, nihil non compoſitum rectèque ordinatum ſe offert: ubi confuſio rerum nulla, nullus tumultus, nullæ agitationes; ſed quies ſecura, pax ſumma, æterna tranquillitas, feliciſſimum domicilium defixere. Definitio per Similitudinē.

Nunc verò, ſi quis funeſtiſſimam cruenti belli ſpeciem videre velit, flectat oculos contrariam in partem, & hominis nequiſſimi conſcientiam diligenter conſideret. An non illa ſe objiciet animo inſtar plateæ cujuſdam publicæ, qua permeantes perpetuò per apertos latoſque aditus immoderati omnis generis affectus rixas, jurgia, contentiones, tumultus, bella ſingulis momentis excitant. An non exhibebitur oculis æſtuans aliquod & effervesſcens terribilem in modum pelagus, in quo decertantes contrariis ſtudiis, totidem inſtar concitatorum turbinum, graviſſimi vitiorum motus triſtiſſimas, in ſingulas horas, tempeſtates ac procellas commovent? An non delapſum te in ipſum Inferorum carcerem exiſtimes, ubi nullus ordo, nulla concordia, nulla pars quietis, ſed ſempiternus horror, perpetua diſſenſio, æterna perturbatio ſedem poſuere?

Quis ergo tam parum amans pacis, tam perditè belli cupidus, qui non omni ſtudio enitendum ſibi putet, ut quanto cautiùs conſcientiæ malæ vitabit acerbitatem, tantò acriùs bonæ conſcientiæ ſuavitatem conſectetur?

EXER

EXERCITATIO.

Definitio per Effecta & Enumerationem.

Modeſtiam inter cæteras virtutes Adoleſcente eſſe digniſſimam.

SYNOPSIS.

HÆc ipſa Propoſitio dilatata Exordio & Propoſitioni deſerviet.

Confirmatio. Petetur à Definitione Modeſtiæ per Effecta, deſcenderque Orator ad Enumerationem ſingularum corporis partium, quibus componendis Modeſtia præeſt; putà linguæ, vultus, oculorum totiuſque hominis.

Deinde dicet Modeſtiam non ſe tenere intra limites corporis fingendi, ſed etiam informare animum: quod tractabit pariter per Definitionem Modeſtiæ ab Effectis quæ parit in animo; & verſabitur in iiſdem enumerandis: ſcilicet medetur iracundiæ, ſuperbiæ, & aliis pravis animi motibus.

Concluſio. Quanto igitur ſtudio ſectari Modeſtiam Adoleſcentes debent.

ORATIO.

Cùm nihil in Adoleſcentibus laudabilius eſſe ſolet, quàm recta corporis & animi compoſitio quædam atque moderatio, tum certè ex eò facilè quivis intelligat, quanto ſtudio Adoleſcenti cuilibet expetenda Modeſtia ſit, quæ in componendis moderandiſque corporis atque animi partibus tota occupetur.

Agite enim inter cæteras corporis animique dotes quænam Modeſtia potior, quænam Adoleſcente dignior? Eſt enim illa virtus, quæ linguam frænat, ne elatiùs quàm par ſit, aut petulantiùs quid audeat: quæ vultum componit & ſerenat oculos, ne quid ſuperbum, aut lubricum præ ſe ferant: quæ riſum moderatur, ne ſit effuſus nimis & procax. Hæc occludit aures, ne improborum conſiliis ſermonibuſque pateant. Illa manus continet, ne ſit geſtus fractior aut inconcinnior. Eadem inceſſum dirigit, ne quid ſit in eo molle, aut languidum, aut concitatum, ſit verò gravis, conſtans & moderatus. Atque, ut uno verbo omnia complectar, Modeſtia virtus eſt, quæ hominem ad urbanitatem, decorem humanitatemque totum fingit ac componit. Definitio per Effecta & Enumerationem Partium.

Neque verò intra corporis fingendi limites ſe continet, aſſurgit altiùs, animumque ipſum, ut & corpus, egregiè conformat. Hæc eſt enim iracundiæ moderatrix, expultrix ſuperbiæ, impolitiæ inimica, & vitiorum omnium, quæ humanitatem lædunt, hoſtis acerrima. Etenim ſi in animum inſurgat vehemens & turbulenta cogitatio, adeſt continuò Modeſtia, quæ graſſantem ac luxuriantem compeſcat, refrænet, ac coerceat.

Quæ cùm tot ac tantæ ſint Modeſtiæ dotes, quis eſt tam parum cupidus liberalis rectæque inſtitutionis Adoleſcens, qui in Modeſtia ſibi comparanda omnem ſuam curam atque operam benè collocatam non arbitretur?

EXERCITATIO.

Definitio per Negationem & Affirmationem.

Veram Nobilitatem in una Virtute eſſe poſitam.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet Orator, multos eſſe qui Nobilitatis laude glorientur, paucos, qui nobiles debeant appellari.

Rationem afferet quæ Propoſitionem continebit, quia pauci ſunt qui Virtutem colant, in qua vera Nobilitas poſita eſt.

Confirmatio. Petet illam. 1. à Definitione Nobilitatis per Negationem, dicetque illam non eſſe poſitam in titulis, in ſtemmatis, in longa Majorum ſerie, &c. Maximè ſi quis Nobilitatem flagitiis dedecoret. 2. A Definitione per Affirmationem demonſtrabit Nobilitatem à Virtute ſola eſſe repetendam; enumerabitque virtutes viri nobilis proprias, puta patientiam in laboribus, in periculis fortitudinem, in adverſis conſtantiam, in ſpernendis voluptatibus robur animi.

Concludet. Aut igitur colendam eſſe Virtutem aut Nobilitatis laude non eſſe gloriandum.

ORATIO.

Quàm multi ſunt hodie, qui rebus in ſuis numerandam putant Nobilitatis gloriam, & ſupra mortalium vulgus ſe ſe inſolentiùs efferunt: tam ſunt pauci, qui vindicare ſibi laudem illam jure poſſint, & vel ipſam viri nobilis appellationem meruiſſe videantur.

Nam cùm vacuum & inane nomen nemo peritius rerum æſtimator Nobilitatem eſſe dixerit, neque eandem ullo ponendam in pretio arbitretur, niſi arctiſſimam habeat cum Virtute neceſſitudinem; tum certè quiſquis ad ipſum Nobilitatis decus aſpirat, is frequentiſſimum virtutum omnium comitatum debet ante omnia præ ſe ferre.

Age enim, te te ipſum compello, qui ſuperbo natalium faſtu ferociter intumeſcis, & vanam magni nominis umbram oſtentas, tanquam feciſſes ipſe aliquid, quamobrem tam præclaris ortus parentibus naſcerere. Quam informaſti animo Nobilitatis ſpeciem ac formam? Tu ne illam in ſpecioſis titulis, in ambitioſo ſtemmatum apparatu, in longa fumoſarum imaginum ſerie, in illuſtribus virtutis avitæ monumentis, quæ palam jactas ad pompam & ambitioſiùs circumfers, reponendam arbitraris; *Definitio per Negationem.* dum ipſe partam à Majoribus gloriam flagitiorum ſordibus degener nepos obſcuras? dum titulos illos, quos illi virtutibus meruerunt, depravatis moribus inficis? dum magnum & inſigne nomen, quod tulerunt, licentioris vitæ fama dedecoras? dum tot illuſtrium virorum modeſtiam inſolente ſuperbia, continentiam eorumdem levitate, diligentiam ſocordia, parſimoniam luxu, ſobrietatem intemperantia, integritatem vitæ libidinibus, fortitudinem ignavia contaminas ac corrumpis?

Egregiam enimverò laudem & prædicandam ubique ſpeciem Nobilitatis, quam venerentur in te Majores tui, & per tot nepotes ad te demum uſque propagatam feliciter ſibi gratulentur! Diſce tandem ab iiſdem illis Majoribus, quorum tu gloriam & illuſtria facinora prædicas magnificentiùs, quaſi pertineret ex iis ad te quidpiam, diſce, inquam, quæ porro virtutes nobilem efficiant. Ille, ille nobilis eſt, quem in ferendis laboribus patientia, in adeundis periculis alacritas, in tolerandis adverſis conſtantia, in ſpernendis voluptatibus robur animi, in vincendis cupiditatibus fortitudo commendant. *Definitio per Affirmationem.* Per hos ſcilicet virtutum gradus Majores tui ad tantum gloriæ apicem pervenerunt. Tu quid feciſti? quid paſſus unquam gravius es, ut illuſtribus virtutum illarum monumentis ſuperbires? Illi vigilias egerunt multas, ſummo manè caſtra & ſigna in hoſtem moverunt; tu multam in diem dormis otioſus. Illi graviſſimas duræ militiæ aſperitates pertulerunt; tu diffluentem deliciis ac voluptatibus vitam conteris. Illi inediæ incommoda ſunt experti; tu conviviis ac commeſſationibus perpetuò indulges. Illi cum hoſte manus ſæpe conſeruerunt; tu choreis ac ſpectaculis aſſiſtis.

Deſine ergo, nepos degener, nume-

numerare inter avos tuos clariſſimos illos viros, quos oſtentas; nomen illud abjice, quo gloriaris; inter vilioris plebeculæ quiſquilias inglorius deliteſce; aut certè ita vive deinceps, ut Majoribus tuis, & viri nobilis appellatione dignus videri poſſis.

ALIA EXERCITATIO.

Per eumdem Locum.

Cinna ad Auguſtum Cæſarem, cùm ab eodem conflatæ in ipſum conjurationis reus argueretur.

SYNO[PSIS]

Exord. FAtebitur ultrò Cinna illatæ accuſationis crimen: neque diſſimulabit inſidias à ſe Auguſto comparatas.

Propoſitio. Dicet ſibi ſupereſſe unum in Cæſaris clementia præſidium, qui quocumque ſupplicio dignus videri debeat.

Confirmatio. Dicet nihil eſſe tam auguſtum tamque dignum Principe, quàm injurias condonare. Tractabit rationem iſtam per Definitionem; & primò quidem per viam Negationis, dicendo Auguſtum nunquam poſuiſſe dignitatem majeſtatemque Principis in vana oſtentatione potentiæ, in debellandis hoſtibus, in vindicandis injuriis, aliam habuiſſe de Romani Imperatoris majeſtate opinionem. 2. Per viam Affirmationis contendet exiſtimaſſe Auguſtum nihil eſſe viro Principi convenientius, quàm bene mereri de omnibus, amicos fovere, parcere hoſtibus, injurias oblviſci; quam laudem hæreditariam à Cæſare parente acceperat.

Concludet rogando Auguſtum, ne à priſtina gloria deflectat, ſed potiùs novum cumulum adjiciat.

ORATIO.

Quid dicam, Cæſar? aut potiùs quid tacendum non putem? Hinc admiſſi ſceleris pudor ac dolor vocem præcludunt, inde ſingularis in proditorem humanitas ſtuporem ac ſilentium incuſat. Conflatam à me tuum in caput conjurationem exprobras, factum revincis, aperis ſocios, totam inſidiarum & nefandæ machinationis ſeriem pandis; an negare vel diſſimulare crimen poſſim, ſi velim? an etiam, ſi poſſim, debeam excuſare? Fatentem habes reum, Cæſar; & paratum ultrò ſubire, quod ſtatuere cumque placuerit. Nocentem plecte, nihil deprecor, nihil abnuo: non potes in me ferre ſententiam tam gravem, quæ videri mitior pro facinoris atrocitate non debeat.

Quanquam, quem alloquor? & apud quem ago cauſam ingratus? Non hic accuſatoris vel Judicis cauſam ſuſtines; ſed amicum, ſed parentem agis. Tu quereris de me, at reum accuſare parcis; ſontem increpas, at eundem non damnas. Agnoſco dignam natalibus, dignam parente, dignam imperio indolem: agnoſco mores humaniſſimi Principis, quem nemo hactenus offenſum ſenſit, nemo vel inimicus non amicum expertus eſt. Scilicet nunquam exiſtimaſti, Cæſar, dignitatem majeſtatemque Principis in oſtentatione vana potentiæ, in vindicandis propriis injuriis, in fundendo inimicorum ſanguine eſſe poſitam. Hi ſenſus olim & Marios, & Syllas, & Antonios decuerint, qui Romanorum civium ſibi placebant in cæde, qui tyranni potiùs atque hoſtes patriæ, quàm Imperii rectores atque moderatores appellari meruerunt. At tu, qui humanitatem atque clementiam, quâ te Principem inter cæteros exhibes, laudem eſſe Principis viri potiſſimam ſemper reputaſti: nihil tam providiſti ſedulò, quàm ut propenſam in omnes cives voluntatem teſtareris, amicos benevolentia foveres, æmulatores gloriæ tuæ aut etiam inimicos beneficiis allliceres, injurias oblviſcere, &, quam in

Definitio per Negationem.

Definitio per Affirmationem.

in Cajo Cæſare reliquas inter virtutes humanitatis gloriam ſuſpexeras, ejuſdem te locupletiſſimum ac munificentiſſimum hæredem Populo Rom. oſtentares.

Igitur tuere, Cæſar, quam tibi jam apud omnes comparaſti, benignitatis famam: memineris quàm multi ſervatos ſe à te fuiſſe glorientur. Indulge partem aliquam bonitatis illius infortunato Cinnæ, quem fortuna proditorem non fecit, niſi ut, vel immeritum dum abſolveres, novus inde nomini tuo ſplendor, novum decus accederet.

CAPUT IV.

Locus ab Enumeratione Partinm.

QUid eſt Enumeratio Partium? *R.* Eſt Diſtributio totius in ſuas partes. Ut virtus non eſt fugienda, ergo nec juſtitia, nec prudentia, nec temperantia, nec fortitudo, nec cæteræ virtutes fugiendæ ſunt.

Hoc ipſum præſtat Cicero, ubi per Enumerationem probat imperatorias virtutes eſſe in Pompejo, quas in ſcientiam rei militaris, fortitudinem, auctoritatem & felicitatem diſtribuit. Pro Lege Manil. n. 28. *Ego enim ſic exiſtimo in ſummo Imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine ſcientior unquam fuit aut eſſe debuit? &c.* Ubi ſingulas illas diviſionis partes diligenti Enumeratione pertractat: ſcientiam quidem à bellorum multitudine quæ geſſerat: virtutem, à teſtimonio multarum Provinciarum, quæ teſtes fuerunt illius virtutis. *Teſtis, Italia,* &c. *teſtis eſt Africa,* &c. n. 30. &c. Auctoritatem, à teſtimonio ſociorum & hoſtium, quos recenſet à n. 44. ad 47. Felicitatem denique à multitudine victoriarum quas terra marique reportaverat n. 47.

Quotuplex eſt Partium Enumeratio?

R. Multiplex. Prima, cùm diſtribuitur res in eas partes ex quibus conſtat, ut cùm homo in corpus & animam; animus in memoriam, intelligentiam, & voluntatem dividitur.

Ita Cicero in Piſ. n. 53. probat neminem venitſe obviam Piſoni Romam redeunti, quia nec legati ejus neque cives, neque amici venerant. *Confer nunc viciſſim reditum tuum, quandoquidem, amiſſo exercitu, nihil incolume domum, præter os illud priſtinum retuliſti. Qui primùm quà veneris cum laureatis tuis lictoribus quis ſcit? Quos tu Mæandros, dum omnes ſolitudines perſequeris, quæ diverticula flexioneſque quæſiſti? Quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hoſpes aſpexit? Nonne tibi nox erat pro die? nonne ſolitudo pro frequentia? Caupona pro oppida; non ut redire ex Macedonia nobilis Imperator, ſed ut mortuus infamis referri videretur? Romam verò ipſam fœdavit adventus tuus .... quemadmodum veniſti? Quis tibi non dicam horum, aut civium, aut cæterorum, ſed tuorum legatorum obviam venit?*

Et Oratione poſt reditum ad Quirites n. 2. probat ſibi omnia fuiſſe reſtituta, & vocem illam *omnia*, quæ totum eſt, in eas partes, quas continet, nempe liberos, fratrem, rem familiarem, amicitias, conſuetudines, dignitates, eleganti Enumeratione diſtribuit. *Etſi homini nihil magis eſt optandum, quàm proſpera, æquabilis perpetuaque fortuna, ſecundo, vita, ſine ulla offenſione, curſu; tamen ſi mihi tranquilla & placata fuiſſent omnia, incredibili quadam &*

pœne

Digitized by Google

pæne divina, qua nunc veſtro beneficio fruor, lætitia voluptate caruiſſem. Quid dulcius hominum generi à natura datum, quam ſui cuique liberi? mihi vero & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea chariores; tamen non tanta voluptate erant ſuſcepti, quanta nunc reſtituti. Nihil cuiquam fuit jucundius, quàm mihi meus frater; non tam id ſentiebam, cùm fruebar, quàm tunc cùm carebam & poſtea quam vos me illi, & mihi eum reddidiſtis. Res familiaris ſua quemque delectat: reliqua mea fortuna recuperata plus mihi nunc voluptatis afferunt, quàm tunc incolumi afferebant. Amicitiæ, conſuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi denique & dies feſti quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo. Jam verò honos, dignitas, locus, ordo, beneficia veſtra, quanquam mihi ſemper clariſſima viſa ſunt, tamen ea nunc renovata, illuſtriora videntur, quàm ſi obſcurata non eſſent, &c.

Et Oratione in Piſonem probat ipſum eſſe odio omnibus n. 64. *Senatus odit te .... videre Equites non poſſunt .... Plebs Romana perditum cupit ..... Italia cuncta execratur, &c.* Item pro Domo ſua n. 73. & Philip. 14. n. 34.

Secunda Enumerationis ſpecies, cùm totum dividitur in eas partes, quas Philoſophi *integrantes* vocant, v. g. cùm corpus dividitur in caput, pedes & brachia.

Revocari ad eam Enumerationis ſpeciem locus hic poteſt Orat. in Piſonem num. 1. ubi ſingulas capitis ipſius partes enumerat & excutit. *Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis, hic in errorem homines impulit.*

Tertia, cùm genus dividitur in ſpecies ſuas; ut virtus in prudentiam, juſtitiam, fortitudinem & temperantiam, quæ ſunt quatuor virtutes, ut ajunt, *Cardinales*.

Habes exemplum illius Enumerationis Orat. pro Plancio num. 80. *Etenim, Judices, cum omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, tamen nihil eſt, quod malim, quàm me & gratum eſſe & videri. Hæc eſt enim una virtus non ſolùm maxima, ſed etiam mater omnium virtutum reliquarum. Quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes? Qui ſunt boni cives? Qui belli, qui domi de patria bene merentes, niſi qui patriæ beneficia meminerunt? Qui ſancti, qui religionum colentes; niſi qui debitam Diis immortalibus gratiam, juſtis honoribus & memori mente perſolvunt? Quæ poteſt eſſe jucunditas vitæ ſublatis amicitiis? quæ porro amicitia poteſt eſſe inter ingratos, &c.*

Quartò fit etiam Enumeratio per Cauſas. Sic Cicero pro Domo ſua remotione cauſarum, quas enumerat, oſtendit, uno Ciceronis odio adductum fuiſſe Clodium, ut tam multa adverſus ipſum moliretur, num. 59. *Quid enim vos uxor mea miſera violarat, quam vexaviſtis, raptaviſtis, omni crudelitate laceraviſtis? Quid mea filia, cujus fletus aſſiduus ſordeſque lugubres, vobis erant jucundæ, cæterorum omnium mentes oculoſque flectebant? Quid parvus filius, quem, quandiu abfui, nemo niſi lacrymantem confectumque vidit? quid fecerat, cùm eum toties per inſidias interficere voluiſtis? quid frater meus, qui, cùm aliquantum poſt meum diſceſſum ex Provincia veniſſet, neque ſibi vivendum, niſi me reſtituto, putaret, cùm ejus mœror & ſqualor incredibilis & inauditus omnibus mortalibus mi-*

Digitized by Google

miſerabilis videretur, quoties ex veſtro ferro ac manibus eſt elapſus?

Sic in Piſonem n. 40. probat nihil ſcriptum à Piſone de Provincia ad Senatum, quia nihil erat quod ſcribi cum aliqua gratulatione poſſet. *Quid tandem erat actum aut geſtum in illa Provincia, de quo ad Senatum cum aliqua gratulatione ſcribi abs te oporteret? an vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amiſſio? an ſociorum dereptio? an agrorum depopulatio? an obſeſſio militaris viæ? an exercitus noſtri interitus ferro, fame, frigore, peſtilentia? ....*

Et 1. Catil. n. 13. probat nihil eſſe quod retinere Catilinam in urbe poſſit. *Quid enim eſt quod te jam in urbe delectare poſſit, &c.* Et Phil. 2. num. 2. removendo cæteras cauſas propter quas ipſi infenſus eſſet Antonius, probat hanc unam eſſe, quia nulla re alia efficaciùs demonſtrare potuerat ſe eſſe hoſtem Patriæ.

Quintò. Fit Enumeratio per Effecta. Ita Divin. in Verrem num. 38. enumerat quæcumque pravè ac nequiter facta fuerant à Verre variis in Provinciis, in quibus nomine Populi Romani Magiſtratum egerat. *Putas-ne te poſſe, quæ C. Verres in Quæſtura, quæ in Legatione, quæ in Prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaja, Aſia, Pamphiliaque patrarit, ea, quemadmodum locis temporibuſque diviſa ſint, ſic criminibus & oratione diſtinguere? &c.*

Et 6. Verrina num. 1. Omnia Verris furta enumerat. *Nego in Sicilia tota tam vetere tam locuplete Provincia, tot oppidis, tot familiis ullum argenteum vas, ullum Corinthiacum, aut Deliacum fuiſſe; nego ullam gemmam aut margaritam fuiſſe, aut quidquam ex auro aut ex ebore factum, ſignum ullum marmoreum, eburneum, nego ullam picturam neque in tabulis, neque textilem fuiſſe, quin quæſierit, inſpexerit, quod placitum ſit, abſtulerit..*

Et n. 127. ejuſdem Orationis enumerat omnia ſigna ac ſimulacra quæ rapuerat.

Sextò. Fit etiam Enumeratio per Congeriem. Ita Catil. 2. num. 7. per Congeriem ſcelera Catilinæ enumerat. *Quid enim mali aut ſceleris fingi aut excogitari poteſt, quod ille non conceperit? Quis tota Italia veneficus? quis latro? quis ſicarius? quis parricida? quis teſtamentorum ſubjector? quis circumſcriptor? quis ganeo? quis nepos? quis adulter? quæ mulier infamis? quis corruptor juventutis? quis corruptus, quis perditus, qui ſe cum Catilina non familiariſſimè vixiſſe fateatur?*

Sic & Orat. pro Sextio num. 95. Scelera Clodii enumerat & exagerat. In Piſonem num. 83. ſcelera Piſonis. 7. Phil. num. 15. flagitia Antonii, Luxum Chryſogoni pro Roſc. Amer. n. 133.

Hic verò Locus tractatur vulgò per iſtas Figuras.

Primò per Anaphoram ſeu Repetitionem. Ita Cicero poſt reditum in Senatu numer. 28. *Poſſum ego ſatis in Cn. Pompejum unquam gratus videri, qui non ſolùm apud vos, qui idem omnes ſentiebatis, ſed etiam apud univerſum Populum Rom. ſalutem Reip. & conſervatam per me, & conjunctam eſſe cum mea dixerit? Qui cauſam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemque tempore improbos auctoritate ſua compreſſerit, bonos excitarit? Qui Populum Rom. pro me tanquam pro fratre, aut parente non ſolùm hortatus ſit, ſed etiam obſecrarit? Qui ipſe cum propter metum dimicationis & ſanguinis domo ſe teneret, etiam à ſuperioribus Tribunis petierit, ut de ſalute mea & promulgarent & referrent? Qui, &c.*

Et

Et Phil. 4. num. 9. *Negat hoc D. Brutus Imperator, Conſul deſignatus, natus Reipubl. civis: Negat Gallia, negat cuncta Italia, negat Senatus, negatis vos; quis igitur illum Conſulem niſi latrones putant?*

Item 2. in Rullum n. 9. Phil. 2. n. 12. & n. 16.

Secundò. Per Interrogationem, ut obſervari facilè poteſt ex Locis pœne omnibus jam hic laudatis; & prætérea pro Cluent. num. 107. ubi Cicero egregiam Enumerationem habet, in qua recenſitis ſingulorum Judicum nominibus, ſubjungit ſingulorum dotes aliquas ſingulares. Legendus hic Locus.

Tertiò per Interrogationem Subjectioni junctam: ut Oratione de Provinc. Conſ. ubi num. 29. tractat Euumerationem per iſtas Figuras, oſtenditque, nihil eſſe, quod Cæſaris reditum in urbem remorari debeat. *Quid eſt, cur ipſe Cæſar in Provincia commorari velit, niſi ut ea, quæ per eum affecta ſunt, perfecta Reip. tradantur? Amœnitas eum, credo, locorum, urbium pulchritudo, hominum nationumque illarum humanitas & lepos, victoriæ cupiditas, finium imperii noſtri propagatio retinet? Quid illis terris aſperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porro tot victoriis præſtabilius? quid Oceano longiùs inveniri poteſt? An reditus in patriam habet aliquam offenſionem? utrum ad populum, à quo miſſus eſt? an apud Senatum, à quo ornatus eſt? an dies auget ejus deſiderium? an magis oblivionem? an laurea illa magnis periculis parta amittit longo intervallo viriditatem?*

Inſignis eſt & ille pro Corn. Balbo Locus num. 9. *Quid enim abeſt huic homini* (Cn. Pompejum intelligit) *quòd ſi adeſſet, jure hoc tribui & concedi poſſe putaremus? Uſus-ne rerum? qui pueritiæ tempus extremum principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum; cujus plerique æquales minùs ſæpe caſtra viderunt, quàm hic triumphavit? qui tot habet triumphos, quot oræ ſunt, parteſque terrarum? tot victorias bellicas, quot ſunt in rerum natura genera bellorum? an ingenium? cùm etiam ipſi caſus eventuſque rerum, non duces, ſed comites ejus conſiliorum fuerint? in quo uno ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certavit, ut, omnium judicio, plus homini tribui, quàm decet, videretur? an pudor? an integritas, an religio in eo, an diligentia unquam requiſita eſt? quem Provinciæ noſtræ, quem liberi populi, quem Reges, quem exteræ gentes caſtiorem, moderatiorem, ſanctiorem non modò non viderunt, ſed aut ſperando unquam, aut optando cogitaverunt?*

Et laudato ſupra loco pro Domo ſua num. 59. item 7. Ver. num. 125. & Phil. 7. num. 21. pro Domo num. 95.

Illuſtris & illa pervulgataque eſt Enumeratio per diſtributionem, qua, in Plinii Panegyrico, Trajani in urbem ingreſſus deſcribitur, & publica lætitia ita pingitur. *Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardavit, quominus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te parvuli noſcere, oſtentare juvenes, mirari ſenes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem ſanitatemque prorepere. Alii ſe ſatis vixiſſe te viſo, te reperto, alii magis vivendum eſſe ſibi prædicabant. Videres referta tecta & laborantia, oppletas undique vias, alacrem hinc inde populum, &c.*

EXERCITATIO.

Minervæ apud Jovem Oratio in Bacchum vini Inventorem.

Locus ab Enumeratione Partium.

SYNOPSIS.

Exord. Conquereretur, quod Dii, qui præter cæteros opitulari mortalibus deberent, iidem plerumque maximè omnium noceant.

Propoſitio. Dicet nullum ſupereſſe ſibi in orbe perfugium, ex quo vini uſum Bacchus intulit: idque tractabit per *Enumerationem* vitiorum, quæ ſapientiam fugare ſolent.

Confirmationem petet ab illa corruptela, quam vini uſus invexit: & per Enumerationem recenſebit malos vini effectus, propter quos ſibi ulteriùs non liceat cum hominibus verſari. Addet nullam eſſe ætatem, aut conditionem ab illa corruptela immunem.

Concludet rogando Jovem, vel ut vites omnes perdat; vel ut patiatur æternum facere ſe cum terris divortium.

ORATIO.

Quonam infelici gentis humanæ fato fieri dicam, æquiſſime rerum omnium pater ac moderator Jupiter; ut qui præter cæteros mortalium commodis invigilare ac providere deberent Dii immortales, iidem obeſſe hominibus quàm maximè; & graviſſimum importare detrimentum inveniantur?

Enumeratio per Repetitionem. Equidem dolebam hactenus, quod regendis mortalium animis æterno fatorum conſilio præpoſita, eorumdem fugere conſortium identidem cogerer, dum alii ambitioni ſerviunt, alii ſtudent avaritiæ, alii mollibus deliciis voluptatibuſque diffluunt, alii odiorum ſtimulis irarumque fluctibus abripi ſe patiuntur, & tam inſanas cupiditates nimia Superi indulgentia plerumque fovent ac nutriunt. Verùm ex quo pernicioſum vini uſum imprudens Bacchus terris intulit, quis ſupereſſe mihi poteſt apud homines locus, quod ſecretum in orbe toto perfugium eſt, quod inacceſſam eorum furori ſecuritatem præſtet?

Teſtem te appello, Jupiter æquiſſime; vidiſti enim & tuis uſurpaſti oculis, quantam illecebroſus ille & deteſtabilis liquor mortalibus corruptelam attulerit. *Enumeratio per Effecta.* Hinc lites, rixæ, jurgia, contentiones, bella, cædes naſcuntur. Hinc proditiones amicorum, familiarium ruinæ, Rerumpublicarum everſiones promanant, nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum capitalis illa peſtis non impellat. Hæc labes cætera animi corporiſque vitia accendit atque exſtimulat: hæc temeritatem ſufficit ad ambitionem, faces atque incendia miniſtrat ad iram atque odium, furorem affert ad vindictam, illecebras parat ad voluptatem; cùmque homini nihil præſtabilius mente Superi dederint, huic divino muneri ac dono nihil tam inimicum eſt, quàm vinum: neque enim vino dominante temperantiæ locus omnino eſt, neque in ebrietatis regno virtus ulla poteſt conſiſtere.

Enumeratio per Diſtributionem. Saltem ſi qua pars humani generis à teterrima vini corruptela immunis haberetur; ſi qua ætas, aut ſi qua vitæ conditio præcavere ſibi ab ipſius illecebris atque lenociniis valeret; ſi quis angulus in orbe toto, quem metuenda peſtis illius contagio non afflaſſet. At ubi gentium non dominatur illa? quem non inficit? cui parcit? Depravat juvenes, viros corrumpit, dementat ſenes, egenos ac locupletes, viros ac mulieres perdit ac labefactat.

Quare vide, amabo, prudentiſſime Jupiter, vel ut vites omnes, quàm latè

latè patet orbis, radicitùs eruas atque extermines; vel ſi graſſari poſtem illam diutiùs permiſeris, noli mihi ſuccenſere, ſi relictis deinceps terris, æternum cum humano genere divortium fecero.

ALIA EXERCITATIO.

Bacchi apud eundem Jovem Oratio pro ſui Defenſione.

SYNOPSIS.

Exord. Deplorabit ſortem ſuam, quòd beneficia ſua, pro quibus laudari debuiſſet, peſorem in partem trahantur.

Propoſitio. Dicet nihil eſſe tam bonum, quo quis abuti non poſſit; adeoque, ſi vinum propterea damnatur, quod eo quidam abutantur, cætera etiam vituperari debere: idque tractabit Enumeratione rerum bonarum, quæ pravo uſu perniciosæ ſiunt.

Confirmationem petet ab iis commodis, quæ vinum affert: dicetque per Enumerationem, vires reficere, ſuſtentare ſtomachum, vitioſos humores pellere, ſanare morbos, &c.

Deinde tanto amplius eſſe beneficium demonſtrabit, quanto ad plures pertineat; quod explicabit per Enumerationem.

Concludet Minervam admonendo, ut ab increpatione abſtineat; ſed provideat pro ſuo munere, ut apud mortales vini uſum ſapienter temperet.

ORATIO.

Quàm luctuoſo fieri meo fato dicam, æquiſſime rerum omnium moderator, Jupiter, ut vel impenſa à me liberaliùs beneficia deteriorem in partem accipiantur, nihilque præter contumelias atque obtrectationes videar experiri, unde laudis plurimùm ac commendationis expectare debuiſſem.

Ecce dies mihi coram te dicitur, & apud æquiſſimum tuum tribunal impertiti mortalibus vini reus accuſor. Novum crimen, Deorum Pater optime, & ante hunc diem prorſus inauditum! ſapientiſſima ſoror mea ad te detulit. Atenim cœleſti illo munere homines infidi abutuntur? *Enumeratio per Repetitionem.*

Nam quò recidimus, amabo, ſi pravus rerum quarumcumque bonarum uſus beneficis earumdem auctoribus imputetur? Plutum accuſa patruum tuum tot opum, tot divitiarum largitorem; accuſa Cererem fructuum omnium, quibus veſcuntur homines, artificem; accuſa propagatorem luminis Apollinem; te-te, Soror, accuſa bonarum Artium inventricem; imò accuſa ipſum rerum omnium effectorem atque architectum Deorum parentem. Nam quota pars eſt rerum iſtarum, quas impertiiſſe ſe hominibus liberaliter Superi pro ſe quiſque gloriantur, quam, dum perperam iiſdem utuntur mortales, non depravent atque corrumpant?

Vide ergo, vel ut Superos omnes, quicumque opitulari mortalibus conati ſunt, pariter accuſes, vel fateare, quàm immeritò inventum à me vini uſum improbaveris. Nam quid majus tandem meliuſve datum hactenùs eſt, aut futuris retro temporibus unquam donabitur; quid cœleſti illo liquore pretioſius, qui vires reficit, ſuſtentat ſtomachum, cor exhilarat, vitioſos procul humores pellit, certumque adversùs varia morborum contagia remedium ſuppeditat? quid vino potentius, quod animos exſuſcitat, ingenii igniculos accendit, robur inſpirat, & ad difficilia quæque atque arduaſuperanda adjumento eſt? *Enumeratio per Effecta.*

Atenim vinum tibi non placet, Minerva; at quotus eſt tandem, non hominum dico, ſed Deorum cui non placuerit? Adoleſcentiam recreat, corroborat juventutem, ſenectutem alit *Enumeratio per Diſtributionem & per Effecta.*

Digitized by Google

alit ac fovet, res adverſas leviores facit, ſecundas lætiores. In luctu ſolatio eſt, curas abigit, mœrorem diſſipat, denique nullus eſt in orbe toto angulus, ubi, pro conceſſo gratiſſimo munere, pares mihi, ut decet, gratulationes non deferantur.

Parce ergo, Soror amiciſſima, vel increpare me duriùs, quaſi peſtiferum quoddam veneni genus terris intuliſſem, vel ſaluberrimum vini munus acerbiùs execrari. At tu potiùs pro ſapientia tua & conceſſa tibi apud mortales auctoritate, provide diligenter, ita temperari vini uſum, ne quis, vel tu, vel Deorum alius impenſum à me liquorem illum beneficum expoſtulare poſſit.

ALIA EXERCITATIO.

Jonathas ad Saulem pro Davide.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet non tam ſua in Davidem benevolentia, quàm ſuo in patrem ſtudio & populi gratia adductum fuiſſe, ut pro Davide roget veniam.

Propoſitio. Oſtendet quanti interſit & patris & totius populi, ut David non moriatur.

Confirmatio. Id probabit per Enumerationem partium, demonſtrando quanto David ſit apud omnes in pretio; quem tanquam totius gentis columen ac præſidium venerantur & vocem illam, *Omnes*, diſtribuet ſuas in partes.

Deinde idem probabit per aliam Enumerationem, revocando patri in memoriam, quanta populi Iſraelitici ipſiuſque Saulis gratia David fecerit; ut Sauli obſequens apertis periculis caput devoverit, ut Philiſtæos repreſſerit, & ipſorum Ducem Gigantem immaniſſimum interfecerit.

Confutatio. Diluet Saulis ſuſpiciones, rogabitque patrem, quid velit in Davide plectere? & per Enumerationem illuſtratam Subjectione innocentem probabit: Deinde patrem admonebit dedecoris, quod ſibi Davidis morte acccerſeret. Quid enim omnes dicent, quod amplificabit Enumeratione.

Concludet deprecando patrem, per quidquid habet chariſſimum, ut Davidi parcat.

ORATIO.

Etſi me meus in Davidem amor, Pater amantiſſime, adhortatur ſatis, ut ipſi graviſſimo capitis in diſcrimine poſito pro virili parte ſuppetias feram; hoc tamen lubentiùs paratæ fortiſſimo viro mortis deprecator accedo, quòd populi ſalus tuaque ipſius gloria cùm illius vita conjuncta ſit. Sic eſt enimverò, Pater amantiſſime; nam da mihi hanc veniam, ut palam & apertè profitear, quàm gravis immineat populo Iſraelitico pernicies; quam turpis nomini tuo labes inurenda ſit, ſi quid in Davidem duriùs ſtatuatur.

Perniciem dico imminere toti populo graviſſimam: quis enim neſcit, quantas & quàm meritò univerſus populus ſpes in Davide repoſitas habeat; quem terrorem hoſtium, libertatis aſſertorem, vindicem ſalutis, patriæ columen, univerſæ gentis præſidium toties expertus eſt? Quis ſuas fortiſſimo viro fortunas, opes, vitam, ſecuritatem ac pacem acceptas non debet? quis illius gratia ſe ſuaque omnia ultrò volenſque non devoveat? quis ſublato illo concidendum ſibi eſſe pariter non putet? Hunc norunt pueri, oſtentant juvenes, ſenes mirantur, ipſæ mulieres inſolitis laudibus extollunt. Illum milites in caſtris, proceres in aula, univerſus in civitate populus, tuque adeo, Pater amantiſſime, publicæ ſalutis tutorem ac defenſorem non ſemel appellaſti. *Enumeratio per Repetitionem.* *Enumeratio per Diſtributionem.*

Neque verò tam glorioſum nomen nullo ſui capitis diſcrimine, aut nulla rerum geſtarum gloria promeruit. Nam quid hic tibi revocem in memoriam, quæ noſti ſatis, quot & quanta tua & populi totius gratia

Enumeratio per Effecta.

tia præſtiterit? Tacebo, ut tibi obſecutus graviſſimos quoſque periculorum caſus non refugit: non commemorabo, ut inuſtam nomini noſtro labem ipſo hoſtium in ſanguine abſterſit? ſilebo, ut tumidos Philiſtæorum faſtus repreſſit, vires fregit, copias fudit, exercitus delevit, & ſuperbiſſimum ipſorum ducem Goliath, virum illum inſoleſcentem plus æquo immaniſſimi corporis robore, & nobis ferociter inſultantem proſtravit, & tam inſigni facinore hærentem jam diu populorum animis metum depulit.

Quanquam nihil moror, Pater amantiſſime; quin Davidem de te totaque gente noſtra tam bene meritum morte afficias, ſi quid erraſſe ipſum noveris. At quod plectis in ipſo ſcelus? quo demum flagitio indignationem tuam promeruit?

Enumeratio per Interrogationē & Subjectionem.

An initi cum patriæ hoſtibus conſilii reum accuſas? at quod eſſe potuit illi cum Philiſtæis commercium, quos ad hunc uſque diem ad internecionem perſecutus eſt? an detrectato imperio rebellem ac contumacem arguis? at quam obſequens tibi, & quoties vel ipſo capitis periculo extitit? an tibi ipſi molitum inſidias ſuſpicaris? at Davidis animum expertus es ſatis, cùm vitæ tuæ dominus atque arbiter, ſuas à capite tuo, vel cùm ipſum ad necem acriùs perquireres, manus abſtinuit.

Ah! ne igitur, Pater amantiſſime, virum innocentem, nobis tam utilem ac neceſſarium ulteriùs perſequere. Nam quid loquentur de te omnes, ſi quid gravius in Davidem peccaveris? Quid dicet Iſraeliticus populus, quem tot ac tantis eripuit cladibus ac ſervavit? quis erit ſermo exterarum gentium, quæ invictum fortiſſimi viri robur ſuſpexere? quid ipſi hoſtes? quid Philiſtæi ſentient, cùm ſublatum à te illum noverint, per quem tot annos adverſus graviſſimos ipſorum impetus regnum tuum ſtetit inacceſſum? Tune, ut iræ morem geras, exterorum, hoſtium, tuorum odium ac malevolentiam incurras? imò, imò declina labem illam ac dedecus, quod nomini tuo inureres. Hoc te filius tuus Jonathas, per quidquid in vita tibi charum eſt, orat atque obteſtatur. Patere, ut exorem à te hominis amiciſſimi vitam: hanc mihi impertire paternæ charitatis partem: da vivere illum incolumem, quo perempto mihimetipſi perire neceſſe ſit.

Enumeratio à Conſequētibus.

CAPUT V.

Locus à Notatione Nominis & Conjugatis.

UTrumque hunc Locum ad idem caput revocamus, propter eam quam habent inter ſe affinitatem, cujus utriuſque tametſi rarus eſt apud Oratores uſus, quia levioris eſt ad perſuadendum ponderis; tamen quia plurimùm valet ad delectandum, non nunquam à Tullio cæteriſque Oratoribus uſurpatur.

Quid eſt Notatio Nominis?

℟. Eſt Locus verborum originem & ſignificationem inquirens. Sic Conſul à conſulendo, Senatus à Senibus, Imperator ab imperando dicitur. Ita Cicero Notatione Nominis uſus eſt in Verrem, facetè ludens in feſta Verrea, quæ Verres in Sicilia ſuo nomine inſtitui curaverat. 4. Verrina n. 52. *O præclara Verrea! quò enim non acceſſiſti, quò non attuleris tecum iſtum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiiſti, quod fanum denique, quod non everſum à te atque exterſum reliqueris? Quare appellentur fana iſta Verrea, quæ non ex nomine, ſed ex* mo-

Digitized by Google

moribus naturaque tua conſtituta eſſe videantur.

Quomodo probares à Notatione Neronem non eſſe inter Imperatores reponendum?

R. Hoc modo. Ille non fuit Imperator qui ſibi non imperavit, ſed Nero ſibi non imperavit, ergo Nero non fuit Imperator.

Quomodò ornandus hic Locus?

R. Tractari ornatè poſſe Notationem Nominis. 1. Per Comparationem. 2. Si vel perſonæ vel rei ſunt nomina illuſtria, ita tractabis illa, ut ex ſingulorum interpretatione redundet aliqua commendatio; ſin turpia ſint, aliquod vituperium; v. g. ſi quem commendare volueris ab ipſo *Magni* nomine. 1. Comparabis nomen iſtud cum clariſſimis aliis nominibus, puta cum nomine, *Pacifici*, *Felicis*, *Pulchri*, *Juſti*, & oſtendes *Magni* nomen cæteris omnibus titulis eſſe præponendum. 2. Ab ipſa nominis illius ſignificatione accipies ſingillatim omnes illos honores, quibus nomen iſtud inſignitur, ita ut demonſtres aliquid in eo eſſe oportere, qui tale fert nomen, ut rebus in cæteris pariter excellat; ſic ut., quicumque Magnus ſit, ad ea, quæ magna ſunt & illuſtria, incendi atque inflammari debeat.

Quid ſunt Conjugata?

R. Sunt ea quæ ab uno eodemque nomine ſeu vocabulo derivantur, eique ut communi jugo ſunt quaſi religata; v. g. ab iſtâ voce *Imperium*, derivantur, *Impero*, *Imperator*.

Quomodò probares à Conjugatis Judicem humanum eſſe oportere?

R. Hoc modo. Homo debet eſſe humanus, ſed Judex eſt homo; ergo Judex debet eſſe humanus.

Ita Cicero pro Marcello n. ii. probat Cæſarem invictum eſſe oportere, qui clementia & æquitate animi victoriæ conditionem ſuperaverit. *Ceteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante equitate & miſericordia viceras; hodierno die te ipſum viciſti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe videris, cum ea ipſa, que erat illa adepta, victis remiſiſti. Nam cùm ipſius victoriæ conditione jure omnes victi occidiſſemus, clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus. Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam victoria ipſius conditio viſque devicta eſt.*

Ibid. n. 32. *Arma ab aliis poſita, ab aliis erepta ſunt. Ingratus eſt injuſtuſque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum.*

Et Lib. 4. Tuſculanarum Quæſtionum num. 57. *Quis enim poteſt, in quo libido cupiditaſve ſit, non libidinoſus & cupidus non eſſe? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus?*

Et Oratione pro Roſc. Amer. n. 16. *Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur.*

Item in Piſon. n. 19. *Cùm enim eſſet omnis cauſa illa mea Conſularis & Senatoria, auxilio mihi opus fuerat, & Conſulis & Senatus.*

Et 2. Phil. n. 10. *Non tractabo ut Conſulem, ne ille quidem me ut Conſularem.*

Et Lib. 3. de Natura Deorum n. 84. *Jam menſas argenteas de omnibus delubris juſſit auferri, in quibus, quod more Greciæ inſcriptum eſſet, Bonorum Deorum, uti ſe eorum bonitate velle dicebat.*

Quomodò ornandus & tractandus eſt hic Locus?

R. Egro-

Digitized by Google

R. Egregiè tractari poſſe 1. per Hyperbolem. Ut ſi de impio homine dixeris, non eſt tantum impius, ſed ipſa impietas.

Item Cicero de Verre, 1. Verrina num. 26. *Ut mihi non unus homo improbus opprimendus ſit, id quod Siculi petiverunt; ſed omnino omnis improbitas, id quod Populus Roman. jam diu flagitat, extinguenda atque delenda ſit.*

2. Per Paronomaſiam ut 4. Verrina n. 129. Cicero de Aſtrologo loquens hæc ait. *Quæ iſte cùm cognoviſſet novus Aſtrologus, qui non tam cœli rationem quam cælati argenti rationem duceret.*

3. Per Aſteiſmum ſive per urbanam aliquam dictionem. Ut 4. Verrina n. 24. *Satis-ne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonis ſinu in Provinciam profectus eſſet, Veneris nomine quæſiſſe videtur?*

4. Per Traductionem, ut Phil. ii. n. 36. *Animadverti P.C. dici jam à quibuſdam exornari etiam nimiùm à me Brutum, nimiùm Caſſium ornari...... Quos ego orno? nempe eos, qui ipſi ſunt ornamenta Reip.*

EXERCITATIO.

Pacifici Nomen cæteris Nominibus magnificis eſſe præferendum.

Locus à Notatione Nominis.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. DIcet Orator inter cæteta nomina, quæ magni viri ambiunt, nullum eſſe Pacifici nomine illuſtrius.

Confirmationem petet 1. à Comparatione eum clariſſimis aliis nominibus, puta, felicis, pulchri, magni, &c. dicetque Pacifici nomen iſtorum omnium nominum doses virtuteſque complecti ac ſuperare.

2. Idem probabis argumento à Notatione nominis Pacifici, quod explicabit & interpretabitur per ſynonimas voces, & ſimilitudinem cœli, quod nunquam decorum eſt magis quàm cùm ſerenum eſt: tale eſſe imperium, quod nunquam illuſtrius eſt, quàm cùm pace fruitur.

3. Oſtendet Nomen illud omnes Principum dotes continere, ut qui Pacificum dixerit, felicem, pium, magnum, &c. dixerit.

Concluſionem traducet in Ludovici Magni laudes, qui nihil tam viſus ſit affectare, quàm Pacificum videri.

ORATIO.

Cùm multa magnaque ambitioſiùs conquiſita ſunt à Principibus viris nomina, quibus ſe ſuorumque facinorum memoriam poſteritati commendarent; tum certè nullum unquam extitit tam ſplendidum, tam illuſtre, tam magnificum, quod cum Pacifici nomine, gloria, ſplendore, magnificentia certare poſſit.

Notatio per Comparationem. Quod enim mihi nomen cum glorioſo Pacifici nomine conferas? an Felicis? Nomen beatum per ſe quidem, ſed fortunæ magis quàm moribus convenit. An Pulchri? Jucundum enimverò ac ſuave; ſed eſt ea laus corporis, non animi. An Magni? vox ipſa magnifica, plena majeſtatis, ſed in ea plus ambitionis interdum ſolet eſſe, quàm gloriæ. At cùm Pacifici nomen appellamus, non inanem aliquam tribuimus gloriolam, quæ cum pulchritudine deflorefcat; non alienam, cujus in ſocietatem venire fortuna poſſit; non ambitioſam, quæ vanitatis habeat plurimum, parum dignitatis; ſed veram, gravem, ſolidam, eamque, quæ cæterorum nominum virtutes omnes ac dotes complectatur, & longo intervallo ſuperet.

Notatio per interpretationem. Pulchrum etenim & illuſtre Pacifici nomen eſt, plena dignitatis appellatio; atque ut nulla cœli facies plus oſtentat decoris atque pompæ, quàm quæ clemens eſt ac ſerena; ſic

mum-

numquam eſt imperii majeſtas auguſtior, quàm cùm ſuavitate & quaſi ſerenitate pacis ornatur. Popularis hic titulus idemque divinus, quo laudes Principum omnes & ſplendida nomina, veluti ſole, minorum ignium lumina continentur; ut qui Pacificum dixerit Regem, idem & Patrem patriæ, & populi delicias, & optimum Principem, & Pium & Felicem & Magnum appellet, nomine uno tam ambitioſa nomina repræſentans.

Quare hanc ſibi formam imperii Regum omnium ſapientiſſimus Ludovicus Magnus ſemper propoſuit; qui cùm regni habenas capeſſere primùm cœpit, Regem ſe non crediderit futurum, niſi regnum, quod la ceratum diſcordiis & tumultibus perditum, regni ſpeciem vix habebat, quietum ac tranquillum conſtituta pace obtineret. Qui quoties provocatus ac laceſſitus bellum inferre compulſus eſt, ſic uſus eſt victoria, ut pacem volentibus daret, invitis imponeret; qui fœderatas totius Europæ vires dum frangeret tam feliciter ac debilitaret, eo conſilio pugnabat ac vincebat, ut belli paciſque arbiter longam ac ſecuram non ſuis modo, ſed alienis tranquillitatem conciliaret; qui partis tot victoriarum ſuarum monumentis etiam hodie cedere non dubitat, ut pulſam jam diu & exulantem crudioris belli diuturnitate pacem revehat, & tam imperio Gallico quàm univerſo orbi feliciter reddonet.

EXERCITATIO.

Nero nunquam fuit Imperator.

Locus à Conjugatis.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet Orator parum eſſe, ſi quis Imperatoris nomen affectet, niſi vim nominis illius omnem impleat moribus.

Propoſitio. Quæret à Nerone quo pacto nomen uſurpare Imperatoris audeat, qui flagitiis omnibus nominis illius dignitatem violaverit? & per Hypotipoſim Neronis vitam diffluentem deliciis, & omni ſcelerum colluvie concretam deſcribet.

Confirmatio. Dicet nunquam Neronem imperaſſe populis, niſi quis putet eum imperitare populis, qui eoſdem virgis laceret, affigat cruci & incendio deleat. Hic exagitabit Neronis crudelitatem ac ſævitiam.

Addet eum appellari Imperatorem non poſſe, qui ſibi ipſe imperare neſciat; cui avaritia, libido, iracundia dominentur.

Concludet dicendo, Neronem ex albo Imperatorum eſſe expungendum.

ORATIO.

Laudetur enimverò hic Imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur, qui non inanem tantùm ac vacuam tanti nominis umbram affectat, ſed rem ipſam profitetur moribus, & rebus præclarè geſtis promeretur.

At te, mortalium flagitioſiſſime, ut Imperatorem nuncupem, aut imperaſſe unquam crediderim, qui nec virile quidquam habeas præter nomen? Age enim quis tandem ſervus ſi tu Imperator? an tu Imperatorem à ſervo, ingenti ſatellitio, purpura faſciumque inſignibus, non animo, factis virtutibuſque diſtinguis? Putas in veſtitu molli, madente coma, compoſito capillo, laſcivientibus oculis, inceſſu fracto, in conviviis, in choreis, in ſtupris Imperatorem *Nero non fuit Imperator, qui Imperii dignitatem violavit.*

Ro-

Romanum quiſquam agnoſcat. Egregiam enimverò Imperatoris ſpeciem! exemplum Imperii veteris! imaginem antiquitatis! Reipublicæ columen & dignum avita virtute monumentum!

Et tu mihi mentionem facies imperii tui? te imperitaſſe Populo Romano jactitabis? Ede nobis aliqua, ſi potes, Imperii illius tui monumenta: cedo, quid in commune bonum, quid in privatorum commoda, quid in civitatis & univerſæ Reip. decus & ornamentum contuleris. Video laceratos virgis cives, affixos cruci clariſſimos viros, truncata avulſaque membra; video oblita pice, &, totidem veluti faces, collucentia Romanorum corpora; video extincta Reip. lumina, ſublata civitatis ornamenta, fumantem miſerabili incendio Romam, & illatas quamcumque in partem, Nerone imperante, flammas. Hæ ſunt triſtiſſimæ dominatus tui reliquiæ; his te facinoribus Populo Romano Imperatorem approbaſti.

Nero non fuit Imperator qui populis non imperavit.

Quanquam quid tam mirum aut inſolens videri debet, non potuiſſe Neronem imperitare populis, qui ſibimet ipſe nunquam imperavit? Quomodò enim, aut qui tandem imperet, qui improbiſſimis dominis, turpitudini ac dedecori parere conſueverit? cui avaritia imperet, inſultet iracundia, libido dominetur, & cæteræ labes animi turpiſſimum ſervitutis jugum imponant.

Non fuit Imperator Nero qui ſibi ipſe non imperavit.

Expungatur igitur & eradatur penitùs Imperatorum Romanorum ex albo Neronis Nomen, qui nec Imperii Rom. dignitatem ſuſtinuit, nec populis, ut decet, nec ſibi, ut par erat, potuit imperare. Obliteretur, ſi poteſt, hominis nequiſſimi memoria, & de triſtiſſimo Imperii funeſtiſſimi tempore omnis retrò poſteritas conticeſcat.

ALIA EXERCITATIO.

Locus à Notatione Nominis & Conjugatis.

Horatius ad Vinnium Aſellam, qui ſe offenſum putabat, quòd ille, in ſua ad eum Epiſtola, ad Aſinæ nomen, quod tulerat pater ejus, alludere malignius viſus eſſet.

SYNOPSIS.

Exord. SIgnificabit quanti ipſum & totam ipſius familiam ſemper fecerit.

Propoſitio. Dicet nihil debere ipſi dolendum videri, quòd ludere viſus fuiſſet in paternum nomen.

Confirmatio. Oſtendet à Notatione nominis nihil conferre vel ad probrum vel ad commendationem ea nomina, quæ homines, fato potiùs neſcio quo, quàm ullis ſuis aut virtutibus aut vitiis ſortiti ſunt. Sed laudem ac gloriam repeti ab uniuſcujuſque meritis: hæc eſſe quæ homines commendant.

Addet à Conjugatis: quemadmodum illuſtria nomina non illuſtrant eos, qui illa gerunt, niſi eadem virtutibus ſuis commendent, ſic ridicula nomina nihil obeſſe cuiquam, cujus in moribus nihil ſit ridiculum.

Concludet adhortando Vinnium, ut pergat eſſe vir bonus ac ſtrenuus; ſic non vertendum probro, quòd Aſina pater dictus eſſet, & ipſe Aſella vocaretur.

ORATIO.

Nam quid doles, Amice Vinni? quid expoſtulas? quid te offenſum à me fuiſſe criminaris? neſcis ergo quanti te ſemper totamque Aſellarum cognationem fecerim; quanti nunc quoque te faciam, cui, quod eſt cumque apud me pretioſiſſimum ultrò volenſque crediderim? quem putaverim inter reliquos maximè idoneum, qui verſiculos meos Cæſari redderes?

Atenim luſi paternum in nomen; viſus

viſus ego ſum jocari, quòd ab Aſina patre, Aſella vocareris: hinc te deſpectum & irriſum putas. Næ aut injuriam facis, Amice Vinni, niſi factum id joco & amanter, uti inter amicos ſolet, arbitreris; aut certè erras graviter, ſi nomen illud, quod geris, verti in contumeliam poſſe exiſtimas.

Mihi crede, Amice Vinni, nihil juvant vel ad probrum vel ad commendationem ea nomina, quæ natalium fato potiùs, quàm ulla meritorum ratione obtigerunt. Totum hoc fortunæ eſt, quæ in componendis diſtribuendiſque nominibus, uti cæteris in rebus ludit, & pro innata levitate juveniliter exultat. Tune quidquam hìc vindices tanquam tuum, quod unum ad voluntatem fortuna moderatur, aut tibi doleas irrogatum, quod ſortis ludibrium effecit? Non nititur fundamento tam fragili vera ac germana laus; neque probrum ac turpitudo tam futilibus ex cauſis oriri ſolent. Factis ſe ſuis quiſque comendat aut dedecorat, nec niſi virtutibus aut vitiis debet, quòd glorioſus vel infamis habeatur. Eſto ludicrum quid ac ſtupidum etiam ſonet Aſellæ nomen, propter eam quam habet cum Arcadicæ pecudis appellatione affinitatem; at quis hoc imputet tibi, qui vir gravis, qui ingenioſus etiam apud omnes audias? Vides, Amice Vinni, quàm ſeriò nunc tecum agam, & quàm minimè velim, ut credas, minùs te amari à me, aut etiam minoris æſtimari.

Dic mihi, quæſo; an illi homines, quos ſuſpexit antiquitas & admiramur tantùm hodieque, gloriam ſuam debent ſpecioſis illis nominibus, quæ geſſerunt? an non potiùs rectè factis ac virtutibus illuſtria ipſa nomina, quæ ferebant, accepta gratulabantur? An ipſorum poſteri qui eadem illa nomina ſimul cum vita traxerunt à Majoribus, decus ullum aut ſplendorem hinc habent, niſi nominum ejuſmodi gloriam ſplendidis facinoribus tueantur? Et hoc perſuadeas tibi, Amice Vinni, nihil obeſſe cuiquam ridiculum quantumvis nomen, ſi nihil ſit in moribus ac vita, quod rideri meritò poſſit.

Quare, ſi me audis, perge vir eſſe bonus ac ſtrenuus; fuge otium, & aſſiduis, ut ſoles, inſiſte laboribus; nemo ut ſtuporem tibi vel deſidiam exprobrare poſſit. Tum demum ſecurus vive; neque metuendum tibi puta, ne paternum Aſellæ nomen tibi unquam in contumeliam vertatur.

CAPUT VI.

Locus à Genere & Specie ſeu Forma.

TAmetſi apud Philoſophos multum ponitur diſcriminis genus inter & ſpeciem; plerumque tamen apud Oratores utrumque ita promiſcue confunditur, ut quidquid habet multa infra ſe, ſive ſpecie, ſive ſolo numero diverſa, genus appelletur.

Quid eſt ergo Genus?

R. Eſt illud quod commune multis res varias ſpecie differentes infra ſe continet.

Quomodò probares à genere amandam eſſe prudentiam?

R. Hoc modo. Virtus eſt amanda, ſed Prudentia eſt virtus; ergo Prudentia eſt amanda.

Quis porro Loci illius eſt uſus?

R. Hoc Argumenti genus adhiberi frequentiùs in Exordiis. Hìc enim Orator præmittere quædam ſolet generatim & univerſè, quæ rationem

The-

Theſis habent, unde deſcendit ad Hypotheſim. Ita Demoſthenes laudaturus eorum prudentiam ac fortitudinem, qui pro patria ceciderant, duo præmonet eſſe virtutis principia, prudentiam & fortitudinem; quarum altera, quid ſit agendum, præſcribit; altera exequitur. Cavendum autem Oratori præcipuè, ne in Genere diutiùs immoretur, tum præſertim cùm apponitur loco Quæſtionis indefinitæ. Eſt enim puerile vitium hærere longiùs in Theſi, quàm in Hypotheſi.

Argumenti verò quod à Genere ducitur vis in eo eſt, quòd, quidquid Generi tribuitur vel negatur, id Speciei pariter, ſive rei ſingulari ſub genere contentæ tribuatur vel negetur; v. g. qui probaverit virtutem eſſe excolendam, is eodem pacto probaverit temperantiam vel fortitudinem eſſe excolendam; rurſus qui oſtenderit aliquem nulli vitio affinem eſſe, ille oſtenderit eundem nec avaritiæ nec ebrietati eſſe obnoxium.

Exemplum Generis egregium habes apud Ciceronem pro Milone n. 9. ubi probat fas eſſe occidere inſidiatorem hoc argumento.

Si licet occidere hominem, maximè inſidiatorem; ſed licet aliquando occidere hominem, ergo licet occidere inſidiatorem.

Omiſſa propoſitione, quæ per ſe clara eſt & evidens, deſcendit ad Aſſumptionem, quæ generis rationem habet, & probat licere aliquando occidere hominem, 1. Inductione exemplorum numer. 7. *Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe occiſum eſſe hominem fateatur. In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? Nempe in ea, qua primum judicium vidit de capite M. Horatii, fortiſſimi viri, qui nondum libera civitate, Populi Rom. comitiis liberatus eſt, cùm ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur .... Niſi verò exiſtimetis dementem P. Africanum fuiſſe, qui, cùm à C. Carbone Tribuno plebis in concione ſeditioſè interrogaretur, quid de Tib. Gracchi morte ſentiret, reſpondit jure ceſum videri. Neque enim poſſet aut Hala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me Conſule, Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos cives interfici nefas eſſet.*

2. Ab armis quæ ferre homines ſolent & reliquis adjunctis n. 10. *Quid comitatus noſtri, quid gladii volunt, quos habere certè non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret.*

3. Ab ipſa Lege naturali num. 10. *Eſt enim hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti ſed imbuti ſumus; ut, ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela, aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis, &c.*

4. Ab auctoritate legis ſcriptæ, quæ dat facultatem ſui defendendi num. 11. *Et, ſi perſapienter & quodam modo tacitè dat ipſa lex poteſtatem defendendi, quæ non modò hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſa vetat, ut, cùm cauſa, non telum quæreretur: qui ſui defendendi cauſa telo eſſet uſus, non hominis occidendi cauſa habuiſſe telum judicaretur.*

Habes aliud exemplum argumenti à Genere petiti in Oratione pro Cœlio; ubi cùm negare Tullius non poſſet, Cœlium in adoleſcentia ſua fuiſſe paulò liberioris ac ſolutioris vitæ, revocat quæſtionem ad Genus; & probat multa adoleſcentibus eſſe nonnumquam permittenda num. 28.

Datur conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates, quæ, ſi ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles ac tolerabiles haberi ſolent.

Et in Oratione pro Archia, cùm laudandum eum ſuſcepiſſet, revocat Hypotheſim ad Theſim; & humanitatis ſtudia arteſque liberales laudat impenſiùs à num. 19. ad 21. *Sit igitur ſanctum apud vos homines humaniſſimos, hæc Poeta nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa & ſolitudines voce reſpondent; beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii ſuum eſſe civem dicunt, Chii ſuum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant . . . . . Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt; nos hunc vivum, qui & voluntate & legibus noſter eſt, repudiabimus?*

Ita, parricidii accuſatus Roſcius Amer. ſic defenditur à Cicerone, ut plurima præmittat de gravitate illius ſceleris, & ab eodem deinde reum abſolvat & eximat. à num. 62. ad 72.

Prodeſt inprimis hoc argumenti genus, quando ratio aliqua difficilior refellenda, aut Oratori res eſt cum adverſario majoris cujuſdam auctoritatis, cui obtrectare palam non audet. Hoc præſtat egregiè Tullius in Oratione pro Muræna, ubi nactus adverſarium Catonem Philoſophum Stoicum, virum magni ponderis, quem probitas ſua atque auctoritas tegebant, rem ita perficit, ut omiſſo veluti Catone, Stoicam Philoſophiam, quam ille ſectabatur, vituperet audaciùs atque reprehendat. num. 61. *Fuit quidam ſummo ingenio vir Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. Hujus ſententiæ ſunt graviſſimæ & præcepta ejuſmodi. Sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujuſquam delicto ignoſcere; neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & levem: viri non eſſe, neque exarari neque placari; ſolos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos; ſi mendiciſſimi, divites; ſi ſervitutem ſerviant, Reges. Nos autem, qui ſapientes non ſumus, fugitivos, exſules, hoſtes inſanos denique eſſe dicunt: omnia peccata eſſe paria; omne delictum ſcelus eſſe nefarium; nec minus delinquere eum, qui Gallum Gallinaceum, cùm opus non fuerit, quàm eum, qui patrem ſuffocarit; ſapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam. Hæc homo ingenioſiſſimus Marcus Cato auctoribus eruditiſſimis inductus arripuit, neque diſputandi cauſa, ut magna pars, ſed ita vivendi, &c.*

Hanc deinde doctrinam exagitat inſigniter more ſuo conſequentibus numeris.

Quid eſt Species?

R. Eſt res aliqua particularis, quæ ſub Genere, ſive ſub *Univerſali*, ut loquuntur Philoſophi, continetur.

Quomodò probares à Specie, laudandam eſſe virtutem?

R. Hoc modo. Laudanda eſt pietas, ſed pietas eſt virtus, ergo virtus laudanda eſt.

Digitized by Google

EXERCITATIO.

Locus à Genere.

Adhortatio ad eos, qui liberales Artes exercent, ut Ludovici Magni memoriam ſtudeant poſteritati commendare.

SYNOPSIS.

HOc Argumentum Orator adhibebit petitum à Genere. Si quorum hominum immortalis memoria eſſe debet, eorum maximè, qui multiplici virtutum gloria excelluerunt, ſed aliquorum debet eſſe immortalis memoria; Ergo, &c.

Omiſſa Propoſitione, quæ manifeſta eſt, veniet ad probandam Aſſumptionem, ſcilicet eſſe aliquos homines, quorum memoria debet eſſe immortalis: Hoc ipſum periodicè efferet. Exordii loco.

Deinde Rationes afferet Aſſumptionis.

Primam eliciet ab eo deſiderio, quod viri aliqua laude præſtantes ſui relinquunt, dum excedunt è vivis.

Secundam à ſtudio eorum hominum, qui illuſtriorum virorum vitas ſcriptis ſuis commendavere, aut eorum, qui ipſorum imagines vel in marmore vel in ære inciderunt.

Tertiam, ab univerſo populorum omnium conſenſu, apud quos extant aliqua eorum monumenta, qui aliqua laude floruerunt.

Quartam ab ipſa tam liberalium, quàm cæterarum Artium natura, quæ eo potiſſimùm fine inventæ videntur, ut virorum illuſtrium memoriæ propagandæ ſervirent.

Tertiò per Anacephalæoſim reſumet allatas ſupra rationes, ex quibus concludet iis deberi immortalitatem, qui aliqua laude præcelluerunt. Mox à Theſis deſcendet ad Hypotheſim; ut probet deberi eandem Ludovico Magno, qui non aliquo, ſed omni virtutum genere excellit.

Quartò id ipſum demonſtrabit per Enumerationem virtutum illarum, quibus Ludovicus præditus eſt, & præſtat illis Heroibus, quos Fabula commendavit.

Concludet dicendo, nullam eſſe Artem, quæ ab ejus laudibus conticeſcere debeat, & per Apoſtrophen ad ſingulas, iiſdem ſuas cuique partes præſcribet.

ORATIO.

Eſt hoc ſingulare quorumdam hominum ac proprium veluti fatum, ut peculiari aliquo Superum munere terris conceſſi, & cæterorum exemplo nati eſſe videantur. Verùm quo læriùs excipi ſolent illi, dum naſcuntur, eo gravius, dum rapiuntur, deſiderium ſui relinquunt; ſic, ut expleto, quantùm homini jam permittitur, longioris vitæ curriculo, nemo vel præmatura morte raptos non doleat, vel impertitam ipſis fuiſſe, præter conditionem mortalium, immortalitatem non velit. Theſis.

Hinc verò exarſit eruditorum hominum diligentia, ut, quos ſuſpexiſſent olim populi & amaviſſent, eorum mores ac virtutes ſcriptis in ſuis fideliter expreſſas relinquerent. Hinc ſtimulari ſe ſenſit Pictorum ſolertia, ut, dum nativis adumbrata coloribus illuſtrium virorum ora redderent, eorumdem abſentiam ac deſiderium quodammodo conſolarentur. Hinc & novos ſumpſit animos Sculptorum labor atque dexteritas in incidendis in marmore vel in ære Heroum ſuorum egregiis facinoribus, ut, dum res ab illis tam bello quàm pace præclarè geſtas poſterorum oculis ſubjicerent, faverent perpetuò, quam illi concitabant olim admirationem ſui, neque eorum memoriam ſeneſcere unquam paterentur.

Scilicet illud eſt propagandæ apud poſteros illuſtrium virorum gloriæ deſiderium ejuſmodi, ut non injectum extrinſecùs, ſed innatum nobis videri poſſit; adeo ut nemo niſi iniquiùs ferat illorum obliterari memoriam, qui ſe, dum viverent, immortalitate dignos præſtiterunt. Cedo enim nationem hominum aliquam, tam incultam, tam agreſtem, tam bar-

barbaram, apud quam multa omnis generis monumenta non exſtent, quibus res à majoribus ſuis aliqua cum laude geſtæ commendantur.

Quid porro omnes literæ, quid diſciplinæ liberales, quid cæteræ inferioris nominis artes volunt, aut loquuntur? Quem demum ob finem inventæ & tam diligenter excultæ, niſi ut magnorum virorum gloriæ famularentur? Quid eloquentia admirabilius? quid Poeſi dulcius? quid Pictura vel Sculptura gratius? quæ vel inventæ nuſquam, vel in ortu ipſo cœpiſſent obſoleſcere, niſi in repræſentandis ſuo quæque modo clariſſimorum hominum virtutibus elaboraſſent. O nullis ſatis prædicandum laudibus parandæ illuſtribus viris gloriæ deſiderium, abſque quo non careremus modò tam egregiis omnium Artium monumentis, ſed ne ipſarum quidem nomen haberemus.

Quòd ſi naturæ vox, eruditorum conſuetudo, unanimis populorum conſenſus, Artium omnium indoles & induſtria immortalitatem iis vindicant, qui aliqua virtutis laude, dum viverent, floruerunt; quanto potiori jure, qui Artes cujuſcumque generis exercent, de comparanda Ludovico Magno nominis immortalitate cogitabunt; qui non aliqua virtute, ſed univerſo virtutum agmine circumſeptus, dotes, quæ cæteros Principes commendavere, ſingulas in ſe uno complectitur. Hypotheſis.

Sed quæ par oratio tot prædicandis virtutibus eſſe poſſit? aut quid inter tam breves dicendi anguſtias vel delibare ex illis quidpiam confidamus. Nam dotes animi aggrediemur; an corporis? quàm ampla ſurgit Oratori, quàm magnifica de utroque prædicandi ſeges! Age enim quanta frontis dignitas! quàm vivida lux oculorum! quàm decens oris compoſitio! quàm nova totius vultus ſpecies atque amabilitas: quæ pulveris patiens atque ſolis, nec ipſis bellorum laboribus deteratur! Jam in inceſſu quanta gravitas, in corpore quàm juſta concinnaque conformatio membrorum, in homine toto quàm veneranda majeſtas! Sic ut inter Aulicos ſuos, ſi quando permixtus inveniatur, nemini, qui ipſum nunquam viderit, liceat illum ignorare, aut Regem inquirere.

Quòd ſi tam eximias exhibet dotes corporis, quanto præſtantiores animi virtutes præ ſe fert! In eo quid non regium, quid non admirabile, quid non memoria digniſſimum? Eſt aliquis, qui de ingenii præſtantia, facilitate, perſpicacia certare cum ipſo poſſit; quem ſui, quem exteri graviſſimis de rebus dicentem & ex tempore reſpondentem toties obſtupuere? cujus ex ore nulla vox unquam effluxit, quæ longioris cujuſdam & altiſſimæ meditationis partus videri non poſſet? Quis eo vel in providendis rebus ſagacior, vel in adminiſtrandis ſapientior, qui æquabilem ac conſtantem longiſſimi regni fortunam prudentiæ inprimis ſuæ acceptam debet? qui regnare per ſe ſolus vel junior didicit? qui miniſtros ad pompam magis & magnificentiam, quàm ad neceſſitatem habet? Quis porro cupidior juris & amantior æquitatis; qui vel propriis in rebus ſua unius ſententia ſæpe cauſa cecidit? Unde verò quemquàm nactus eris, qui tanta cum poteſtate tantam moderationem conciliavit? Credent Poſteri ſic imperaſſe motibus animi Ludovicum, non modò nihil ut unquam iratus peccaverit, ſed nec protulerit quidpiam, quod vel offenſionem vel indignationem ſaperet? Denique mitto dicere, quàm ſit liberalis & magnificus, quàm bonus domeſticis, quàm amabilis

cun-

cunctis & acceptus. Parco memorare magnitudinem animi in periculis, in adverſis conſtantiam, modeſtiam in proſperis. Prætereo tenerrimam pietatem in Deum, ſtudium Religionis acerrimum, incredibilem vel inter proſperos armorum eventus pacis amorem.

Evolvat, per me licet, univerſus orbis Annales ſuos; ſcrutetur priſca monumenta vetus antiquitas; fingant ſibi vel ipſæ Fabulæ Heroem ad arbitrium, quem cum Ludovico Magno collatum velint.

Regem ergo tam multis ornatum virtutibus quis non extollat? Quæ facultas tandem ab ejus conticeſcat laudibus? Quis nomen ipſius toti poſteritati conſecrandum ultrò non ſuſcipiat?

Hunc Pictura, qualis eſt, talem futuris ætatibus repræſentet, & vividis, quantum poteſt, coloribus egregiam oris ſpeciem, dignam Heroe ſtaturam & ſpirantem in toto corpore Majeſtatem ſtudeat imitari. Erigat Triumphales arcus Sculptura, quos nulla temporum ac tempeſtatum injuria diruat; incidat in ære atque marmore relatas ab eo victorias, expugnatas urbes, occupatas Provincias, fuſos exercitus, & conjuratas totius Europæ vires fractas toties ac debilitatas. Quod exequi Pictura, nec præſtare Sculptura poſſit, ſingulares ejus animi dotes ac virtutes Poeſis & Eloquentia commendent. Liberalem illum, magnificum, fortem, moderatum, clementem, juſtum, affabilem, pium, Superis perinde atque hominibus amabilem loquantur ac prædicent. Addat ſe reliquis Artibus Hiſtoria; & res ab eo geſtas, voces etiam ſingulas excipiat, & ſine fuco vel ceruſsæ veritatis unius interpres monumentis publicis conſecret.

Denique ita conſpirent Artes univerſæ ad conſecrandum Ludovici Magni nomen, ut, quem jam univerſus admiratur orbis, eundem ventura retrò ſæcula ſuſpiciant ac venerentur.

ALIA EXERCITATIO.

Defenditur Jonathas, quod contra patris Edictum paululum mellis guſtaſſet.

SYNOPSIS.

ARgumentum Defenſionis Orator petet à Genere, quod ſic informabit. Si quando lex mollem ac benignam Interpretationem pati poteſt, maximè eorum gratiâ, qui nihil de lege audierunt, ſed lex benignam Interpretationem pati poteſt aliquando, ergo, &c.

Omiſſa Propoſitione veniet ad Aſſumptionem, nimirùm lex mollem & benignam Interpretationem aliquando patitur; idque dilatabit in Periodum qua Exordium & Propoſitio continebuntur.

Rationem afferet, quia nullius unquam Legiſlatoris ea mens fuit, ut ſuas leges nulla molliri Interpretatione vellet.

Id verò probabit; quia neque ſapientiæ neque æquitatis ipſorum fuiſſet, ut nemo unquam à lege lata eximeretur.

Non fuiſſet 1. ipſorum ſapientiæ, quia prævidere illi non potuerunt varia locorum ac temporum adjuncta, in quibus latæ ab ipſis leges obſervari non poſſent.

2. Non fuiſſet æquitatis, ſi eos violatæ legis reos haberi voluiſſent, qui eas non potuiſſent obſervare.

Denique relicta Theſi veniet ad Hypotheſim, per quam concludet Saulem admonendo, non eſſe plectendum Jonatham, niſi aut parum prudens, aut parum æquus videri velit; qui violatam legem in eo puniat, qui propter ignorantiam eandem obſervare non potuerit.

ORATIO.

Etſi non is ego ſum, Princeps ſapientiſſime, qui vel commiſſam à ſupremo Numine legum conditoribus potentiam atque auctoritatem elevandam putem, vel populorum ſocordiæ indulgens plus æquo excuſare le-

gum infractores velim; tamen nihil dubitem palam profiteri vix eſſe poſſe legem ullam, quæ mollem interdum benignamque interpretationem non admittat.

Nam quis eſt, aut fuit unquam tam retinens juris ſui, aut debiti ſibi obſequii tam iniquus exactor; ut, quas ſancire leges meditaretur, eas ſic valere ſemper partem in omnem vellet, ut nullis incidentium rerum caſibus aut infirmari, aut etiam penitùs abrogari pateretur. Unum te mihi rei hujuſce teſtem appellare liceat, Rex ſapientiſſime; hunc tu Principem virum vel à ſapientia bellè comparatum, vel ab æquitate ſatis inſtructum æſtimares, qui in ſanciendis legibus, nulla locorum aut temporum expenſa ratione, nullo ætatum conditionumque delectu habito, ita ſeverè pronunciaret in omnes, ut neminem ab imperata lege immunem eſſe poſſe ſineret, & in quemcumque demum, qui legem non impleviſſet, animadvertendum duriter arbitraretur. Theſis.

Scilicet extitit aliquando, aut conſequentibus retro temporibus exiſtet Legislator aliquis tam perſpicax, & futuri poſt ſe temporis ſerutator tam accuratus, ut præviderit, nihil contingere unquam poſſe, quod latas à ſe leges infringeret, nihil quod iiſdem obſervandis moram afferret, nihil quod, ne minimè etiam implerentur identidem; prohiberet.

Quod ſi Legislator nullus prævidere potuit, quæcumque interveniunt tam ſæpe implendæ legis impedimenta; imò ſi penitùs ſenſit ac vidit, vel cùm ſuas omnibus leges diceret, non poſſe illas quibuſvis locorum ac temporum adjunctis ab omnibus obſervari, an foret ille arbitrio tuo juſtiſſimus, qui inſolita quadam præventus ſeveritatis laude, nullam admitti vellet ſancitæ legis interpretationem, ſed quamlibet omiſſæ legis offenſam eodem pariter modo mulctandam judicaret.

Quamobrem vide, amabo, Rex ſapientiſſime, idemque ſtudioſiſſime cultor æquitatis, qua demum vel ſapientiæ vel æquitatis laude plectendum Jonatham tuum cenſeas, ad quem nulla pars imperatæ legis pertinuit? Tu ne eum teneri lege tua velis, cui, legem à te latam fuiſſe cùm ignoraret, nulla illius implendæ facultas ſuppetebat. Tunc violatam ab eo legem reprehendas eumdemque putes morte puniendum, qui legem, etiam cùm voluiſſet, obſervare non poterat? Memineris potiùs ſolitæ prudentiæ tuæ atque æquitatis; &, quam in neminem de populo ſeveritatem adhibere ſuſtineres, cave filium in tuum putes eſſe exercendam. Hypotheſis.

CAPUT VII.

Locus à Simili.

QUid eſt Similitudo?

R. Eſt duarum vel plurium rerum in aliqua ratione convenientia; v. g. Conſul & Gubernator navis ſunt duo, quæ in ratione gubernandi conveniunt. Ut enim hic navim, ſic ille Remp. regit. Hoc porro differunt ſimilitudo & comparatio, quod ſimilitudo verſetur circa rerum *qualitates*, ut vocant, comparatio verò circa *quantitatem*. Deum enim comparamus, aut plus, aut minus aut par ineſſe alicui dicimus.

Ita Cicero 3. Philip. n. 9. *Quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia fecit Antonius?* Quod nihil aliud ſignificat, niſi plura fecit Antonius, quàm Tarquinius?

In Similitudine verò attenditur tan-

tantum quale ſit illud de quo agitur. Ita Cicero Philip. 4. num. ii. *Faciam igitur ut Imperatores inſtituta acie ſolent; quanquam paratiſſimos milites ad prelíandum videant, ut eos tamen adhortentur. Sic ego vos ardentes & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor.* Ubi nulla ſit paris, majoris, aut minoris mentio.

Habes illuſtria Similitudinis exempla apud Ciceronem pro Roſc. Amer. num. 56. ubi Accuſatores comparat cum Anſeribus & Canibus. *Anſeribus cibaria publicè locantur, & Canes aluntur in Capitolio, ut ſignificent, ſi fures venerint; at fures internoſcere non poſſunt, ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint; & quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi beſtiæ ſunt, tamen in eam partem potiùs peccant, quæ eſt cautior. Quod ſi luce quoque Canes latrent, cùm Deos ſalutatum aliqui venerint, opinor, iis crura ſuffringantur, quod acres ſint etiam tum, cùm ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt Accuſatorum ratio. Alii veſtrum Anſeres ſunt, qui tantummodo clamant; nocere non poſſunt; alii Canes, qui latrare & mordere poſſunt. Cibaria vobis præberi videmus. Vos autem debetis maximè impetum in eos facere qui merentur, &c.*

Ibid. n. 75. *Ut non omnem frugem neque arborem in omni agro reperire poſſis, ſic non omne facinus in omni vita naſcitur.*

Ibid. numer. 131. excuſat Syllam quòd aliqua animadvertere non potuiſſet in magna rerum, quas curabat, mole, ab exemplo Jovis, cui non imputantur imbres & tempeſtates, quæ tamen detrimentum afferunt, quia iſthæc potiùs vi & magnitudine rerum fiunt, quàm divino conſilio. Et ſic concludit; *Niſi hoc mirum eſt, quod vis divina aſſequi non poſſit, ſi mens humana adepta non ſit.* Egregius eſt imprimis hic locus.

Ibid. n. 151.

Sic & pro Comœdo num. 17. *Ut ignis in aquam conjectus continuò reſtinguitur & refrigeratur; ſic referens falſum crimen in puriſſimam & caſtiſſimam vitam collatum ſtatim concidit & extinguitur.*

Et Ver. 7. n. 144. comparat ejus avaritiam cum illis hominibus, qui Poetarum teſtimonio ſinus maris & promontoria occupabant, ut inde in tranſeuntes naves impetum facerent.

Pro Muræna num. 35. incertas & obſcuras populi voluntates comparat cum procellis & tempeſtatibus, quæ in mari oriuntur.

Pro Cluentio n. 138. *Ut mare quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitatur & perturbatur; ſic & Populus Rom. ſua ſponte placatus hominum ſeditioſorum vocibus & violentiſſimis tempeſtatibus concitatur.*

Poſt reditum ad Quirites n. 4. fatetur Cicero recepta bona ſibi tanto gratiora videri, quanto ſanitas poſt gravem morbum jucundior eſt.

Quotuplex eſt Similitudo?

R. Dividitur plerumque in Parabolam, Inductionem & Exemplum.

Quid eſt Parabola?

R. Eſt rerum alioqui diverſarum in una re vel in pluribus convenientia: ſive eſt narratio veriſimilis ad mores informandos idonea propter eam, quam habet cum re, quam perſuadere Orator nititur, convenientiam. Huc Apologi & Fabulæ referuntur; quæ ſunt narrationes penitùs fictæ, quæ moribus inſtituendis conducunt.

Quis eſt uſus Parabolæ?

R. Frequentiſſimus ille eſt tam apud ſacros, quàm apud profanos Oratores præſertim in Exordiis. Habes

bes illuſtriſſima Parabolæ exempla in ſacris Literis præſertim in novo Teſtamento.

Apud Ciceronem Parabolæ locum habet, quod de Anſeribus & Canibus narratur pro Roſcio Amerino n. 56. ſupra laudato ac deſcripto.

Item 1. Catil. num. 31. *Ut ſæpe homines ægri morbo gravi, cùm æſtu febrique jactantur, ſi aquam gelidam biberint, primò relevari videntur, deinde multò graviùs vehementiùſque afflictantur; ſic hic morbus, qui eſt in Rep. relevatus iſtius pœna, vehementiùs reliquis vivis ingraveſcit.*

Et in Vat. n. 4. *Veniſti iratus nobis, quod ego, ſimul ac te aſpexi, priùs quàm loqui cœpiſti, cùm ante Gellius, nutricula ſeditioſorum omnium diceret, ſenſi atque providi: repente enim te, tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intuliſti.*

Et Lib. 6. Epiſt. Famil. Epiſt. 7. *Quemadmodum ſcalarum gradus, ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas; ruinæ periculum ſtruas, non aſcenſum pares; ſic tot malis tum victum, tum fractum ſtudium ſcribendi, quid dignum auribus, aut probabile poteſt afferre?*

Quid eſt Inductio?

R. Ut hoc loco ſumitur, eſt coacervatio multarum rerum ſimilium ad aliquid concludendum. Hoc diſputationis genus erat admodum familiare Socrati, qui perejuſmodi Inductiones oculis ſubjiciebat, quæ probanda ſuſceperat.

Habes exemplum Inductionis pro Cornel. Balbo n. 51. *Hiatu Cnei Pompei beneficium ſeu potiùs judicium & factum infirmare conaris, qui fecit quod C. Marium feciſſe audierat; fecit quod P. Craſſum, quod C. Syllam, quod Q. Metellum, quod denique domeſticum auctorem patrem ſuum facere viderat. Neque verò in uno Cornelio id fecit, nam & Gaditanum Haſdrubalem ex bello illo Africano, & Mamertinos obvios, & quoſdam Uticenſes & Saguntinos fabros civitate donavit.*

Eſt egregia illa apud Tertullianum ad probandam corporum reſurrectionem Inductio. *Lux quotidie interfecta reſplendet, & tenebræ pari vice decedendo ſuccedunt; ſydera defuncta viveſcunt: tempora ubi finiuntur incipiunt, fructus conſumuntur & redeunt. Certè ſemina non niſi corrupta & diſſoluta fœcundiùs ſurgunt. Omnia pereundo ſervantur, omnia de interitu reformantur.*

Quid eſt Exemplum?

R. Eſt probatio alicujus rei dicto vel facto alterius confirmata, quæ præſtantiſſima eſt Similitudinis ratio, & magnæ auctoritatis ad perſuadendum.

Habes exempla illius Similitudinis apud Ciceronem pro Roſc. Amer. num. 50. *Ne tu Eruci accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, cùm ab aratro accerſebantur, qui Conſules fierent. Etenim qui præeſſe agro colendo flagitium putes, profectò illum Attilium, quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt, hominem turpiſſimum atque inhoneſtiſſimum judicares. At hercule Majores noſtri longè aliter & de illo & de cæteris talibus viris exiſtimabant, &c.*

Ibid. n. 66. probat Oreſtis exemplo eos exagitari furiis, qui parricidium admiſerunt.

Et Oratione pro Plancio probat Exemplorum collectione nihil eſſe quòd Laterenſis doleat, quòd in petitione Ædilitatis repulſam paſſus fuiſſet num. 51. *Quæris etiam Laterenſis, quid imaginibus tuis, quid or-*

ornatiſſimo atque optimo viro patri tuo reſpondeas mortuo. Noli iſta meditari; atque illud cave potius, ne tua iſta querela dolorque nimius ab illis ſapientiſſimis viris reprehendatur. Vidit enim pater tuus Appium Claudium nobiliſſimum hominem, vivo patre ſuo, potentiſſimo & clariſſimo cive C. Claudio Ædilem non eſſe factum, & eundem ſine repulſa factum eſſe Conſulem. Vidit hominem tibi maximè conjunctum egregium virum L. Volcatium, vidit M. Piſonem in iſta Ædilitate offenſiuncula accepta ſummos à Populo Rom. honores eſſe adeptos. Avus verò tuus ſt. P. Naſicæ tibi Ædilitiam prædicaret repulſam, quo cive neminem ego ſtatuo in hac Rep. fortiorem; & C. Marii, qui duabus Ædilitatis acceptis repulſis ſepties Conſul factus eſt; & Luc. Cæſaris, Cn. Octavii, M. Tullii, quos omnes ſcimus Ædilitate præteritos Conſules eſſe factos.

Hunc etiam refer laudatum modò locum pro Balbo n. 51.

Præterea 2. Ver. numer. 51. pro Sext. num. 48. & num. 101. pro Cœlio num. 49.

Quomodò ornanda eſt Similitudo?

R. Primò per Comparationem; ut 1. in Verrem num. 48. *Ut in Actoribus Græcis fieri videmus, ſæpe illum, qui eſt ſecundarum, aut tertiarum partium, cùm poſſit aliquantò clarius dicere, quàm ipſe primarum, multum ſummittere; ut ille Princeps, quàm maximè excellat: ſic faciet Allienus, tibi ſerviet, tibi lenocinabitur, minùs aliquantò contendet, quàm poteſt.*

Et Ver. 6. num. 21. *Feciſti uti prædones ſolent, qui cùm communes hoſtes ſint omnium, tamen aliquos ſibi inſtituunt amicos, quibus non modò parcant, verùm etiam præda quos augeant; & eos maximè, qui habent oppidum opportuno loco, quò ſæpe adeundum ſit navibus, nonnunquam etiam neceſſariò.*

Huc refer Comparationem Accuſatorum cum Anſeribus pro Roſcio n. 56. Comparationem Syllæ cum Jove ibid. n. 131.

Secundò ornatur Similitudo per Fictionem, ut Orat. pro Sextio n. 45. *Etenim ſi mihi in aliqua nave cum meis amicis navigant i hoc accidiſſet, ut multi ex multis locis prædones claſſibus eam navem ſe oppreſſuros minitarentur, niſi me unum ſibi dediſſent; ſi id vectores negarent, ac mecum ſimul interire, quàm me tradere hoſtibus mallent; jeciſſem me ipſe potiùs in profundum, ut cæteros conſervarem, quàm illos mei tam cupidos non modò ad certam mortem, ſed in magnum vitæ diſcrimen adducerem, &c.* .... Per illam Fictionem oſtendit Cicero quàm prudenter ceſſiſſet ex urbe invitis ac repugnantibus amicis, ne ipſos in magna Reip. perturbatione maximis periculis exponeret.

Et Orat. in Cat. 4. n. 12. *Etenim quæro, ſi quis pater familias, liberis ſuis à ſervo interfectis, uxore occiſa, incenſa domo, ſupplicium de ſervo quàm acerbiſſimum ſumpſerit, utrum is clemens ac miſericors, an inhumaniſſimus & crudeliſſimus videatur? Mihi verò importunus ac ferreus, qui non dolorem ſuum ac cruciatum dolore nocentis ac cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt; qui ſingulas uniuſcujuſque noſtrum domos, & hoc univerſum Reip. domicilium delere conati ſunt; qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in veſtigiis hujus urbis, in cinere deflagrati imperii collocarent; ſi vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur; ſin remiſſiores eſſe voluerimus,*

ſum-

ſumma nobis crudelitatis in patria civiumque pernicie fama ſubeunda eſt.

Habes alia Fictionis exempla 1. Verrina num. 20. 6. Ver. num. 78. pro Cæcinna num. 1. num. 35. pro Lege Manilia num. 50. pro Sextio num. 83.

Tertiò exornari Similitudo poteſt per Hypotipoſim. Uti fecit Cicero Philip. ii. n. 7. ubi Antonium cum Dolabella comparans, utriuſque ſævitiam ſubjicit in morte Trebonii. *Ponite igitur ante oculos, P. C. miſeram quidem illam & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos noſtros neceſſariam: nocturnum impetum in urbem Aſiæ clariſſimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, cum miſer ille prius latronum gladios videret, quàm, quæ res eſſet, audiſſet: furentem introitum Dolabellæ, vocem impuram atque os illud infame, vincla, verbera, equuleum, carnificem tortoremque Samarium, &c.*

Ex iis quæ dicta ſunt de Similitudine, facile eſt intelligere, quid diſſimilitudo ſit.

Quid eſt Diſſimilitudo?

R. Eſt locus, per quem ex re diſſimili colligitur aliquid diſſimile.

Quomodò probares à Diſſimilitudine humaniter hoſpites eſſe excipiendos?

R. Hoc modo. Barbari ſe ſuos in hoſpites gerunt crudeliter; igitur nos decet in eoſdem humanos eſſe.

Quomodò amplificandus hic Locus?

R. Eadem fermè ratione, qua Locus à Similitudine: nimirùm per excogitatam ingenioſè aliquam Parabolam; per Inductionem multa diſſimilia colligendo: denique per exemplum ſeu collectionem Exemplorum.

Quomodò ornandus hic Locus?

R. Qua ratione ornatur Similitudo, nempe per Comparationem ſeu potiùs Antitheſes, per Fictionem, Hypotipoſim, &c.

Habes exempla multa Diſſimilitudinis apud Ciceronem.

Pro Muræna n. 22. ubi Juriſconſultum Sulpicium cum Imperatore Muræna comparat per diſſimilitudinem ſtudiorum. *Sed ut hoc omiſſo ad ſtudiorum atque artium contentionem revertamur. Qui poteſt dubitari, quin ad Conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis rei militaris quàm Juris Civilis gloria? Vigilas tu de nocte ut tuis conſultoribus reſpondeas; ille, ut eò, quò intendit, maturè cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinæ cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis; ille aciem inſtruit. Tu caves, ne tui conſultores, ille ne urbes aut caſtra capiantur. Ille tenet & ſcit, ut hoſtium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.*

Ibidem n. 83. probat debere Judices diſſimile facere judicium de Murena, ab eo quod Catilina facturus fuiſſet, ſi penes ipſum fuiſſet de Muræna judicare, ex diſſimili Judicum & Catilinæ in Remp. ſtudio. *Si L. Catilina cum ſuo conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet judicare, condemnaret Luc. Muranam, ſi interficere poſſet, occideret. Petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio Reſp. ut minuatur contra ſuum furorem Imperatorum copia, ut major facultas Tribunis plebis detur, depulſo adverſario contentionis ac diſcordiæ concitandæ. Idem-ne igitur delecti ampliſſimis ex Ordinibus honeſtiſſimi atque ſapientiſſimi viri judicabunt, quod ille importuniſſimus gladiator, hoſtis Reip. judicaret.*

Ibidem num. 6. probat ex diſſimilibus Catilinæ & Murænæ in Rempubl. ſtudiis, diſſimilem ſuam cum utroque agendi rationem.

Verrina 6. n. 77. confert per Diſ-

ſimi-

Digitized by Google

ſimilitudinem latrocinia Verris, ejus ſacrilegia cum Majorum pietate in Superos & religione. *Videte, quanta religione fuerit apud Segeſtanos Dianæ ſimulacrum. Scitote neminem neque liberum, neque ſervum, neque civem; neque peregrinum, qui illud ſignum auderet attingere, Barbaros quoſdam Lilybeo ſcitote advocatos eſſe operarios; hi denique illud, ignari totius negotii ac religionis, mercede accepta ſuſtulerunt. Quod tùm ex oppido exſportaretur, quem conventum mulierum factum eſſe arbitramini? quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cùm illa eadem Diana Segeſtam Carthagine revecta, victoriam Populi Romani reditu ſuo nunciaſſet. Quam diſſimilis hic dies illi tempori videbatur? Tum Imperator Populi Romani vir clariſſimus Deos patrios reportabat Segeſtanis ex urbe hoſtium recuperatos. Nunc ex urbe ſociorum Prætor ejuſdem Populi turpiſſimus atque impuriſſimus eoſdem illos Deos nefario ſcelere auferebat.*

Item pro Sextio n. 37. & 38. diſſimiles ſui, Metellique diſceſſus rationes affert.

Sunt hæc alia Diſſimilitudinis exempla pro Quinctio n. 1. & 2. pro Roſc. Amer. n. 72. 88. pro Comœdo n. 7. 20. 6. Verrina n. 115. pro Cluentio n. 128. & 129. pro Dom. n. 131. in Vatinium n. 9. in Piſonem n. 31. ubi Piſonis abitum & abſentiam cum ſuo abitu redituque comparat. Item n. 37. & n. 51. ubi reditum ſuum cum reditu Piſonis per diſſimilitudinem comparat. Pro Plancio n. 68. pro Sylla n. 8. Philip. 10. n. 20. pro Rab. Perd. num. 15.

EXERCITATIO.

In moroſam Stoicorum hominum ſeveritatem, qui omnem etiam honeſtam animi oblectationem reſpuunt.

Locus à Similitudine.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet Orator, Stoicos ut multis rebus, ſic in animorum cognitione peregrinos atque hoſpites extitiſſe.

Propoſitionem efferet per Interrogationem. Nam quid ineptum magis, quam rejicere omnem animi oblectationem?

Rationem afferet, quia ea eſt animi natura; ut aſſidua contentione frangatur.

Confirmationem petet à Similitudine & 1. quidem à Parabola. Narrabit, uti Villicus terram fertiliſſimam natura ſua, dum eandem aſſiduè nimis fodit & excolit, fecerit ſterilem. Ornabit Parabolam Hypotipoſi, qua deſcribet hominem in arando, in fodiendo, in ſerendo aſſiduum. Quo demum exitu? &c. Addet hoc ipſum evenire in animis etiam natis ad ferendos ſtudiorum fructus egregios, ſi nimium fatigentur.

2. Idem probabit, per Inductionem rerum tam naturalium quàm arte factarum, quæ ceſſationem à labore poſtulant. Agri etiam feraciſſimi tertio quoque anno ſinuntur requieſcere. Arcus ſi continuò tendatur, frangitur: res qualibet uſu frequentiore conteritur.

3. Exemplorum collectione, puta, Lepidi, Catulli, Scipionis, Lælii, qui ſapientiſſimi habiti ab omnibus relaxabant interdum animum, ſoliti per Brutorum hortos diſcincti ludere. B. Joannis Evangeliſtæ, quem in ſolitudine ſua ferunt cum avicula colluſiſſe, ſupremi etiam rerum omnium Conditoris, qui poſt ſex dierum laborem, ſeptimo tandem conquievit.

Concludet explodendo Stoicæ ſeveritatis æmulatores.

ORATIO.

Cùm multis in rebus hoſpites ac peregrini haberi meritò poſſunt illi Philoſophi, qui ſeveriorem quandam

dam virtutis formam æmulati, Stoici vulgò nuncupantur; tum certè nunquam erraſſe graviùs, aut turpiùs hallucinati fuiſſe viſi ſunt, quàm cùm certas regendis ac moderandis hominum animis præſcribere leges voluere.

Agite enimverò, quid ineptum magis, aut ab ipſa animorum natura magis alienum videri poſſit, quàm eoſdem, quod factitabant illi pertinaciter, ſic exercere rebus ſeriis ac gravibus, ut nullam ipſis, ne honeſtam quidem relaxationem permittas?

Datur enim conſenſu omnium aliqua ætati cuilibet animi relaxatio, quæ ſi moderatè adhibeatur, neque præſcriptos honeſtatis limites excedat, non modò non rejicienda, ſed utilis etiam ac neceſſaria videatur. Nam quis tam rudis & imperitus, qui neſciat, eam eſſe animorum indolem, ut contentione aſſidua debilitentur plurimùm atque etiam infringantur, nedum confirmentur aut invaleſcant?

Similitudo per Parabolam.

Erat Agricolæ cuipiam uberrimum, ſi quod fuit in tota vicinia, ſolum. Illic veniebant feliciter ſegetes, uvæ, poma, & ſuaviſſima cujuſcumque generis fructuum copia ſuccreſcebat. Hic lucri avidus inter paucos, & ubertatem terræ expertus non ſemel, minimè ceſſabat agrum excolere, & nunc arando, modò fodicando, jam ſerendo fatigare. Nullam partem anni à labore vacuam abire patiebatur: nullus etiam inter multos dabatur annus, quo nativo exhauſta ſucco & molli decocta pinguedine terra tantiſper conquieſceret, & amiſſas frequentiore partu vires repararet. O Quid demum putatis eveniſſe? vel quos aſſiduæ culturæ fructus tuliſſe Agricolam arbitramini? An ferax ille natura ſua & pinguis ager factus eſt perenni cultu fertilior? an uberiores ſingulos in annos fruges protulit? an herum ditavit aut locupletavit ſuum? Nihil minùs: hæc una fuit tam inepti laboris merces, hoc ſtultæ aviditatis præmium tulit, ut agrum arefaceret, excoqueret, labefactaret. Quid aliud conſequimini, amabo vos, inſani, quotquot eſtis animorum cultores? quem habet finem illa, quam adhibetis perpetuò, exercitatio gravis ac ſeria? quo demum exitu felices illi, & ferendis quibuſcumque ſtudiorum fructibus pares animi pertractantur à vobis, niſi, ut ſeriùs, ocyùs hebeſcant & obtundantur?

Similitudo per Inductionem.

Ignoratis igitur quod ipſa noſtris quotidie oculis natura ſubjicit? Attendite enimverò, quam uberrimi etiam & ſoli pinguioris agri culturam patiantur: An non, niſi quieſcere illos identidem ſiveris, areſcant continuò, & ſua dominum expectatione deſtituant? Quid in artefactis peritiſſimus rerum magiſter uſus atque experientia commonent? Arcus ſi tenditur ſemper, illum frangi videas, aut certè multùm enervari. Duriora marmora crebriore fricatu minuuntur; res quælibet aſſiduo nimis uſu teritur ac deperit. Et hanc putatis eſſe ſolius animi conditionem, ut nullis debilitetur exercitationibus, ut perenni contentioni reſiſtat, ut repetitis quantumlibet laboribus ſuccumbat nunquam aut vincatur.

Similitudo per Collectionem Exemplorum.

Tamen haud ita ſentiebant viri ætatum omnium judicio ſapientiſſimi: alium ſibi à veſtra diſciplina morem ineundum putaverunt, non tam rigidum virtutis ipſius cultum profitendum cenſuere. Non Craſſi, non Lepidi, non Catuli, non Scipiones, non Lælii, quos honeſta interdum oblectatione relaxaſſe animum legimus, imò, ſi quid Tullio creditur, diſcinctos luſiſſe non-

nun-

nunquam , & poſita ad tempus , quæ Magiſtratus decet , gravitate , pœne dixerim puerorum inſtar per Brutorum hortos diſcurſaſſe.

At tu-ne etiam , ſeveræ ſi quis es ejuſmodi doctrinæ æmulator, tu-ne id reprehendes in nobis , quod vel ab ipſo B. Joanne novimus factitatum ? Tu rejicies & amandabis procul à vita oblectamentum omne , quod nec ipſe , auſteriſſimæ ſanctitatis exemplar , amantiſſimus Chriſti Diſcipulus abhorruit ? Tu acerbiùs illum increpabis , quòd in media rerum æternarum contemplatione cicurem foveret aviculam , & cum ea identidem colluderet.

Aude etiam & ipſum ſupremum rerum omnium artificem aut inertiæ aut languidioris otii Deum accuſare . Ceſſatorem urge , & pigritantem increpa , quòd ſex in orbe fabricando dies cùm poſuiſſet , ſeptimo tandem ab omni opere conquieverit . O temeritatem inauditam ! ò imprudentiam ſingularem ! ò ridiculam & omnium ſibilo explodendam ſapientiam!

Deſinant ergo fucum facere intempeſtivi , ſi qui ſunt , obtrectatores ; perſonatam illam ſeveritatem exuant ; aut ſi moroſa ipſos indoles tantopere delectat, ſuis concluſi tenebris , & perenni damnati tædio liberales & honeſtos viros licitis frui oblectamentis patiantur .

ALIA EXERCITATIO.

Labor improbus omnia vincit.

Adhortatio ad Juventutem ſtudioſam, ut ad capeſſendas liberales Artes diligenter incumbat.

SYNOPSIS.

Exord. COmmendabit Orator Divinam Providentiam , quæ varia hujus vitæ bona mortalium laboribus redimenda propoſuit.

Rationem afferet ; quia alioquin molli in otio conſeneſcerent , ſi nullo ſuo labore votorum compotes fierent .

Propoſitio . Dicet hoc ſaltem habere nos ſolatium , quòd nihil non aſſequi labore noſtro liceat .

Confirmationis prima pars petetur à Parabola adoleſcentis cujuſdam , cui pater moriens agrum reliquerat hæreditatis loco , ſed eundem incultum Deſcribet per Hypotipoſim & Etopejam , ut grandi labore deterritus Adoleſcens otiari mallet , quàm agrum exercere : donec adfuit conſultior quidam , qui ita diviſit agrum breves in portiunculas , ut ſingulas ſingulis diebus arandas adoleſcenti proponeret : quod ille dum exequitur ultrò , totum brevi excultum agrum vidit . Mox converſa ad ſtudioſam juventutem oratione , eam hortabitur , ne deterreatur rerum diſcendarum multitudine , ſed in ſingula , quæ proponuntur , tantùm incumbat cum ea expectatione , quæ laboris aſſidui mercedem adpromittat .

Secunda pars ducetur ab Inductione rerum multarum , quæ labore comparantur . Agri ſteriles & infructuoſi , dum exercentur , fertiles fiunt ; craſſa & impolita marmora in ſtatuas egregias aſſurgunt , lapilli rudes & informes pretioſas in gemmas mutantur .

Tertia pars petetur ab Exemplis Demoſthenis , qui linguæ difficultatem labore vicit ; Ciceronis qui homo plebeius ad ſummum laudis ac dignitatis apicem pervenit ; Socratis qui nonagenarius didicit ludere fidibus .

Concludet nemini de re qualibet eſſe deſperandum , ſi parcere labori noluerit .

ORATIO.

Cùm multis in rebus incredibilis quædam divinæ Providentiæ ſapientia virtuſque ſingularis elucet ; tum

certè

certè mirabilis ſemper viſa eſt, cùm varia hujuſce vitæ bona ita mortalibus comparanda propoſuit, ut eadem laboribus ipſorum vendere quodammodo videretur.

Quotus enimverò quiſque hominum eſt (adeo pigrum in otium turpemque omnes in deſidiam inclinantur) qui, ſi fieri votorum compos, & nullo ſuo labore aſſequi poſſet, quod ambit, otiari potiùs & indulgere genio non eligat, quàm inanibus ſe ſe curis nihilque profuturis laboribus macerare?

Verùm in hac ipſa, quæ ſingulis hominum impoſita eſt, laboris exercendi neceſſitate, hoc ſaltem nobis relictum eſt non leve conditionis noſtræ ſolatium, quòd nihil invium laborioſæ induſtriæ, nihil inacceſſum exiſtat.

Similitudo per Parabolam.

Hoc erat profectò, quod perſuadere filio volebat pater quidam familias non imperitus, & in ipſa ſui ruris aſperitate ac ſolitudine non vulgaris ſapientiæ cultor diligens ac ſtudioſus æmulator. Is moriens adoleſcenti filio agrum teſtamento reliquerat pinguem illum quidem natura ſua ac feracem imprimis, ſed eundem tam incultum, tam neglectum ab omni parte, nihil ut præter ſpinas & inutiles carduos exhiberet. Doluit non mediocriter adoleſcens, & illuſum ſibi ratus à patre, ſuam veriſſimis lacrymis ſortem deplorabat. Fruſtra admonebant ruris illius incolæ eſſe naturam ſoli uberrimam; venturos illic non pœnitendos fructus, ſi cultura diligens accederet; experiretur ipſe tantùm, & operi manum admoveret. Obſurduerat tam ſapientibus monitis laboris impatiens adoleſcentior, & ſe oneri tanto imparem dictitans, totos dies aut ſomno aut inertia turpi conterebat. Adfuit inter cæteros quidam conſultiſſimus, qui juvenis illius vicem miſeratus, ita fefellit ipſius ignaviam, ut laboris atque induſtriæ ſtudium accenderet. Nam cùm advertiſſet hominem diffi ultate ac diuturnitate deterritum à labore ceſſare; agrum, qui arandus juveni incumbebat, varias ſic diviſit in partes, ut portionem exiguam ſingulos in dies excolendam tantùm proponeret. Quod ille ex longa veluti difficultate recreatus, ultrò volenſque dum perficit, intra breve tempus purgatum ſentibus ac carduis agrum vidit, & ad excipiendas fruges optimas eaſdemque magno cum fœnore reddendas comparatum.

Atque hoc utinam perſuadere ſibi vellent, quicumque liberalibus diſciplinis dant operam adoleſcentes ingenioſi; viderent illi quàm inanem obtendant ſocordiæ ſuæ cauſam, dum expoſtulant obrui ſe rerum diſcendarum multitudine, neque ætatem tam teneram ferendis tot laboribus parem eſſe. Evaneſceret brevi illa difficultatum moles, ſi rebus ipſis, quæ perdiſcendæ ſingulos in dies incumbunt, attenderent diligenter, cumque poſt aliquot annos laborum ſuorum fructum experirentur, ut illius, cui navaſſent operam, facultatis perfectionem aliquam abſolutionemque attigiſſent. Enimverò quid aſſiduus improbuſque labor tandem aliquando non aſſequatur?

Ubi gentium eſt ſolum aliquod tam ingratum ac ſterile, quod ſi vertere ſæpiùs, arare, boniſque inſerere frugibus diligens agricola voluerit, ſuos aliquando fructus non ferat, eoſque minimè pœnitendos? Eſt aliqua maſſa tam rudis, marmor aliquod tam impolitum, truncus aliquis tam informis, unde vel Minervæ, vel Jovis, vel Alexandri ſimulacrum egregium non prodeat, ſi ſedulùs ac diligens aut Phidiæ, aut Praxitelis, aut Polycleti labor acceſſerit? Aurum ipſum, quod tam ſpecioſum: Similitudo per Inductionem.

tam

tam ſplendidum micat oculis, quid eſſet aliud, quàm fruſtum aliquod aſperum & informe, niſi coctum ſæpiùs ac recoctum, niſi redditum incudi centies ſuum à labore decus ac pretium accepiſſet? Quid dicam de lapillis illis pretioſiſſimis, qui terreſtria veluti totidem aſtra haberi poſſunt; unde amabo lucem ſuam ſplendoremque mutuantur, niſi ab artificum induſtria, qui tanto majorem ac longiorem in iis perpoliendis operam impendunt, quanto illuſtriùs cætera artium ornamenta pretio ac dignitate ſuperant?

Similitudo per Exemplorum Collectionem.

Verùm iſta videri fortaſſe poterunt obſcuriora, quandiu ſine appoſitione exemplorum diſputabuntur. Agite ergo; quibus tandem gradibus Demoſthenes ad tantam Eloquentiæ laudem ac famam pervenit? Videbatur ille tam alienam nactus indolem ab ea dicendi facultate, cui ſtudebat, propter linguæ, quo laborabat, vitium, ut ne primum quidem ſui nominis apicem valeret pronunciare. Accedebat tam abſona, tam invenuſta vocis exilitas, ut tacendi potiùs, quàm loquendi partes homini ad agendas cauſas ineptiſſimo convenirent. Tamen vicit aſſidua contentione difficultates illas Orator laborioſus; & appoſito ſub lingua calculo contentaque ſæpiùs ad rupes & montes voce ſic impeditam diſſolvit linguam, & exilem vocis naturam firmavit, ut nemo feliciùs ageret aut loqueretur.

Quæ ſpes relicta videbatur plebejo homini, ut ad primos dignitatis gradus aliquando aſſurgeret, rerumque adeo ſumma potiretur, niſi hoc labore ſuo atque induſtria Tullius perfeciſſet? Adeo nihil eſt rerum omnium, quod longo ſtudio & aſſidua contentione comparari non poſſit!

Mitto dicere de Socrate, qui nonagenarius jam ſenex non dubitavit operam dare fidibus, quibus in exercendis ita profecit labore ac vigilantia, ut Muſicorum nemini cederet.

Et erit deinceps quiſpiam, qui Literarum ſalebras adeo reformidet, ut otiari turpem in modum malit, quàm laudabili ſtudio ac labore excutere ſoporem ac veternum, & ſe, ad aſſequendum, quod eſt in unaquaque arte præſtantiſſimum, comparare. Macte igitur animo, Adoleſcens ingenioſe, quiſquis es; ne te deterreat in Literarum ſtudio quidquam, quantumvis durum atque aſperum, quominùs ad illud ſuperandum vim omnem ingenii, quam habes, atque ſolertiam adhibeas.

EXERCITATIO.

Paterfamilias morti proximus ad filios de tuenda inter Fratres concordia.

Locus à diſſimilitudine.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet nihil habere ſe quod commendet filiis impenſiùs, quàm ut tueri inter fratres concordiam conentur.

Rationem afferet; quia nihil eſt, quod tam ad omnium & ſingulorum gloriam ac felicitatem juvare poſſit.

Confirmationem petet. 1. à Parabola: narrabitque quod fecit pater, qui virgarum faſciculum filiis porrigens juſſit ut bacillos ſingulos alios poſt alios frangerent, quod fecerunt illi labore nullo, cùm faſciculum ipſum diſrumpere non potuiſſent.

2. Per Inductionem petitam ab artefactis & naturalibus. Ruunt fornices, ſi avulſus è tota mole lapis vel unus fuerit, ipſa mundi fabrica labefactabitur, ſi deſierit eſſe partes inter ſingulas concordia, per quam ſubſiſtunt. Bona habitudo corporis pendet ex nexu atque unione partium, quæ, ſi diſſolvitur, ruinam affert toti corpori.

3. Ab Exemplorum collectione. Succeſſores Alexandri Magni res ab ipſo partas

tas tueri non potuerunt, quia ſervare concordiam non voluere. Etheocles & Polinices diſſidentes inter ſe Regnum Thebanum perdiderunt. Romani, dum bellis civilibus indulgent, extremam toti Imperio perniciem attulere.

Concluſio. Videte ergo, quàm concordes vivere vos oporteat, &c.

ORATIO.

Proximum adeſſe mihi vitæ finem natura deficiens admonet, Filii chariſſimi. Vixi huc uſque pater ſatis, neque habeo quidquam, de Superis quod querar. Si quid ultra ſupereſt optandum mihi, unum hoc precabor, ut quales eſſe vos ſemper amaverim, dum vixi, tales pergatis eſſe, poſtquam è vivis exceſſero. Quapropter nolite expectare, vobis ut aliud præcipiam, aut commendem jamjam moriturus, quàm quod præcipi vobis à me tam ſæpe, tam enixè commendari hactenus audiiſtis: Vivite concordes, Filii amantiſſimi, pacem colite diligenter, & mutua fratres charitas perenni vinculo cunctos aſtringat.

Nihil ego vobis concordia melius vel dare, vel precari poſſim: hinc certum nomini veſtro decus, ampla rebus veſtris copia, perpetua conſiliis veſtris felicitas aſpirabit. Nemo vos laceſſat unquam, qui conjunctos norit, vel damno ſentiat ſuo, quàm fruſtra vis unita fratrum oppugnetur: quos ſi quid olim dirimeret, viribus ſinguli ne fidite, non eſt uſpiam contra rixas aut ſimultates præſidium.

Hoc erat, Filii amantiſſimi, quod liberis olim ſuis pater quidam familias innuebat. Is, uti jam ego ſum, morti proximus virgarum faſciculum filiis diſrumpendum obtulit. Nihil illi vel ſeorſim ſinguli, vel conjunctis omnes viribus quidquam profecere. Tum pater, ſoluto faſce, virgas eaſdem alias ex aliis *Diſſimilitudo per Parabolam.* jubet infringi. Quas conatu nullo conjunctas rumpere non potuerant, diviſas ſemel ab invicem diſrupere; adeo concordia res parvæ ſtare poſſunt, diſcordia maximæ dilabuntur.

Attollite oculos, Filii chariſſimi; *Diſſimilitudo per Inductionem.* ſuſpicite ingentem illum fornicem, quo tota domus hujus noſtræ moles innititur. Unde librati tenues in auras ac veluti ſuſpenſi tot lapides, contra vim innatam qua deorſum feruntur, reſiſtunt tamen ac perſtant, niſi quòd catenati ſimul ac vincti ſe ſe invicem tuentur ac ſuſtinent? Unum aliquem à reliquis avellite, continuò fornix ipſe corruat, & totam domum, quam fulcit, ſecum in ruinam trahat.

Video vos omnes hodie firmo robuſtoque corpore; nemo veſtrum eſt, qui ſpem longioris vitæ patri non afferat: quem utinam voti compotem Superi faciant! At quid lætam, amabo, vegetamque in vobis valetudinem efficit, efficietque deinceps, uti pollicetur ſibi pater? nempe ille nexus felixque partium concordia, quæ, ſe dum invicem adjuvant, & ſuas unaquæque vices obeunt, bonam toti corpori habitudinem & ſanitatem incorruptam conciliant; qui nexus, quoniam in me jam diſſolvitur, neque ſuis deinceps vacare officiis propter ingraveſcentem ætatem poſſunt partes ſingulæ, idcircò, Filii, fatiſcit pater, & valedicere vitæ cogitur.

Sed quid ego vos moror, ipſam hanc mundi tam mirabilem fabricam diligentiùs contemplamini: putatis molem illam, quæ tam variis ex rebus tamque repugnantibus elementis coaleſcit, in eodem ſtatu diu conſervandam, niſi temperata ſingularum partium concordia præſtaret orbi toti perennitatem, & perpetuus tam ſtupendæ varietati nexus famularetur?

Hu-

Digitized by Google

Diſſimilitudo per Exemplorum Collectionem.

Hujus porro rei tam neceſſariæ vitio, quis memoret, Filii chariſſimi, quàm multa non modò privatorum hominum familiis, ſed maximis etiam imperiis mala evenerint. Dum ambitioni, invidiæ, ſimultaribus ſerviunt Alexandri Magni ſucceſſores, partas invicti Principis virtute totius Orientis opes atque Provincias brevi perdidere. Si mutuam inter ſe fidem, &, quæ fratres decebat, concordiam ſervare potuiſſent Eteocles & Polinices, neque infeſtis ſe ſe invicem animis atque armis confodiſſent, neque acceptum à patre regnum evertiſſent. Et illi gentium victores dominique totius orbis Romani, dum conſpirantibus omnes ſtudiis Rempub. adminiſtrarunt, quantam imperio gloriam peperere! Iidem, ubi ſemel propriæ laudis æmulatio diſſociare cœpit voluntates civium, quantam rebus ſuis cladem atque perniciem attulerunt!

Ex iis atque aliis, quæ proferre poſſim ſimultatum incommodis, documentum capite, Filii chariſſimi, quod ex uſu vobis ſit; fugite ab illa peſte, quæ tot importat mala: fovete diligenter patibus omnes ſtudiis tot bonorum procreatricem concordiam. Hoc ego vos, per amorem illum tenerum, quo dilexi unumquemque, per amplexus illos quos ſingulis moriens divido, precor atque obteſtor. Sit illud mihi etiam poſt ſuprema fata ſolatium, me cultores pacis & amantes concordiæ filios genuiſſe.

CAPUT VIII.

Locus ab Oppoſitis ſeu Contrariis.

Quid ſunt Oppoſita ſeu Contraria?

R. Sunt ea, quæ in eodem ſubjecto vel eſſe non poſſunt, vel ſi in eodem fuerint, neceſſariò inter ſe pugnant.

Quot ſunt Contrariorum genera?

R. Quatuor vulgò nominantur: Adverſa, Relata, Privantia & Negantia.

Articulus Primus.

De Adverſis.

Quid ſunt Adverſa?

R. Sunt ea, quæ inter ſe maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto ſe expellunt, ut virtus & vitium, calor & frigus.

Quomodò probares ab Adverſis, expetendam eſſe temperantiam?

R. Hoc modo. Odioſa eſt intemperantia, ergo temperantia eſt expetenda.

Quomodò amplificandus eſt hic Locus?

R. Demonſtrandum eſt breviter Contrariorum contrarias eſſe rationes; quamquam hoc ſæpe, quaſi manifeſtum, probari non eget. Deinde contrarietas in multis eſt oſtendenda, & hic præſertim inſiſtendum.

Quomodò variandus eſt hic Locus?

R. Tribus præcipuè modis. Primus eſt quo verba verbis opponuntur. Exemplum habes apud Ciceronem Catil. 2. numer. 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant, cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus. Poſtremò copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amen-*

amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit.

Et pro Roſc. Amer. num. 75. *In urbe luxuries creatur, ex luxuria avaritia exiſtat neceſſe eſt, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt.*

Item Verrina 4. n. 192.

Secundus modus eſt cùm membra membris opponuntur, ut Verrina 5. à num. 2. ad 7. *Nam qui hoc ſibi ſumpſit, ut corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe ab religione officii declinarit .... Furem aliquem ac rapacem accuſaris? vitanda tibi ſemper erit omnis avaritiæ ſuſpicio. Maleficum quempiam adduxeris aut crudelem? cavendum erit ſemper, ne qua in re aſperior aut inhumanior fuiſſe videare. Corruptorem, adulterum? providendum diligenter, ne quod in vita veſtigium libidinis appareat. Omnia poſtremò quæ vindicaris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modò accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſo deprehenditur .... Fidem in vita ſanctiſſimam qui putat, poteſt ei non inimicus eſſe, qui Quæſtor Conſulem ſuum conſiliis commiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare auſus ſit? Pudorem & pudicitiam qui colit, poteſt animo æquo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum lenocinium videre? Qui religiones Deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana ſpoliarit omnia, qui ex cenſorum orbitis prædari ſit auſus, inimicus non eſſe qui poteſt? Qui jure æquo omnes putat eſſe oportere, is tibi non infeſtiſſimus ſit, cùm cogitet varietatem libidinemque decretorum tuorum? &c.*

Et pro Roſc. Amer. n. 88. *Reſtat, Judices, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roſcium occiderit; is ad quem morte ejus divitiæ venerint, an is ad quem mendicitas? is qui antea tenuis fuerit, an is qui poſtea factus ſit egentiſſimus? is qui ardens avaritia feratur infeſtus in ſuos, an is qui ſemper ita vixerit, ut quæſtum noſſet nullum, fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſſet? is qui omnium ſectorum audaciſſimus ſit; an is qui propter fori judiciorumque inſolentiam, non modo ſubſellia, verùm etiam urbem ipſam reformidet? Poſtremò, Judices, id quod ad rem mea ſententia maximè pertinet, utrum inimicus potius, an filius?*

Item pro Cœlio num. 12. *Utebatur hominibus improbis multis* (de Catilina loquitur) *& quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ, erant etiam induſtriæ ſtimuli quidam ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum, vigebant etiam ſtudia rei militaris. Neque ego unquam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diverſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibuſque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior; quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effuſior? &c.*

Item Phil. 2. n. 31.

Tertius modus eſt cùm Periodis Periodi opponuntur; cujus exemplum eſſe poſſit laudatum jam Exordium Verrinæ 5. à n. 1. ad 7.

Et Oratione pro Lege Manil. n. ij. *Majores veſtri ſæpe, mercatoribus*

ac

ac naviculatoribus injurioſiùs tractatis, bella geſſerunt: vos, tot civium Rom. millibus uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati, quòd erant appellati ſuperbiùs, Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos eum Regem inultum eſſe patiemini, qui Legatum Populi Rom. Conſularem vinculis ac verberibus atque omni ſupplicio excruciatum necavit? Illi civium Rom. libertatem imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos Legatum Populi Rom. omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? Videte ergo, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri ac conſervare non poſſe.

Et Oratione poſt Reditum: in Senatu num. 2. *Quod ſi chariſſimos parentes habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas, tradita eſt: ſi Deos immortales, quorum beneficio & hæc tenuimus, & ceteris rebus aucti ſumus; ſi Populum Rom. cujus honoribus in ampliſſimo conſilio & in altiſſimo dignitatis gradu, atque in hac omnium terrarum arce collocati ſumus; ſi hunc ipſum Ordinem à quo magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati; immenſum quiddam & infinitum eſt, quod vobis debemus, qui veſtro ſingulari conſilio atque conſenſu parentum beneficia, Deorum immortalium munera, Populi Rom. honores, veſtra de me multa judicia, nobis omnia uno tempore reddidiſtis.*

EXERCITATIO.

Orator coram Salomone alteram è mulieribus, quæ ad ipſius tribunal venerant, falſam matrem arguit, quod Infantem vivum, quem ambæ repetebant, geminas in partes dividi poſtulaſſet.

Locus ab Adverſis.

SYNOPSIS.

Exord. MAter ſe prodit ſua in liberos charitate; ergo per contrariorum regulam, Mater illa non eſt, quæ in eoſdem crudelem ſe probat.

2. Per Interrogationem cum ſubjectione junctam dicet, nihil magis eſſe contrarium maternis affectibus, quàm velle & imperare mortem illius, quem filium ſuum vindicet.

Confirmationem petet ab Adverſis. 1. Verba verbis opponendo, filium repetere, eundem interimere, alterum pietatis, alterum immanitatis eſt. Hinc pugnat honor, illinc odium, &c.

2. Membra membris opponendo per expoſitionem oſtendet, illam non eſſe matrem, quæ contrarios maternæ pietati ſenſus exhibeat, per Antitheſes. Matres filios ſuos enutriunt, hæc enecat, &c.

3. Periodos Periodis opponendo. Vidimus matres, quæ, ne quid infantes ſui paterentur, nihil non pertulere, quæ; &c. Hæc verò matrem ſe audet profiteri quæ, &c. Paria membra adjiciet, quæ priori periodo reſpondeant.

Concluſio. Faceſſat ergo crudelis illa mulier, &c.

ORATIO.

Cùm ea ſit materni affectus indoles & ab ipſa natura inſita vis, Rex ſapientiſſime, ut eximia in liberos charitate ſtatim ſe prodeat; neceſſe eſt profecto, ut, quæ alienos ab amore materno ſenſus per ſe ferat, illa nihil matris habere, ne nomen quidem judicetur. *Adverſa.*

Quo igitur pacto mulier illa matrem ſe probet, aut quo tandem jure filium in hoc puero repetat aut

Digitized by Google

vindicet ſuum, quæ in eundem tam dura, tam crudelis, tam barbara ſit. Age enim te ipſam compello, mulierum omnium maximè impia, an non te ſatis matrem abnegaſti, cujus ex ore ſceleratiſſimo dira in hunc puerum ſententia modò lata eſt, *Neque mihi, neque tibi, ſed dividatur*? Nam quid pietati maternæ oppoſitum magis, quàm ſic affectam videri te erga eum, quem à te genitum mentiris, ut eundem non patiare modò crudeliter trucidari, ſed triſtiſſimum illud ſpectaculum ſiccis oculis aſpicias, & ipſa tam immanem carnificinam jubeas exerceri?

Adverſa per Oppoſitionem verborum verbis.

Equidem filium tuum dùm repetis; dum ſapientiſſimi Regis æquitatem appellas, matrem agnoſco, materna ſentio viſcera; at eundem carnificis furori dum permittis, dum medium dividi ante oculos jubes, novercam intelligo, mulieris alienæ ſæviſſimam inhumanitatem execror. Ex altera quidem parte favent tibi pugnantque pro te quædam maternæ pietatis officia: ex altera te falſitatis ac mendacii arguunt immaniſſimi barbaræ mulieris ſenſus; hinc certat amor, illinc odium, hinc charitas, illinc impietas; hinc miſericordia, illinc ferocitas. Imò, imò vincit amorem odium, pietatem ſcelus, miſericordiam immanitas ſuperat. Nam ſi tu mater, mulierum crudeliſſima, quæ noverca tandem, quæ parricida cenſebitur?

Adverſa per membrorum Oppoſitionem.

Sed, quid te moror, Regum ſapientiſſime, qui pro tua incredibili ſagacitate fictam à vera matre ſatis internoſcis. Matres, quos genuere, eos nutriunt; Illa, quem genitum à ſe profitetur, jubet enecari. Matrum viſcera vel ad leviſſimos infantium dolores commoveri ſolent; Illa præſentiſſimo infantis miſeri periculo non tangitur. Nulla mater unquam audita eſt, quæ nullo cupiditatis æſtu incitata in filium ferox deliberata voluntate extiterit; illa ſponte tranquilloque animo filium morti devovet.

Adverſa per Periodorum Oppoſitionem.

Vidimus matres, quæ, ne chariſſimo uteri ſui pignore ſpoliarentur, aut æternis abdidere ſe latebris, aut irrupere medios inter armatorum hominum cuneos, aut ardentes inter rogos inſiliere, aut filiorum vitam ſervare cùm non poſſent, eadem ſe trucidandas manu objecere. Et illa pueri hujus infortunati mater reputabitur, quæ carere illo ultro lubenſque patiatur, quæ, ſervare illum cum poſſit, morti objiciat, quæ, nullo ipſum perſequente aut ad pœnas repetente, crudeliſſimum ipſa ſupplicii genus irroget, quæ denique inſolens & inauditum ad hunc uſque diem ferocitatis exemplum futuris ætatibus relinquat?

Faceſſat ergo ſuppoſititia mater, & crudeliſſimi mendacii pœnas ferat: aut ſi vera ac germana mater, immaniſſimas inter feras procul amandetur.

ALIA EXERCITATIO.

Ab Adverſis.

Conſolatio ad Senecam, cùm juſſu Neronis, cujus adoleſcentiam inſtituerat, ad mortem damnatus eſſet.

S Y N O P S I S.

Exord. SUmet Orator ab Adverſis; diceretque non debuiſſe ipſum aliud inſtitutionis ſuæ præmium à Nerone expectare.

Probabit allatam Propoſitionem ab Adverſis. Ille non debuit ferre te in vita diutiùs, cujus vitam & mores tam verbis quàm moribus arguebas; ſed vitam & mores ejus verbis & moribus arguebas, ergo, &c. Incipiet à propoſitione quam tractabit à Contrariis. Nam quæ ſocietas eſſe poterat, &c.

Hic

Hic verba verbis opponet, Neronis vitia virtutibus Senecæ opponendo.

Deinde veniet ad Aſſumptionem, quam tractabit pariter ſententias ſententiis opponendo. Tu pietatem in parentes, ille, &c. Tu manſuetudinem in cives commendabas, ille, &c. & ſic deinceps ſanctos Senecæ mores cum prava Neronis agendi ratione comparando.

Concludet, conſolando Senecam à Contrariis, Periodos Periodis opponendo, non potuiſſes videre Neronem furentem in cives, in fratres, in conjugem, in matrem, quem ad virtutes tam contrarias inſtitueras, &c.

ORATIO.

Adverſa. Etſi non debuit eſſe tam luctuoſus inſtitutionis tuæ fructus, ſapientiſſime Seneca, ut pro laude contumeliam, odium pro benevolentia, pro mercede ſupplicium reciperes; tamen qui vel à teneris pervideras Neronis animum & projectam ad graviſſimum quodque nequitiæ genus voluntatem, tu nihil præter mortem, vel quidpiam ipſa morte crudelius habebas expectandum.

Adverſa per verborum Oppoſitionem. Nam quid aliud vir integerrimus à nequiſſimo Principe, quid ſtudioſus inprimis moderator à juvene ferociſſimo ſperare poterat, niſi ut eum de medio tolleret, quem tam averſum à ſuis moribus & quotidianum pravitatis ſuæ cenſorem experiebatur? Quæ enim ſocietas eſſe poterat pudoris cum petulantia, pudicitiæ cum libidine, pietatis cum ſcelere, æquitatis cum injuſtitia, humanitatis cum crudelitate, rationis cum amentia, virtutum denique omnium cum turpiſſimo vitiorum comitatu?

Adverſa per membrorum Oppoſitionem. Tu pietatem in parentes, benignitatem in propinquos, humanitatem in omnes perſuadebas, ille furorem in omnes bonos, ſævitiam in domeſticos, in propinquos immanitatem, parricidium in parentem meditabatur. Tu continentiam magnis in opibus, liberalitatem, magnificentiam extollebas; ille turpiſſima depravatus avaritia, non modo nihil largiebatur de ſuo, ſed quibuſcumque privatorum hominum fortunis inhiabat. Tu auream rebus in ſingulis temperantiam, in judiciis æquitatem, in plectendis etiam nocentibus commiſerationem ſervandam eſſe dictitabas; ille nec inflecti innocentium lacrymis, nec æquitatis habere rationem, nec ullam in agendo ſervare moderationem aut ſuſtinebat, aut etiam noverat. Tu refrænandas libidines, cupiditates coercendas, pudorem ac pudicitiam excolendam non moribus minùs quàm verbis prædicabas: Ille corpore pariter atque animo corruptus ac perditus volutabat ſe ſe voluptatum in cœno, & obſcœniſſimas quaſque libidinum ſordes ſectabatur.

Adverſa per Periodorum Oppoſitionem. Noli igitur queri, vir ſapientiſſime, quòd tam immiſericorditer ab eo morti ſis addictus, qui ſalutem tuam, ſi fuiſſet aliquando periclitata, ſuo etiam imperio ac capite redimere debuiſſet. Felicem te, qui ad ultimam ſceleratiſſimamque Neronis ætatem non perveneris. Mori certè tibi longè antiquius duxiſſes, quàm vivere his miſerandis Reipublicæ temporibus. Quid tu ſuſtinuiſſes Imperatorem nequiſſimum, evertentem aras, maternum in pectus ferrum exigentem? Vidiſſes illum perdentem ſuos, dilapidantem Rempubl. vexantem imperium, ferrum faceſque patriæ inferentem; tu qui colere Deos immortales, pietatem in parentes fovere, populum & cives tueri, Remp. amplificare, defendere patriam docueras illum à teneris, & præclariſſima quæque virtutum omnium præcepta inſtillaveras? Aliud dediſti, dum viveres, virtutis ſpecimen, neque, ut eras ani-

Digitized by Google

animo comparatus, tibi placere vita hac conditione potuiſſet.

Articulus II.

De Relatis.

Quid ſunt Relata?

R. Sunt ea quæ ſe invicem ſpectant, ita ut unum ſine altero intelligi non poſſit. Ita ſe habent pater & filius, dux & miles, præceptor & diſcipulus.

Quomodo amplificatur & ornatur hic locus?

R. Hoc illi commune eſt cum reliquis contrariis, ut per Antitheſes maximè exornetur.

Quis eſt illius uſus?

R. Frequentiſſimus eſt, tameſi plerumque minus advertitur: quid enim magis commune eſt, quàm comparare præterita cum præſentibus, filium cum patre? quàm laudare ſubditum à rege, hoſpitem ab hoſpite, militem à duce? Valet autem præſertim hic locus in exordiis, quæ niſi ſumantur à Relatis, vulgò debiliora ſunt.

Exemplum Relatorum habes pro Rabirio Poſthumo num. 2. ubi Tullius Rabirium excuſat à patre. *Satis eſt homines imprudentia lapſos non erigere, urgere verò jacentes, aut præcipitantes impellere certè eſt inhumanum: præſertim, judices, cùm ſit hominum generi propè natura datum, ut quæ in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè qui ſunt ejus ſtirpis, quòd ſermo hominum ad memoriam prodendam patrum virtute celebretur, cupidiſſimè perſequantur. Siquidem non modò in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in devotione vitæ & etiam genere mortis imitatus eſt P. Decium filius; ſint igitur ſimilia, judices, parva magnis. Fuit enim nobis pueris, hujus pater C. Curius Princeps ordinis Equeſtris, fortiſſimus & maximus Publicanus; cujus in negotiis gerendis magnitudinem animi non tam homines probaſſent, niſi in eodem benignitas incredibilis fuiſſet, ut in augenda re non avaritiæ prædam, ſed inſtrumentum bonitati quærere videretur. Hoc ille natus, quanquam patrem ſuum nunquam viderat, tamen & natura ipſa duce, quæ plurimùm valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus, in paternæ culpæ ſimilitudinem deductus eſt. Multa geſſit, multa contraxit, magnas partes habuit Publicanorum, credidit populis, in pluribus provinciis ejus verſata res eſt,* &c.

Sic in oratione pro Marcello num. 3. laudat Tullius & extollit factum Cæſaris à Relatis. *Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cùm in accepto tanta ſit gloria.*

Et pro Milone num. 7. *Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui hominem occiſum eſſe à ſe fateatur. In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempè in ea quæ primum judicium vidit de capite M. Horatii fortiſſimi viri, qui nondum libera civitate populi Rom. comitiis liberatus eſt, cùm ſua manu ſororem interfectam eſse fateretur.*

Item Catilinaria 4. num. 21. ubi probare nititur à Relatis majorem ſe habuiſſe gloriam, quòd patriam ab interitu vindicaſſet, quàm maximi Imperatores, qui rerum geſtarum laudem eandem honeſtaſſent.

EXER-

EXERCITATIO.

Vir Nobilis, idem Senior ad Filium, cùm ipſum ad primam Expeditionem bellicam Barcinonem in Hiſpaniam mitteret.

Locus à Relatis.

SYNOPSIS.

Exord. OPtabit ut ſibi per ætatem liceret adeſſe filio comitem, eumque exemplis magis quàm verbis erudire.

2. Admonebit ipſum à Relatis, ut meminerit ſæpe quibus ſit ortus majoribus, & quàm conſpicuum rebus præclarè geſtis nomen gerat; caveatque proinde ne ab antiqua majorum virtute degeneret.

3. Ab iiſdem Relatis dicet non defuturos ipſi commilitones, qui eum officii ſui admoneant; eam eſſe Gallicæ nobilitatis laudem, ut nullum inertiæ locum eſſe patiatur.

4. Jubebit ut oculos etiam in Regem Hiſpaniæ totius exercitus Imperatorem conjiciat; hinc fore ut intelligat, quanto quiſque nobilior ſit, tanto eundem generoſiorem eſſe oportere.

Concludet hortando, ne patris ipſius memoriam revocare pigeat, & ab ipſo capere virtutis documentum.

ORATIO.

Si mihi per ætatem & infractas bellorum laboribus vires liceret adeſſe tibi ſocium ac comitem, dum ad Barcinonenſem expeditionem proficiſceris; non ego te, fili chariſſime, commonendum verbis, ſed factis potius ad magna quæque ſtimulandum arbitrarer. Verùm quoniam affectæ jam malè ſenectutis incommoda, & triſtiſſimi, quos experior, longioris militiæ fructus dulciſſimum hoc parenti ſolatium eripiunt, ut inter armorum primitias moderari juventutem tuam & informare exemplo poſſit, excipe ſaltem ultrò volenſque iſthæc virtutis documenta, quæ parentis abſentis vice defungantur.

Ac primùm recurrant frequenter animo fortiſſimi viri Majores tui, qui has, quas capeſſis hodie, partes tanta cum laude ſuſtinuerunt. Etenim circumſtant te innumeræ Heroum imagines, quæ te obliviſci domeſticæ laudis non ſinant, quæ commoneant dies noctéſque trahere te ab iis originem, quos actis retrò temporibus omni virtutum genere cumulatos fuiſſe Annales noſtri teſtantur. Tu factus es hæres illius ſanguinis, qui per tot heroum venas fluxit, & continua ad te ſerie propagatus in clariſſimos Imperatores pullulavit. Hujus ergo ſanguinis integritatem atque nobilitatem vide, non dicam, ne ullo únquam flagitio polluas ac contamines; ſed novo virtutum tuarum ſplendore diſtinguas magis & illuſtres; ut nominis illius, quod geris, partam tot egregiis facinoribus gloriam non obſcures, ſed ſpectatam magis ejuſdem famam laureis ac triumphis efficias. Relata.

Quanquam vel ſi deeſſe poſſent tibi potentiſſima quæque à majoribus tuis rectè factorum incitamenta, haberes tamen in commilitonibus tuis eos gloriæ ſtimulos, qui te requieſcere non paterentur, ſi in obeundis officii tui partibus deſes aut ignavus eſſe poſſes. Eſt hæc enim Gallicæ juventutis indoles, ut nullum aut inertiæ aut ignaviæ locum relinquat; felix ex omni parte fortunataque, ſi quàm alacris & comparata ſemper ad aggrediendum quidlibet, tam eſſet in agendo prudens ac moderata. Hujus tu porro, fili chariſſime, ſic æmulare fortitudinem, ut temeritatem fugias, ſic avidum laudis animum imitare, ut pravitatem ac corruptelam morum declines. Relata.

Quod ſi volueris proponere tibi perfectiſſimum virtutum omnium exemplar, cujus ad normam ac regulam exigere vitam tutò poſſis, conji- Relata.

ce identidem oculos in Philippum ipſum inviĉtiſſimum totius exercitus Imperatorem. Hic ſociatas felici communionis vinculo videbis dotes omnes, quæ Imperatorem commendant; nihil in eo temeritas & audacia de fortitudine, imprudentia de maturitate, levitas de conſilio, de magnificentia importuna gravitas, aut majeſtas de comitate vel humanitate deterit. Suus eſt ita cuique virtuti locus, ut nullum vitiorum commercium aut ſocietatem admittant.

Relata. Adderem hìc de me ipſo quidpiam, fili chariſſime, niſi jam in cæteris ſuffeciſſem tibi graviora multo laudis incitamenta. Tamen meminiſſe interdum patris non pigeat, & dum narrati de me quidpiam audies, cum aliqua virtutis commendatione, documentum indè cape, quanti ſit eandem aliquando promeruiſſe.

ALIA EXERCITATIO.

Amilcar Carthaginienſium Dux, Filium Annibalem ſolemni ante aras ſacramento adigit, ut nullam cum Romanis pacem unquam admittat.

SYNOPSIS.

Exord. PEr Prolepſim: dicet non dubitare ſe, quin habeat in filio paternæ virtutis æmulatorem: at velle ſe id habere ſolatii, ut ſi quid ſibi humanitus contingeret, heredem relinquat ſui in Romanos odii.

Deinde Propoſitionis loco ſuum in Romanos odium exponet; quod dicet accepiſſe ſe à majoribus hereditarium, doliturus niſi eodem filius ſtimularetur.

Tum excitabit ipſum Carthaginienſium exemplo, qui nihil aliud ſpirare viderentur niſi Romanum ſanguinem.

Mox per vehementem adhortationem filium adige ad eliciendum ſolemne ſacramentum de facienda nunquam cum Romanis pace.

Concludet ſperando fore ut filius laborum ſuorum ac periculorum ſocius odiſſe Romanos aſſueſcat.

ORATIO.

Quanquam, fili amantiſſime, juvenili animo virtus inſita & multis argumentis jam probata certiſſimam ſpem facit, fore ut accerrimum in te paterni exempli æmulatorem aliquando habeam; tamen ſi quid in eo bello, quod meditor, humanitus contingeret, non tam ultro, ut fatear quod res eſt, concederem fatis, niſi juratum hoſtem Romani nominis meique heredem odii relinquerem.

Quod quidem, quale quantumque mihi cum illa gente ab ipſis ineuntis adoleſcentiæ temporibus extiterit, commemorarem ego pluribus, niſi geſta per tot annos bella, rejectæ toties conditiones pacis, inſtruĉtus etiamnum hodie florentiſſimus exercitus ſatis declararent. Nam quod vitæ meæ tempus, aut quæ conſiliorum meorum ratio ab inferenda Romanis clade vacavit unquam? aut quid prætermiſſum à me fuit ad hunc uſque diem, ut inviſum genti noſtræ populum delerem penitus atque extinguerem? Neque verò quidquam attinet, fili amantiſſime, retexere hìc operoſiùs capitalis illius odii cauſas, quod non tam voluntate mea ſuſceptum, quàm hereditario quodam jure à majoribus noſtris acceptum gratulor. Hoc unum perpendere te velim, & ſingulari animi attentione conſiderare; ne, ſicut Amilcari glorioſum fuit ſuſcepta odiorum ſemina non foviſſe modò diligenter, ſed etiam provexiſſe, ita ſit Annibali turpiſſimum quidquam ex eo vel torpore, vel negligentia remiſiſſe. Relata.

Ipſa, ipſa te Carthaginienſium noſtrorum exempla ſtimulent & accendant: Quot quot hìc milites aſpicis, tot juratos puta Romanorum Relata.
hoſtes.

hoſtes, tot Amilcares ad eorum ruinam ac perniciem incenſos. Intuere, fili, vultus ſingulorum, oculos oriſque totius ac corporis habitum attentiùs conſidera; quid illa ſpirat nobilis ferocitas, quid ille generoſæ mentis impetus loquitur? quid inſtructæ & erectæ ad feriendum dexteræ aut volunt, aut ambiunt præter Romanorum cædem ac ſanguinem? Hinc diſce qualem eſſe te oporteat, qui regendis talibus viris ac moderandis deſtinere.

Quid igitur in mora eſt, quominus ante iſtas Deorum immortalium aras capitales populo Rom. jures inimicitias, quæ nullum niſi cum vita ipſa finem inveniant? Hoc à te repetunt ſacramentum Majores noſtri, qui ſempiternam illam, quam ipſi conſecuti ſunt, nobiſque tranſmiſere, laudem ac gloriam Romanorum cladibus acceptam debent; hanc à te fidem poſtulant tot generoſi milites, qui vitam ſuam pro communis patriæ ſalute ac gloria fortiter devovent. Hoc unum tui erga ſe amoris monimentum precatur pater, qui te laborum ſuorum periculorumque comitem ac ſocium ultro dum adſciſcit, id demum ſe conſecuturum ſperat, ut Romanos odiſſe jam tum aſſueſcas.

ARTICULUS III.

De Privantibus.

Quid ſunt Privantia?

R. Sunt ea, quæ opponuntur ſicut habitus & ejus privatio. Ita ſe habent vita & mors, viſus & cæcitas, lux & tenebræ. Mors enim eſt privatio vitæ, cæcitas viſus, tenebræ lucis.

Quomodo probares à Privantibus optandam eſſe mortem?

R. Hoc modo: Vita miſera eſt? ergo mors optabilis.

Quomodo tractatur hic locus?

R. Non tam dilatatur plerumque à Cicerone, quàm urgetur preſſiùs, & per modum ſententioſi cujuſdam axiomatis. Ita Cicero pro Milone num. 79. argumentum petit à Privantibus. *Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis; & de ejus nece lata quæſtio eſt, qui ſi eadem lege reviviſcere poſſet, lata lex nunquam eſſet.*

Et Catilinaria 1. n. 20. *Quid eſt Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis eorum ſilentium? patiuntur, tacent, quid exſpectas autoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis?*

Et pro Marcello n. 23. *Equidem de te dies noctéſque, ut debeo, cogitans caſus duntaxat humanos & incertos eventus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimeſco, doleoque, cùm Reſpublica immortalis eſſe debeat, eam in unius mortalis anima conſiſtere.*

Item pro Cœlio num. 33. *Exiſtat igitur ex iſta familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille; minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit.*

Interdum tamen latiùs amplificari poteſt hic Locus & ornari varietate figurarum, ut Oratione pro Cœlio num. 12. quem jam laudavimus in Articulo de Adverſis, ubi Catilinæ naturam multiplicem ac variam deſcribit.

Et libro 3. de Oratore n. 8. felicem Craſſum eſſe probat, quòd mors illi clauſerit oculos eo tempore, quo viſus nihil erat ipſi niſi funereum quid objecturus. *Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus; ſed ii tamen caſus Remp. ſecuti ſunt, ut mihi non erepta L. Craſſo à Diis immortalibus vita, ſed donata mors eſſe videatur. Non vidit* fla-

Digitized by Google

flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia Senatum, non ſceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exſilium generi, non acerbiſſimam C. Marii fugam, non illam, poſt reditum ejus, cædem omnium crudeliſſimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipſe florentiſſima multùm omnibus gloria perſtitiſſet.

Item pro Muræna num. 65. ubi Catonis Stoici, & Ciceronis Academici ſententias privativè opponit.

Et libro 1. Tuſcul. Quæſtionum, num. 12. Cicero Atticum Epicuri diſcipulum fateri cogit, miſeros mortuos non eſſe, ſi omninò nulli ſint, ut illi credebant. *Jam mallem Cerberum metueres, quàm iſta tam inconſiderate diceres. Att. quæ tandem? M. Quem eſſe negas, eundem eſſe dicis, ubi eſt acumen tuum? Cùm enim miſerum eſſe dicis, tum eum, qui non ſit, eſſe dicis ...... Att. Age jam concedo non eſſe miſeros qui mortui ſunt, quoniam extorſiſti ut faterer, qui omnino non eſſent, eos ne miſeros quidem eſſe poſſe.*

EXERCITATIO.

Conſolatio ad Homerum Poetarum principem, cùm cæcus factus fuiſſet.

Locus à Privantibus.

Nihil eſt quod oculorum uſum requiras, ergo debes eſſe contentus tua cæcitate.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet Orator rem ſibi fore difficillimam ad perſuadendum, poſſe quempiam ea re facilè carere, quæ in vita maximè expetenda eſt, ſi rem haberet cum alio quàm cum Homero.

Propoſitio. Dicet nihil eſſe quod Homerus ereptam ſibi oculorum facultatem doleat.

Confirmationem petet ex triplici capite. 1. Nihil eſt quod Homerus illud deſideret quod ſibi commune eſſet non tantùm cum cæteris hominibus, ſed animalibus etiam viliſſimis, maximè cum multa habeat, quæ nemo alius ſibi vindicare poſſit; divinum ingenium, eruditionem, rerum omnium cognitionem perfectiſſimam.

2. Quia oculorum facultas nullam ipſi delectationem afferre poſſit, qua ſine oculis frui non valeat: nihil enim videret, quod jam non viderit, atque etiam animo comprehenſum habeat. Hortabitur ut fruatur illa rerum notitia, quam aſſecutus eſt.

3. Quia id habebit commodi, ut multa mala non videat, quorum aſpectu boni affliguntur: deteriorem in dies fieri hominum conditionem ac vitam.

Concluſio. Hortabitur ut cæcitatem ſuam æquo animo ferat, tot inſtructus præſidiis ad damnum illud reſarciendum.

ORATIO.

Cùm nihil in vita expetendum magis videri ſoleat, quàm facultas oculorum, iis autem orbatum eſſe durius quiddam atque intolerabilius vulgus hominum exiſtimet; ego certè dicturus hodie de cæcitatis commodis atque utilitate, difficillimi plenam operis Provinciam aggrederer, ſi apud alium quemlibet, quàm apud Homerum Orationem ejuſmodi habendam eſſe intelligerem. Verùm confirmat me mirum in modum ac recreat ſingularis præſtantiſſimi viri probitas atque incredibilis ſapientia; neque vereor coram eo laudare cæcitatem, qui jacturam oculorum levem arbitratur; aut certè detrimentum ejuſmodi inter mala graviſſima non putat eſſe reponendum.

Liceat enimverò, vir præſtantiſſime, prædicare de te palam, quod ſentio; liceat conditionem illam tuam, quam imperiti homines miſeram arbitrantur, fortunatiſſimam appel-

appellare. Scilicet nactus ingenium, quod ad ipſam Deorum immortalium ſortem atque naturam accedat, eruditionem adeptus ejuſmodi, quam nemo hominum aut aſſecutus unquam eſt, aut deinceps aſſequi poſſe videatur; complexus animo perfectam rerum omnium diſtinctamque notitiam, tunc deſiderandum cupidiùs illud arbitraris, quod tibi cum cæteris mortalium, probis pariter atque improbis commune ſit; quod viliſſima etiam animalia habere ſe glorientur; quod nullum deinceps tibi commodum, nullam voluptatem atque delectationem afferret?

Nam quid deinceps Homerum juvent oculi, aut quid conferre demum vel ad utilitatem, vel etiam ad voluptatem poſſe videantur? Age enim, quid objiciant illi ſpectandum in rerum natura, quod non videris? quod penitiùs, quàm contendere poſſit oculorum acies, non perſpexeris? Quam illi varietatem aut pulchritudinem menti exhibeant, quam ante non ſenſeris, de qua ingenioſè, ſolerter, eruditè non diſſerueris? quod illi pariant novum oblectationis genus, qua orbatus etiam oculis frui facilè non valeas? Retracta enimverò, quas informaſti animo, accuratiſſimas eorum omnium, quæ ſub aſpectum cadunt, ideas; revolve tecum diligenter partam aſſiduo labore naturæ totius cognitionem, cujus expreſſa tam fideliter in divinis operibus tuis veſtigia admiramur; contemplare ſpecioſas illas rerum omnium imagines, quæ multo pulchriùs atque illuſtriùs menti tuæ ornatæ videbuntur, quàm vel à natura, vel ab arte poſſint decorari.

Quanquam vel ſi carendum ſit tibi voluptate aliqua, quam facultas oculorum afferret; quam luctuoſa te & ineluctabili neceſſitate eorumdem orbitas exſolvit! Dicamus enim verò, quod res eſt, vir ſapientiſſime, neque dubito, quin idem pro tua ſagacitate jamdiu ſenſeris. Seneſcit ſenſim hominum genus, & deterior in dies noſtra conditio fit. Quis porro deploret ſatis ac lugeat illam malorum eluviem, quæ magis ac magis orbem hunc noſtrum inundat ac perdit? Quis offuſam ubique vitiorum caliginem ſine graviſſimo acerbitatis ſenſu ſuſtineat? Quis tam parum cupidus amanſque probitatis, quem tantæ depravationis aſpectus non offendat? Quæ dum ego contemplor attentiùs, non tam ereptos tibi à Diis immortalibus oculos, quàm eoſdem ab infami ſervitute vindicatos puto. Creſcat enimverò, & augeatur in immenſum hominum improbitas, nullam deinceps ab ea parte mœſtitiam capies. Non videbis deformatam morum corruptela civitatis totius faciem, non inertem ac deſidioſam adoleſcentiam, non intemperantem ac libidinoſam juventutem, non virilem ætatem fluctuantem curis, ac ſollicitudinibus agitatam, non moroſam & avaram ſenectutem: non lites, non jurgia, non diſſenſiones, non inimicitias, non bella, & alia id genus incommoda, quæ eadem videntibus graviorem afferunt ipſa cæcitate moleſtiam.

Hoc igitur accedat cæcitati tuæ ſolatium, vir præſtantiſſime, & cùm habeas tam multa unde ereptam tibi oculorum facultatem conſoleris atque etiam compenſes, noli jacturam tam levem malorum in numero computare.

ALIA EXERCITATIO.

Veras eſſe in paupertate divitias.

Veræ divitiæ non ſunt in divitiis poſitæ, ergo in Paupertate.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet Orator nihil eſſe in quo fallantur homines graviùs, quàm in ea quam habent, de divitiis opinione.

Rationem afferet quæ Propoſitionem continebit; quia non in pecuniis, non in pretioſa ſupellectili, &c. quæ tantopere illi æſtimant, divitiæ reponendæ ſunt.

Confirmationem ex ea ratione petet, quia iſthæc omnia non habent unde animum expleant: quam rationem tractabit per Interrogationem & per viam Negationis & Affirmationis. Age enim, quis demum divitiarum fructus? an ut contempleris in arca, &c.

Hoc ipſum illuſtrabis ditiſſimorum hominum exemplo, puta, Crœſi, Midæ, Craſſi, qui, quo haberent plura, eo plura appeterent; dicetque eos nunquam fuiſſe divites.

Denique dicet illum verè fuiſſe divitem, qui in ſumma rerum indigentia contentus ſua ſorte oblatos ab Alexandro Theſauros rejecerat.

Concluſio. Pauperes conſolabitur, quibus, ſi velint, contentos eſſe liceat.

ORATIO.

Cùm in rebus æſtimandis errare graviter ſolet hominum genus; tum certè nunquam hallucinari turpiùs, aut à recta ratione ſenſiſſe quidquam viſi ſunt alienum magis, quàm cùm futilibus inanibuſque momentis divitiarum nomen poſuere.

Nam quæ eſt iſta multorum in commemoranda pecunia, in jactanda pretioſa ſupellectili, in recenſendis latifundiis ſuperba & inſolens oſtentatio? quo tandem jure divites appellant, iſta qui habent, & in ejuſmodi rebus aut conſectandis aut aſſequendis curas, ſtudia, contentiones collocant? Soli-ne igitur divites, qui magnam vim auri & argenti, qui aurea tecta, qui villas, qui ſigna, qui tabulas, qui ſuppellectilem ac veſtem infinitè poſſident? Quid ſi nec divites quidem, quid ſi etiam pauperes meritò nuncupandi videantur? Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo, cui tanta poſſeſſio eſt, ut ad beatè liberaliterque vivendum contentus ſit: qui nihil quærat, appetat nihil, nulla re egeat, nihil ſentiat ſibi deeſſe, nihil omnino requirat. Animus enim hominis oportet ſe judicet divitem, non vulgi opinio. Divitiarum fructus omnis atque utilitas in copia eſt: copiam declarat ſatietas rerum atque abundantia, quam qui non aſſequentur, nunquam divites futuri ſunt.

Nunc verò date mihi unum aliquem ex pecunioſis illis & copioſis hominibus, cui ſatis illud ſit, quod habet, qui ſatiatus omnino ſit; qui nihil curet amplius; qui propter aviditatem pecuniæ nullum quæſtum turpem faciat, neminem fraudet, decipiat, expilet. Revocate ex omni temporum ſerie, divitis alicujus memoriam, qui in ſumma rerum illarum, quas iſti bona appellant, poſſeſſione laudabilem tenere potuerit continentiam. Crœſum ſcilicet divitem nuncupabis, qui regno locupletiſſimo non contentus inſatiabili habendi plura cupiditate in extremum egeſtatis ac calamitatis diſcrimen devenit. Ventitabis mihi Midam tanquam locupletiſſimorum hominum è numero, quem inſanabilis auri argentique amor eò demum adduxit, ut medias inter opes crudeli fame ac ſiti tantùm non interiret? Craſſum verò inter homines ditiſſimos cenſebis reputandum, cui, cùm privato homini tantæ poſſeſſiones ſuppeterent, ut integro exercitui ſuis impenſis

alen-

alendo par eſſet, novos tamen in ſingulos dies theſauros aggerebat?

Quinam igitur divites dicendi ſunt, ſi divites illi non debent appellari? Ille, ille dives erat, qui oblatas ab Alexandro ingentes pecunias in magna rerum indigentia ſic rejecit, ut ipſo etiam principe beatior ac fortunatior videri poſſet.

Vos ergo, quotquot tenues & exiles fortunas nacti eſtis, quantùm vel in veſtra illa egeſtate atque inopia ad veras ſolidaſque divitias præſidium habetis, quibus tam facilè liceat, quod eſt divitiarum proprium, veſtris rebus eſſe contentos.

Articulus IV.

De Negantibus ſeu Repugnantibus.

Quid ſunt Negantia ſeu Repugnantia ſeu Contradicentia?

R. Sunt ea, quorum unum negat aliud: ut eſt ſapiens, ne igitur dicas inſipientem vel non ſapientem.

Quot modis erui poteſt argumentum ex hoc loco?

R. Duobus præcipuè. Primus eſt, ſi duo Contradicentia ſecundùm varios effectus, cauſas & adjuncta ſumpſeris, v. g. amor & odium ſunt contradicentia, hinc ſequitur amoris effectus, cauſas & adjuncta odio repugnare. Ita rectè concluderes. Non odit ille Deum, qui ſæpè ſacrificium cum magno pietatis ſenſu offerre conſuevit, qui preces aſſiduas fundit, quem uberrimis lacrymis ſibi propitium reddit, quem ut alii colant ac venerentur, omni ſtudio ac diligentia contendit. E contrario autem. Si me amas, cur me verberibus excipis? cur criminaris? cur conviciis oneras? cur ut inimicum averſaris? cur jacentem erigere abnuis?

Alter modus eſt, ſi antecedentibus ac conſequentibus adjeceris particulam *non*. Tunc enim argumentum facies à Repugnantibus. v. g. ſol ortus eſt, ergo dies eſt; adde particulam *non*. Non ſol ortus eſt, ergo non eſt dies.

Habes exempla apud Ciceronem Repugnantium plurima. Pro Cœlio num. 5. ubi probat à Repugnantibus falſo objectum fuiſſe Cœlio, quod apud ſuos probatus non fuiſſet. *Nam quod objectum eſt Municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis. Nemini unquam præſenti Puteolani majores honores habuerunt, quam abſenti M. Cœlio, quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt: iidemque nunc lectiſſimos viros & noſtri ordinis & Equites Romanos cum legatione ad hoc judicium miſerunt cum graviſſima atque ornatiſſima legatione &c.*

Et pro Sylla num. 83. probat à Repugnantibus eum nullam habuiſſe in conjuratione Catilinaria partem. *Sed quid? Ego qui Catilinam non laudavi, qui reo Catilinæ Conſul non adfui, qui teſtimonium de conjuratione dixi in alios, adeone vobis alienus à ſanitate, adeo oblitus conſtantiæ meæ, adeo immemor rerum à me geſtarum eſſe videor, ut, cùm Conſul bellum geſſerim cum Conjuratis, nunc eorum Ducem conſervare cupiam, & in animum inducam, cujus nuper ferrum retuderim, flammamque reſtinxerim, ejuſdem nunc cauſam vitamque defendere..... Ego ille conjurationis inveſtigator atque ultor certè non defenderem Syllam, ſi conjuraſſe arbitrarer.*

Quis eſt uſus Repugnantium?

R. Multiplex ac frequens. 1. Deſervit hic locus amplificationi, ut probat laudatus numerus 85. pro Sylla.

Item,

Item, Verrina 7. num. 84. *Vide quid interſit inter tuam libidinem Majorumque auctoritatem; inter amorem furoremque tuum, & illorum conſilium atque prudentiam. Illi aditum litoris Syracuſanis ademerunt; tu maritimum imperium conceſſiſti. Illi habitare in eo loco Syracuſanum, quo naves accedere poſſent, noluerunt; tu claſſi & navibus præeſſe Syracuſanum voluiſti. Quibus illi ſuæ urbis partem ademerunt, iis tu imperii noſtri partem dediſti.*

Et pro Cœlio numer. 45. probat non deditum ipſum fuiſſe amoribus, quia repugnat tantam eloquentiam, quanta elucebat in Cœlio, ſtare poſſe cum amorum blandimentis atque deliciis. *Atqui ſcitote eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facile in eodem homine eſſe poſſe; fieri enim non poteſt; ut animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate ſæpe nimia, copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quidquid eſt quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verùm etiam cogitando poſſit ſuſtinere... & n. 47. An hic, ſi ſe iſti vitæ dediſſet, Conſularem hominem admodum adoleſcentem in judicium vocaviſſet? hic, ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur; in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitias, in judicium vocaret, ſubiret periculum capitis, ipſo inſpectante populo Rom. tot menſes aut de ſalute, aut de gloria dimicaret.*

Et pro domo ſua n. 4. ubi probat non fuiſſe ſe expellendum à Clodio, quem ejectum omnes boni luxerunt; quo carere Civitas ſe non poſſe profitebatur.

2. Hic locus orationem illuſtrat; ut pro Milone num. 2. *Nam illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim collocata ſunt, afferunt tamen Oratori horroris aliquid, ut in foro & in judicio, quanquam præſidiis ſalutaribus & neceſſariis ſepti ſumus, tamen ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus.*

Item Verrina 4. n. 159. ubi probat, fieri non potuiſſe, ut Siculi ſua voluntate & non coacti ſtatuas Verri erexiſſent, quas decedente ipſo è Sicilia dejecerant.

Quomodo tractandus hic locus?

R. Vel per Affirmationem, cùm ex affirmatione unius infertur negatio alterius; vel per Negationem ex qua inferatur affirmatio. Sic dum affirmat Tullius magnos honores habitos fuiſſe Cœlio etiam abſenti, negat eundem fuiſſe non probatum ſuis Municipibus. Sic negat Syllam habuiſſe ullam in conjuratione Catilinaria partem, quia ipſum laudaverat & ejus defenſionem ſuſceperat.

EXERCITATIO.

Roſcius paternæ cædis accuſatus, quòd in perempti patris cubiculo dormiens inventus eſſet, defenditur.

Locus à Repugnantibus.

SYNOPSIS.

Exord. Conqueretur Orator de Accuſatorum iniquitate, qui confectum dolore Roſcium ob peremptum patrem, novo accuſationis genere exaniment.

Propoſitio. Patrem Roſcius non occidit; id tractabit per aliquam figuram.

Confirmatio. Petetur à Repugnantibus; quia dormiens filius in occiſi patris cubiculo inventus eſt. Repugnat ut quis occiſo patre ullam quietis partem capiat, ſed Roſcius dormiens inventus eſt; ergo repugnat ut Roſcius patrem occiderit. Incipiet ab expoſitione Aſſumptionis, quod unum argumentum afferunt adverſarii ad probandam accuſationem, dicetque hoc uno ſatis eximi ſuſpicione ſceleris miſe-

rum.

rum adoleſcentem ; quam Complexionem tractabit per varias interrogationes. Tum veniet ad propoſitionem oſtenderque fieri non potuiſſe ut Roſcius ullam quieris partem caperet, ſi occidiſſet patrem. Hoc probabis.

1. Ratione petita à teſtimonio conſcientiæ, quæ reum tanti ſceleris perpetuò exagitat ; hoc eſſe primum nocentis ſupplicium.

2. Oreſtis exemplo, qui, matre interfecta etiam ad vindicandam patris mortem, exagitatus fuit à Furiis, quanto magis Roſcius ſi parentem optimum interfeciſſet.

3. Ab iiſdem Repugnantibus, ex parte amoris quo Roſcius filium, & filius viciſſim patrem complecteretur. Repugnat ut patrem occiderit Roſcius, quem amabat, & à quo amabatur, ſed &c. Omiſſa propoſitione veniet ad Aſſumptionem, oſtendetque quantus eſſet patris in filium amor, & viciſſim filii in parentem.

4. Ex anteacta Roſcii vita aliud argumentum à Repugnantibus eliciet. Non potuit cadere parricidium in eum, cujus vita fuit innocens ; ſed Roſcii vita fuit innocens, &c. Propoſitionem tractabit, dicetque ſcelus ejuſmodi non cadere, niſi in eum cujus vita fuerit perdita : quia nemo repente fit peſſimus ; ergo oſtendatur in vita Roſcii flagitium, per quod, quaſi per gradus ad parricidium pervenerit. Deinde Aſſumptionem tractabit ; invitabit adverſarios ut probent corruptam fuiſſe Roſcii adoleſcentiam.

Concluſio fiet per vehementem Deprecationem, qua commiſerationem Judicum excitabit.

ORATIO.

Quod unum Adoleſcenti optimo reſtabat in acerbiſſimo parentis amantiſſimi deſiderio doloris ſolatium, ut ad perſequendos impiæ cædis auctores curas omnes ac ſtudia converteret ; id hodie novo atque inaudito ſcelere non ſuſtulerunt modo homines perditiſſimi, ſed recens adhuc ac cruentum miſerabiliter vulnus inſanabili plaga ulcerarunt.

Accuſatur enim verò, & in veſtrum judicium Roſcius adducitur ; compeſcere cogitur pias lacrymas, quibus filius optimus parenti optimo parentabat ; & quam nefariis interfectoribus vindictam meditabatur, eandem à ſe ipſo jubetur propulſare. Adeo nullum furori ſuo ponunt modum, quos Roſcius adverſarios patitur ; niſi adoleſcentem miſerum, quem erepto patre luctu perdiderunt, eundem incredibili accuſationis genere exanimenr.

Quid agam, judices ? quid loquar ? an diluendam ſerio accuſationem illam aggrediar, quæ per ſe ſatis ipſa refellitur ? ſcilicet ullam inveniat apud vos fidem, quod illi mentiuntur turpiter, aut erit veſtrum quiſpiam, qui ſibi perſuadeat interfectum à Roſcio parentem ſuum ? Tam parum vobis notus eſſet adoleſcens ſuaviſſimus, ut vel leviſſimam ſceleris tanti ſuſpicionem in eum cadere poſſe putaretis?

Atenim inclamantes audio ipſius adverſarios. Eadem ipſa nocte, qua peremptus eſt Roſcii pater, inquiunt, inventus filius patris in cubiculo altùm dormiens. Egregium enimverò judices, & ad faciendam fidem comparatum bellè argumentum, Roſcius occiſi patris in cubiculo dormiebat. Ecquis ex vobis, judices, qui vel ex hoc uno, quod firmiſſimum ponunt accuſatores contentionis iniquæ fundamentum, ſuſpicione ſceleris miſerum adoleſcentem non liberet ? quis ſtatim non perſpiciat conflatam hanc eſſe malevolorum invidia ad labefactandam innocentiam Roſcii calumniam ? Non viderunt illi ſcilicet delatores minimè mali, hac ipſa parte ruere accuſationem, qua fulciendam eandem eſſe arbitrabantur.

Repugnantia ab Adjunctis.

Agite porro, judices æquiſſimi, putatis quemquam, cùm omnia divina atque humana jura ſcelere nefario polluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuiſſe ? crediris licuiſſe huic ſine cura quieſcere, qui ne ſpirare quidem

dem

Digitized by Google

dem ſine metu ſuſtinuiſſet? Etenim ſua quemque fraus, ſuus error maximè perturbat: ſuum quemque ſcelus exagitat amentiaque afficit; ſuæ malæ cogitationes conſcientiaque animum terrent; atque illud ſolet primum eſſe nocentis ſupplicium, ut horrificis admiſſi ſceleris imaginibus torqueatur. Ita ſe res habet, judices, magnam vim, magnam neceſſitatem, magnam religionem poſſidet paternus præſertim ſanguis; ex quo, ſi qua macula concepta eſt, non modò elui non poſſit, verùm uſque permanet ad animam, ut ſummus furor atque amentia conſequantur. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctéſque parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis repetant.

Hinc Oreſtes ille, quem patris ulciſcendi cauſa ita ſumpſiſſe legimus de matre ſupplicium, ut Deorum immortalium monitis atque oraculis id feciſſe dicatur, perpetuis tamen agitabatur furiis, quæ nec quieſcere uſquam miſerum paterentur; quòd ne pius quidem ſine ſcelere eſſe potuiſſet. Interim Roſcius nulla impulſus ad interficiendum patrem contumelia, nullo parentis odio provocatus, in recenti memoria peracti ſceleris, conſperſis adhuc ac cruentis ſanguine paterno manibus, tam ſecurus debitæ parricidis vindictæ, tam quietus perſtitiſſet, ut alto demergi ſomno potuiſſet.

Repugnantia à Cauſis. Atenim quid his immoror diutiùs, judices? jam ſenſiſtis inflictam optimo adoleſcenti calumniam; jam illatam ſceleris nefandi labem tacitis ſuffragiis depuliſtis. Notus vobis nimirum Roſcii animus, ſpectata primis ab annis ſuaviſſima juvenis indoles & tenerrimus in optimum parentem amor; qui non modò tanti ſceleris ſocietatem non admittit, ſed etiam vel leviſſimam ſuſpicionis umbram amolitur. Scilicet Roſcius parentem occidiſſet, quem amabat tantum, & à quo viciſſim tantopere amabatur? O ſi loqui poſſet infelix Roſcius! ſi redire rurſum in hanc lucem, quo ſenſu doloris ſummo capitis in diſcrimine poſitum ſua cauſa videret eum, quem non tam ipſa communis ſanguinis, quàm eximiæ ſpectatæ pietatis officia & ſingularis quædam in parentem charitas amabilem efficiebant!

Sed redeat vobis in memoriam, judices, qualis ab ipſo ineuntis ætatis exordio Roſcius extiterit; hæc enim ipſa maleficii, quod irrogatur ipſi, magnitudo facit, ut niſi adoleſcentis in vita oſtendantur expreſſa parricidii veſtigia, res profectò tanta, tam ſceleſta, tam atrox, tam nefaria credi non poſſit. Proferatur ergo neceſſe eſt turpis adoleſcentia, omnibus flagitiis vita inquinata, ſumptus effuſi cum probro ac dedecore, prorupta audacia, ſumma temeritas, quæ ab inſania non abhorreat. Accedat huc oportet odium parentis, animadverſionis paternæ metus, amici improbi, ſervi conſcii, tempus idoneum, locus opportunè captus ad eam rem, pœne dicam, reſperſas manus ſanguine paterno judices videant oportet, ſi tantum facinus credituri ſint.

Vos, vos appello, accuſatores nefarii, & tam inauditæ calumniæ nequiſsimi artifices; edite nobis, excogitate, fingite etiam, ſi poteſtis, aliquod in tota Roſcii adoleſcentia flagitium, per quod, quaſi per gradus, ad iſtam, quam imputatis ipſi, impietatem aſcenderit. Nemo repente fit peſsimus, ſed in minimis noxis & levioribus peccatis exercitatum eſſe quempiam oportet, antequam in extrema ſcelera prorumpat; vos mihi arripitis, quod vitiorum omnium extremum eſt, relinquitis *Repugnantia ab Effectis.*

quitis

quitis illa, quibus remotis hoc ipſum eſſe non poteſt. Nulla culpanda familiaritas, non amor, non riſus, non convivia, non levitas animi ulla oſtenditur, & cùm ea non reperiantur, quæ ſceleris umbram habent, in eo ſummum furorem, atque impietatis cumulum reperiri poſſe inſulſiſſimi accuſatores mentiuntur.

Videte ergo, judices, quo tandem animo in hac cauſa vos eſſe oporteat. Veſtris in manibus adoleſcentis miſeri ſalus poſita eſt. Videtis teſtes innocentiæ lacrymas, auditis ſuſpiria, acerbiſſimum, quo jam exanimatus pœne eſt infelix Roſcius, luctum intuemini. Ah! utinam vel hoc pretio redimere parentis vitam liceret! utinam effuſione ſanguinis eum ab interitu revocare poſſet! Hoc ergo date miſero adoleſcenti ſolatium; ut cum parente optimo, etiam boni nominis famam, quod unum bonum ſupereſt, amiſiſſe per vos non videatur.

ALIA EXERCITATIO.

Religio Chriſtiana per univerſum orbem propagata, magnum miraculum.

Locus à Repugnantibus.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. Dicet Orator felix illud fuiſſe Religionis fatum, ut cùm tam multa propagationi ejuſdem obſiſtere viderentur, tamen longè lateque diſſeminata ſit.

Confirmationem petet 1. à Repugnantibus effectis. Religio Chriſtiana multa præcipit, quæ ſunt naturæ contraria, puta, abjicere ſe infra cæteros, cupiditates domare, colere paupertatem, oblviſci injurias, inimicos diligere, &c.

2. A Cauſis Repugnantibus. An adhibitus ad id operis Tullius aliquis, qui eloquentia; an Philoſophus qui argumentorum momentis, an Imperator qui potentiſſimo inſtructus exercitu Religionem illam colendam eſſe perſuaderet, aut ad eandem amplectendam cogeret, &c. Id perfecere viliſſimi homunciones, piſcatores duodecim, &c.

3. Ab Adjunctis Repugnantibus, reſiſtentibus ſcilicet populis, qui falſis addicti jam pridem eſſent Numinibus, vetantibus Imperatoribus & vim tormentorum omnium adhibentibus, ne Religio nova induceretur.

Denique veram cauſam afferet, potentiam nimirùm divinam, qua inſtructi duodecim homines, rebus alioquin humanis deſtituti, difficultates omnes ſuperavere.

Concludet exclamando ò miraculum, &c.

ORATIO.

Quàm felici Religionis Chriſtianæ fato fieri dicam, ut quæ evellendis ex hominum animis priſcis erroribus, & depravatis longo uſu moribus emendandis nata videbatur; ea tamen in orbem terrarum univerſum ſic diſſeminata ac propagata ſit, nulla ut regio quantumvis recondita ſuaviſſimo divinæ illius lucis ſplendore caruerit. *Repugnantia ab Effectis.*

Agite enimverò; quot & quantas habuit Religio Chriſtiana ſuperandas difficultates, quo infirmanda corruptæ naturæ præjudicia, antequam fidem apud mortalium animos aliquam inveniret? Illa compellebat homines abjicere ſe infra cæteros; at ii parati ſemper aſſurgere, ſubjacere nemini, omnibus ſuperiores eſſe volunt. Illa coercere libidines, cupiditates frenare, animo dominari præcipiebat; at ii cupiditatibus liberiùs indulgent, & nullo temperari eas freno patiuntur. Illa diſtribuere facultates egentibus, diligere paupertatis incommoda admonebat; at ii cumulandis opibus inhiant, ſummamque in divitiarum poſſeſſione felicitatem eſſe poſitam arbitrantur.

Quid cæteræ appellem Religionis illius

illius quot documenta, tot obſtacula? condonare injurias, inimicos diligere, laceſſitum ſilere, bene precari maledicentibus, contumeliis affectum beneficia rependere; à quibus quantùm hominum indoles abhorreat, teſtes ipſi ſumus, qui præceptionibus iiſdem jam dudum imbuti, vix ac ne vix quidem in iis exequendis dociles atque obſequentes invenimur.

Repugnantia à Cauſis. Verùm quibus tandem artibus adducti ſunt homines, ut Religionem naturæ tam adverſam, tam repugnantem moribus amplecterentur? An adhibitus Tullius aliquis, qui ſermonis elegantia demulceret animos, & eloquentiæ vi Religionis dignitatem extolleret? an Philoſophus, qui rationum & argumentorum pondere ſuſcipiendæ illius neceſſitatem demonſtraret? an Imperator potentiſſimus, qui armorum metu cogeret populos, & extrema quæque contumacibus minaretur? Nullam, mihi credite, ex iſta laude partem ſibi vindicant, vel Orator, vel Philoſophus, vel Imperator; totum illud, quantum, quantum eſt, aggreſſi ſunt duodecim viliſſimi homunciones, qui fame morerentur, niſi piſciculos caperent, rudes, illiterati, contemptibiles, ignoti. Et tamen quis credat? opus tam arduum, tam difficile, tam humanis impar viribus perfecere, quod neque Eloquentiæ ſubſidiis Oratores, neque argumentorum momentis Philoſophi, neque Imperatores numeroſiſſimis exercitibus, non dicam exequi, ſed ne tentare quidem auſi fuiſſent.

Repugnantia ab Adjunctis. Quanquam ne quis exiſtimet ſic invectam in orbem terrarum ab iſtis hominibus Chriſtianam Religionem, ut conſpirantibus in unum animis excepta ſit. Imò tanto infenſiores habuit adverſarios, quanto graviores leges imponebat. Obſtitere populi, quibus, dum inanem falſorum Numinum cultum proſcriberet, interdictum volebat, quidquid in deliciis atque in amoribus aliquando habuiſſent. Obſtitere Principes, quorum diſſolutos & omni flagitiorum genere inquinatos mores arguebat: obſtitere, quantùm erat in ipſis, Romani Imperatores, ne fidem obtineret illa Religio, quæ retundebat faſtum ipſorum atque ſuperbiam, quæ effrenatam dominandi libidinem intra juſtos limites coercebat. Quas porro illi artes, quas non admovere machinas, ut ſerpentem manantemque latiùs invitis ipſis ac repugnantibus Religionem Chriſtianam reprimerent, & ſuo in ortu penitus extinguerent? Quid hìc referam equuleos, flagella, rotas, cruces, ferventia liquati plumbi balnea, ardentes craticulas, incenſos rogos, & alia id generis crudeliſſima ſupplicia, in quibus Neronum furor, Diocletianorum ac Caligularum immanitas triumphabat? Quid eloquar blanditias, promiſſa, divitiarum voluptatumque illecebras, quibus vires frangere, enervare animos, eorumque debilitare conſtantiam pertentarunt, quos aperta vi ſuperare non potuerant? Verùm neque blandis deliciarum irritamentis emolliti, neque ſuppliciorum infracti terroribus Piſcatores illi duodecim obſtacula quæque fortiter devicere; & pugnantibus nequicquam contra ipſos rebus, ut ſic loquar, univerſis, Chriſtianam ubique terrarum Religionem ſtabiliere.

Atenim ſic deſtituti præſidiis, unde vim roboris tantam hauſere? Repetamus altiùs prodigiorum tam inſolentium magnitudinem. Aderat nimirum ipſis è Cœlo Deus, cujus cauſam agebant in terris; hinc periculis omnibus confidentia illa ſuperior, hinc ex ipſis difficultatibus re-

rerumque anguſtiis fortitudo animi major creſcebat. Quid enim divinæ potentiæ, qua freti tam ardua, tamque inaudita moliebantur, reſiſtere valeat? quid hominum conſilia contra ſupremam voluntatem potuiſſent? O vim divinæ potentiæ admirabilem! ò miraculum nulla temporum memoria conticeſcendum!

CAPUT IX.

Locus ab Adjunctis.

FRequentiſſimus eſt hujus loci uſus & Oratori maximè neceſſarius, cùm nulla pars ſit Orationis, cujuſcumque generis illa ſit, cui non inſerviat.

Quid ſunt Adjuncta?

R. Sunt ea quæ cum re, de qua agitur, non neceſſariò quidem, ſed probabiliter cohærent.

Quot ſunt Adjunctorum genera?

R. Tria. Præcedentia, quæ rem præcedunt; Comitantia, quæ rem comitantur; Conſequentia, quæ conſequuntur.

Quid ſunt Adjuncta Præcedentia?

R. Cauſæ, conſilia, injuriæ illatæ, vel acceptæ, conſuetudo, minæ, ſuſceptum iter, omnis denique inſtitutus ad rem apparatus.

Habes exemplum in Oratione pro Sylla num. 52. ubi ab Adjunctis præcedentibus probat ipſum cum Catilina non conjuraſſe. *Nam quis eſt igitur, qui tum dicat in campum adſpiraſse Syllam? atqui ſi tum ſe cum Catilina ſocietate ſceleris conjunxerat, cur ab eo diſcedebat? cur cum Autronio non erat? cur in pari cauſa non paria reperiuntur ſigna criminis..... hoc tempore cùm maximè arderet conjuratio, cùm Catilina egrederetur ad exercitum; Caſſius incendiis, Cethegus cædi præponeretur, Lentulus in urbe relinqueretur. Autronio, ut occuparet Etruriam, præſcriberetur; cùm omnia ordinarentur, inſtituerentur, pararentur: ubi fuit Sylla, Corneli? num Romæ? imò longè abfuit. Num in iis legionibus, quò ſe Catilina referebat? multo etiam longiùs, &c.*

Et pro Milone n. 51. *Video adhuc conſtare omnia, Judices, Miloni etiam utile fuiſse Clodium vivere; illi ad ea quæ concupierat, optatiſſimum interitum Milonis fuiſse, odium illius in hunc acerbiſſimum, in illum hujus nullum; conſuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, hujus tantùm in repellenda.....* Ex his antecedentibus probat Clodium fuiſſe inſidiatorem.

Et pro Muræna num. 13. probat ſaltatorem non fuiſſe Murænam, quia in eo non reperiuntur ea omnia quæ ſaltationem vulgò antecedunt; qualia ſunt, intemperantia, convivium intempeſtivum, & aliæ id genus, deliciæ, quarum extrema eſt ſaltatio.

Quænam ſunt Adjuncta Comitantia?

R. Ad ſeptem genera vulgò revocantur quæ hoc verſiculo continentur.

Quis, Quid, Ubi, quibus Auxiliis,
Cur, Quomodò, quando.

Habes illuſtre comitantium Adjunctorum exemplum pro Milone num. 54. *Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis, tamen appareret uter eſset inſidiator, uter nihil cogitaret mali.* * *Cùm alter veheretur in rheda penulatus, unà ſederet uxor; quid horum non impeditiſſimum? veſtitus, an vehiculum, * an comes? quid minùs promptum ad pugnam, cùm penula irretitus, rheda impeditus, uxore pœne conſtrictus eſset? Videte nunc illum * primum egredientem è villa ſubitò; cur veſperi? * quid ne-* * Quid. * Quis. * Quando. * Cur.

*neceſſe eſt? qui convenit præſertim id temporis? Divertit in villam Pompeji, Pompejum ut videret? * Sciebat in Alſienſi eſſe. Villam ut perſpiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat moræ & tergiverſationis? dum hic veniret, locum relinquere noluit. Age nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. * Semper ille antea cum uxore, tum ſine ea, nunquam non in rheda, tùm in equo; comites Græculi, quocumque ibat, etiam cùm in caſtra Etruſca properabat; tum nugarum in comitatu nihil. Milo qui nunquam, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat & ancillarum greges; ille qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat, tum neminem, niſi ut virum à viro lectum diceres. Cur igitur victus eſt? * quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia, quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros ....* Habes præcedente numero 53. circumſtantias Loci. *Videamus nunc: quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe, ubi congreſſi ſunt, utri tandem fuerit aptior, &c.*

* Quibus auxiliis.

* Quomodo.

* Ubi.

Quænam ſunt Adjuncta Conſequentia?

R. Sunt ea, quæ rem geſtam ſubſequuntur; ut pallor, rubor, inceſſus titubans, frequens anhelitus, reprehenſio publica, hæſitatio, exhauſtum patrimonium, morbi, gladius cruentus, clades, &c.

Habes egregium exemplum Adjunctorum ſubſequentium pro Milone n. 61. *Quòd ſi nondum ſatis cernitis, cùm res ipſa tot, tam claris argumentis luceat, puramente atque integra Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum Romam revertiſſe; recordamini per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus ejus, qui ingreſſus in forum, ardente Curia; quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio! Neque verò ſe Populo ſolùm, ſed Senatui tradidit, neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis & armis; neque iis tantùm, verùm etiam ejus poteſtati, cui Senatus totam Remp. omnem Italiæ pubem, cuncta Populi Romani arma commiſerat; cui ſe nunquam profectò tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ confideret, præſertim omnia audienti: magna metuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti. Magna vis eſt conſcientiæ, Judices, & magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculòs verſari putent, qui peccarint.*

Et pro Flacco n. 99. *Cùm tabella vobis dabitur, Judices, non de Flacco dabitur ſolùm, dabitur de ducibus auctoribuſque conſervandæ civitatis; dabitur de omnibus bonis civibus; dabitur de vobiſmetipſis; dabitur de liberis, dabitur de vita, de patria, de communi ſalute. Non judicatis in hac cauſa de exteris nationibus, non de ſociis, de vobis ac de veſtra Republica judicatis.*

Item Philippica ſeptima pœne tota negat Antonium admittendum eſſe in civitatem, idque probat ex iis malis, quæ ſecum importaturus in urbem eſſet.

Et pro Milone n. 78. recenſet pericula quæ Reip. imminebant, ſi Clodius à Milone interfectus non fuiſſet. *Mandate hoc memoriæ, Judices, ſpero multa vos liberoſque veſtros in Repub. bona eſſe viſuros: in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis vivo P. Clodio nihil horum vos viſuros fuiſſe. In ſpem maximam, & ſ quemadmodum confido, veriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annum, hoc ſummo viro Conſule, concuſſa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legi-*

legibus & judiciis conſtitutis ſalutarem civitati fore. Nam quis igitur eſt tam demens, qui hoc P. Clodio vivo contingere potuiſſe arbitretur? Quid ea quæ tenetis privata atque veſtra, dominante homine furioſo, quod jus perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent, &c.

Quis eſt Adjunctorum uſus?

R. Frequentiſſimus eſt, quàm qui maximè; præſertim tamen valet ad laudem ac vituperium, item ad deſcribendum & narrandum. Etiam in exquirenda intentione formandiſque conjecturis plurimùm poteſt. Pro Roſc. Amer. n. 85. *Hunc quæſitorem ac judicem fugiebant atque horrebant ii, quibus periculum creabatur; ideo quod tametſi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propenſus ad miſericordiam, quàm implicatus ad ſeveritatem videbatur.*

Quomodò amplificandus & ornandus hic locus?

R. Primò expendendum eſt, quid uniuſcujuſque circumſtantiæ nomine intelligatur. 2. Conſulendus eſt Cicero, & ad ejus imitationem recurrendum. Atque ut diligentior habeatur Adjunctorum notio, ſingula explicabimus, & petitis ex Cicerone exemplis illuſtrabimus.

Quis. Perſonam ſignificat in qua ſpectare oportet affectiones animi varias, amorem, iram, artes, virtutes, puta, juſtitiam, prudentiam, fortitudinem &c. item vitia; v. g. avaritiam, ambitionem, iracundiam, & reliquas animi labes. Præterea in perſona, de qua agitur, attendenda figura corporis, deformitas, pulchritudo, fortunæ, ſive bona externa, nomen, genus, conditio vitæ.

Adjuncta Perſonarum tractat Cicero Ver. 7. n. 143. *In externorum hominum & maleficorum ſceleratorumque, in prædonum hoſtiumque cuſtodias, tu tantum numerum civium Rom. includere auſus es? Nunquam-ne tibi judicii, nunquam concionis, nunquam hujus tantæ frequentiæ, quæ nunc animo te iniquiſſimo infeſtiſſimoque intuetur, venit in mentem? Nunquam tibi Populi Rom. abſentis dignitas, nunquam ſpecies ipſa hujuſcemodi multitudinis in oculis animoque verſata eſt? Nunquam te in horum conſpectum rediturum, nunquam in Forum Populi Rom. venturum, nunquam ſub legum & judiciorum poteſtatem caſurum eſſe putaſti? At quæ erat iſta libido crudelitatis exercendæ? quæ tot ſcelerum ſuſcipiendorum cauſa? Nulla, Judices, præter prædandi novam ſingularemque rationem.*

Et n. 147. *Videtis cives Romanos gregatim conjectos in Latomias, videtis indigniſſimo in loco coacervatam multitudinem veſtrorum civium. Quærite nunc veſtigia, quibus exitus illorum ex illo loco compareant, nulla ſunt, &c.* Idem perſequitur n. 148. & 149.

Ita defendit Roſcium Amer. n. 39. & ab Adjunctis perſonæ probat non fuiſſe ab eo patrem occiſum. *Patrem occidit Sext. Roſcius? qui homo? Adoleſcentulus corruptus & ab hominibus nequam inductus, annos natus magis quadraginta? Vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpe in cæde verſatus? At hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimirùm & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt? de luxuria purgavit Erutius, cùm dixit, hunc ne in convivio quidem ullo ferè interfuiſſe: nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro quæ poſſunt eſſe in eo, qui, ut ipſe accuſator objecit, ruri ſemper habitarit, & in agro excolendo vixerit, quæ vita maximè disjuncta à cupiditate & cum officio conjuncta.*

Et pro Dejotaro n. 26. probat cum

non ſaltaſſe ſenem, qui puer graviſſimus & ſeveriſſimus fuerat.

Pro Cœlio n. 42. excuſat liberiorem conſuetudinem à perſona Cœlii, cujus adoleſcentiæ multa ignoſci oportebat.

Pro Comœdo numer. 20. Hominem defendit ex Adjunctis perſonæ, quibus Cheræam fraudulentum probat, & ab eo deceptum Roſcium oſtendit.

Catilinaria 3. n. 13. ab Adjunctis perſonarum conjuratos ſceleris reos arguit. *Ac mihi quidem, Quirites, cùm illa certiſſima ſunt viſa argumenta atque indicia ſceleris, tabellæ, ſigna, manus, denique uniuſcujuſque confeſſio, tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe aſpiciebant, ut non jam ab aliis judicari, ſed ipſi à ſe viderentur.*

Et Catilinaria 2. n. 5. Conjuratorum vim & copias à vilitate perſonarum elevat ac deprimit, eoſdem deſcribit n. 10. & 18.

Verrina 7. n. 139. flagitium Verris exaggerat à dignitate civium Romanorum, quos virgis cædi cruentum in morem juſſerat.

Philip. 3. à n. 28. ad 32. Bellum ſuadet in Antonium ab Adjunctis perſonæ ipſius Antonii, cujus mores ac vitia deſcribit.

Quid. Negotium ipſum, vel rem, de qua agitur, explicat.

Habes exemplum illius Adjuncti Verrina 7. num. 148. ubi crudelitatem Verris in cives Romanos exaggerat.

Si quis Rex, ſi qua civitas exterarum gentium, ſi qua natio feciſſet aliquid in civem Rom. ejuſmodi nonne publicè vindicaremus? non bello perſequeremur? poſſemus hanc injuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere? Quot bella majores noſtros & quanta ſuſcepiſſe arbitramini, quod cives Romani injuria affecti, quod naviculariì retenti, quòd Mercatores ſpoliati dicerentur? At ego retentos non queror; ſpoliatos ferendum puto; mancipiis, mercibus ademptis in vincula conjectos eſſe Mercatores, & in vinculis cives Rom. necatos eſſe arguo, &c.

Et ibid. n. 166. *Si tu apud Perſas & in extrema India deprehenſus, Verres, ad ſupplicium ducerere; quid aliud clamitares, niſi te eſſe Civem Romanum? &, ſi tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus poſitos nobile & illuſtre apud omnes nomen tuæ civitatis profuiſſet; ille, quiſque erat, quem tu in crucem rapiebas; qui tibi eſſet ignotus, cùm civem ſe Rom. eſſe diceret, apud te Prætorem ſi non effugium, ne moram quidem mortis, mentione atque uſurpatione civitatis aſſequi potuit.*

Ubi. Differentias loci complectitur, & varias ſpecies; ut ſi profanus, ſi ſacer, ſi publicus, ſi privatus, ſi agreſtis, ſi urbanus.

Luculentum Adjuncti illius exemplum Philip. 2. num. 63. *Sed hæc, quæ robuſtioris improbitatis ſunt, omittamus. Loquamur potiùs de iniquiſſimo genere levitatis. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu Populi Rom. vomere poſtridie. O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu! ſi inter cœnam, in tuis illis immanibus poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cœtu verò Populi Rom. negotium publicum gerens, Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum & totum tribunal implevit.*

Et

Et num. 68. *Tu ingredi domum illam auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium Diis Penatibus os importuniſſimum oſtendere? quam domum aliquandiu nemo aſpicere poterat, nemo ſine lacrymis præterire, hac te in domo tandiu diverſari non pudet? in qua quamvis nihil ſapias, tamen nihil tibi poteſt eſſe jucundum. An tu illa veſtibula, roſtra, ſpolia cùm aſpexiſti, domum tuam te introire putas? . . . . Me quidem miſeret parietum iſtorum atque tectorum, quid enim unquam domus illa viderat niſi pudicum, niſi ex optimo more & ſanctiſſima diſciplina? Fuit enim ille vir, P. C.* (Pompejus) *ſicut ſcitis cum foris clarus, tum domi admirandus, neque rebus exteris magis laudandus, quàm inſtitutis domeſticis. Hujus in ſedibus, pro cubiculis ſtabula, pro tricliniis popinæ ſunt!*

Ejuſdem compotationes & luxum in domo Varronis, hominis abſtinentiſſimi exagerat n. 104.

Et pro Milone num. 53. ex opportunitate loci, ex quo pugnabat Clodius, arguit Milonem fuiſſe inſidiatorem.

Et ibid. numer. 90. ſcelus Clodii qui incenderat Curiam à loci ſanctitate amplificat. *Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo Populo Rom. uni ordini conceſſam vidimus inflammari, exſcindi, funeſtari!*

Et oratione 2. in Rullum n. 94. Campanos arrogantes libidinibuſque perditos à natura loci arguit.

Quibus Auxiliis, hoc eſt quibus inſtrumentis ac præſidiis, an baculo, an gladio, an ſica? vel quibus miniſtris, auctoribus, adjutoribus?

Exemplum habes, pro Milone in loco jam laudato, ubi tam Milonis, quàm Clodii apparatum deſcribit. *Age nunc iter expediti latronis, &c.*

Et Philip. 2. num. 58. deſcribit apparatum quo Antonius incedebat cum Mima ſua. *Vehebatur in eſſedo Tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica Mima portabatur, quam ex oppidis Municipales, homines honeſti obviam neceſſariò prodeuntes, non noto illo & mimico nomine ſed Volumniam conſalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi, rejecta mater amicam impuri filii tanquam nurum ſequebatur.*

Adde Clodianam cædem, quæ Miloniana tota ab eo Loco deſcribitur.

Cur, cauſam ſignificat maximè efficientem & finalem, ut quo conſilio, qua ſpe, quo motu, &c.

Eo Loco Cicero utitur ad Milonis defenſionem n. 32. *Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe.*

Et ibid. n. 49. *Age, ſit ita factum; quæ cauſa, cur Romam properaret? cur in noctem ſe conjiceret? quid afferebat feſtinationem? quòd heres erat? primò erat nihil, cur properato opus eſſet? Deinde, ſi quid eſſet, quid tandem erat, quod ea nocte conſequi poſſet, amitteret autem, ſi poſtridie mane Romam veniſſet?*

Quomodo, Totius rei geſtæ varios modos complectitur; ut ſi triumphus, ſi cædes, ſi ſacrificium narratur, ſtatim modus ipſe & ratio ponitur ante oculos. Poteſt enim diverſa ratione triumphus decerni & inſtitui, item & cædes.

Exemplum habes 7. Verrina num. 160. *Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum venit. Ardebant oculi,*

toto ex ore crudelitas eminebat; expectabant omnes quò tandem progreſſurus. & quidnam acturus eſſet, cùm repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri jubet. Clamabat ille miſer ſe civem Rom. eſſe .... Cædebatur virgis medio foro Meſſanæ Civis Rom. judices, cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, niſi hæc, Civis Rom. ſum: hac ſe commemoratione civitatis omnia verbera depulſurum cruciatumque à corpore dejecturum arbitrabatur. Is non modò hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur; ſed cùm imploraret ſæpius uſurparetque nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici & ærumnoſo, qui nunquam iſtam poteſtatem viderat, comparabatur, &c.

Ad eum porro locum referuntur quidquid tam de Hypotipoſi quàm de Ethopeja, in libro de Figuris, diximus. Duæ enim iſtæ figuræ natæ ſunt ad rerum geſtarum rationem graphicè deſcribendam.

Quando, Tempus ſignificat, quo aliquid ſit actum, an nocte? an pleno die? an æſtate? an hyeme? &c.

Pro Quinctio n. 81. Nævium Tullius coarguit, probatque ſeptinginta paſſuum millia aut eſſe biduo decurſa, aut Sext. Nævium compluribus diebus ante miſiſſe in poſſeſſionem, quàm poſtularet, ut ipſi bona poſſidere liceret.

Pro Lege Manilia num. 35. Pompeji victoriam commendat à celeritate, *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lateque diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.*

Pro Milone n. 49. *Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potiùs, quàm expetendus fuit, ſic Miloni, cùm inſidiator eſſet, ſi illum ad urbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſiſtendum atque expectandum fuit. Noctu, invidioſa & pleno latronum in loco occidiſſet, nemo ei neganti non credidiſſet, quem omnes ſalvum eſſe, etiam confitentem volunt. Suſtinuiſſet hoc crimen primum ipſe ille latronum occultator & receptator locus, dum neque muta ſolitudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonem.*

EXERCITATIO.

Galiath immanis Gigas à juniore Davide proſtratus.

Locus ab Adjunctis Comitantibus.

SYNOPSIS.

Quis. AN ille eſt tam timendus hoſtis populo Iſraelitico?

Quid. Deſcribetur informe cadaver, immanis truncus avulſo capite, ſpirantes adhuc minas oculi, &c.

Ubi. Invitabit Orator Philiſtæos, ut propioribus oculis aſpiciant Imperatorem ſuum, tingentem ſuo ſanguine terram illam, in qua laurearum ſegetem metere cogitabat.

Quibus auxiliis. Tractabit Locum illum per Suſtentationem. An exercitus totus in hominem irruit? an bellator aliquis egregius illum oppreſſit? an Saul ipſe? hoc perfecit adoleſcentulus.

Cur. Sic mortalium faſtus reprimit Deus, ſic amat hoſtes ſuos levibus inſtrumentis profligare, ne, &c.

Quomodò. Non percutit ſemper Deus nocentes fulmine, non ferrum adhibet, aut faces, &c. Erit poſteris documentum proſtratus bellator funda, & lapide.

Quando. Hortabitur Iſraelitas, ut agant gratias Deo, cujus in extremo rerum ſuarum diſcrimine amicam manum ſenſerint.

Digitized by Google

ORATIO.

Quis. Quid video ? quale ſe meis oculis offert ſpectaculum ! Hiccine eſt immanis Gigas Iſraelitico populo tam timendus hoſtis ? quem aggredi nemo ſuſtinuit, nemo provocantem ad pugnam auſus eſt opperiri ; qui ſolus magni inſtar exercitus haberi poterat; cujus vel ad aſpectum fortiſſimi bellatores expaveſcebant ; tantum animi ferocitate, virium præſtantia, corporis immanitate cæteris mortalibus prævalebat ? Proh ! quàm mutatus à ſemetipſo, quàm diſſimilis objicitur !

Quid. En jacet informe cadaver, extenditur truncus ingens, & avulſum humeris caput ſuo natat in ſanguine. Fruſtra reſides iras ſpirant adhuc oculi, & in torva fronte prioris audaciæ veſtigia deprehendas ; ſilet lingua procax in omne tempus, & lumina in æternam noctem clauduntur.

Adeſte Philiſtæi quotquot eſtis, tanto præſidio, dum viveret, tumidi nimiùm & inſolentes ! accedite propiùs; aſpicite curioſis oculis veſtrum Imperatorem. Ecce terram illam ſuo inficit ſanguine, quam inacceſſam fore & ab armis noſtris intactam confidebatis : *Ubi.* hìc dedecoris & opprobrii multa vobis ſeges exurgit, ubi laurearum ac palmarum meſſem amplam expectabatis.

At quis proſtravit tam terribilem, tam metuendum bellatorem ? quis ſpes cum eo veſtras afflixit ? *Quibus auxiliis.* quis illatam toti populo ipſique Deo injuriam vindicavit ? An irrumpens in eum univerſus exercitus ſua hominem unum multitudine oppreſſit? an ſelectus ex omni populo vir aliquis fortiſſimus formidandum Gigantem aggreſſus eſt ? an ipſe Saul tot palmarum nobilis & partis toties de Philiſtæa gente victoriis conſpicuus tumidos viri inſolentis faſtus repreſſit ? Expectate dignius aliquod admiratione facinus, & prædicandum poſteris miraculum ſuſpicite. Rem peregit paſtor imbellis ; rudis & imperitus belli adoleſcentulus, & tractandis armis nondum idoneus.

Cur. Sic mortalium ſuperbiam contundis ò Deus ! ac ne quis ſuo confiſus robore & ſolertia ferox inſoleſcat ; ne debitam tibi rei bene feliciterque geſtæ gloriam audeat ſibi vindicare ; quos adverſarios experiris, quos plectere pro tua æquitate ſtatuiſti, eoſdem amas levibus quibuſque inſtrumentis profligare.

Quomodo. Neque vero fulmine ſemper nocentes feris, & dejicis ſuperbos ; non adhibes ferrum & faces ad vindicandas hominum injurias. Erit in omne tempus ſalubre mortalibus documentum immanis ille Coloſſus funda proſtratus & lapide, quid valeas, quàm fruſtra tibi genus hominum illudat ; quàm ſit inutile ac ſupervacaneum, quidquid contra voluntatem tuam ſtruit ac molitur.

Quando. Vos vero dilectus ſupremo Numini & amabilis populus, plaudite, Iſraelitæ, & immortales liberatori veſtro gratias perſolvite. Sic ille veſtræ ſaluti conſulit, ſic opitulatur ſuis, & in extremo rerum diſcrimine, cùm ſpes affulget nulla, cùm retro fluere ac diſperata prorſus eſſe cuncta diceres, acerrimum ſe defenſorem ac præſentiſſimum vindicem exhibet.

ALIA

ALIA EXERCITATIO.

Trajectus à Gallis Rhenus inſpectante & obſiſtente in adverſa ripa hoſtium exercitu.

Ab iiſdem Adjunctis Comitantibus.

SYNOPSIS.

Quis. EXord. à laudatione gentis Gallicæ, cui nihil dicet eſſe impoſſibile, quantumvis plenum periculis videri poſſit.

Quid. Deſcribet objectas Gallicæ virtuti moras. Non foſſæ, non paludes, non propugnacula hoſtium manibus extructa, ſed flumen rapidiſſimum & altiſſimum natura ſua Gallorum impetus retardabat.

Quibus auxiliis & Quomodo. Dicet Orator Gallos non conſtruxiſſe pontem exemplo Xerxis; non derivaſſe flumen, ut fecerat olim Cyrus, non comparaſſe navigia, ſed ingreſſos flumen ipſum & rapidiſſimas aquas equo trajeciſſe, in quibus ſtare pontium ſtructura non potuiſſet.

Ubi & Quando. Deſcribet expertes formidinis Gallorum animos mediis in periculis, ſtantes adverſa in ripa hoſtes, & tormenta omnia in Gallos explodentes.

Cur. Oſtendet uno comparandæ gloriæ & oſtentandæ fortitudinis deſiderio impulſos ad tentandam tanti periculi aleam.

Concludet extollendo prodigium illud vix ullam apud poſteros fidem inventurum.

ORATIO.

Ne pigeat revocare in memoriam illuſtriſſimum Gallicæ fortitudinis ſpecimen, & facinus omnium linguis ac ſermonibus decantatum toties, etiam poſt longum tempus retractare. *Quis.* Crederent unquam poſteri quod dicturi ſumus; & rei tam fidelibus monumentis conſignatæ fidem adjungerent, niſi jam diu eam obtinerent Galli apud univerſos populos famam, nihil ut ſit tam arduum, quod non aggrediantur, nihil tam plenum periculis, quod non ultro ſubeant, nihil tam inexpugnabile, quod vincere non ſoleant ac ſuperare?

At quantum illud fuit, quamque ad admirationem ſingulare, *Quid.* quod de ipſa rerum natura triumphare Galli viſi ſunt, neque oppoſitis ab ea potentiſſimis obicibus potuit virtus eorum invicta retardari. Vidit enimverò noſter exercitus objectam ſibi non foſſæ, non muri, non propugnaculi, non paludis moram, aut quidvis aliud inuſitati operis repagulum, quod hominum manus fabricaverant, ſed altiſſimi rapidiſſimique fluminis alveum, Rhenum uno verbo, quem non tam muniti undique aggeres, propugnacula, inſulæ tuerentur, quàm vis aquarum immenſa, & nuſquam hactenus pertentata defenderet: vidit, inquam, neque has ſibi vias inſuperabiles putavit.

Tamen non contabulavit fluvium, ut Xerxes, aut Cæſar; non derivavit, ut Cyrus; *Quibus auxiliis & Quomodo.* non adhibuit navigia, ut mos eſt bellorum martiſque communis; ſed immenſos aquarum vortices, illud pelagus ſecurus eques ingreditur, pedem figit, ubi ſtare pontium ſtructura non potuiſſet, aquas ambulat, quas navigiis tranſmittere periculoſum fuiſſet.

Quod ſi feciſſet unus aliquis in tanto exercitu, ſi imminentis hoſtis contemptor in adverſam ripam *Ubi & quando. Cur.* evaſiſſet, hominis induſtriam, fortitudinem miraremur. Nunc autem trajeciſſe turmas integras, inſpiciente hoſte, ripam inſidente, tormentis, jaculis, telis omnibus ingruente non repulſas fuiſſe, non territas; ſed in hoſtium arces intonuiſſe, ex inferiore loco irruiſſe in propugnacula, obſiſtentes ac repugnantes trucidaſſe, mactaſſe, occidiſſe, id ſi admirabile quiddam ac prodigioſum non dicimus, veſtram fidem, quid

dein-

Digitized by Google

deinceps à nobis in miraculorum numero reponetur?

Neque vero hæc patrata quis putet à Gallis aut periculi metu, quod inſtaret, aut potiundæ ſpe prædæ, quam ambirent, aut propagandi longiùs imperii gratia, quod interpoſiti fluminis repagulum arctiùs coerceret; fuerint illa priſcis heroibus virtutis incitamenta. Hæc una genti Gallicæ merces propoſita, unum hoc erit tantæ fortitudinis præmium, ſi nova quædam fiat ad comparatam jam laudem acceſſio, & inuſitatum antea invicti roboris exemplum futuris ætatibus oſtentetur.

Gaudeat ergo parta tam inſigni faciniore gloria & apud ſeros nepotes eam, quam meruit fortitudinis invictæ laudem, ſibi gratuletur.

EXERCITATIO.

Vitellii in Senatu Oratio, qua Piſonem illata Germanico mortis reum accuſat.

Locus ab Adjunctis Antecedentibus & Conſequentibus.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet non venire ſe, aut communi aut proprio inflatum odio ad Piſonem accuſandum.

Propoſitio. Deferre ſe ad Senatum extrema morientis Germanici verba, quibus ipſorum æquitatem adversùs interfectorem ſuum flagitabat: quod unum etſi ſufficeret ad probandam accuſationem, multa alia ad eandem confirmandam concurrere

Confirmatio. Petetur ex duplici capite. 1. ab Adjunctis Antecedentibus, & ab odio Piſonis in Germanicum, quod probabit tam à publica oratione quam habuerat Piſo in Germanicum Athenis, quàm à privatis ſermonibus in quibus carpere Germanicum affectabat.

2. A corrupta militia in Syria, ſuffectis fortiſſimorum Centurionum in locum ignavis militibus, quos ea ratione conciliatos in Germanicum concitaverat.

3. A miſſis frequenter exploratoribus, dum Germanicus ægrotaret, qui morbi & porrecti veneni eventum nunciarent.

Deinde idem arguet ex Adjunctis Conſequentibus, & 1. à ludis & ſacrificiis & aliis lætitiæ ſignis, quæ Piſo poſt Germanici mortem ediderat, quem locum tractabit per Antitheſes comparando Piſonis gaudium, cum publico Romæ, civitatum, totius exercitus mœrore.

2. Ab alba veſte, quam Plancina Piſonis conjux induerat, atra quam gerebat depoſita.

3. Ab oppugnata Agrippinæ claſſe, quæ Germanici cineres cum univerſa ejus familia veheret. Non habuit ſatis Piſo tollere Germanicum de medio, niſi totam ejus familiam perderet, quaſi verò ſperaviſſet defuturos accuſatores, ſi ſpem gentis inclytæ totam excidiſſet.

4. Ab abſentia Piſonis, qui venire Romam juſſus ad purgandum illatum crimen, abnuerat obſequi.

Denique ab ornata Piſonis domo, quam ut Judices ſubire velint, ſceleris veſtigia deprehenſuri, hortabitur.

Concluſio. Per Deprecationem, &c.

ORATIO.

Etſi incredibilis civitatis totius in præmatura Germanici morte luctus ac mœror, meaque cum fortiſſimo Principe neceſſitudo ſatis me adhortantur, ut meritas ab æquitate veſtra judiciorumque veſtrorum ſeveritate in parricidam ipſius repetam pœnas; nolite tamen exiſtimare, Patres Conſcripti, me vel publico vel privato adductum odio in iſtud ſanctitatis domicilium acceſsiſſe, ut Piſonem, virum poſt hominum memoriam longè ſceleſtiſsimum, in tam frequenti conſeſſu accuſarem.

Quare ignoſcet mihi vel in iſtis rerum adjunctis univerſus populus, ſi neque ſuis, neque meis ipſius inimicitiis hodie ſerviam. Satis habebo deferre vobis, Patres Conſcripti, triſtes infortunatiſsimi Principis querelas, qui nefario adverſariorum ſuorum ſceleri coactus cedere, hoc unum habuit acerbiſsimæ mortis ſolatium, ſi

ſuam

ſuam veſtris in manibus cauſam deponeret. Utinam extremos morientis ſpiritus excipere, & ultimas voces audire vobis contigiſſet. Parcite, inquiebat, unumquemque noſtrum fidiſsimos rerum ſuarum comites reſpiciens, parcite, amici, inanibus lacrymis miſeri Principis funus proſequi.

Exteræ gentes Germanicum lugeant; vos, ſi quid amico indultum volueritis, facite Senatus ut ſciat, me Piſonis odio atque inſidiis interceptum interire. Hæc una vox, hoc unum fortiſsimi viri teſtimonium etſi ſufficeret per ſe ſatis, ad evincendam interfectoris perditiſsimi improbitatem; tamen offerunt ſe mihi tam multa ſceleris argumenta, ut perſtringendis eorum nonnullis temperare non poſsim.

Adjuncta Antecedentia. Odium. Oderat Germanicum Piſo, P. C. & ita oderat, ut nulla provocatus unquam injuria ſuam Germanico ſalutem ac vitam deberet. Sed quid adeo mirum eſt, ſi Piſoni cum tanto viro tam parum conveniret. Nam quæ poterat eſſe ſocietas rationis cum amentia, pudoris cum libidine, fortitudinis cum ignavia, virtutum omnium cum nequiſsimo vitiorum omnium comitatu? Quid dicam quàm ſæpe privatis in colloquiis maledicendi de Germanico, vellicandi res ab eo præclarè geſtas, allinendi labem ipſius moribus occaſionem arriperet? Saltem ſi peſtiferum invidiæ ſuæ virus inter anguſtos nefarii pectoris limites continuiſſet; ſi tantùm inter paucos conceptæ jam diu malevolentiæ labem effudiſſet. At media in luce, coram univerſo exercitu detrectare de

Maledicta privata & Publica. Germanico cruentum in morem non dubitavit. Hominem urebat ſcilicet, quòd æquitatem populi Romani apud exteras gentes Germanicus humanitate ſua commendabat; quòd ſignificatione benevolentiæ Athénienſium animos demerebatur. Volebat Piſo eos haberi duriùs, & quod obtineri clementia poterat, id verberibus ac plagis malebat extorqueri.

Corrupta à Piſone Militia in Syria. Quanquàm ne quis exiſtimet conſtantem eſſe in ea morum ſeveritate Piſonem; non eſt ille tam rigidus ac ferreus, ut flecti ac manſueſcere neſciat. Voluit interdum videri clemens ac miſericors. Teſtis Syria, in qua tam inſignia manſuetudinis ſuæ veſtigia hominum ſuaviſsimus impreſsit. Hìc habebant hyberna caſtra legiones noſtræ, quæ ſub Germanici inſtitutione hanc erant aſſecutæ militaris diſciplinæ laudem, ut neque minùs ſegniter ſuas quiſque vices obiret, quàm ſi à tergo inſtitiſſet hoſtis, neque modeſtè minùs ac civiliter viverent; quàm ſi medios inter cives verſarentur. Non placuit Piſoni iſta vivendi forma; offendit hominem mitiſsimum aſperior ratio diſciplinæ. Poſitas ab Imperatore leges reformandas putavit legatus conſultiſsimus idemque blandiſsimus; novum in caſtra morem induxit, & ejectis fortiſsimis quibuſque Centurionibus ignavos eorum in locum milites ſuffecit; hac ſpe fretus nimirum, ut dum indulgentia ſua foveret militum ſocordiam, rigidioris invidiam diſciplinæ in Germanicum traduceret.

Exploratores à Piſone miſſi dû Germanicus ægrotaret. Et dubitabit aliquis conjuraſſe Piſonem illius in vitam, quem capitali odio perſequebatur? Parco hìc memorare P. C. ut ægrotante Germanico frequentes in ejus caſtra exploratores atque emiſſarios Piſo mitteret, qui morbi illius, cujus auctor ipſe & cauſa extitiſſet, ſeriem, vim, progreſſus in dies ſingulos referrent; ut, creſcente malo, creſceret pariter Piſonianæ familiæ gaudium, & remittente interdum fatalis veneni

con-

contagio, ſingulorum ora contabeſcerent.

Adjuncta Conſequentia.

Sed quid in iſtis diutiùs immoror, quæ ſi Piſonem illatæ Germanico mortis reum non arguerent, quæ ſunt obitum ejus conſecuta, ejuſdem parricidii conſcium ſatis evincant. Revocate, quæſo, animis P. C. quanto bonorum omnium luctu perlatus ad nos fuerit de Germanici morte nuncius; quanta ſingulos ordines invaſerit & quàm ſincera comploratio: ut univerſa hæc civitas repentino concuſſa metu lamentari cœpit, quaſi parens patriæ occidiſſet. Interim Piſo, quaſi re geſta feliciter, ſacras Diis immortalibus hoſtias immolabat. Dum populi totius ſuſpiriis ac gemitibus Roma perſonaret, Piſo feſtas ſolemnis lætitiæ voces incendebat: dum ſqualerent municipia, affligarentur coloniæ, civitates hujus imperii univerſæ civi fortiſſimo parentarent, Piſo triumphalem ludorum pompam populo exhibebat. dum orbatæ inviſtiſſimo duce legiones abjectis haſtis, amariſſimo ſeſe luctui permitterent, Piſo militum ſuorum voluntates ac gaudia effuſis largitionibus redimebat. Ipſa, ipſa viri nequiſſimi conjux Plancina noluit in tanta geſtientis familiæ exultatione ſui pariter gaudii publicum negare monimentum, &, quæ fuerat ſceleris particeps ac machinatrix, rebus ad votum fluentibus ſibi non gratulari. Hinc poſita veſte, quam gerebat, pullata, quaſi metuiſſet lætiſſimi triumphi diem lugubri cultu funeſtare, decentiorem ornatum induit & candidis amicta veſtibus ſeſe palam oſtentavit.

Piſonis gaudium in publico mœrore.

At iſta levia ſunt, P. C. attendite animis ad graviora. Non ſtetit per Piſonem, quin unà cum Germanico tota Cæſarum familia occumberet; ac niſi tutelares Imperii hujus genii paratam Agrippinæ Germanicique liberis cladem avertiſſent, orbatam fortiſſimo robore Rempublicam noſtram lugeremus. Nam quid loquar, quod nemo veſtrum ignorat, P. C. quales per inſidias, & quàm valida manu oppugnata claſſis illa fuerit, quæ triſtiſſimas Germanici reliquias deſolatamque ipſius familiam Auguſti nepotes deportaret? Grates enimvero vobis, Superi, qui nobis chariſſima illa capita, dum graviùs laceſſerentur, conſervaſtis; qui contra ſpem omnem expectationemque noſtram publicæ incolumitati ac ſaluti providiſtis.

Oppugnata Agrippinæ claſſis à Piſone.

Te verò, hominum ſceleratiſſime, quis demum furor in tot innocentes victimas armabat? quis erat ſenſus peſtiferæ conjurationis? qua ſpe ad fundendum tot Cæſarum ſanguinem incitabare? Putabas nimirum, ſi Germanici familiam ſuſtuliſſes, neminem in poſterum adfore, qui parricidii tui immanitatem revelaret; qui te huic ordini ampliſſimo merita mulctandum pœna deferret? At quam falſus opinione tua es! Tot habebis accuſatores, quot ſunt in hac urbe cives optimi, quot in Romanis legionibus fortunati Germanici commilitones, quot ſunt in tota Italia Reipublicæ noſtræ defenſores acerrimi. Verum quia nec ea parte ſalvum ſe & incolumem fore ſenſit, aliam homo vaferrimus ineundam putavit exitii, quod imminere ſibi videbat, declinandi rationem. Scitis ipſi, P. Conſcripti, qua contumacia venire juſſus, ut illata accuſatione ſe ſe purgaret apud vos, parere abnuerit; quàm ægre demum hinc judiciorum veſtrorum æquitate perterritus, inde amicorum conſiliis, qui ſpem impunitatis, ſi adeſſet, injiciebant, victus & impulſus in hanc urbem redierit.

Abſentia Piſonis ab urbe.

Quan-

Quanquam videte, quæſo, P. C. ut ipſa ſe prodit improbitas, & in paratos laqueos ultro irruit, & fuci, quem obduxerat, impatiens, talis poſtmodum, qualis eſt, videri amat. Venit Piſo, ut objectum ſibi crimen dilueret, ut oſtenderet nullam habuiſſe ſe in Germanici morte partem; tamen dum mœrent omnes, dum jacet confecta ſenio tota civitas, dum luctum ac mœſtitiam ſpirant omnia, ſola Piſonis domus luctu vacat. Succedite enimverò P. C. Piſonis in domum; quid hic pompam lætiſſimam, celebrem triumphi apparatum, quid gratiſſimam feſtivitatem non ſapit? Quid igitur moræ eſt, quin latentem etiam reum veſtris ſententiis eruatis, &, quam meritus eſt ſcelere ſuo pœnam, irrogetis? Hoc repetunt pii Germanici cineres, hoc deſolata liberorum ipſius orbitas, hoc Auguſti neptis Agrippina flagitat & obteſtatur.

Ornata Piſonis domus.

ALIA EXERCITATIO.

Romani cujuſdam ad Coriolanum Oratio, cum matris & uxoris precibus expugnatus, Romam ab obſidione ſolvere ſtatuiſſet.

Locus ab Adjunctis Antecedentibus & Conſequentibus.

SYNOPSIS.

Exord. REm ipſam, quam facere parat, exhibebit. Scilicet expugnatum fuiſſe mulierum precibus illius animum, quem Legati Romanorum, amor patriæ invictum ſenſerant.

Propoſitio. Petet an abjecerit laudabile conſilium, quod inierat, vindicandi Romam ab iniqua plebis dominatione; an non videat periculum quod adeat, ſi ab incœpto deſtiterit.

Priorem partem probabit ab Antecedentibus; jubebitque ipſum meminiſſe, quo ſtudio libertatis arma ſumpſerat; non te privatæ injuriæ, non populi odium, ſed patria jugo mancipata ſtimulavit; non potuiſti ferre dominantem nobilitati & leges imponentem populum. An elanguit ardor ille muliercularum precibus evictus, &c. an docilis populus factus eſt, &c.

Alteram partem probabit à Conſequentibus, exponetque quàm multùm timendum habeat à Romanis, qui ſeriùs ociùs illatas injurias ulciſcentur; quàm multa ab ipſis Volſcis, qui patientur iniquiùs initium cum ipſis fœdus abrumpi, &c.

Concluſio. Per vehementem Deprecationem.

ORATIO.

Ergo vinceris, dux fortiſſime? metuenda tuis hoſtibus & fatalia poſtmodum futura ponis arma? Roma pacem obtinet? Scilicet imbelles fœminæ animum illum expugnant, quem nulla unquam bellorum pericula, nullæ Senatus preces, nullus mœrentis & obſequentis populi dolor, nullæ quantumvis honorificæ oblati fœderis conditiones, non ipſa ruituræ jam jam in cineres patriæ charitas inflexerat? Equidem non incuſem ego pietatem tuam, Dux fortiſſime: ſcio quid blanda conjux apud fidum conjugem, quid verenda mater apud amantem filium poſſit. At patere, meum ut ſtuporem tibi, & incredibilem, qui pro te me angit, metum aperiam. Nam quid putem demum, vel quid loquar? An oblitus hodie tui es? an periculum non vides, quod ſubis? Sic inchoata tanto ambitu cœpta momento excidunt? ſic propriæ ſalutis contemptor in apertum exitium corruis?

Ah! liceat revocare tibi in memoriam, quo te conſilio ad oppugnandam Romam accinxeris? quis fuerit ſenſus armorum tuorum, cùm inferre bellum patriis mœnibus ſtatuiſti. Non te impotens ambitio, non cœca dominandi cupiditas, non civium.

Antecedentia.

civium tuorum odia, non injuriarum recordatio, non implacabilis vindictæ furor manum armârunt. At te ſincera patriæ charitas, libertatis amor, Romæ gloria, Imperii ſalus ad ſuſcipiendum bellum hoc pepulere. Non potuiſti ferre dominantem plebem, dum nobilitas ſerviret: doluiſti illam regnare, quæ parere didicerat, hanc obſequi, quam imperare decuiſſet. Exarſiſti nobili ſtudio vindicandæ ab infami jugo patriæ, quam diligis & in priſtinum libertatis decus reſtituendæ. Tu ſuum ſactis legibus vigorem, ſuam Magiſtratibus reverentiam, Patribus auctoritatem aſſerere meditabaris. Huccine tandem recidit dignum Coriolano conſilium? tam citò ardor ille nobilis deferbuit? remiſit virtus illa, &, quam ſuperba Roma vereri primùm viſa eſt, adverſus muliercularum lacrymas elanguit? At ni te gloriæ ſtudium, libertatis decus, tuorum amor, patriæ ſalus moveant; piget dicere, moveat te periculi gravitas, quod imminet, ſi rerum hoc in diſcrimine inflecti te indignis precibus permiſeris.

Conſequentia. An ergo tam parum noſti populum illum perduellem, cui parcis? Nempe jam poſuit furores, jam docilis factus eſt, & manſueſcere didicit? jam patiens excipiet jugum? nihil ille deinceps iniquum meditabitur; nihil retinebit veteris pertinaciæ? exoſus turbas ac tumultus innatæ levitatis obliviſcetur? non dolebit unquam illatam ſibi ab eo fuiſſe vim, quem expulerat? nihil pigebit abjeciſſe ſe illius ad pedes, quem olim proſcribere meminerit? verebitur uſque, aut etiam amabit Coriolanum, quem, niſi obſtitiſſet conjux, niſi vetuiſſet mater, ferocem victorem & implacabilem expugnatorem expertus fuiſſet?

Sed eſto: Romani nihil in te peccent; tam mites in poſterum, tam dociles habeas, quàm rebelles olim, quàm contumaces perſenſiſti. Nihil ne videtur tibi, quod à Volſcis metuas? Non iniquo ferent illi animo violari fœdus, quod ſancitum à te cum ipſis eſt? Non indignabuntur deſeri ſe ab eo turpiter, quem ejectum patria, exulem & egentem conſilii exceperunt? non irruent in te tanquam in proditorem? non te repetent ad pœnas, devotam furori ſuo victimam, & conceſſam ingratæ urbi pacem tuo ſanguine non rediment?

Ah! ne tuam ipſius in ruinam præceps corruas, Dux fortiſſime. Si tuæ conſultum gloriæ in perpetuum tempus eſſe volueris; ſi qua tuendæ ſalutis cura te remordeat; niſi laborum tuorum ſocios tuæque fortis comites in apertum capitis diſcrimen objicere volueris; perſta firmiter in eo conſilio, quod iniiſti tam laudabiliter, tam feliciter promoviſti. Securus eſto matris, ac conjugis, quibus nihil periculi imminet, ſi viceris. Permitte illas tantiſper dolori ſuo, dum triumphi tui magnitudo lacrymas abſtergat; & breviſſimi luctus moram magno gaudii fœnore conſoletur. Interim Romæ mœnibus exercitum admove. Rerum mox dominus atque arbiter, ſi quid indulgere patriæ volueris, tanto gratius beneficium impendes, quanto minùs expectatum illa ſibi gratulabitur.

CAPUT X.

Locus à Cauſis.

Quid eſt Cauſa?

R. Cauſa vulgò definitur à Philoſophis id unde res aliqua eſt.

Quotuplex eſt Cauſa?

R. Qua-

R. Quadruplex. Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis.

Quid eſt Cauſa Efficiens?

R. Eſt id, à quo res habet, ut exiſtat. Alia autem eſt Phyſica, ut artifex domus, alia Moralis, ut ſpes præmii.

Quid eſt Cauſa Materialis?

R. Eſt id, in quo vel ex quo fit aliquid, ut lignum eſt cauſa materialis ſcamni, Parietes domus; quia ex ligno fit ſcamnum, domus conſtat ex parietibus.

Quid eſt Cauſa Formalis?

R. Eſt ratio quædam & forma, per quam res aliqua in ſua natura ita conſtituitur, ut per eandem à cæteris diſtinguatur. Hæc porro triplex vulgo numeratur, Eſſentialis, ut anima in homine, Accidentalis, ut calor in igne, Artificialis, ut colorum ductus in tabella.

Quid eſt Cauſa Finalis?

R. Eſt ea, propter quam aliquid fit. Ita beata vita eſt cauſa finalis hominis, quia agit omnia ut illam acquirat.

Quomodo ducitur argumentum à Cauſis?

R. 1. Si tollantur Cauſæ & negentur, tolluntur pariter & negantur Effecta: v. g. nullus fuit Architectus, ergo nulla domus.

2. Si affirmetur cauſa neceſſaria, effectus quoque affirmabitur. verb. gr. Fuit ignis in hoc loco, ergo & calor.

3. Si res poſſibilis oſtendatur ex vi & potentia Cauſarum. Ita probare poteris Reſurrectionem eſſe poſſibilem, ex eo quod Deus ſit Cauſa efficiens, & materia, ſive Cauſa materialis, homine etiam mortuo, ſuperſtes maneat.

Exempla Cauſæ Efficientis pro Roſc. Amer. num. 38. ubi probat eum non eſſe parricidii reum: quia caret iis vitiis quibus ad parricidium ſtimulari aliquis & incendi poſſit. *Quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accuſatorem cenſes uti oportere? Nonne & audaciam ejus, qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere, & mores feros immanemque naturam, & vitam vitiis flagitiiſque omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata & perdita; quorum tu nihil in Sex. Roſcium, ne objiciendi quidem cauſa, contuliſti.*

In Piſonem num. 41. Carpit in ipſo mollitiem vitæ tanquam cauſam vitiorum omnium quibus erat deditus. *Nam ille gurges atque helluo natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriæ, cùm Equites Rom. in provincia, cùm Publicanos nobis & voluntate & dignitate conjunctos omnes fortunis, multos fama vitaque privaſſet; cùm egiſſet aliud nihil in illo exercitu, niſi ut urbes depopularetur, agros vaſtaret, exhauriret domos, auſus eſt à Senatu ſupplicationem per literas poſtulare. Tunc etiam atque adeo vos geminæ voragines ſcopulique Reipublicæ, vos meam fortunam deprimitis, veſtram extollitis.*

Sic in Oratione pro Milone exponit cauſas cur Clodius Milonem odiſſet, num. 35. & pro domo ſua cur multi à ſe deſciviſſent, num. 6. & 7. Et pro Sylla num. 48. probat nihil eſſe cur iraſcatur Torquatus, quod Syllam defendat.

Quis eſt uſus cauſæ efficientis?

R. Valet maximè ad rem amplificandam. Sic in Verrina 3. num. 7. Verrem exhibet agitatum ſcelerum pœnis, quæ tam in Deos quàm in homines commiſerat. *Agunt eum præcipitem pœnæ civium Rom. quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necavit, partim implorantes jura libertatis & civitatis in crucem ſuſtulit. Rapiunt eum ad ſupplicium Dii patrii, quòd iſte inven-*

ventus eſt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pretium pro ſepultura liberum poſceret. Religiones verò ceremoniæque omnium ſacrorum fanorumque violatæ, ſimulacraque Deorum, quæ non modò ex ſuis templis ablata ſunt, ſed etiam jacent in tenebris, ab iſto retruſa atque abdita conſiſtere ejus animum ſine furore atque amentia non ſinunt.

Valet etiam ad rem minuendam. Ita Cicero extenuat res bellicas Cæſaris tanquam Imperatoris minùs proprias, ut ejus clementiam extollat, quâ Marcello injurias condonaverat num. 6. pro Marcello. *Bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propria ſint Imperatorum. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multum juvant. Maximam verò partem, quaſi jure ſuo, Fortuna ſibi vindicat, & quidquid eſt proſperè geſtum, id pœnè omne ducit ſuum, &c.*

Valet etiam ad hortandum. Sic 2. Verrina num. 51. Glabrionem hortatur hoc modo Tullius ad ſuſcipiendam judiciorum cauſam. *Cogita qui ſis, quo loco, quid dare populo Rom. quid reddere majoribus debeas. Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, quâ lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis judiciis ſeveriſſimiſque judicibus uſus eſt. Circumſtant te ſummæ auctoritates, quæ te domeſticæ laudis oblivisci non ſinant, quæ te dies noctesque commoneant, fortiſſimum tibi patrem, ſapientiſſimum avum, gratiſſimum ſocerum fuiſſe.*

Item & ad dehortandum ille Locus utilis eſt. Sic in libro de ſenectute num. 40. 41. Ut excitet voluptatis odium & ab ea deterreat, exhibet perniciosos voluptatis effectus. *Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum everſiones, hinc clandeſtina cum hoſtibus conſilia naſci dicebat; nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra verò & adulteria & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptate; cùmque homini ſive natura, ſive quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic divino muneri ac dono nihil tam eſſe inimicum, quàm voluptatem; nec enim dominante libidine temperantiæ locum eſſe omnino, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere.*

Exempla Cauſæ materialis habes Verrina 6. num. 64. Exaggerat furtum Verris à materia Candelabrorum quæ rapuerat, qui gemmis & auro conſtabant. *Candelabrum è gemmis clariſsimis opere mirabili perfectum. Et ibidem num. 62. Non pauca etiam pocula ex auro, quæ ut mos eſt regius, & maximè in Syria gemmis erant diſtincta clariſsimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata cum manubrio aureo.*

Et Verrina 4. n. 83. Sthenii elegantem à materia commendat ſupellectilem, quam Verres variis modis ſuam fecerat. *Etenim Sthenius ab adoleſcentia ſtudioſius paulo hæc comparârat, ſupellectilem ex ære elegantiorem & Deliacam & Corinthiam, Tabulas pictas etiam argenti benefacti, prout Thermitani hominis facultates ferebant... Quæ poſteaquam iſte abſtulit, alia rogando, alia poſcendo, alia ſumendo, ferebat Sthenius ut poterat, &c.*

Item lib. 2. de natura Deorum n. 39. Sydera commendat à materia. *Atque hac mundi divinitate perſpecta tribuenda eſt ſyderibus eadem divinitas, quæ ex nobiliſsima puriſsimaque*

ætheris parte gignuntur, neque ulla præterea ſunt admiſta natura, totaque ſunt calida atque perlucida.

Quis eſt uſus illius Loci?

R. Valet hic locus ad commendationem manufactorum, ad extollendum rei alicujus pretium, aut idem minuendum. Sic pro Muræna Juriſprudentiam elevat ab exilitate rerum circa quas verſatur numer. 19.

Exempla Cauſæ formalis ſuppeditat Oratio pro Sextio numer. 47. ubi Tullius probat mortem ſibi expetendam fuiſſe, potiùs quàm timendam, quia hominis animus immortalis eſt. *An mihi ipſi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortem-ne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine, cùm gerebam, non mihi mors, non exſilium ob oculos verſabantur? Non hæc denique à me tum, tanquam fata, in ipſa re gerenda, continebantur; an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta diſjunctione, tanta acerbitate, tanta ſpoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers conſilii aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipſe legendo quærendoque cognoveram? Neſciebam vitæ brevem eſſe curſum, gloriæ ſempiternum? cùm eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe, ut vita, quæ neceſſitati deberetur, patriæ potius donata, quàm reſervata naturæ videretur? Neſciebam inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe, ut alii dicerent hominum animos ſenſuſque morte reſtingui; alii autem tum maximè mentes ſapientum ac fortiſſimorum virorum, cùm è corpore exceſſiſſent, ſentire ac vigere? Quorum alterum fugiendum non eſſe, carere ſenſu; alterum etiam optandum, meliore eſſe ſenſu.*

Et lib. 1. Officiorum n. 106. concludit homini fugiendam eſſe voluptatem ab excellentia ingenii ſeu animi qua polleat. *Ex quo intelligitur corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni ac rejici oportere. Sin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum eſſe modum ejus fruendæ. Itaque victus cultuſque corporis ad valetudinem referantur & ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam ſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia & dignitas, intelligemus, quàm ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter vivere; quàmque honeſtum parcè, continenter, ſeverè ſobrièque.*

Et Verrina 6. n. 72. Exaggerat ſacrilegium Verris ab egregia forma ſimulacri Dianæ, quod Verres ſuſtulerat. *Fuit apud Segeſtanos ex ære ſimulacrum Dianæ tum ſumma atque antiquiſſima præditum religione, tum ſingulari opere artificioque perfectum.*

Et n. 74. de eodem Dianæ ſimulacro. *Hæc poſita Segeſtæ ſanè in excelſa baſi, in qua grandibus literis P. Africani nomen erat inciſum ... Erat admodum amplum & excelſum ſignum cum ſtola: verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis: ſagittæ pendebant ab humero: ſiniſtra manu retinebat arcum, dextera ardentem facem præferebat.*

Item Candelabrum jam à nobis laudatum extollit ab egregio operis artificio, n. 65. ibidem. *Etenim erat eo ſplendore, qui ex clariſſimis & plurimis gemmis eſſe debebat; ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia: ea magnitudine,*

ut

Digitized by Google

ut intelligi poſſet, non ad hominum apparatum, ſed ad ampliſſimi templi ornamentum eſſe factum.

Quis eſt uſus illius Loci?

R. Valet ad explicandam & deſcribendam rem clariùs, etiam ad amplificandam.

Habes exempla Cauſæ Finalis pro Roſcio Amer. num. 84. ubi Tullius probat à Fine, non fuiſſe Roſcium patris interfectorem, quia nullum habere poterat ipſius occidendi propoſitum finem. *Sic vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere. Lucius ille Caſſius, quem populus Rom. veriſſimum & ſapientiſſimum Judicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat, Cui bono fuiſſet.*

Sic & pro Milone n. 32. concludit Cicero inſidias non ab illo, ſed à Clodio fuiſſe comparatas; quia ſpes emolumenti Clodium reſpiciebat, non Milonem.

Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium? Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte poſitam, magnas utilitates fuiſſe. Itaque illud Caſſianum, Cui bono fuerit, in his perſonis valeat: Etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe parvo. Atqui Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur, non modo ut Prætor eſſet, non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet; ſed etiam ut his Conſulibus Prætor eſſet, quibus, ſi non adjuvantibus ac conniventibus, certè ſperaſſet ſe poſſe Remp. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus.

Et pro Sextio num. 98. & 99. Optimates commendat ab eo fine quem ſibi proponunt. *Quid eſt igitur propoſitum his Reip. gubernatoribus? quid intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeant? Id quod eſt præſtantiſſimum maximèque optabile omnibus ſanis & bonis, & beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes Optimates; qui efficiunt, ſummi viri & conſervatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines ita efferri convenit, ut otio non proſpiciant, neque ullum amplexari otium, quod abhorreat à dignitate, &c.*

Et lib. 8. Epiſtola II. ad Atticum ita commendat hominis Politici finem. *Ut gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria; ſic huic moderatori Reipubl. beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. Hujus enim operis maximi inter homines, atque optimi illum eſſe effectorem volo.*

Quis eſt illius Loci uſus?

R. Valet imprimis ad amplificandum & movendum. Ita pro Roſc. Amer. num. 145. Tullius oſtendit nullam adverſario ſubeſſe cauſam Roſcii accuſandi; cùm ea omnia, quibus induci potuiſſet ad accuſandum eum, jam eſſet conſecutus. *Quid vis ampliùs? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re voluntatem tuam lædi à me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? ſi ſpoliorum cauſa vis hominem occidere? ſpoliaſti. Quid quæris ampliùs? ſi inimicitiarum? quæ tibi ſunt inimicitiæ cum eo, cujus antea prædia poſſediſti, quàm ipſum cognoſti? ſin metuis? ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipſum à ſe ſe tam atrocem injuriam propulſare non poſſe? ſin, quòd bona, quæ Roſcii fuerunt, tua facta ſunt, idcirco hunc illius filium ſtudes perdere? nonne oſtendis id te vereri, quod præter cæteros tu metuere*

non debeas, nequando liberis proſcriptorum bona patria reddantur. Sic in Piſonem n. 56. probat Cicero nihil habere Piſonem, quod tot patrata à ſe ſcelera excuſet, niſi ſe cupidum fuiſſe triumphi, quod negabat, fateatur.

Et Oratione 2. in Rullum num. 74. deterret Populum Rom. ab agro Campano divendendo, exponendo finem, quo Decemviri ad vendendum movebantur. *Non obſcurè regnum conſtituitur, non obſcurè libertas veſtra tollitur; nam cùm iidem totam Italiam ſuis opibus obſidebunt, iidem libertatem veſtram ſuis præſidiis & coloniis interclusam tenebunt, &c.*

EXERCITATIO.

Innocentii IV. Summi Pontificis ad B. Ludovicum Galliarum Regem Oratio, cùm is ad Hieſolymitanam Expeditionem proficiſceretur.

Locus à Cauſis.

SYNOPSIS.

Exord. A Cauſa efficiente felicem appellabit Ludovicum, qui conſilii ejuſmodi habeat auctorem Deum: removebitque alias cauſas, puta ambitionem, dilatandi Imperii deſiderium; gratulabitur etiam operis ſociis ac comitibus.

2. Hortabitur ipſos à Cauſa Materiali ne deterreantur iis laboribus, quos in expeditione illa ferendos habuerint, majorem inde gloriæ ſegetem habituri.

3. A Cauſa Formali dicet, tanto illuſtriorem fore ipſorum triumphum, ſi regionem illam occupaverint, quanto terra illa præſtat cæteris; terram illam eſſe, quam Chriſtus ſuis laboribus ſuoque adeo ſanguine nobilitavit: indignum quid eſſe terram illam à Barbaris poſſideri.

Concluſio, fiet à Cauſa Finali, oſtendetque quantam eo facinore gloriam Deo paraturi ſint, quantam Chriſtianorum genti lætitiam, quibus victoria ſua aditum in loca ſancta aperturi ſint; quantum ſibi ipſis decus: jubebitque ipſos hac ſpe ſuſtentare ſe ſe.

ORATIO.

Felicem te, fortunatumque, Princeps Religioſiſſime, qui Deo duce atque auſpice, dignum animo, dignum imperii majeſtate, dignum Rege Chriſtianiſſimo facinus aggrediare. Nam quid aliud præter incredibile divinæ gloriæ ſtudium, quo flagras, tibi mentem illam inſpiret, ut compoſitis feliciter domi foriſque rebus, & parta lætiſſimi regni tranquillitate, tam durum tamque laborioſum expeditionis genus ſuſcipias; & avulſus medio regni de ſinu, fidelibus populis ereptus, peregrinas procul in oras viam pertentes; ut certam apud tuos gloriam ſpei dubiæ & ancipiti, glorioſæ pacis otium, novis bellorum tumultibus, regales aulæ delicias, longis viarum obſidionumque defatigationibus poſtponas? Non te, quæ cæteros heroas extimulare & accendere ſolent, vel impotens ambitio, vel comparandæ gloriæ cupiditas, vel dilatandi imperii ſpes & expectatio incitarunt. Totum hoc ſibi Deus vindicat, quodcumque apud barbaros quæris; tu promovendæ ipſius gloriæ, propagandis ulteriùs ipſius regni finibus adlaboras. Et vos, quos tanti operis ſocios atque adjutores ſibi Ludovicus adſcivit, æſtimate, ut par eſt, conditionis veſtræ dignitatem, & honorificum ſapientiſſimi Regis judicium factis confirmate. A Cauſa Efficiente.

Neque enim difficultatibus ac periculis vacat conſilium illud quod ſuſcipitis, neque ad facilem vel certam gloriæ ſegetem advolatis. Noſtis varios & ancipites armorum exitus, & veſtra martis in laboribus virtus jam diu exercitata fortis cujuſcumque diſcrimen pati didicit. At nondum A Cauſa Materiali.

dum experti eſtis, quid ſit pugnare cum barbaris, & quanta vos ignotis in regionibus pericula maneant: quot parta laboribus, quàm multo redimenda ſanguine ſit illa victoria, quam animo præcipitis. Sed quid ego hic vel periculorum magnitudinem, vel difficultatem operis, vel laborum multitudinem extollam, unde tanto major gloriæ veſtræ meritorumque veſtrorum ſeges exſurgit? non illa caduca vel fragilis, non inanis aut peritura, qualem plerique mortalium ambiunt, ſed vera, ſed certa, ſed incorrupta, & nullis unquam temporum ſpatiis conſcribenda.

A Cauſa Formali. Nam quis unquam triumphus, quæ victoria tantam olim peperit priſcis heroibus gloriam, quantam regiones illæ, quas paratis armis veſtris ſubjicere, vobis offerunt? Mementote, quæſo, quàm uberem illa palmarum ſegetem, quàm fœcundam laurorum ſylvam tellus oſtentet, quam Chriſtus ipſe dignam ſuis laboribus inter cæteras judicavit. Hæc ipſa terra eſt, quam delapſus è pulcherrimo cœli domicilio ſibi ad habitandum elegit, quam impreſſit veſtigiis, peregrinationibus decoravit, tinxit ſudoribus, illuſtravit miraculis & totius effuſione ſanguinis purpuravit. Et hanc ſibi terram tot ab hinc annis barbari vindicent; fœdiſſimis dæmonum religionibus polluant, infami lucro mancipent, & ſanctiſſimæ Religionis noſtræ ſpoliis divites nobis audeant inſultare? Excitetur ad tanti dedecoris memoriam Chriſtianorum heroum fortitudo, incendatur ſtudium, pietas inflammetur. Videte, quæſo, ne, cùm nullus in toto terrarum orbe locus ſit ſanctior, nullus cultu veſtro dignior, nullus meliori jure vobis mancipatus, tanto tolerandum minùs videri debeat, hereditatem tam ſanctam, tam verendam, tam expetendam ab impiis hominibus occupari. Ite igitur alacres, perficite fortiter, quod tam viriliter inchoaſtis.

A Cauſa Finali. Quod ſi difficultates itinerum, rerum anguſtiæ, laborum aſperitas, gravioris belli faſtidia conſtantiam veſtram pertentabunt, & incredibilem illum, quo jam ſuccenſi eſtis, ardorem videbuntur temperare; ſpes illa, quam vobis ipſi propoſuiſtis, vos ſuſtentet, & præclari facinoris, cui navatis operam, conſcientia conſoletur. Veniat frequenter vobis in mentem, quòd Religioni ipſique Deo militatis; quòd univerſæ Chriſtianorum genti tutum ac facilem in illas terras aperitis aditum, in quibus ſanctiſſima ſalutis noſtræ myſteria patrata ſunt; quòd vobiſmetipſi intermoriturum nunquam apud poſteros decus, & coronam in cœlo quovis pretio redimendam comparatis.

ALIA EXERCITATIO.

A Cauſis.

Adhortatio ad Mortales, ut abjecto rerum terrenarum amore, ad ſectanda cœleſtis patriæ bona contendant.

SYNOPSIS.

Exord. Deplorabit Orator ſortem hominum, qui nati perfruendis æternis bonis, rebus perituris adhæreſcunt.

Propoſitio. Hortabitur ipſos, ut poſito fucatæ beatitudinis amore, ad felicitatem veram adſpirent.

Confirmatio. Oſtendet à Cauſis cœleſtis patriæ pretium. Et 1. à Cauſa Efficiente, hoc eſt à Deo ipſo, qui cœleſtem patriam ſuis ipſe manibus condidit, comparabitque illam cum cæteris rebus, quæ admirationem & ambitionem hominum ſtimulant; puta palatiorum magnificentiam; hortorum amœnitatem, argenti aurique ſplendorem, lucem gemmarum; dicetque Deum luſiſſe quodammodo in reliquis in re-

bus; at ſuam in ædificanda cœleſti patria induſtriam exhauſiſſe.

2. A Cauſa Materiali, Quæret à Mortalibus, quæ tandem maximo in pretio habeant; an aurum? an argentum? an lapides pretioſos? dicetque Cœlum auro ſtratum eſſe, muros ex margaritis conflatos, portas totidem eſſe pretioſiſſimos lapides, &c. qualis deſcribitur in Apocalypſi B. Joannis ſancta civitas.

3. A Cauſa Formali: Dicet loci illius pulchritudinem exſurgere ex ipſa Dei majeſtate, quæ cœleſtem regionem ornabit: ex Chriſti præſentia qui ſolis inſtar Cœlum colluſtrabit. Hinc fore ut his rebus perfruentes nunquam ſatientur, ſed novo ſemper eaſdem videndi & poſſidendi deſiderio accendantur.

4. A Cauſa Finali: condita eſt cœleſtis patria, ut eſſet merces rerum piè ſanctèque geſtarum. Jubebit ergo homines penſare labores Sanctorum, vigilias, cruciatus, &c. Chriſti ipſius meritorum magnitudinem, quæ Deus, ut compenſaret, videtur exhauſiſſe ſuas opes, ut Cœlum ornaret.

Concludet; & erit aliquis tam faſtidioſus cœleſtis patriæ contemptor, qui, &c.

ORATIO.

Cùm altiſſimis mortalium animis ſic inſitus eſt à natura veræ ac ſinceræ beatitudinis amor, ut in ea vel poſſidenda vel ſaltem conſectanda expleri penitus ac ſatiari nequeant; tum certè quis non mirabitur in perſequendis fragilibus caducisque rebus pleroſque hominum tam eſſe pertinaces, ut ſolidis & nunquam perituris carere bonis facilè poſſe videantur.

Nam quis vos error, mortales miſeri, quis demens furor obcæcat? quò fucatæ larva beatitudinis inſanos rapit? Tantùmne vobis infelix placet exſilium? ſic perpetuæ mortis habitaculum delectat æternitati deſtinatos? Reſpicite enim voſmetipſos; intelligite tandem aliquando conditionis veſtræ nobilitatem, & dignos naturæ veſtræ excellentia ſenſus induite. Cogitaſtis unquam cœleſtis illius regionis, quæ noſtris capitibus imminet, eximiam pulchritudinem, magnitudinem immenſam, ſplendorem admirabilem? Hîc ſcilicet beatum pacis ac quietis domicilium vos expectat. In hac regione fortunatiſſima elaborata ipſis omnipotentis Dei manibus jucundiſſima felicis ævi domus vobis præparatur. Ah! ſi vos tantopere delectat ac capit regalis palatiorum magnificentia, amœniſſima ruris varietas, hortorum deliciæ; ſi perſtringit oculos argenti nitor ac ſplendor auri, ſi gemmarum fulgor, lux ſyderum, firmamenti majeſtas in admirationem rapit: cogitate præſtantius aliquid ac magnificentius in hac cœleſti patria, quæ hominum generi perfruenda deſtinatur. Scilicet in rebus univerſis, quæ ſub aſpectum cadunt, aut condendis aut exornandis luſiſſe quodammodo divini numinis potentia viſa eſt; at in extruendo exornandoque cœleſtis gloriæ domicilio operam ita ſuam atque magnificentiam collocavit, ut opes exhauſiſſe ſuas, & vim induſtriæ adhibuiſſe omnem videri voluerit.

A Cauſa Efficiente.

Qualem enimverò putatis eſſe auguſtiſſimi illius palatii apparatum, quod ex pretioſiſſimis quibuſque rebus conflatum eſt? Agite, voſmetipſi mortales, quid vobis videtur in bonis creatis pretioſiſſimum? quid inter cætera aut admirationem concitat, aut cupiditatem veſtram incendit? an argentea ſupellex, & aurea? an adamantini lapides perſtringunt oculos, & ſuis vos illecebris pertentant? bene eſt; erit unde cupiditatis veſtræ ſatietur ſitis: nihil erit ultra quod expetendum vobis relinquatur; dabitur vobis aliquando, ſi vultis, in eam civitatem ingredi quæ puriſſimo ſtrata ſit auro, cujus muri intexti gemmis & margaritis colluceant, quam portæ totidem pretioſi

A Cauſa Materiali.

tioſi lapides exornent, quæ nativa quadam & nunquam obſcuranda luce colluſtretur.

Sed quid hic aurum, quid gemmas, quid pretioſos lapides appello, quaſi ſuam ab ejuſmodi rebus pulchritudinem totam admirabilis ille locus mutuetur? Altiùs, mihi credite, cœleſtis patriæ magnificentia petenda eſt. Ipſa eſt Dei omnipotentis majeſtas, quæ ſuum cœlo pretium facit; quæ domum illam exornat; eumque rebus omnibus, quæ vel fingi vel cogitari poſſunt, exhibet multo magis expetendam: hanc ſua ipſe præſentia Chriſtus illuſtrat, & ſplendidiſſimi ſolis inſtar novam illi lucem impertit. Quid porro de Virgine ſanctiſſima, quid de variis cœleſtium Spirituum ordinibus, quid de innumero beatarum mentium comitatu loquar, quæ de ſua omnes gloria ad decorandam regionem illam fortunatiſſimam conferunt? Nihil ego jam mirer, ſi puriſſimæ cujuſdam voluptatis torrentibus, & incredibili deliciarum ubertate cœleſtis patria deſignetur: ſi, quicumque illam aſſecuti ſunt, ea ſic perfruantur, ut novo ſemper ejuſdem potiundæ incendantur deſiderio; ſi ſatietas illic ſine nauſea, diuturnitas ſine faſtidio futura ſit.

A Cauſa Formali.

A Cauſa Finali.

Hanc tamen tantam bonorum omnium copiam ac ſuavitatem ad cumulandam cœleſtis patriæ magnificentiam confluxiſſe qui mirabitur; reputet ille ſecum, quòd illa piorum hominum remunerandis laboribus deſtinata ſit. Deus ſcilicet, qui in perficiendis cæteris naturæ operibus tam liberalis, tam munificus, tam prodigus extitit, nihil ut immortales divinæ potentiæ divitias non loquatur, parcus in benefaciendo, in remunerando parum magnificus videretur? Etenim bonorum illorum copiam atque affluentiam, quibus hæc terrarum univerſitas abundat, ex æquo probis atque improbis reliquit ad arbitrium: potentior ſæpe, qui pejor, ditior, qui rapacior, felicior qui ſceleratior eſt. Communis hæc nobis rerum abundantia cum beſtiis etiam, cum impiis potiunda permittitur: aliam ergo ſuis poſſeſſionem, opulentiorem illam melioremque ſepoſuit. Si tamen hæc publica, hæc vulgaria & in communi poſita tot habent illecebras, tot deliciis perfuſa ſunt; quid de ſpeciali ac prærogativa felicitate ſperandum videbatur? ſi tanta indulſit alienis, peregrinis & hoſtibus; quid amicis, quid heredibus, quid filiis erat expectandum, qui virtutum ſtudio, qui divinæ legi conſtanter adhæſiſſent; qui labores innumeros, vigilias, ſolitudines, flagella, mille dolorum ac mortis ſpecies ipſius cauſa pertuliſſent? qui Chriſti ipſius merita, cruciatus, ſupplicia, necem acerbiſſimam ſuis ipſorum in meritis computarent?

Erigite igitur animos, Mortales, non jam miſeri, ſed fortunati, quos tanta beatitudinis æternæ magnitudo reſpicit. Dilatate veſtri pectoris anguſtias; frena cupiditati laxate; optate, appetite, adſpirate ad illa bona, quibus in perfruendis animus ſic acquieſcat, ut neque ea conſervandi anxietate torqueatur, neque eadem amittendi metu.

CAPUT XI.

Locus ab Effectis.

QUid ſunt Effecta?

R. Sunt ea, quæ ſunt orta de Cauſis. Unde ſequitur tam multa illa eſſe, tam varia, quàm variæ multiplicesque ſunt Cauſæ. Imò quia notiora ſunt Effecta quàm Cauſæ, ideo

multo frequentiorem apud Oratores uſum habent.

Effectus, qui reſpondet Cauſæ materiali, is eſt qui prodit ex materia: Ita ſtatua dicitur Effectus reſpectu æris aut ligni, quia ex ære vel ex ligno fit.

Effectus, qui reſpondet Cauſæ formali, eſt ipſa actio, quæ procedit à forma, ſic formalis animæ immortalis effectus eſt, facere hominem immortalem.

Effectus Cauſæ finalis eſt, quodcumque ſuſcipitur ad finem conſequendum. Ita labores, vigiliæ, virtutum exercitatio ſunt effectus finalis beatitudinis; quia hæc omnia ad eandem beatitudinem conſequendam adhibentur.

Denique effectus Cauſæ efficientis eſt id quod ab illa efficitur, ut imago à Pictore.

Quomodo ducitur argumentum ab Effectis?

R. Si ex affirmatione Effecti cauſa affirmetur. v. g. Fumus eſt; igitur Ignis aut eſt, aut fuit. Vel ſi ex negatione Effecti à Cauſa neceſſaria provenientis negatio cauſæ elicitur. v. g. Nullus eſt calor, ergo nullus ignis.

Quomodo tractandus hic Locus?

R. 1. Per Congeriem. Ita Cicero lib. de ſenectute numeris 40. & 41. à nobis ſupra jam laudatis in capite de Cauſis, funeſtiſſimos voluptatis effectus recenſet. *Hinc patriæ proditiones, &c.*

Et pro Muræna num. 22. commendat militarem virtutem ab Effectis per Congeriem. *Hæc nomen populo Rom. hæc huic urbi æternam gloriam peperit. Hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit. Omnes urbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis: ſimul atque increpuit ſuſpicio tumultus, artes illico noſtræ conticeſcunt.*

Sic paulò ante eodem numero probaverat virtutem militarem plus præſidii attuliſſe Murænæ ad Conſulatum adipiſcendum quàm Juriſprudentia Sulpitio contuliſſet. *Vigilas tu de nocte ut tuis conſultoribus reſpondeas, ille ut eò, quo intendit, mature cum exercitu perveniat: te Gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caves ne tui conſultores; ille ne urbes aut caſtra capiantur. Ille tenet & ſcit ut hoſtium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis.*

Ita pariter Eloquentiæ dignitatem, jucunditatem ac neceſſitatem ab Effectis commendat per Congeriem lib. 1. de Oratore n. 30. 31. 32. *Neque verò mihi quidquam præſtabilius videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, unde autem velit, deducere. Hæc una res in omni libero populo maximèque in pacatis tranquilliſque civitatibus præcipuè ſemper floruit ſemperque dominata eſt. Quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis gravibuſque verbis ornata oratio ac perpolita? aut tam potens tamque magnificum, quàm populi motus, Judicum religiones, Senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam neceſſarium, quàm tenere ſemper arma, quibus*

quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel provocare improbos, vel te ulciſci laceſſitus?

Et Philip. 5. num. 24. & 25. Antonium Annibali comparat, eumque dicit tam perniciosum Italiæ extitiſſe. *Poſt autem neque ſolemnibus ſacrificiis factis, neque votis nuncupatis non profectus eſt, ſed profugit paludatus. At quò? in provinciam firmiſſimorum ac fortiſſimorum civium; qui illum, ne ſi ita quidem veniſſet, ut bellum inferret, ferre potuiſſent; impotentem, iracundum, contumelioſum, ſuperbum, ſemper poſcentem, ſemper rapientem, ſemper ebrium. At ille, cujus ne pacatam quidem nequitiam quiſquam ferre poſſet, bellum intulit provinciæ Galliæ; circumſedit Mutinam firmiſſimam & ſplendidiſſimam populi Rom. coloniam; oppugnat D. Brutum Imperatorem Conſulem deſignatum, civem non ſibi, ſed nobis & Reip. natum. Ergo Annibal hoſtis, civis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic non fecerit, aut faciat, aut non moliatur & cogitet? Totum iter Antonii quid habuit, niſi depopulationes, vaſtationes, cædes, rapinas? Quas non faciebat Annibal, quia multa ad uſum ſuum reſervabat, &c.*

Item Phil. 2. n. 67. Antonii Intemperantiam per congeriem ab Effectis deſcribit. *Quæ Charybdis tam vorax, &c.*

Et in Piſonem n. 26. probat ab Effectis eum non fuiſſe Conſulem. *An tu eras Conſul? &c.* Et pro Arch. n. 16. *Hæc ſtudia Adoleſcentiam alunt, &c.*

2. Tractatur Locus ab Effectis per Converſionem. Ita Cicero Phil. 2. n. 55. Malorum omnium, quæ Italiæ acciderant, Auctorem facit Antonium. *Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus Ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius.*

3. Per Complexionem. Exemplum eſto Locus hic lib. 4. ad Heren. num. 18. *Qui ſunt qui fœdera ruperunt? Carthaginienſes. Qui ſunt qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginienſes. Qui ſunt qui ſibi poſtulant ignoſci? Carthaginienſes.*

Quis eſt uſus illius Loci?

R. Valet plurimùm in deſcriptionibus, in amplificationibus, in motibus excitandis.

Exemplum habes pro Cluentio num. 32. *Memoria teneo Mileſiam quandam mulierem, cùm eſſem in Aſia, quòd ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi ipſa medicaminibus abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam: neque injuria: quæ ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiæ, deſignatum Reip. civem ſuſtuliſſet.*

Valet etiam in ſuadendo & in laudando. Sit illud exemplum ex Oratione pro Plancio num. 26. *An Minturnenſes coloni, quòd C. Marium ex civili errore atque ex impiis manibus eripuerunt, quòd tecto receperunt, quòd feſſum inedia fluctibuſque recrearunt, quòd viaticum congeſſerunt, quòd navigium dederunt, quòd eum linquentem terram eam, quam ſervaverat, lacrymis votiſque omnibus proſecuti ſunt, æterna in laude verſantur. Plancio, quod me vel vi pulſum, vel ratione cedentem tempori, receperit, juverit, cuſtodierit, his & Senatui populoque Rom. ut haberent quod reducerent, conſervarit; honori hanc fidem, miſericordiam, virtutem fuiſſe miraris?*

Valet pariter hic Locus in vituperando. Habes exemplum in Piſo-

nem

nem n. 18. *Edicere eſt auſus, cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, ut Senatus, contra quàm ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit ullus in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia? eripis lacrymas, non conſolando ſed minando, &c.*

EXERCITATIO.

Eloquentiæ commendatio.

Locus ab Effectis.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet Orator duabus potiſſimùm rebus moveri hominum animos, gloria ſcilicet & utilitate.

Propoſitio. Dicet ſuam hinc Eloquentiæ commendationem ac pretium contingere, quòd gloriam & utilitatem pariat.

Confirmationis prima pars probabitur ab Effectis: demonſtrabitque per congeriem, quàm glorioſum ſit Eloquentiæ inclinare poſſe voluntates hominum, quocumque velit, regere animos, ferre opem laborantibus, liberare periculis, &c. id ipſum oſtendet exemplo Demoſthenis ac Ciceronis; qui dicendo conſecuti ſunt, ut alter Athenis, alter Romæ dominaretur.

Secunda pars ab Effectis probabitur, Eloquentiæ ſcilicet utilitas, diceturque plus illam ad incolumitatem ſalutemque publicam contuliſſe; armata manu; quod probabit eum exemplo Demoſthenis, qui proſperas Philippi res infregit, tum Ciceronis, qui Catilinæ impetum coercuit. Id tractabit per Interrogationem, Repetitionem, Complexionem.

Denique oſtendet quantam eadem Eloquentia gloriam & utilitatem attulerit iis, qui ea laude præſtiterunt; quod conficiet ab Effectis recenſendo honores, quos homines novi adepti ſunt Eloquentiæ beneficio.

Concludet hortando Candidatos, ut aſſequi contendant Eloquentiæ laudem; quæ & ipſis & patriæ tantum gloriæ & utilitatis afferre poſſit.

ORATIO.

Cùm ea mortalium omnium, quantùm eſt qui vivunt, neceſſaria quædam conditio eſt, ut alii gloriæ ſtudio, alii propriæ utilitatis expectatione moveantur; tum, ſi quid erit hujuſmodi, quod glorioſum pariter atque utile videri poſſit, id certè ſingularem ac præcipuam in humanis rebus commendationem habere neceſſe eſt.

Atque hinc facilè quivis intelligat, quantam apud hominum animos laudem, quam non vulgare pretium ſibi Eloquentia vindicet, cui dos illa gemina, veluti propria atque innata ſit, ut incredibilem gloriam cum ſumma utilitate conjungat.

Age enimverò, quid glorioſum magis & ad ſtimulandam ingenitæ laudis ambitionem potentius, quàm dominari ubique dicendo poſſe; nihil ut tam ſit arduum ac difficile, quod Eloquentia non vincas ac ſuperes? Nam ubi tandem Eloquentia imperium non exercet ſuum? ubi ſingularis illius, quod habeat ad permovendos animos, roboris veſtigium non deprehendas. Dominatur in foro & Judicum religiones Senatuſque auctoritatem ſic regit, ut mentes vel ad iram, vel ad odium, vel ad dolorem incitet, ſi velit, aut ab hiſce permotionibus ad lenitatem miſericordiamque revocet. Dominatur in civitate populique motibus ita moderatur, ut vel errantes ab errore deducat, vel excitet languentes, vel effrenatos ac furentes compeſcat ac mitiget. Dominatur in caſtris, eoſque militum animis ſtimulos acuit, ut, qui armis vicerint, eos ſæpe vincendos priùs Eloquentia Imperatori habuerit. Jam verò quid tam magnificum ac regium, quàm ferre opem ſupplicibus, amicorum periculis adeſſe, *Ab Effectis per Congeriem.*

eſſe, revocare perditos, jacentes erigere, afflictos conſolari, tueri innocentes ab improborum injuria, novis denique ſingulos in dies beneficiis bonorum omnium gratiam ac benevolentiam promereri? Hac ipſa fretos facundia legimus duo Eloquentiæ lumina Demoſthenem ac Ciceronem, alterum Athenis, Romæ alterum tantam ſibi apud omnes auctoritatem conciliaſſe, ut civium regerent animos, &, quamcumque vellent in partem, voluntates inclinarent.

Quod ſi tam glorioſum eſt exiſtere in conferta multitudine unum aliquem, qui in mentes hominum ſingulare quoddam imperium exerceat; quantam id ipſum utilitatem affert bene moratis civitatibus, cùm ad tuendam populorum gloriam, tum ad earum incolumitatem ſalutémque conſervandam? Eſt enim hoc plerumque in Oratore diſerto præſidium, quod vis armata non ſufficiat. Teſtis eſt laudatus jam à me divinus ille Demoſthenes, qui ſola linguæ facundia perfecit, ut proſperas Philippi res infringeret. Indormiſcebant omnes utilitati publicæ; nemo conferre quidquam ad belli ſumptus, nemo arma ſumere, nemo ſubire fortunæ periclitantis aleam ſuſtinebat; adeo rerum ſuarum gloria omnium animos Macedonum rex perculerat! Adfuit Demoſthenes qui civium ſomnolentiam argueret, increparet ignaviam, & reſides jam dudum animos ad magna quæque incenderet. Teſtis & ipſe Romanæ linguæ gloria Marcus Cicero, cujus facundia multo plus ad ſalutem imperii ac tutelam contulit, quàm fortiſſimi Imperatores profuiſſent. Nam quis Romam illam gentium omnium dominam, cùm in ruinam ſuam præceps rueret, ab interitu vindicavit? Quis nefarias improborum civium machinationes retexit? quis contudit impetus? quis metum incuſſit? quis eripuit arma furentium de manibus? quis urbem ab incendio, cives ab internecione, Italiam totam ab exitio revocavit, niſi una Marci Tullii Eloquentia quocumque præſidio potentior atque efficacior?

Ab Effectis per Repetitionem.

Verùm ſi tantam ex eruditis diſertorum virorum laboribus gloriam cum tanta utilitate conjunctam compararunt civitates illæ, apud quas iſthæc Eloquentiæ lumina refulſerunt; non habuerunt viciſſim Oratores illi præſtantiſſimi, quòd de patria quererentur, aut minus vel emolumenti vel gloriæ ab eadem percepiſſe ſe expoſtularent. Nam quibus tandem non nituere conſpicui honoribus? aut quod tam excelſum dignitatis faſtigium eſt, cujus facti compotes non fuerint? Vidimus homines novos, nulla majorum gloria, nullo generis ſplendore ſpectatos, iis defunctos fuiſſe magiſtratibus unius Eloquentiæ præſidio, quibus nobiliſſimi quique viri excluderentur: vidimus eam adeptos fuiſſe in opinione hominum famam, ut quot eorum dicta, tot effata, quot verba, tot decreta, quot reſponſa, tot oracula haberentur.

Et erit quiſquam tam parum cupidus patriæ laudis aut ſuæ, tam negligens vel publicis vel privatis in rebus, ut facilem rei utriuſque colligendæ viam, ſi poſſit, ingredi refugiat? Vos hæc potiſſimum ſpectat oratio, quotquot capeſſendæ Eloquentiæ navatis operam; hæc vobis proponitur digna laboribus veſtris merces atque compenſatio: hi ſtimuli teneris adhuc ac recentibus animis adjiciuntur; ut ſi quam afferret moram aſperioris ſtudii diuturnitas, tam glorioſæ mercedis expectatio novum ad ſuperandos obices quoſcumque robur, novos animos ſufficiat.

ALIA

Digitized by Google

ALIA EXERCITATIO.

Laudabitur Inſtitutum illud, quo laborioſæ Juventuti præmia proponuntur.

Locus ab Effectis.

SYNOPSIS.

Exord. & Prop. DUcetur à commendatione eorum qui laborioſæ Juventuti præmia propoſuerunt.

Confirmatio. Ab Effectis, & 1. per Congeriem quæret quid ſit conſtitutum utilius, quàm quod ingenium acuit, diligentiam ſtimulat, ſtudiorum moleſtias, ſcientiarum aſperitates lenit ac mitigat.

2. Per Complexionem dicet hunc fuiſſe Inſtitutionis illius effectum, ut tot olim Athenis, tot Romæ, tot hodie apud nos in liberalibus artibus excellant.

3. Per Diſtributionem oſtendet nullum eſſe qui mercedis expectatione non ſtimuletur; nobiles æquè ac ignobiles, ingenioſi pariter atque hebetes, ſtrenui ac ſocordes accenduntur.

Concluſio. Continebit Regis Chriſtianiſſimi præconium, cujus munificentia perpetua ſit, ut nunquam Pariſienſi in Collegio laborioſæ Juventuti premia defutura ſint.

ORATIO.

Cùm multa ſunt in omni Repub. ad Juventutem inſtituendam inventa feliciter ac ſapienter conſtituta; tum nihil præclarius, quàm quòd ſtimulandæ juvenum induſtriæ propoſita præmia eſſe voluerunt, ut inſitam ſingulorum animis educationis bonæ ſementem mercedis expectatio promoveret.

Ab Effectis per Congeriem. Quid enim poterat ad excolendam ſedulò Juventutem potentius excogitari, vel ſanciri efficacius, quàm illud, quod ingenii aciem acuit, vim ejuſdem promovet, diligentiam excitat, fugat ſocordiam, accendit æmulationem, laborum faſtidiis occurrit, ſtudiorum moleſtias mitigat, ſcientiarum aſperitates emollit, & quidquid in aſſidua corporis atque animi contentione durum ac moleſtum eſt, neſcio qua ſuavitate aſpergit & condit.

Miramur inter breves Athenarum anguſtias tot prodiiſſe ingenii doctrinæque lumina, tot ornamenta liberalium artium, tot in unaquaque diſciplina illuſtria perfectiſſimæ cujuſdam abſolutionis exempla extitiſſe; totum hoc, quodcumque eſt, protulit, ornavit ac perfecit mercedis expectatio. Miramur incenſos nobili quadam æmulatione Romanos inſtitiſſe Græcorum veſtigiis, pari contentione animi ad capeſſendos ſtudiorum labores acceſſiſſe; *Ab Effectis per Complexionem.* Athenienſium induſtriam, eruditionem & ſummum ſingulis in rebus laudis cumulum Romam aut æquaſſe, aut etiam ſuperaſſe? tam laudabile æmulationis ſtudium excitavit, fovit, incendit mercedis expectatio. Miramur etiam florere apud nos hodie in omni doctrinarum genere præſtantes viros, qui nec ingenio, nec eruditione, nec dicendi ſcribendique gloria veteribus Græcis aut Romanis cedant; hanc & noſtris temporibus conciliat laudem ac gloriam mercedis expectatio.

Nam quis eſt tam æmulationis expers, tam averſus à Muſis, tam parum veræ germanæque laudis ſtudioſus, *Ab Effectis per Diſtributionem.* quem propoſita induſtriæ atque eruditioni præmia non commoveant; & ad ſuperandas ſtudiorum aſperitates non ſuſtentent? Scilicet hæc comparandis laboribus parata merces ſic nobilibus & natis ad magna quæque viris novos addit animos, ut tenues atque abjectos aculeis pungere non deſiſtat; ſic ingenioſos extimulat, ut hebetes ac plumbeos otiari non patiatur; ſic ſtrenuis ac ſedulis incitamenta ſufficit, ut ignavos & inertes ad excutiendam vecordiam invitet.

Lau-

Laudentur igitur homines illi Literarii ludi moderatores, qui tam ingens, tam potens ad incitandam Juventutis ſolertiam momentum addidere. At quantas, quàm immortales gratias Ludovico Magno habebimus, cujus liberali munificentia factum eſt, ut in florentiſſimo totius orbis lycæo, nunquam ſua laborioſæ Juventuti præmia defutura ſint. Celebretur enim vero tam benefici Principis glorioſum nomen, & quandiu florebunt liberales Artes, nulla poſteritas de laudibus ejuſdem conticeſcat.

CAPUT XII.

Locus à Comparatione.

QUid eſt Comparatio? *R.* Eſt duarum vel plurium rerum inter ſe collatio.

Quotuplex eſt Comparationis genus?

R. Triplex. Primum. Majoris cum Minore. Alterum Minoris cum Majore. Tertium Paris cum Pari. Res enim, inter quas inſtituitur Comparatio, vel majores ſunt, hoc eſt veriſimiliores, & quibus id, de quo agitur, potiori jure conveniat. Vel minores, id eſt minùs veriſimiles, quibus non æque res aliqua conveniat, ac ei cum qua conferuntur. Vel æquales in gradu veritatis, ut utris res potiùs conveniat, illis-ne quæ conferuntur, an illis quibuſcum conferuntur, non ſatis intelligas.

Quomodo fit argumentum à Majori ad minus?

R. Quando minùs probabile concluditur ex magis probabili, v. g. Catoni licuit ſequi bellum civile, ergo licebit & Ciceroni.

Cicero pro Domo ſua n. 108. Probat Deos immortales domum ſuam non concupiiſſe, quòd ne homines quidem ſceleratiſſimi, quos illam concupiiſſe æquius erat, illam expetiverint.

Civis eſt nemo in tanto populo extra contaminatam illam & cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro ſuis opibus in illa tempeſtate defenderit. At qui aliqua ſe contagione prædæ, ſocietatis, emptionis contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici judicii pœnam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium judicio ſceleratiſſimus haberetur, Dii immortales domum meam concupiverunt?

Sic & pro Roſc. Amerino probat nihil eſſe mirum quòd Sylla omnia animadvertere non potuerit, cùm ne ipſe Jupiter id poſſit num. 131. *Quid miramur L. Syllam; cùm ſolus Rempub. gereret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majeſtatem quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuiſſe, niſi hoc mirum eſt, quod vis divina aſſequi non poſſit, ſi id mens humana adepta non ſit.*

Et Divinat. in Verrem num. 40. ita diſputat contra Cæcilium. *Quod ſi ego hæc propter magnitudinem rerum ac difficultatem aſſequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi; quàm longè tu te ab iis rebus abeſſe arbitrare, quas non modò antea non cogitaſti, ſed ne quidem, cùm in eas ingrederis, quæ & quantæ ſint, ſuſpicari potes.*

Pro Muræna verò n. 9. probat eleganti & plena aſſentationis allegoria non potuiſſe ſe à defendendo Muræna temperare. *Atque hujuſce rei de tuo ipſius ſtudio conjecturam, Ser-*

vi,

Digitized by Google

vi, facillimè ceperis. Nam ſi tibi neceſſe putas etiam adverſariis amicorum tuorum de jure conſulentibus reſpondere; & ſi turpe exiſtimas, te advocato, illum ipſum, quem contra veneris, cauſa cadere; noli tam eſſe injuſtus, ut cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos, etiam amicis putes clauſos eſſe oportere.

Pro Milone probat longa amplificatione non eſſe habendam novo more de P. Clodii morte quæſtionem, cùm non eſſet id antea factum in nece clariſſimorum virorum à num. 16. ad 22.

Pro Sylla n. 21. confutat à Majori ad Minus quod Torquatus dixerat, ſe regnum Ciceronis ferre non poſſe. *Quod tandem, Torquate, regnum? Conſulatus, credo, mei, in quo ego imperavi nihil; ſed contra Patribus Conſcriptis & bonis omnibus parui; quo in magiſtratu non inſtitutum eſt à me regnum, ſed non permiſſum. Quem tum in tanto imperio, tanta poteſtate non dicis fuiſſe Regem, nunc privatum regnare dicis; quo tandem nomine?*

Pro Plancio numer. 78. probat agendas ſibi fuiſſe Plancio gratias, à quo defenſus fuiſſet, ſi quidem id Populus Rom. Publico decreto feciſſet.

Quomodò ducitur argumentum à Minori ad Majus?

R. Quando magis probabile ſeu magis veriſimile ex minùs probabili ſeu minùs veriſimili concluditur. Cujus argumenti vis ea eſt, ſi quod minùs probabile eſt, nihilominus verum eſt, ergo & quod erit magis probabile, verum erit exiſtimandum; v. g. ſi duabus legionibus vinci potuit hoſtilis exercitus, certè poterit idem à quatuor ſuperari; ſi Martyres pro Chriſti cauſa vitam effuderunt, nos pro eodem levem contumeliam ferre detrectabimus?

Actione 2. in Verrem n. 28. à Minori ad Majus Cicero argumentatur. *Quid eſt, quæſo, Metelle, judicium corrumpere, ſi hoc non eſt? Teſtes præſertim Siculos, timidos homines & afflictos non ſolùm auctoritate deterrere, ſed etiam Conſulari metu & duorum Prætorum poteſtate? Quid faceres pro homine innocente & propinquo, cùm propter hominem perditiſſimum atque alieniſſimum de officio ac dignitate decedis?*

Pro Lege Manilia n. 11. Populum Rom. Tullius hortatur à Minori ad Majus ad tuendam Imperii dignitatem. *Majores veſtri ſæpe Mercatoribus ac Naviculatoribus injurioſius tractatis bella geſſerunt; vos tot Civium Rom. millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum Patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt, vos eum Regem inultum eſſe patiemini, qui legatum Populi Rom. Conſularem vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavit? Illi Civium Rom. libertatem imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt; vos Legatum Populi Rom. omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri ac conſervare non poſſe.*

Eodem argumento utitur Orat. poſt reditum in Senatu n. 2. probatque tanto majus eſſe Populi Rom. beneficium; per quem omnia bona recepiſſet, quanto ſingula cariora ſibi extitiſſent.

Et Oratione pro Cœlio n. 54. à Minore ad Majus auctoritatem exagge-

Digitized by Google

aggerat Luceji cujuſdam, qua abutebantur adverſarii in Cœlium. *Habeo, Judices, quem vos ſocium veſtræ Religionis juriſque jurandi facilè eſſe patiemini L. Lucejum ſanctiſſimum hominem & graviſſimum teſtem, qui tantum facinus in famam atque fortunas ſuas, neque non audiſſet illatum à Cœlio, neque neglexiſſet, neque tuliſſet. An ille vir illa humanitate præditus, illis ſtudiis, artibus, atque doctrina, illius ipſius periculum, quem propter hæc ipſa ſtudia diligat, negligere potuiſſet? & quod facinus in alienum hominem illatum ſeverè acciperet, id omiſiſſet curare in hoſpite? quod per ignotos actum cùm comperiſſet, doleret, id à ſuis tentatum eſſe negligeret? quod in agris locisve publicis factum reprehenderet, id in urbe ac ſuæ domi cæptum eſſe leviter ferret? quod in alicujus agreſtis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in inſidiis doctiſſimi hominis diſsimulandum putaret?*

Et in Orat. de Provinciis Conſularibus probat n. 1. ſibi acriùs læſo Jus fuiſſe majus Piſonem & Gabinium notandi, quàm Servilio fuiſſet carpendi utrumque propter leviorem injuriam.

Habes ſimilia argumenta petita à Minori ad Majus, pro Cæcinna n. 45. pro Plancio n. 26. 3. Catil. n. 24. & 25. in Piſonem, n. 18. pro Milone n. 80. pro Cluentio n. 32.

Quomodò fit argumentum à pari, quando pariter probabile ex pariter probabili colligitur; v. g. Beati omnes innocentia vitæ, virtutis exercitatione, laborum tolerantia ad gloriam æternam pervenerunt, & nos oporter iiſdem gradibus ad eandem gloriam aſcendere.

Habes illius Loci exempla apud Ciceronem illuſtria. Pro Sylla n. 48. *Neque verò, quid mihi iraſcare, intelligere poſſum. Si quòd eum defendo, quem tu accuſas; cur tibi quoque non ſuccenſes, qui accuſes eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum: & amicum ego defendo meum. Non debes quemquam in conjurationis quæſtione defendere; imò, nemo magis eum, de quo nihil eſt ſuſpicatus, quam is, qui de aliis multa cogitavit.*

Ibid. n. 4. probat à pari, ſe non eſſe reprehendendum quòd Syllam defendat, qui ab Hortenſio aliiſque viris clariſſimis defenſus fuerit. *Iſta conjuratio ſi patefacta per me eſt, tam patet Hortenſio, quàm mihi: quem cùm videas honore hoc, auctoritate, virtute, conſilio præditum non dubitaſse, quin innocentem P. Syllam defenderet: quæro, cur, qui aditus Hortenſio ad cauſam patuerit, mihi interclusus eſse debuerit? Quæro illud etiam, ſi me, qui defendo, reprehendendum putas eſse, quid tandem exiſtimes de his ſummis viris & clariſſimis civibus, quorum ſtudio & dignitate celebrari hoc judicium & ornari, cauſam defendi hujus innocentis vides? .... n. 7. Quamobrem quid eſt quod mirere, ſi, cum iiſdem me in hac cauſa vides adeſse, cum quibus in cæteris intelligis abfuiſse? Niſi verò me unum vis ferum præter cæteros, me aſperum, me inhumanum exiſtimari, me ſingulari immanitate & crudelitate præditum.*

Philippica 5. n. 25. probat Antonium eodem debere haberi loco, quo Annibalem, quia tam hoſtiliter egit quàm Annibal.

Et pro Roſcio Amer. n. 50. probat non eſſe probro vertendum Roſcio, quòd ſubigendæ terræ operam dederit; quia multi alii opibus & dignitate præſtantes idem fecerint. *Næ tu Eruſci accuſator ridiculus eſſes, ſi illis temporibus natus eſſes, cùm ab aratro arceſsebantur, qui Conſules fierent. Etenim qui præſſe*

agro

agro flagitium putes, profecto illum Attilium, quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt, hominem turpiſſimum atque inhoneſtiſſimum judicares. At herculè Majores noſtri longè aliter & de illo, & de cæteris talibus viris judicabant: ſuos enim agros ſtudioſè colebant, non alienos cupidè appetebant, &c.

Pro Muræna n. 31. bellum Mithridaticum, quod conſilio armiſque promoverat, à paribus bellis exornat.

Ibidem n. 35. probat nullo Murænæ detrimento vertendum, quòd Muræna prior Sulpitius in petitione Præturæ renunciatus fuiſſet.

Catilinaria 1. n. 17. probat Catilinæ ex urbe diſcedendum eſſe, quia pari omnium bonorum judicio damnatus eſt. *Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi, mehercule, mei, ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem; tu tibi urbem non arbitraris? Et, ſi me meis civibus injuria ſuſpectum tam graviter atque offenſum viderem, carere me aſpectu civium, quàm infeſtis omnium oculis conſpici mallem. Tu, cùm conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas omnium odium juſtum, & jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes ſenſuſque vulneras, eorum aſpectum præſentiamque vitare? ſi tui parentes timerent atque odiſſent tui, neque eos ulla ratione placare poſſes, ut opinor, ab eorum oculis aliquò concederes. Nunc te patria, quæ communis eſt omnium noſtrum parens odit ac metuit, & jam diu te nihil judicat niſi de parricidio cogitare, tu neque auctoritatem verebere, neque judicium ſequere, neque vim pertimeſces?*

EXERCITATIO.

Simon Judæorum Dux & Sacerdos ad Commilitones ſuos, de vindicanda Fratris ſui Jonathæ ipſiuſque liberorum morte, quos Tryphon accepto redemptionis pretio per fraudem malam interfecerat.

Locus à Comparatione.

SYNOPSIS.

Exord. A Minori ad majus dicet facturum ſe injuriam ipſorum cùm fortitudini tum grato animo, ſi longiori Oratione cohortandos ipſos putaret, ad vindicandam illius mortem, qui dux ipſorum & cuſtos Religionis tam multa pro tuenda ipſorum Religione & ſalute ſuſcepiſſet.

Propoſitio. Continebit brevem rei geſtæ narrationem: exponetque, ut Tryphonis fraude interierit Jonathas, poſtquam pro ipſo, ipſiuſque liberis pacta pecunia perſoluta fuiſſet.

Confirmatio. A comparatione ducta à majori ad minus, jubebit ipſos meminiſſe, quantam majores ipſorum in ſuis contra Barbaros bellis fortitudinem exhibuiſſent, quoties pro Religione veri Numinis decertaſſent; non licere ipſis ab antiqua virtute eſſe degeneres. Admonebit cauſam Jonathæ cum ipſius Dei cauſa eſſe conjunctam; neque occiſum fuiſſe Jonatham, niſi in odium veri Numinis.

Deinde per Comparationem à Simili, dicet par ipſis expectandum eſſe à Deo præſidium illi, quod jam paribus in prælliis pro ipſius cauſa ſuſceptis experti eſſent, ſi idem ſtudium, eundem ardorem præ ſe ferrent.

Concluſio fiet per Anacephalæoſim rerum jam dictarum, cum valida cohortatione ad rem ſtrenuè gerendam.

ORATIO.

Facerem ego veſtræ fortitudini injuriam, aut certè de veſtro in Jonatham animo viderer iniquiùs æſtimare, Commilitones amantiſſimi; ſi, dum illatum tanto viro funeſtiſ- A Majori adm.nus.

ſimæ

Digitized by Google

ſimæ mortis dedecus ac probrum paramus vindicare, longiori vos oratione ad rem viriliter gerendam exhortandos putarem.

Noſtis enimverò qualis & quantus vixerit apud vos frater ille mihi chariſſimus, Dux idem veſter, & ſacrorum cuſtos ac propugnator acerrimus. Meminiſtis laborum ipſius comites ac periculorum ſocii, quotquot eſtis, quàm ultro diſcriminis cujuſcumque aleam ſubierit, quàm parum fortunis capitique pepercerit, quoties aut veſtra ſalus, aut Religionis ſtudium repoſceret. Nunc ille Tryphonis impii dolo ac ſcelere nobis ereptus, videte, quos à vobis animos ad exigendam effuſi ſanguinis ultionem expectet. Equidem cùm interceptus hoſtium inſidiis unà cum liberis ſuis Jonathas Tryphonis in manus veniſſet, doluimus, ut par erat, infelicem ſtrenui bellatoris caſum, quem ſua virtus in tantum periculum adduxiſſet; at non erat ſine ſolatio tanti viri calamitas, & hoſtis avari cupiditas effrenata certam maturæ redemptionis ſpem afferebat. Neque verò nos fefellit improbi hominis aviditas. Redimi iniquo pretio captivos jubet: infinitam pecuniæ vim ſibi mitti poſtulat, ſi ſalvum Jonatham cum ipſius liberis cuperemus. Nihil moramur; explemus hoſtis inſanam ſitim, nec parcendum auro ducimus, qui nec ſanguini parcitum vellemus. At quàm fruſtra! Auro potitur infamis prædo, & captivos obtruncat! Nos inultum pateremur ſcelus, fortiſſimi Commilitones.

Nam quo exarſiſſe ſtudio legimus Majores noſtros, ſi quando barbari aut pactam infregiſſent fidem, aut aliqua noſtros homines contumelia affeciſſent, aut religionis noſtræ ſanctitatem violaſſent? Impatientes probri & acceptæ injuriæ uſque memores non deponebant arma, donec hoſtili in ſanguine probrum eluiſſent. Nos heredes tanti nominis, & avitæ virtutis æmulatores, ſegnes & otioſi torpeſceremus, dum pacti fœderis jura deſpiciuntur, dum palam nobis illuditur, dum gentis decus ac caput contra fas omne perimitur, dum veri Numinis cultus ac religio impetitur? Dico impeti veri Numinis cultum ac religionem, Commilitones. Neque enim exiſtimate, dum Jonatham ulciſcimur, aut ſuſcipi à me unam fratris chariſſimi defenſionem, aut à vobis Imperatoris fortiſſimi mortem tantùm vindicari. Agitur cauſa Dei ipſius, quem colimus; agitur honos Religionis, quæ Sacerdotem ſuum deſiderat, & ſacrorum cuſtodem acerrimum requirit: non occidiſſet ille ab impiis, niſi ſe tam ſtrenuum impietatis hoſtem, quàm egregium patriæ propugnatorem exhibuiſſet. Videte ergo, ne, cùm Dei ipſius cauſa cum Jonathæ cauſa conjuncta ſit, cùm in odium Iſraeliticæ Religionis occubuerit, cùm illius crimen omne fuerit divini cultus amor ac ſtudium, videte, inquam, ne ſit impium violatam tam iniqua cæde pietatem negligere & inultam pati.

Quàm erit hodie vobis honorificum, quàm glorioſum memoriæ Jonathæ, cùm eodem, quo flagravit ipſe, veri Numinis ſtudio incenſi, procedetis in aciem. Quantam hæc una generoſi facinoris conſcientia noſtris hoſtibus formidinem, quàm certam nobis victoriæ fiduciam afferet! Nam quis jam armis ſuis diffidat, quibus inſtructum ſe ab ipſo Deo meminerit? Nempe qui veſtras olim injurias tam luculenter ultus eſt, non aderit hodie ſuas ulciſcentibus? qui vos impares numero formidoloſos contra exercitus decertantes ſuo robore confirmavit, numero jam,

A Minori ad Majus.

A Pari.

Jam, animis, cauſa ſuperiores deſtituet? Idem hodie ſtudium, eandem alacritatem præſtate; idem viciſſim vindex Deus præſidium, idem robur præſtabit.

Oro vos igitur per ſuaviſſimam Jonathæ memoriam, cujus ſub vexillis tot annos militaſtis; per illam ſanguinis communionem, quam in Simone duce veſtro reveremini; per arma illa, quæ geritis, barbaris nuper tam fatalia; per veſtram fidem ac religionem, quæ ſociorum veſtrorum in cæde violata eſt; ite fortiſſimis animis, Ducem veſtrum ac Sacerdotem, Deum ipſum & Religionis jura vindicate.

ALIA EXERCITATIO.

Marci Tullii Ciceronis Oratio in Senatu pro interficiendis Catilinæ ſociis, qui in carcere detinebantur.

SYNOPSIS.

Exord. DEmonſtrabit, quàm alienam à ſuis moribus rem agat, dum inferendam eſſe Civibus Rom. mortem perſuadere aggreditur.

Propoſitio. Dicet verſari in eo periculo Rempub. ut, niſi ſeveritas ejuſmodi ſtatuatur in cives nefarios, ſtare non poſſit, neque ſe poſſe alia ratione ejuſdem incolumitati conſulere.

Confirmatio. Excitabit Senatus odium in conjuratos. 1. Comparatione ducta à pari: quàm ſeverè nimirum majores in eos animadverterint, qui res novas in Rep. molirentur, aut aliquod uſurpare in Remp. dominium cogitarent: adducetque in exemplum Gracchos, Saturninum, &c. qui in re ſimili oppreſſi fuerant.

2. Ducta Comparatione à Majori ad Minus dicet univerſum Populum Rom. in perditos cives conjuraſſe: an lentus ſegniſque Senatus unus videbitur? quid tota dicet Italia? &c.

3. Per Comparationem à Minori ad Majus adducet ſe in exemplum, & concludet. Videte ergo, ne, cùm mihi honorificum fuerit vitam ſalutemque pro patria devoviſſe, vobis turpe ſit, &c.

ORATIO.

Quàm infelici meo fato fieri dicam, Patres Conſcripti, ut cùm mea ab ineunte ætate vel conſilia, vel dicta, vel facta humanitati ac clementiæ ſemper ſervierint; hodie converſis in contrarium ſtudiis, nihil præter cædem atque ſanguinem aut velle, aut etiam perſuadere videar!

Atque utinam, P. C. Civitatis hujus incolumitas, Reip. ſalus, & impoſiti mihi à vobis muneris ratio paterentur carere me hodierno conſeſſu veſtro, & tam triſti miniſterio abſtinere! Fruerer ea, quam ſum conſecutus ad hunc uſque diem, humanitatis laude, & ad ferendas miſeris calamitoſiſque civibus ſuppetias ſtudium atque induſtriam converterem. Verùm, cùm ex illa, in qua me conſtituiſtis, ad invigilandum ſecuritati publicæ, ſpecula proſpexerim, Remp. ſalvam eſſe non poſſe, niſi perditi ac nefarii cives de medio tollantur; priſtinum mihi exuendum putavi amorem clementiæ, ut dignam Conſule ſeveritatem induerem.

Nihil ego vos moror P. C. vel in convincendo Conjuratorum ſcelere, vel in gravitate flagitii, quod illi meditabantur, exaggeranda. Patuere inſidiæ; clandeſtina cum hoſtibus conſilia retecta ſunt; patratum in ipſis patriæ viſceribus crimen intellexiſtis. Quid reſtat, niſi ut pares ad vindicandam injuriam animos afferatis? Majores noſtri ſtare poſſe Remp. non putarunt, niſi publicæ tranquillitatis oſores, tanquam putrida totidem membra, reſecarentur. Nam quid ego ſpectata ſatis Romanæ ſeveritatis etiam in cives Romi exempla commemorem? Quid vel ipſa conditæ urbis repetam exordia? quid

Comparatio ducta à Pari.

Man-

Manlium loquar, quid Craſſum, quid Melium, quid Flaccum, quid Gracchos, quid Saturninum profe- ram, quos vel nefaria cum hoſti- bus Reip. conſilia molientes, vel effuſis largitionibus ad populi gratiam adrepentes, vel alienum à libertate noſtra dominatum affectantes gra- viſſimis quibuſque ſuppliciis civitas iſta mulctavit? Vos ejuſdem aucto- ritatis heredes & gloriæ inultos eſſe patiemini, qui urbem hanc incen- dere, labefactare Remp. communem extinguere libertatem cogitarunt?

Ah! ne, per Deos immortales, P. C. Stulta ac præpoſtera reorum commiſeratio flectat vos aut commo- veat. Quos meritis ereptos pœnis volueritis, hos univerſus Populus ad ſupplicium repoſcit. Fuit hæc mihi, ut fatear quod res eſt, P. C. inter graviſſimos, quos nefaria conjuratio metus incuſſit, conſolatio non levis, cùm paratos multitudinis totius, ad repellendum commune malum, ani- mos deprehendi: erexit ſpem Con- ſulis, & novos etiam addidit ſtimu- los conſpirans civium omnium ad tuendam libertatem noſtram volun- tas; nec prævaliturum putavi pauco- rum improbitatem, quam ad coer- cendam, quidquid in hac urbe ſan- ctum atque integrum eſt, incenderetur. Videte ergo, qualem in re tali perſonam tueri vos oporteat. Cogi- tate, quales vos ſitis, & ad quan- tum dignitatis gradum evecti: No- lite hanc inurere Ordini veſtro la- bem, ut jactare quis poſſit, dum præ- ter fortem fortis & animoſus popu- lus apparuit, ſegnem ac lentum in vindicanda communi injuria Senatum extitiſſe.

A Majori ad Minus.

De me verò nihil dicam, P. C. Intellexiſtis enim ipſi ſatis, quanto capitis mei periculo imminentem vobis totique Populo Romano cla- dem averterim; quantam in me ſce- leratorum civium iſto facinore invi- diam concitaverim; quibus meis la- boribus quietem ac tranquillitatem huic Imperio redemerim. Videte hoc unum, ne, cùm mihi hono- rificum fuerit, fortunas, ſalutem, vitam pro communi bono devoviſſe, ita vobis turpe ſit, inani metu de- territos ab extirpandis tanti mali re- liquiis abſtinuiſſe.

A Minori ad Majus.

CAPUT XIII.

De Locis Aſſumptis ſeu Extrinſecus petitis.

Quid ſunt Loci Aſſumpti ſeu Ex- trinſecus petiti?

R. Sunt ii qui petuntur aliunde, quàm ex natura rei, neque pendent ab arte, ut excogitentur, ſed ut tra- ctentur.

Quot ſunt Loci Extrinſecus pe- titi?

R. Sex vulgo nominantur, Leges ſeu Præjudicia, Jusjurandum, Fa- ma, Tabulæ, Tormenta, Teſtes; de quibus ſingulis ſeorſim nobis di- cendum incumbit.

Articulus Primus.

De legibus ſeu Præjudiciis.

Obſervandum eſt Legem aliam eſſe æternam, quæ Dei eſt, aliam naturæ, quæ ab eodem Deo eſt, ut auctore naturæ, aliam humanam quæ ab hominibus poſita eſt.

Humana iterum dividitur in Ec- cleſiaſticam, in Militarem, in Civi- lem ſive Togatam, pro varia homi- num conditione.

Rurſum alia Lex eſt communis, quæ ad omnes, alia propria, quæ ad aliquos tantùm pertinet, puta ad Regnum aut ad Provinciam.

Quomodo confirmatur Locus à Lege?

R. 1. Si oſtenderis per amplificationem à definitionibus conglobatis Leges eſſe vincula Reipublicæ, Regnorum fundamenta, procreatrices tranquillitatis. 2. Si Leges commendaveris ab eis, à quibus latæ ſunt. 3. Si per Amplificationem à frequentatione Conſequentium, damna, quæ ex earum violatione ſecutura ſunt, demonſtraveris.

Legum neceſſitatem dignitatemque multis commendat Cicero pro Cluentio n. 146. *Ut tibi concedam hoc indignum eſse, quod, cujuſmodi ſit, jam videro, tu mihi concedas neceſſe eſt, multo eſſe indignius in ea civitate, quæ legibus contineatur, diſcedi à Legibus. Hoc enim vinculum eſt hujus dignitatis, qua fruimur in Republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis mens, & animus, & conſilium, & ſententia civitatis poſita eſt in Legibus. Ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine Lege, ſuis partibus, ut nervis, ac ſanguine & membris uti non poteſt. Legum miniſtri Magiſtratus, Legum interpretes; judices; Legum denique idcirco omnes ſervi ſumus, ut liberi eſse poſſimus.*

Lib. 1. de Inventione numer. 70. Monet Judices, Legum juratos cuſtodes, ne à Legibus diſcedant. *Judices qui ex Lege jurati judicatis, Legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem Legibus non poteſtis, niſi id, quod ſcriptum eſt in Lege, ſequamini. Quod enim certius Legis ſcriptor teſtimonium voluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm quod ipſe magna cum cura atque diligentia ſcripſit. Quòd ſi literæ non exſtarent, magnopere eas requireremus, ut ex his ſcripturis voluntas cognoſceretur, &c.*

Quomodo refutatur Locus à Lege?

R. 1. Si probetur mutari poſſe Legem humanam hominis ad arbitrium. 2. Si oſtendatur cauſam Legis non eſſe amplius. 3. Si retegatur aliquid iniquum in Lege. 4. Si Lex Legi opponatur. 5. Si neceſſitatem agendi contra Legem fuiſſe demonſtretur.

Tullius pro Rabirio Perduelli n. 13. eludit Legem, oſtendendo Legem non eſſe amplius in uſu, nec supereſſe cauſam propter quam lata fuiſſet. *Tu mihi etiam Legis Porciæ tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cujuſquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modò ſuppliciis inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem hujus populi, tentare manſuetudinem, commutare diſciplinam conatus es? Namque hæc tua, quæ te hominem clementem popularemque delectant.* I, Lictor, colliga manus; *quæ non modo hujus libertatis magnitudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem aut Numæ Pompilii, ſed Tarquinii ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi Regis. Iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis libentiſſimè commemoras,* Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. *Quæ verba, Quirites, jam pridem non ſolùm tenebris vetuſtatis in hac Rep. verùm etiam luce libertatis oppreſſa ſunt.*

Sic pro domo ſua num. 53. Legem impugnat, quòd per vim ſit lata. *Quid ſi per vim tuliſti? tamenne Lex eſt? aut quidquam jure geſtum videri poteſt, quod per vim geſtum eſſe conſtet? An ſi in ipſa latione tua, capta jam urbe, lapides jacti, ſi manus collata non eſt, idcirco tu ad illam labem atque eluviem civitatis ſine ſumma vi pervenire potuiſti.*

Ibi-

Digitized by Google

Ibidem Legem Clodiam injuſtè latam ex cauſa efficiente & ex partibus Legis demonſtrat n. 47. *At quid tulit Legum ſcriptor peritus & callidus?* Velitis, Jubeatis, ut M. Tullio aqua & igni interdicatur. *Crudele, nefarium, ne in ſceleratiſſimo quidem cive ferendum ſine judicio! Non tulit ut interdicatur. Quid ergo? ut interdictum ſit. O cœnum! ò portentum! ò ſcelus! Hanc tibi Legem Clodius ſcripſit, ſpurtiorem lingua ſua, ut interdictum ſit, cui non ſit interdictum?*

Ibidem Legum oppoſitione domum ſuam ſibi non juſtè ereptam demonſtrat n. 43. *Fueris ſane Tribunus plebis, tam jure, quam Lege, quàm fuit hic ipſe Rullus, vir omnibus rebus clariſſimus, atque ampliſſimus; quo jure, quo more, quo exemplo Legem nominatim de capite civis indemnati tuliſti? Vetant Leges ſacratæ; vetant duodecim Tabulæ Leges privatis hominibus irrogari; id eſt enim privilegium. Nemo unquam tulit, nihil eſt crudelius; nihil pernicioſius, nihil quod hæc civitas minùs ferre poſſit.*

Et pro Milone n. 10. Legem ſcriptam per Legem naturalem deſtruit. *Eſt enim, Judices, non ſcripta, ſed nata Lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi noſtra vita in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim Leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cùm ei, qui expectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quàm juſta repetenda.*

EXERCITATIO.

Accuſatur apud patrem eundemque Conſulem Manlius victor, quòd contra datam ſibi legem cum hoſte conflixerit.

Locus à Legibus.

SYNOPSIS.

Exord. Ducet Accuſator à commendatione Legum univerſim; quod tractabit per Prætermiſſionem, quia dicit apud virum Conſulem; eundemque magnum Imperatorem.

Deinde deſcendet ad commendandas præſertim Leges militares, quarum infractio multo majoris momenti eſt, propter audaciam viræ militaris, quæ freno indiget, & propter clades, quæ conſequuntur.

3. Oſtendet Filium Manlii hac Lege obſtrictum fuiſſe; debent enim viri Principes prælucere cæteris exemplo, & ut majores ſunt eorum virtutes, ſic & majora ſolent eſſe eorum vitia.

4. Oſtendet Manlium patrem teneri Legem infractam vindicare, eo magis, quòd & à filio & à victore infracta ſit. Nam ſi filium non punierit, dicetur plus naturæ, quàm æquitati conceſſiſſe; ſi victori parcat, hoc peſſimum apud poſteros exemplum violatæ Legis relinquet.

Concludet infelicem appellando Manlium, cui plus viciſſe noceat, quàm ſi victus eſſet.

ORATIO.

Si mihi apud aliquem alium, quàm apud virum Conſulem eundemque rerum bellicarum peritiſſimum Imperatorem habenda eſſet oratio, hodiernam, quam invitus ac reluctans fortiſſimo Juveni inferre cogor accuſationem, ſingulari Legum commendatione præmuniendam cenſuiſſem. Verùm quid attinet commendare Leges apud eum, quem Legum miniſtrum ac cuſtodem ſanctiſſimum, eundemque ſapientiſſimum interpretem reveremur. Scilicet in hoc apice di-

dignitatis conſtitutus, unde domi foriſque cuncta moderaris, noſti unus omnium optimè, Tite Manli, quantus honor, quanta haberi debeat Legibus reverentia, quæ vincula Reipublicæ, fundamenta Imperiorum, tranquillitatis ac pacis procreatrices nuncupantur. Hinc illa majorum noſtrorum, vel ab ipſis conditi primùm Imperii temporibus, conſtans opinio, tam eſſe neceſſarias Leges ad tuendam Reipublicæ dignitatem incolumitatemque conſervandam, ut ſine graviſſimo ejuſdem detrimento infringi illas poſſe non putarent..

Quod ſi cæterarum Legum infractio tantopere metuenda eſt, quanto præcavere diligentiùs oportet, ne qua militari diſciplinæ labes inferatur. Ut enim confidentiores eſſe ſolent præter vulgus hominum arma qui tractant; & ipſa militiæ dignitas quædam ac gloria impunitatis fiduciam inſpirat, niſi coerceatur fræno ejuſmodi hominum temeritas, atque intra juſtos obſequii limites retineatur, nemo non videt, triſtiſſimam ab iis ipſis impendere Reipublicæ perniciem, qui ejuſdem tutores ac conſervatores reputantur.

Qua igitur confidentia, Tite Manli, tuus ille filius, juvenis alioqui laudatiſſimus Conſulare Imperium infregit? An quia excelſiore loco poſitus nemini latere poterat, quod contra Legem admiſiſſet? an quia vicariam adeptus à te poteſtatem, tanto impenſiùs primariam in Imperatore ac Conſule revereri debuiſſet? an quia contempto per ſummum nefas paterno ac Conſulari imperio perniciosum cæteris defectionis exemplum oſtentaret?

Tu verò qui tanti ſceleris ſedes arbiter ac judex, vide, Tite Manli, vide quàm ſeveram tibi ipſe legem dixeris. Præcluſiſti omnem tibi ad miſericordiam aditum, qui de filio pater, de victore Conſul & Imperator judicium ſuſceperis. Si paternæ charitatis ſtudio victus indulgendum aliquid tuo ſanguini cenſueris, quam tibi apud omnes concitabis famam, qui plus amori tenero pater, quàm ſtudio Reip. Conſul tribuiſſe videare? Si victoris gloria placatus & inflexus ignoſcendum juvenili temeritati exiſtimas, quantum detrectandi deinceps obſequii Juventuti Romanæ momentum ſufficies Imperator! Quem enim impoſterum in officio retineant Imperatorum juſſa, quoties aut illecebra victoriæ, aut ſpes illuſtrandi nominis, aut virtutis oſtentandæ locus ſe offeret; ſi polliceri ſibi poſſit temeritatis impunitatem, & rei geſtæ feliciter obtentu contumaciæ memoriam obliterare? Imò quis virtutum in numero docile mentis obſequium reponendum putet, quod contemni impune poſſe, & felicibus armorum eventis poſtponi intelligat?

Infelicem te, juvenis fortiſſime, qui Judicem eum offendas, à quo ſine magno dedecore ſperare quidquam non auſis. Miſerum te, cui relatæ victoriæ decus plus nocuiſſe videatur, quàm ſi victus in acie temeritatis tuæ pœnas dediſſes. Faceret acceptæ cladis opprobrium, ne quid tentare ejuſmodi exemplo tuo cæteri præſumerent. Deterruiſſet omnes ſuſcepti infeliciter oneris calamitas, ne militaris imperii Leges violandas eſſe arbitrarentur, & junioris Manlii exitium ſalubre toti juventuti obſequii documentum extitiſſet. Quid reſtat, niſi ut partam imprudentia tua offenſionem repares, &, quod meruiſti, capitis ſupplicio prætergrediendi deinceps militaris imperii metum incutias?

ALIA

ALIA EXERCITATIO.

Defenditur junior Manlius.

Locus à Confutatione Legis.

SYNOPSIS.

Exord. PRofitebitur Orator ſe cum adverſario de dignitate Legum ac neceſſitate convenire, neque alia ſe ratione uſurum ad defenſionem Manlii, quàm Legum auctoritate: quod ut faciat.

1. Legi humanæ, quam dicet mutari poſſe hominis ad arbitrium, Legem naturæ multo validiorem opponet, fatebiturque, ſi habeatur humanæ Legis ratio, puniendum eſſe Manlium. At Lex naturæ reclamat, prohibetque eum ſupplicio affici, qui victoria ſua plus utilitatis Reip. attulit, quàm mali, infractione Legis.

2. Dicet interpretatum eſſe juniorem Manlium conſilium Legis, qua ſe teneri in ea occaſione non putavit; quia, ſi ſervaſſet Legem, certiſſimæ victoriæ locum amiſiſſet.

3. Excuſabit illum, quod neceſſitate magis quàm voluntate Legem violaverit: nam quid aliud faceret juvenis natura fervidus, cum ab hoſte provocaretur, & à ſuis propè cogeretur, ut certaret?

Denique perorationis loco petet, ne Manlio noceat, quòd patriæ profuerit, quòd patrem habeat judicem, quòd Remp. defenderit.

ORATIO.

Novimus enimvero, Judices, neque opus erat, ut in commendandis Legibus tam inutilem operam accuſator poneret; novimus, inquam, quanta debeat eſſe Legum auctoritas, in hac præſertim Republica, quæ ſuum à bonis moribus atque inſtitutis momentum atque ornamentum accepit. Imò adeo non velim vel in hac cauſa infirmare quidquam ex iis, quibus adversùs Manlium abuti viſus eſt, ut ad illum defendendum nullum aliud lubentiùs, quàm Legum ipſarum patrocinium adhibendum putem. Habeant ergo Leges pondus illud apud nos, quod ſemper habuerunt: Sint illæ fundamenta hujus imperii, Reip. vincula & amicæ pacis atque tranquillitatis fons & origo cenſeantur. Nefas ſit illas infringere, & earum contemptores meritis, ut par eſt, pœnis coerceantur.

At quibus, amabo, Legibus primus debetur honor? quæ Leges tandem ſingularem à nobis cultum atque religionem vindicant? An illæ, quæ ut hominum conſilio prodierunt in hanc lucem, ita eorumdem arbitrio refingi pariter atque infirmari ſolent? an illæ potius quæ non tam ſcriptæ, quàm natæ nobiſcum videri debent? quas non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa hauſimus, arripuimus, expreſſimus; ad quas non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus? Eſto videri nocens poſſit & dignus morte junior Manlius, ſi latæ à parente eodemque Conſule Manlio Legis ratio habeatur; at ſi reclamat ipſa naturæ Lex, ſi reum abſolvit, ſi ampliſſimo præmio remunerandum dictitat; ſi ſecutus illius vocem fortiſſimus juvenis, graviſſimum ſe Reipublicæ detrimentum, ſi Conſulis edictum ſervaret, utilitatis plurimum, ſi idem prætermitteret, allaturum prævidit: rogo vos, Judices, quò demum recidet Accuſatoris oratio? quam habere vim ad condemnandum victorem videbitur? Senſit enimverò junior Manlius, cùm in iis rerum articulis deprehenderetur, ut certiſſima victoriæ ſpes affulgeret, cùm affligendus ac profligandus hoſtis objiceretur, non audiendum eſſe Conſulis imperium, qui depugnare prohibuiſſet; vidit non fuiſſe illud patris conſilium, dum ferret Legem, ut oblatam rei feliciter gerendæ occaſionem eriperet:

Lex legi opposita.

Interpretatio legis.

non dubitavit, quin liceret ſibi imperantis voluntatem ſic interpretari, ut latum imperium in Reip. gloriam atque utilitatem, non in ejus dedecus atque perniciem cederet. An licebat aliter ipſi de Patre, de Conſule, de Manlio exiſtimare?

Neceſſitas violatæ legis. Quanquam habuerit Manlius aliam de Conſulis voluntate opinionem; crediderit illum tam tenacem imperii ſui, ut vel cum Reip. detrimento ſervari vellet: an debuit propterea ſtudioſiſſimus rerum noſtrarum juvenis oblatum navandæ feliciter operæ locum negligere? Nempe inſtabat imprudens hoſtis numero, viribus, animo inferior; Manlius copiarum multitudine, robore, virtute ſuperior certamen non iniiſſet? Provocabat ille Romanos ad pugnam, & nobis tantùm non inſultabat. Manlius juvenis natura fervidus, & gloriæ noſtræ ſtudio incenſus, lentus ac ſegnis dedecus pertuliſſet? Commodam illi finiendi belli graviſſimi opportunitatem ſufficiebat; Manlius vel ipſo capitis periculo auferri ſibi de manibus tam amplam gloriæ triumphique ſegetem ſuſtinuiſſet? Næ vicem hodie noſtram doleremus, Judices, niſi in tam felici rei bene gerendæ occaſione prætergrediendum patris ejuſdemque conſulis imperium junior Manlius judicaſſet! Videte ergo, Judices, ne fortiſſimo juveni ſuus in patriam amor & ſingularis in unumquemque noſtrum charitas nocuiſſe videatur; facite nemo ut exprobrare nobis poſſit, eum à nobis affectum fuiſſe ſupplicio, cui triumphi gloria pro ſuis in Remp. meritis debebatur: ſic temperate auſteram Conſulis ſeveritatem, ut amor parentis filium abſolvere ac tueri non erubeſcat.

Articulus II.

Locus à Jure-jurando.

Quid eſt Juſjurandum?

R. Eſt affirmatio vel negatio alicujus rei religioſo ritu facta.

Quomodo confirmatur hic Locus?

R. 1. Si oſtenderis quam inviolabile debeat eſſe promiſſum, quo Deo quis obſtringitur; idque à Minori ad Majus. Nefas eſt pacta cum homine violare, quanto magis cum Deo, cui debemus id omne, quod ſumus!

2. Si per enumerationem partium recenſueris pœnas, quæ jurisjurandi violatores conſequuntur: experiuntur enim homines in ſe perfidos, qui Deo perfidi extiterint, & ſceleris conſcientia cruciantur.

3. Si magnam in jurante vel auctoritatem vel probitatem demonſtraveris.

Cicero lib. 3. de Officiis n. 111. ita de Jurejurando loquitur. *Nullum vinculum ad aſtringendam fidem Jurejurando Majores arctius eſſe voluerunt. Id indicant Leges in 12. Tabulis; indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides, indicant notationes animadverſioneſque Cenſorum, qui nulla de re diligentiùs, quàm de Jurejurando judicabant.*

Eo loci pluribus agitat Cicero Quæſtionem illam; utrum Regulus teneretur perſolvere fidem quam Charthaginienſibus dederat; & probat non potuiſſe ipſum frangere fidem datam, vel hoſti.

Hanc porro formulam Romani in Jurisjurandi formulis adhibebant, *Si ſciens fallo, ita me Dieſpiter, ſalva urbe hac arceque & bonis me dejiciat, ut Ego hunc lapidem jacio.*

Quo-

Quomodo refutatur hic Locus ?

R. Primò, ſi oſtendatur Jusjurandum opponi Legibus, vel juri ſcripto vel naturali.

2. Neminem obſtringi ad id, quod iniquum eſt, poſſe; id autem iniquum eſſe, quod dicitur ſacramento fuiſſe confirmatum.

3. Si demonſtretur, id, de quo agitur, non expreſsè contineri in Jurejurando; nec fuiſſe hanc jurantis mentem, ut in eo contineretur.

4. Si probetur emiſſum Jusjurandum ex iracundia, vel ex imprudentia, vel extra locum.

Ita Cicero pro Rabirio Poſthumo num. 36. probat eum, qui falſum ſemel dixerit, facere fidem non poſſe; vel ſi per Deos omnes juraverit. *Ubi ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea, etiam ſi per plures Deos juret, non oportet.*

Idem omnino confirmat pro Comœdo num. 46. *Qui mentiri ſolet, pejerare conſuevit; quem ego, ut mentiatur, inducere poſſum; ut pejeret, exorare facilè potero. Nam qui ſemel à veritate deflexit, is non majore religione ad perjurium, quàm ad mendacium perduci conſuevit. Quis enim deprecatione Deorum, non conſcientiæ fide commovetur? Propterea quæ pœna à Diis Immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci conſtituta eſt. Non enim ex pactione verborum, quibus Jusjurandum comprehenditur, ſed ex perfidia, & malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui, Dii immortales hominibus iraſci & ſuccenſere conſueverunt.*

Et lib. 3. de Officiis num. 108. docet non pejerare eum, qui falſum juraverit, ſed quod ex animi ſententia juraverit. *Non enim falſum jurare, pejerare eſt, ſed quod ex animi ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, perjurium eſt.*

Ibidem num. 107. poſtquam probavit vel hoſti Jurisjurandi fidem ſervandam eſſe, negat eandem eſſe rationem prædonum, quibus negari poſſit, quod Jurejurando promiſſum eſt. *Eſt autem etiam jus bellicum, fideſque Jurisjurandi ſæpe hoſti ſervanda. Quod enim ita juratum eſt, ut mens deferentis conciperet fieri oportere, id ſervandum eſt; quod aliter, id ſi non feceris, nullum perjurium eſt. Ut ſi prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi juratus quidem id non feceris. Nam Pirata non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium. Cum hoc nec fides eſſe debet, nec Jusjurandum commune.*

EXERCITATIO.

Herodias ad Herodem, ut pro edito Jurejurando Joannis-Baptiſtæ caput in diſco dedat.

Locus à Jurejurando.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet non petere ſe tantùm, ut datam fidem, qua nihil eſt apud Reges ſanctius, ſed ut dictum ſacramentum perficiat.

Propoſitio. Jubebit meminiſſe ipſum, quàm ſolemniter vel tertiam regni partem promiſiſſet. Hoc tamen non peto, ſed unius hominis multis tibi nominibus inviſi caput.

Confirmatio. Oſtendet 1. quàm pernicioſum daturus ſit toti populo exemplum, ſi inani ſubterfugio eludi à ſe poſſe ſacramenti religionem arbitretur.

2. Dicet non eſſe clam ſacramentum, ſed aulæ toti notum; & per Apoſtrophen ad teſtes illius ſacramenti, rogabit ipſos ne tantam injuriæ labem inuri Regis nomini patiantur.

Concludet vehementer deprecando Herodem, ut datam tam ſolenni ſacramento fidem ſtatim exſolvat.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

Si poſtularem à te datam mihi fidem ut exſolveres, Princeps inviĉtiſſime, cùm nihil eſſe debeat apud Reges illa ſanctius, nihil inviolatum magis, non poſſem ſalva regiæ majeſtatis dignitate repulſam pati; nunc freta religione Jurisjurandi, quod emiſiſti tam ſolemniter, quo fieri pacto dicam, ut te in perficiendo ſacramento difficilem ac tergiverſantem experiar?

Tamen non peto pro jure meo partem Imperii tui tertiam, quam daturum te, ſi vellem, promiſiſti; nihil ejuſmodi efflagito, quod annuere durum eſſe tibi debeat, aut moleſtum, quod improbare quiſquam, ſi conceſſeris, aut velit aut ſuſtineat; quod nemo, ſi negaveris negatum non expoſtulet ac reprehendat. Hominis peto tibi tam multis nominibus inviſi caput: peto detentum in carcere violatæ majeſtatis reum debita pœna mulctari: peto de medio tolli Joannem illum Baptiſtam, cujus compeſcere effrenem maledicendi obtrectandique licentiam, niſi hac una via, non poſſis.

Quod ſi nullam habere vis tam juſtæ poſtulationis rationem; ſi nihil apud te jam poſſit Herodias, quam modò regni tui parte potiorem æſtimaſti; cogita, quæſo, quàm pernicioſum toti populo exemplum daturus ſis, ſi futili inanique ſubterfugio eludere te poſſe ſacramenti tui religionem arbitraris. Nam quo deinceps erit apud Judæos loco Jurisjurandi ſanctitas, quam nullum apud Regem ſapientiſſimum pondus habuiſſe cognoverint? quis religioni ducet non exequi quod promiſerit, cùm violatam à te ſolemnis ſacramenti fidem intelliget? quis peccare poſtea verebitur, qui tam idoneum in te auctorem, aut ſaltem tam juſtam in Rege ſuo legitimamque excuſationem oſtentare poſſit?

Utinam enimverò clam atque in tenebris Jusjurandum illud emiſiſſes! Utinam Herodias una teſtis illius ac conſcia extitiſſet! utinam denſiſſima oblivionis caligine poſſet etiamnum ſepeliri ejuſdem memoria! At tot habes illius teſtes, quot Aulicos, tot futuros poſtmodum exempli illius pravi cenſores, quot domeſticos, tot obtrectatores tui nominis, quot Judæos. Vos, ò fidiſſimi comites Principis inviĉtiſſimi, tantam Regis veſtri nomini injuriam defendite; contendite pro virili parte, ne tam turpis Herodis memoriæ labes adhæreſcat; depellite metus illos, quos nimia ipſius humanitas atque clementia injecit.

Quanquam nihil tibi hortatore opus eſt, Princeps inviĉtiſſime; tua te fides tam ſolemniter obligata, & illa ſacramenti, quod emiſiſti, religio ſatis adhortantur, ut perficias ſedulò quod tam expreſsè promiſiſti. Age ergo; mitte quàm primùm ſpiculatorem, qui hominis inviſi caput auferat, qui te aulamque tuam, totamque Judæam importuno publicæ quietis perturbatore liberet. Sic Herodiadem, quæ placere tibi meruit, compotem voti dabis; ſic oppigneratæ fidei conſcientiam exſolves, & novam dicto ſacramento religionem atque auctoritatem conciliabis.

ALIA

ALIA EXERCITATIO.

Oratio viri Judæi contra Herodiadem pro Joanne-Baptiſta.

Locus à Jurejurando confutatus.

SYNOPSIS.

Exord. Mirabitur eam fuiſſe puellæ impudentiam, ut ſanctiſſimo fidei nomine ac ſacramenti religione ad extorquendam rem iniquiſſimam abuti non dubitaverit.

Propoſitio. Petet ab Herode per Apoſtrophen, num revera ſe putet ulla ſacramenti religione obſtrictum, ad imperandam viri innocentis mortem?

Confirmatio. Oſtendet nullam vim emiſſum ab Herode Jusjurandum habere oportere Joannis in perniciem. 1. Quia non potuit quidquam promittere, multo minùs jurare, quod eſſet iniquum; demonſtrabitque quàm iniquus haberetur, ſi innocentem virum ad votum impudentis puellæ interficeret. 2. Quæret an fuerit unquam mens Herodis, ut obligaret fidem, ad violandas ſanctiſſimas æquitatis leges.

Concludet dicendo nihil eſſe quod Rex pertimeſcendum habeat ab eorum teſtimonio qui jurantem audierant. Laudaturos illos potiùs Regis humanitatem atque clementiam, qui ſcelere non perfeciſſet, quod ſine ſcelere jurare non potuerat.

ORATIO.

Et fucum faciet præſtigiis etiamnum ſuis procax atque impudens Puella, &, quod apud Reges ſanctiſſimum eſt, fidei atque Jurisjurandi nomen, eo, per ſummum nefas, ad extorquendam rem iniquiſſimam abutetur?

Itane verò, Princeps invictiſſime, pondus apud animum tuum aliquod habuiſſet inſolens Herodiadis Oratio? an perſuaſiſſet illa tibi tam indignum humanitate tua facinus? Tene futili inanique Jurisjurandi ſpecie obſtrictum arbitrareris, ut viri ſanctiſſimi necem properares?

Atenim promiſiſti Saltatrici impiæ, fore illam voti compotem ſui: obligaſti regiam ſpectantibus Aulicis fidem; inviolabilem ſolemnis ſacramenti religionem adjeciſti. Scilicet ut iniquum quid admitteres? ut ignominioſam nomini tuo labem inureres? ut Regum majeſtatem turpi flagitio dedecorares? Hoc ſi poſtulat à te inſipiens puella, tu-ne id facturum te aut promiſiſti, aut promittere potuiſti? Nam quod illud tandem eſt, quod petit? quò impia ſceleratæ Herodiadis vota feruntur? quod ſibi ſaltationis laſcivæ præmium donari poſcit? ò ſingularem inauditamque in ætate tam tenera impudentiam! Tu ne puellam mœſtam ac dolentem abire patereris, verendum toti Judææ caput proſcriberes? Tu virum innocentem, nulla in re malè meritum de te perderes? Tu divinum illum veritatis æquitatiſque præconem, quem miratus es ipſe toties, quem decentem æſtimaſti, quem bene monentem & ſana conſulentem ultrò volenſque ſuſtinuiſti, inani ſacramenti religione perculſus interficeres?

An hic tibi, Princeps ſapientiſſime, fuit animus, cùm ſaltantis puellæ captus gratia, quodcumque poſtulaſſet illa, pollicereris; cùm datam fidem interjecta ſacramenti religione confirmares; cùm vel tertiam regni tui partem non dubitares oppignerare, an hic, inquam, tibi fuit animus, ut in rebus etiam iniquiſſimis repulſam non ferret? Ergo ſi leges refringi ſanctiſſimæ, ſi jura violari omnia, ſi quidquid in regno tuo ſancitum ſapienter, labefactari ac peſſumdari precaretur; tu puellæ impudentis ad votum miſcere ſuſdeque omnia atque evertere cogitares?

Et hoc credis fore aliquem è conſultiſſimo Aulicorum cœtu qui approbet?

Digitized by Google

bet? qui tam impium admitti à te facinus ultrò volenſque patiatur? qui ſuccenſeat tibi, quòd inſipientis puellæ preces rejeceris, qui violatam jurisjurandi fidem expoſtulet? Imò, imò; ne dubita, Princeps ſapientiſſime, collaudabunt omnes ſapientiam tuam, quam intercipi doloſis vafræ puellæ illecebris non permiſeris; prædicabunt humanitatem tuam, qui afflictæ innocentiæ contra vim atque audaciam adfueris. Extollent ſummam æquitatem tuam, qui perficere cum ſcelere nolueris, quod polliceri ſine ſcelere non poteras. Vive ergo ſecurus aulæ tuæ; rejice à te longiùs conſultam malè & imprudentem nimis puellam; &, quæ tam iniqua donari ſibi poſtulavit, eam debita etiam pœna mulctare non dubites.

ARTICULUS III.

De Præjudiciis, Fama & Teſtibus.

Etſi Præjudicia vulgò confunduntur cum Legibus, quia nihil ſunt aliud, quàm Senatuſconſulta, ſeu Decreta jam ante facta, quibus Orator utitur ad ſimilem cauſam ſimili modo definiendam; tamen uſurpantur aliquando latiùs pro quacumque præjudicata opinione, quam aliquis afferat ad cauſam, ſive illa decreto aliquo aut exemplo nitatur, ſive nulla certa ratione animos videatur imbuiſſe. Quare Oratoris eſt ire obviam ejuſmodi Præjudiciis exemplo Ciceronis pro Cluentio, num. 6.

Quamobrem à vobis, Judices, antequam de ipſa cauſa dicere incipio, hæc poſtulo. Primum, id quod æquiſſimum eſt, ut ne quid præjudicati afferatis: etenim non modo auctoritatem, ſed etiam nomen Judicum amittemus, niſi hic ex ipſis cauſis judicabimus; ac ſi ad cauſas judicia jam facta domo deferemus. Deinde ſi quam opinionem jam veſtris mentibus comprehendiſtis, ſi eam ratio convellet, ſi oratio labefactabit, ſi denique veritas extorquebit, ne repugnetis, eamque animis veſtris aut libentibus aut æquis remittatis.

Ratio vero vel confirmandi, vel infirmandi hunc Locum reperienda eſt ex iis quæ dicta ſunt in Articulo de confirmandis vel infirmandis legibus.

Quid eſt Fama ſeu Rumor?

R. Eſt ſermo ſine ullo certo auctore diſperſus.

Quomodò confirmatur hic locus?

R. Si oſtendatur 1. magnam eſſe vim & auctoritatem Famæ ab exemplis virorum illuſtrium, qui bonæ Famæ tam impensè ſtuduerunt. 2. Si probetur Famam vix unquam decipi, quia videtur eſſe vox publica; notum eſt autem illud, vox populi, vox Dei. Præterea ſi teſtimonium unius aut alterius ad hominem puniendum ſufficit; quanto magis Fama, quæ velut omnium hominum teſtimonium eſt.

3. Etſi non eſt negandum Famam ſæpe mentiri; tamen non eſt retinendus in conſeſſu nobili vir ſiniſtri nominis; id enim toti ordini perinde probroſum eſt, ſeu vera ſit Fama, ſeu falſa.

4. Quærendæ ſunt rationes, quæ cauſæ, de qua agitur, ſint propriæ; per quas ſparſi Rumoris veritas confirmetur.

Ad confirmandam Rumorum auctoritatem ſit illud Plinii Junioris in Panegyrico Trajani. *Cæſar tales nos crede, qualis Fama cujuſque eſt; huic aures, huic oculos intende; ne reſpicias clandeſtinas exiſtimationes, nulliſque magis, quam audientibus inſidiantes ſuſurros. Melius omnibus, quàm ſingulis creditur; ſinguli enim*

enim decipere & decipi poſſunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.

Quomodò refutatur hic Locus?

R. Oſtendendo 1. quàm ſit inanis Fama, quæ apud ſolam plebem valere debet, non apud viros prudentes & peritos Judices: quod amplificabitur ab exemplis virorum innocentium, quibus ſæpe aſperſit maculam.

2. Demonſtrando Rumores ejuſmodi eſſe opus hominum otioſorum, qui amant falſa in vulgus ſpargere.

3. Juverit inveſtigare unde nata ſit Fama, ut meliùs probetur ejuſdem levitas.

4. Afferendæ erunt rationes ex quibus Famæ falſitas demonſtretur.

Ita Tullius contra Famam diſputat pro Cœlio num. 38. *At fuit Fama. Quotuſquiſque iſtam effugere poteſt in tam maledica civitate? Vicinum hujus mulieris miraris malè audiſſe, cujus frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit.*

Et pro Plancio à num. 56. orat Judices, ne diſſeminatis rumoribus fidem habeant. *Illud unum vos magnopere oro atque obſecro, cùm hujus, quem defendo, tum communis periculi cauſa, ne fictis auditionibus, ne diſſeminato diſperſoque ſermoni fortunas innocentium ſubjiciendas putetis. Multi amici Accuſatoris, nonnulli etiam noſtri iniqui, multi communes obtrectatores atque omnium invidi multa finxerunt. Nihil eſt autem tam volucre, quàm maledictum, nihil faciliùs emittitur, nihil latiùs diſſipatur. Neque ego, ſi fontem maledicti reperietis, ut negligatis aut diſſimuletis, unquam poſtulabo. Sed ſi quid ſine capite manabit, aut ſi quid erit ejuſmodi, ut non extet auctor, qui audierit, aut ita negligens vobis eſſe videbitur, ut, unde audierit, oblitus ſit, aut ita levem habuit auctorem, ut memoria dignum non putarit: hujus illa vox vulgaris, Audivi, ne quid reo innocenti noceat, oramus.*

Quotuplex Teſtimonium?

R. Triplex. Divinum, Angelicum & humanum. Ad teſtimonium divinum referebantur olim Oracula, Auſpicia, Vaticinationes, Reſponſa. Oraculum eſt vox Dei vel per ſe, vel per alium loquentis. Auſpicium ſeu Augurium eſt teſtimonium captum ex cantu, volatu & paſtu Avium. Vaticinatio eſt reſponſio alicujus Vatis. Denique Reſponſum dicebatur olim, vel quando Sacerdotes & Aruſpices res futuras ex inſpectione Extorum conjiciebant, vel quando Conjectores ſomnia exponebant.

Quomodò confirmandus eſt Locus à Teſtibus?

R. Primò. Laudandi ſunt Teſtes vel à nobilitate, vel à probitate, vel ab alio quovis capite; quo major ipſis accedat auctoritas.

Ita Cicero Divinat. in Verrem n. 13. *Sunt Teſtes viri clariſſimi noſtræ civitatis, quos à me omnes nominari non eſt neceſſe: eos qui adſunt appellabo, quos, ſi mentirer, teſtes eſſe impudentia mea minimè vellem. Scit is, qui eſt in conſilio, C. Marcellus: ſcit is, quem adeſſe video, Cn. Lentulus Marcellinus; quorum fide atque præſidio Siculi maximè nituntur; quòd omnino Marcellorum nomini tota illa Provincia adjuncta eſt.*

Item pro Comœdo commendat Teſtes num. 44. *Manilio & Luſcio negas eſſe credendum? dic, aude. Eſt tua arrogantiæ, contumaciæ, vitaque univerſæ vox. Quid exſpectas, quàm mox ego Luſcium & Manilium dicam, ordine, eſſe Senatores, ætate grandes natu: natura ſanctos & religioſos, copiis rei familiaris locupletes & pecunioſos? Non faciam, nihil mihi detraham: cum illis exactæ ætatis ſeveriſſimè fructum,*

quem

quem meruerunt, retribuam. Magis mea adoleſcentia indiget illorum bona exiſtimatione, quam illorum ſeveriſſima ſenectus deſiderat meam laudem. Vide etiam n. 42.

Secundò quærendi ſunt Teſtes maximè oculati, qui rem non audierint tantùm, neque per alios, ſed per ſe viderint.

Exemplum habes pro Archia n. 6. *Quid enim horum infirmari, Gracche, poteſt? Heracleæ eſſe eum adſcriptum negabis? Adeſt vir ſumma auctoritate & religione & fide, qui ſe non opinari, ſed ſcire; non audiviſſe, ſed interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Adſunt Heraclienſes Legati nobiliſſimi homines, qui hujus judicii cauſa cum mandatis & cum publico teſtimonio venerunt: qui hunc adſcriptum Heraclienſem dicunt.*

Et 7. Verrina n. 165. *Jam mei Teſtes veri ſunt, quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M. & P. Cottii nobiliſſimi homines ex agro Tauronimitano? quid C. Luccejus, qui argentariam Rhegii maximam fecit? quid cæteri? adhuc enim Teſtes ex eo genere à me ſunt dati, non qui noviſſe Gavium, ſed qui vidiſſe dicerent, cùm is, qui ſe Civem eſſe Romanum clamitaret, in crucem ageretur.*

Tertiò. Dicet Orator nulla ſpe illos, nullis inimicitiis impulſos fuiſſe ad dicendum teſtimonium.

Quartò. Dicet rem totam eſſe Jurejurando confirmatam. Pro Comœdo n. 42. *Hoc ego loco ſoluto & quieto ſum animo, & quorſum recidat reſponſum tuum, non magnopere laboro: firmiſſimis enim & ſanctiſſimis teſtimoniis virorum optimorum cauſa Roſcii munita eſt.*

Inter omnia teſtimoniorum genera valet illud plurimùm, quod Oratoris arte atque induſtria ab adverſario petitur.

Ita Cicero Verrina 7. n. 165. *Hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris illum clamitaſſe ſe Civem eſſe Rom. apud te nomen civitatis ne tantùm quidem valuiſſe, ut dilationem aliquam crucis, ut crudeliſſimi teterrimique ſupplicii aliquam parvam moram ſaltem poſſet afferre. Hoc teneo: hic hæreo, Judices, hoc ſum contentus uno, omitto ac negligo cætera; ſua confeſſione induatur ac juguletur neceſſe eſt.*

Quomodò infirmandus hic Locus?

R. 1. Si pravi Teſtium mores oſtendantur; ſi probentur Accuſatorum teſtimonia non modò veritati, ſed ne ſibi quidem eſſe cohærentia.

Ita Cicero lata adverſus Flaccum teſtimonia confutat, ab iis ipſis, qui illa tulerant n. 6. *At à Teſtibus læditur? antequam dico à quibus, qua ſpe, qua vi? qua re concitatis, qua levitate, qua egeſtate, qua audacia præditis, dicam de genere univerſo & de conditione omnium noſtrum.*

Et n. 9. *At quos Teſtes? Primùm dicam id quod eſt commune, Græcos. Non quò nationi huic ego unus maximè fidem deregem ... ... Verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas; do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit; totiuſque hujuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant.*

Bona pars Orationis pro Fontejo occupatur in confutandis teſtimoniis à perſona Teſtium, quibus omnem fidem & Jurisjurandi religionem adimit. A numer. 13. lege & pro Roſc. Amerino numer. 102.

Se-

Secundò. Si Teſtes dicantur eſſe inimici, allatis odiorum cauſis.

Ut pro Roſc. Amer. 104. *Quid tu vir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi auſculta: vide ne tibi deſis. Tua quoque res permagna agitur. Multa ſcelerate, multa audacter, multa improbè feciſti: Unum ſtultiſſimè, tua ſponte, non de Erucii ſententia. Nihil opus fuit te iſthic ſedere. Neque enim accuſatore muto, neque teſte quiſquam utitur eo, qui de accuſatoris ſubſellio ſurgit.*

Tertiò. Si infames & contempti probentur. Ita Cicero pro Cœlio num. 63. elevat teſtium fidem, quia illi erant impudicæ fœminæ familiares.

Quartò. Si Teſtes auctoritate digni proferantur, quibus ignobilium Teſtium fidem infringas. Hoc præſtat Cicero laudato loco pro Fontejo num. 13.

Denique ad elevandam vim Teſtium, qui nullum vel improbitatis, vel inimicitiarum ſuſpicionem habere poſſint, geminam init Tullius rationem, alterum ut in amicorum periculis locum eſſe honeſto mendacio putet: Alterum ut Judices obſecrentur, ne ulla dignitatis Teſtium habita ratione, tantum quid dicant illi, intueantur.

Prioris exemplum habes pro Ligario num. 16. *Quod ſi Cæſari probare poſſemus in Africa Ligarium omnino non fuiſſe, ſi honeſto & miſericordi mendacio ſaluti civis calamitoſi conſultum eſſe vellemus; tamen hominis non eſſet, in tanto diſcrimine & periculo civis refellere & coarguere noſtrum mendacium, & ſi eſſet alicujus, ejus certè non eſſet, qui in eadem cauſa & fortuna fuiſſet.*

Poſterioris exemplum erit, quod dicit pro Muræna ad elevandum Catonis teſtimonium num. 58. *Venio nunc ad M. Catonem, quod eſt firmamentum ac robur totius accuſationis; qui ita gravis eſt accuſator ac vehemens, ut multo magis auctoritatem, quàm criminationem pertimeſcam. In quo ego accuſatore, Judices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murenæ dignitas illius, ne quid exſpectatio Tribunatus, ne quid totius vitæ ſplendor & gravitas noceat; denique ne ea ſoli huic obſint bona M. Catonis, quæ ille adeptus eſt, ut multis prodeſſe poſſet.*

Sequentes Exercitationes tria capita, de quibus dictum eſt in hoc Articulo, promiſcuè complectentur.

EXERCITATIO.

Melampus celebris Medicus accuſatur, quòd auditus in Templo, dum oraret Deos, redeuntem annum ſibi fortunari.

Locus à Præjudiciis, Fama & Teſtibus.

SYNOPSIS.

Exord. FAtebitur Accuſator ægrè ſe deſcendere ad accuſandum Melampum, qui videri quibuſdam poſſit de civitate bene meritus.

Propoſitio. Dicet hodierni facti dedecus omnem præteriti beneficii, ſi quod eſt, gratiam aboleviſſe.

Narratio. Referet uti Melampus medias inter populi preces auditus, Deos dum oraret, ut ſibi annum fortunarent: quod factum probabit à Teſtibus qui audierunt, eoſque dicet viros graves & probos, quorum valere teſtimonium debeat.

Confirmatio. Petetur 1. à Præjudiciis. Dicet Populum univerſum exhorruiſſe ad preces hujuſmodi, & invaluiſſe eam apud omnes opinionem, ut credant omne malorum genus in civitatem erupturum. Oſtendet quanta pernicies metuenda ſit ab iis præjudiciis, niſi plectatur Melampus, aut Medicam artem exercere prohibeatur.

2. A Fama; dicet Melampum audire

apud

Digitized by Google

apud multos avidum lucri, qui ad rem faciendam curare morbos malit, quàm ad eoſdem ſanandos.

Concluſio. Malè haberetur civis, qui civi alteri perniciem machinatus fuiſſet; quo haberi loco debet, qui toti civitati exitium meditatus eſt?

ORATIO.

Etſi, Judices integerrimi, videri quibuſdam poſſum aut temerarius aut invidus, qui hominem, quem putant de Republ. noſtra bene meritum, accuſare aggrediar: tamen vel ſi mihi tam iniqua ſuſpicio ſubeunda ſit, plus apud me publicæ utilitatis ratio valebit; quàm vulgi opinio.

Equidem non ſum ego, Judices, tam iniquus rerum æſtimator, aut tam detractor alienæ famæ, ut diffitear gratiſſimam huic civitati Melampi induſtriam atque operam extitiſſe. Feciſſe viſus eſt ad hunc uſque diem, quod ſtudioſi Medici, & rerum noſtrarum cupidi officium poſtulabat. At hodierni facti dedecus ſic omnem præteritæ gratiæ, quantacumque ſit, memoriam labefactavit, nihil ut deinceps præter ſeveram judiciorum veſtrorum æquitatem ferre mereatur.

Conveneramus in Templum, uti fert priſtina conſuetudo, felicem redeuntis anni curſum oraturi. Aderat magna populi frequentia, quem vel rerum ſuarum neceſſitas, vel communis boni ſtudium adduxerat. Interim, dum intenti omnes precibus Deorum immortalium opem efflagitant; erupit Melampi vox; &, quod tacito in corde perperam atque impiè conceperat, id efferre palam non erubuit. Adeſte Melampo, dixit, faventes Dii, & hunc mihi rebuſque meis præſentem annum fortunate.

A Teſtibus.

Neque verò vel paucos, vel parum idoneos poſtulationis impiæ teſtes habemus. Auditus Melampus ab iis, qui circumaderant, probi omnes, & ſpectata toti populo fide, quorum nec ipſe Reus teſtimonium audeat inficiari. Continuò ſingulorum per ora tam iniqui voti rumor propagatus. Exhorruit ad hujuſmodi voces univerſa civitas, nec fuit quiſquam, qui nefariæ precationis conſilium vimque omnem ſtatim non intelligeret. Senſit unuſquiſque provideri non poſſe Melampi commodis, niſi magno omnium detrimento, &, quod in ipſius utilitatem verteret, id totius urbis in ruinam eſſe refundendum. Nam quid hominis Medici rem adjuvet, aut fortunare ipſum queat, Judices, niſi languentium multitudo, morborum copia, & afflictæ civitatis infirmitas?

Hinc jam ſibi metuere omnes graviter, & infelicem morborum catervam, quaſi jam accidiſſet, formidare; jam vexandos ſe febribus, cruciandos fame, peſtilentia vaſtandos augurantur: ac, ſi Melampi vota audiantur, actum de civitate noſtra atque conclamatum putant. Non ignoratis, Judices, quàm ſit ſententiæ pertinax populus, ubi ſemel opinionem aliquam induit, & quàm non refugiat moliri quidlibet, ubi communis avertenda pernicies incumbit. Ego certè tranquillitatem huic urbi, vobis ipſis ſecuritatem præſtare non auſim, niſi malo quamprimùm eatur obviam, & vel tollatur de medio futurum poſtmodum turbarum atque rixarum caput; vel certè, quod pœnarum genus leviſſimum eſt, medicam deinceps exercere artem Melampus prohibeatur.

A Præjudiciis.

Hæc porro tam injuſta Melampi precatio ſuſcitavit quorumdam hominum curioſitatem, ut in Medici vitam, moreſque ſtudioſiùs inquirerent. Atque utinam minùs avidus lucri,

Digitized by Google

lucri, minùs rerum ſuarum cupidus audiiſſet. Equidem novi, Judices, non ponendum eſſe plurimùm in rumoribus, quibus plerumque malignitas initium dedit, incrementum credulitas. Tamen mirum eſt, viro Medico quantùm hæc noceat fama, ubi ſemel vulgi animo inſedit. Tunc enim non tam creditur ad ægros accedere, ut depellat morbos, quàm ut eoſdem foveat ac perpetuet. Atque hæc avaritiæ labes, quam Melampo imputant non pauci, vix credatis, Judices, quantam ad confirmandas ſiniſtras hodierni facinoris opiniones vim habuerit. Non dubitant illi, quin ſua illum avaritia impulerit, ut malorum omnium congeriem huic civitati precaretur. A Fama.

Quare ſi inultam eſſe civis illius malignitatem non pateremini, qui alteri civi perniciem eſſet machinatus, videte, quo animo eſſe vos in eum oporteat, qui civitatis totius ruinam atque exitium poſtulavit?

ALIA EXERCITATIO.

Melampus nobilis Medicus defenditur.

Locus à Præjudiciis, Teſtibus & Fama confutatus.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet Melampi Defenſor novum eſſe criminis genus, quod Melampo imputatur.

Propoſitio. Fatebitur quod objicitur ab adverſario, oraſſe Melampum, ut Dii præſentem annum fortunarent; non inficiabitur teſtimonium petitum à Teſtibus, ſed damnabit eorum malignitatem, qui pias Melampi preces pravum in ſenſum detorquent.

Confirmatio petetur. 1. à Confutatione Præjudiciorum, dicetque Melampum uno civitatis ſtudio impulſum fuiſſe, ut tales preces funderet: hoc fuiſſe ipſi in animo, ut mederetur feliciter ægrotantium languoribus, &; cognitis morborum cauſis, idonea remedia præpararet. Fieri poſſe, ut pro ſua ſagacitate cognoverit ex varia aeris temperie imminere graves ægritudines, pro quibus ſanandis præſentius Deorum auxilium poſtularit. Addet optandum videri, ut Medici omnes preces ejuſmodi funderent.

2. Confutabit argumentum petitum à Fama, oſtendetque, quàm iniquè ipſius famæ detrahatur; appellabit teſtes eos omnes ad quos ægrotantes acceſſit, quos dicet nullum in Melampo avaritiæ veſtigium deprehendiſſe.

Concludet dignum illum potiùs mercede quàm pœna videri.

ORATIO.

Niſi mihi longa judiciorum veſtrorum experientia notum eſſet penitus atque perſpectum, quanta ſit veſtrum omnium in cognoſcendis cauſis perſpicacia, & in ferendis ſententiis æquitas, Judices integerrimi; haberem ſanè in ſumma accuſationis hodiernæ acerbitate, quod infelici Melampo non mediocriter pertimeſcerem. Novum enimverò criminis genus & ante hunc diem inauditum adverſarius meus veſtrum ad tribunal detulit, propter quod, ſi quid accuſatori creditur, nobiliſſimus Medicus, vir ſpectatæ jamdiu probitatis & de noſtra civitate optimè meritus graviſſimo ſupplicio plectendus eſſe videatur.

Scilicet auditus ille inter ardentiſſimas preces, quas pro veſtra omnium ſalute atque incolumitate funderet, obteſtari Deos, ut ſibi præſentem hunc annum fortunarent. Adducuntur Teſtes omnium judicio probatiſſimi, qui rem ſuffragio ſuo comprobent, qui ſuis ſe percepiſſe auribus tam impia, ſi ſuperis placet, vota profiteantur. Nihil inficiabor ego, Judices, clariſſimorum virorum teſtimonia. Sit ita ſane, ut teſtantur illi, nam cur ampliſſimam laudis ſegetem Melampo invideam? At unde accuſatoris malignitas ver- Confutatio Argumenti à Teſtibus petiti.

Confutatio Præjudiciorum.

tit in opprobrium, quod dati gloriæ debuiſſet? Non potuit ergo Melampus conſcius ſibi, quàm difficilem & plenam periculi artem exerceat, ſingulare à Superis præſidium poſtulare, quin continuò morborum omne genus & triſtiſſimam toti civitati perniciem precaretur? Non potuit veſtræ ſalutis aut tuendæ, aut etiam reparandæ cupidus videri, quin ejuſdem infenſus hoſtis audiret? non potuit felicem in curandis veſtrum omnium ægritudinibus exitum ambire, quin fatalem civium capitibus Superum vindictam accerſeret?

Nam quid aliud eſt homini Medico orare Superos, annum ut fortunent ſibi, niſi ut ſua apud vos opera collocata feliciter ſuccedat? niſi ut in tractandis morbis ſua ſpes eum non fruſtretur, certamque omnibus afferat ſanitatem? niſi ut cognitis veris morborum cauſis remedia paret idonea, quæ medentem nunquam fallant, & ægros ſemper conſolentur? Atque utinam, Judices, quantum eſt iſtorum hominum, qui lubricam Medicinæ artem profitentur, ſalutiferis ejuſmodi precibus ſæpe interpellarent Superos, & audiri ab iis mererentur! Non illuderetur quotidie noſtris corporibus tam miſerabiliter, neque Medicorum inſcitiam noſtris impenſis doleremus.

Quid ſi Melampus peculiari quodam Deorum immortalium afflatus ſpiritu, aut pro ſua perſpicacia cognoviſſet ex aeris intemperie, novum aliquod & metuendum inprimis morborum genus noſtris cervicibus imminere? Non debuit in his rerum adjunctis ſtudioſus uniuſcujuſque noſtrum Medicus ac publicæ incolumitatis cupidiſſimus, novam viciſſim ſibi apprecari ſolertiam, & opem à Superis non vulgarem poſtulare, quæ vim impendentium morborum infringat, & tam gravibus incommodis medeatur?

Confutatio Argumenti à Fama petiti.

Verùm quis in accuſatoribus Melampi tantam improbitatem ferat, ut de probatiſſimi viri moribus ac fama detraherent? Scilicet non ſenſerunt illi perſuadere facilè ſe poſſe, quod confinxerant, niſi intactam hactenus optimi Medici vitam in invidiam adducerent. Audiiſtis, Judices, nec ſine tacita indignatione audiiſtis exprobratam Melampo fuiſſe avidam ſordidi lucri cupiditatem, quaſi non tam impertiendæ ſalutis, quàm rei faciendæ ſtudio ad nos accederet. Qua in re teſtor multorum, qui hìc adſunt, fidem; qui Melampi ſolertiam, ſtudium, ſedulitatem, labores experti, nullum unquam in eo avaritiæ veſtigium perſenſere. Surgant enimverò, ſi qui ſunt in tam frequenti civium conſeſſu; prodeant in medium, per me licet, qui Melampum aut avaritiæ, aut inertiæ, aut cupiditatis cujuſpiam reum criminentur.

Vos verò, Judices, qui viri de nobis tam benemeriti innocentiam perſpicitis, videte, ne, quod vertere in Melampi laudem debuit, illud in opprobrium cedat; ne pro gloria contumeliam, odium pro amore, pro mercede ſupplicium patiatur.

ALIA EXERCITATIO.

Aulicus Cluſinus ad Porſenam Regem, ut de pace cum Romanis facienda cogitet, poſt interfectum à Scævola Regis Scribam.

Locus à Præjudiciis & à Fama.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet glorioſum quidem eſſe Romanos aggredi & vincere: at bellum

Digitized by Google

bellum fore Cluſinis & Regi ipſi exitioſum.

Propoſitio. Dicet maturandam eſſe cum Romanis pacem.

Confirmatio petetur à Præjudiciis & 1. ab eo quod Scævola dixerat trecentos eſſe Romanos ita paratos, ut vel proprio capitis periculo Porſenam interficerent. Nihil ergo tibi metuendum putas ab iis qui tuam unius in perniciem conjurarunt? 2. Ab ipſo Scævolæ facto. Vide quàm parum abfuerit, ne à Scævola interficereris: eandem illi perniciem tibi machinantur. An continuo vivere te in periculo oportet?

Secunda pars Confirmationis petetur à Fama, quam ſibi apud vicinas gentes Romani fecerunt. Nemo eſt qui ſibi ab eorum armis non metuat.

Concluſio. Vide ergo ſi tuæ, ſi Cluſinorum ſaluti conſultum volueris, ut conſilia pacis ineas, &c.

ORATIO.

Si quàm glorioſum tibi exiſtimaſti fore acerrimo perſequi Romanos bello, tam facilem de eiſdem referre victoriam poſſes, Rex fortiſſime; nunquam vel diſſuaſor tanti operis, vel maturandæ cum gente ferociſſima pacis auctor acceſſiſſem. Verùm cùm prævidérim ſatis intellexerimque penitus, bellum hoc, quod ſuſcepiſti tam acriter, non tua ipſius modò, ſed totius etiam populi Cluſini clade eſſe concludendum; non dubitavi opponere me conſiliis tuis, & generoſum illum avidumque inprimis gloriæ animum parumper retardare.

Argumentum à Præjudiciis.

Nam quæ ſpes tandem tibi belli infelicis affulget, aut quid potiùs metuendum tibi non putes ab ea gente, quam in tuam unius perniciem conjuraſſe non ignoras? Audiſti modò tuis ipſius auribus, quàm pertinaci odiorum acerbitate tuum in caput involare meditetur Juventutis Romanæ flos lectiſſimus. Nullum proprii capitis periculum pertimeſcunt hoſtes illi tui, ſi modò perficere poſſint, quod animo deſtinaunt; & levem vitæ ſuæ jacturam arbitrantur, quam pro accelerandа morte tua devoverint. Tu ſingulorum animos æſtima ex uno perfidi Scævolæ facinore. Cogita, qua ſpe Romanorum præſidia deſeruerit; qua audacia noſtra in caſtra penetrarit; qua temeritate tuum ipſius in tentorium fuerit ingreſſus; quo furore ſceleratas manus ſcribam in tuum regio deceptus apparatu tulerit; qua animi pertinacia aut potiùs ferocitate & profeſſus fuerit crimen, quod parabat, & errorem ſuum, ſui ipſius vindex ac tortor deploravit. Hoc eodem trecenti juvenes incenſi ſtudio tentabunt idem facinus, & feliciori fortè exitu perficient. Proinde in hoc diſcrimen, ſi juvat, accinge te, ut in ſingulas horas de capite tuo dimices: habe paratos ſemper in veſtibulo Regis ad vim repellendam milites, & individuum tibi uni à juventute Romana bellum, ſi potes, ſuſtine.

Argumentum à Fama.

Jamverò reputaſti tecum ſatis, Rex fortiſſime, quibus cum hoſtibus decertandum habeas; qualem illi apud vicinos latè populos nominis ſui terrorem injecerint; quantam ſibi apud omnes fortitudinis atque conſtantiæ famam concitaverint? Nam quid ego Vejentes ac Fidenates loquar funeſta clade toties afflictos? quid Sabinos appellem vel in ipſo Romæ naſcentis exordio Romanorum robur expertos, & ad ineundam cum ipſis pacem coactos? Quid Volſcos multiplici prælio ſubactos? quid Latinos recenſeam, qui nullum in bello præſidium contra pertinacem Romanorum conſtantiam nacti, ab infelici tandem marte deſtiterunt?

Quamobrem vide, Rex fortiſſime, ſi tuæ, ſi Cluſinorum ſaluti conſultum velis, ut omnem ſtatim inauſpicati belli moram amputes; ut obſidionem quam inchoaſti, quampri-

primum ſolvas; at querelarum caput infelicem Tarquinium tuis de finibus exturbes; neque tibi ſocietatem ullam cum hoſtibus Populi Romani eſſe patiaris.

ALIA EXERCITATIO.

Aulicus Cluſinus ad Porſenam Regem, ut in ſua de obſidendis Romanis ſententia perſtet.

Locus à Præjudiciis & à Fama confutatus.

SYNOPSIS.

Exord. MIrabitur fuiſſe aliquem tam invidum Regis gloriæ, aut tam timidum, ut conſilium Porſenæ daret de ſolvenda obſidione.

Propoſitio. Hortabitur Porſenam ut perſtet in conſilio ſuo.

Confirmatio. Refutabit primum Præjudicium petitum à trecentis Juvenibus qui dicuntur Regis in caput conjuraſſe; ac dicet inventum illud à temerario Scævola, ad incutiendos metus. Sed eſto: an non adſumus, qui corpus Regis noſtro corpore tueamur, & vel inſidias, vel apertam vim repellamus?

Secundum Præjudicium petitum ab audacia Mutii Scævolæ ſic confutabit, ut dicat plectendam eſſe juvenis temeritatem, cæteroſque ejus ſupplicio deterritos nihil auſuros ejuſmodi.

Quod pertinet ad Famam, qua Romani dicuntur invicti; dicet eos non fuiſſe victos, quia nemo illos aggreſſus eſt fortiter, experturos in Porſena & in Cluſinis eos hoſtes à quibus vinci poſſint.

Concludet hortando Regem, ne ſe vinci inani metu patiatur.

ORATIO.

Cùm ea eſt apud omnes & nos præſertim Cluſinos opinio Romani nominis, Rex fortiſſime, ut in iis aggrediendis atque ſuperandis plurimum eſſe gloriæ nemo dubitet; tum certè nunquam induxiſſem animum futurum aliquem, aut tam invidum rerum tuarum, aut noſtris viribus tam parum confidentem, qui te à perſequendo, quod inchoaſti tam feliciter cum Romanis, bello revocare ſuſtineret.

Ego certè ſi quid in præſentia adverſus futilem ignavi militis orationem dicturus ſum, ſi promovendam acriùs Romanæ urbis obſidionem demonſtrabo, id dictum à me ne ſic exiſtimes, Rex fortiſſime, quaſi invictum animi tui robur haberem minùs perſpectum; aut de tua in perficiendis conſiliis conſtantia dubitarem. Verùm ne quem fortè Cluſinorum animis injecerit ſcrupulum Orator ille magnificus, ne, quod inſinuare viſus eſt, capitis tui periculum infelicis belli faſtidium attulerit, ſilendum mihi in re momenti hujus non putavi.

Quanquam trecenti Juvenes vitam in tuam conjurarunt: imminet præſens capiti tuo periculum, niſi conflatam in te tempeſtatem maturata pace depellas ac diſturbes. Jam adſunt illi noſtris in caſtris, jam tribunal regium obſident. Erit aliquis qui rem illam ſibi tam facilè perſuadeat, quàm temerè, quàm audacter fuit à maligno Juvene pronunciata. Scilicet hoc inveniat fidem apud cordatos viros, quod ab hoſte confictum ingenioſe fuit, vel ad incutiendos Cluſinis metus, vel ad declinandam, quam meruit, ſuppliciorum acerbitatem? Sed eſto: verum illud ſit quod commentus hoſtis eſt; (nam vel in fictis periculis eſſe nos timidos oportet, cùm de Regis optimi ſalute atque incolumitate agitur) eſto inquam: hoc inierit in rebus perditis furioſum Romana juventus conſilium, ut per inſidias ac cuniculos perficiat, quod vi aperta tentare non audet. An ergo nos non adſumus, qui regis latus noſtro corpore tueamur? qui ſuſtineamus impetum armata manu? Confutatio Argumenti à Præjudiciis petiti.

qui

qui temerariæ Juventutis audaciam reprimamus? Veniant illi, &, ſi quid audent aperto marte, veniant, & nos oppugnent palam; vel ſi rem agere per malas artes meditentur, vigilantiam occupent, ſi poſſunt, & perpetuas Cluſinorum excubias fallant.

Confutatio Argumenti à Fama petiti. Interim, Rex fortiſſime, plecte, ut meritus eſt, furioſi juvenis temeritatem; debitas cruenta morte pœnas exſolvat; diſcat revereri Regum majeſtatem. *Sapient*, mihi crede, ipſius ſupplicio deterriti, ſi qui ſunt ejuſdem furoris æmulatores, neque tam gravi ſuo periculo inauditum ante hunc diem facinus pertentabunt.

Nos verò inſtabimus acriùs cœptæ jam tam feliciter obſidioni. Diſcent tandem aliquando Romani, non eſſe ſe tam invictos, ut vinci non poſſint. Noverint hodie, quibus cum hoſtibus decertandum habeant: experientur periculo ſuo, quàm metuendi Cluſini ſint, qui Porſena duce militant. Nihil moræ eſt, Princeps inviſtiſſime, patere rem ut agamus viriliter, ac ſi modò ſecuros eſſe de periculo tuo Cluſinos juſſeris, certam tibi promptamque de Romanis victoriam pollicemur.

ALIA EXERCITATIO.

Defenditur Hippolytus apud Theſeum patrem à Phædra Noverca accuſatus.

Locus à Teſtibus & à Fama.

SYNOPSIS.

Exord. AB abrupto. Ergo Filium abjicis & ſpem domus unicam morti devoves? &c.

Propoſitio, Petet an ſatis perpenderit pondus ac momentum illatæ accuſationis, jubebitque Theſeum brevem ſumere ad deliberandum moram, antequam Hippolytum condemnet.

Confirmatio petetur. 1. à Confutatione Teſtium, oſtenderque non eſſe legitimum illud teſtimonium, quod tulit Noverca; quia frequentiſſima ſunt Novercarum in privignos odia; addet nolle ſe penetrare altiùs odiorum cauſas, quæ fortè Phædram nocentiorem faciunt, quàm Hippolytum. Tum Phœdræ accuſationi opponet Clariſſimorum virorum teſtimonia, qui innocentem Hippolytum profitentur.

2. Illatum crimen deſtruet à bona fama, qua gaudet apud omnes Hippolytus. Dicet rarò falli Famam, quæ eſt veluti vox publica. Quod ſi unius aut alterius teſtimonium valet ad aliquem abſolvendum, quanto magis vox communis?

Concluſio. Per Deprecationem.

ORATIO.

Ergo ratum eſt, Rex fortiſſime? Peribit infelix Hippolytus, & ſpem domus unicam, ſuaviſſimum patris ſolatium iratis precibus devoves? Equidem ſcio, quid aſperet animum, & quàm grave ſit illud contumeliæ genus, quod illatum tibi quereris. Non te ullum fortiſſimi juvenis odium, non præceps atque impotens animi furor impulerunt. Amas, quem vis perdere: velles carere culpa, quem invitus ac reluctans plectis; & feralis, quæ filium obruet, ſententia eodem miſerum patrem ictu percutiet. Ergo ſuſtine tantiſper funeſtas illas preces, quibus inſontem fortè de medio tollere meditaris: da brevem maturæ deliberationi moram, dum conſtet facinus, & gravius accuſationi pondus ac momentum accedat. Age, quid urget? quod inſtat periculum, ſi ſupplicium diſtuleris? Hoc tibi ipſe, hoc amori in filium tuo permitte, nihil ut properaſſe nimis te pigeat. Atenim Phædra nocentem profitetur! Noverca Privignum accuſat, conjux regia vindictam de Hippolyto repoſcit?

Utinam apud alium, quàm apud

Theſeum pro Hippolyto perorandum eſſet! Utinam liceret in hac cauſa infames Novercarum dolos, & iniqua in Privignos odia commemorare! utinam demonſtrare impune poſſim amaros parentum luctus ac deſideria, dum uxoribus plus æquo creduli filios in ſuos ſævierunt? Non ego curioſius inquiram in acerba Phædræ odia, neque ſcrutabor, quæ poſſint eſſe tam ſubitæ, tam novæ, tam parum expectatæ odiorum cauſæ, quibus in Hippolytum exarſit. Dolori tuo parcam, Rex ſapientiſſime; neque committere velim, ut crudius tibi, quàm ſit illud, quod doles, vulnus inferam. At ſi meruit videri nocens Hippolytus, dum accuſatur à Noverca; non videbitur idem innocens, dum innocentiæ ſuæ teſtes tot inveniet, quot habet clariſſimos cives Regia civitas? Una fidem obtinebit Phædra, dum Privigno ſtupri crimen infert, reliqui omnes infidi cenſebuntur, dum integerrimi juvenis caſtimoniam extollunt?

Confutatio Teſtium à Teſtantium perſona.

Ah! ſi noſſes Rex fortiſſime, quàm ſingulari pudicitiæ fama gaudeat apud omnes tuus Hippolytus! quàm ſincerus cultor ſuaviſſimæ illius virtutis habeatur! quàm apertus juratuſque audiat domi foriſque omnium illecebrarum hoſtis, quæ probatis moribus inferre vitium ac labem ſolent! Non imponitur facilè multitudini; aut ſi quis eſt tam peritus ſimulationis artifex, ut fucum tantiſper faciat; ſeriùs ocyùs fraus patet, & fallax dolus innoteſcit. Nempe tam potens ſui ſit amor; tam ſuis motibus imperet, ut latere diu poſſit ſimulationum involucris occultus? Sic exarſerit intus incendium, ut nulla unquam ſcintilla foras eruperit? Non eſt hæc amoris indoles, Rex ſapientiſſime; vel invitus amor ſe prodit; aut ſi pectoris inter anguſtias contineri ſe patitur, amor non eſt. Neque porro mirum eſt, ſi amoris faces ille non ſenſerit, qui tam alienam ab iis illecebris, quæ irritare amorem ſolent, vitam inierit. Qualis enim tibi filius fingitur? Venator à prima juventute aſſiduus, &, cupidiſſimus idem Veneris ſectator! ſylvarum cultor, ac luſtrorum malorum incola; mulierum ad unam omnium oſor infenſus, & amaſius idem infamis! Quo quid dici, quid excogitari poſſit, quod aut cohæreat minùs, aut ab ipſa ſceleris ſuſpicione fortiùs Hippolytum exſolvat?

Famæ vis & auctoritas.

Tuum eſt, Rex ſapientiſſime, conſulere apud temetipſum, quid faciendum tibi ſit; & quam habere fidem illatæ filio accuſationis crimen debeat.

ARTICULUS IV.

Locus à Tabulis.

Quid Tabularum nomine intelligitur?

R. Tabulæ ſunt teſtimonia, quæ proferuntur ex ſcripto, quibus Pacta, Conventa, Contractus & Codicilli, Stipulationes, aut Teſtamenta, vel quidvis aliud ejuſdem generis continetur.

Quomodo confirmandus eſt hic Locus?

R. 1. Per Negationem exaggerari poteſt vis illius ad Exemplum Ciceronis pro Sextio num. 10. *Non recito vobis Decretum officio aliquo expreſſum vicinitatis aut clientelæ, aut hoſpitii publici, aut ambitionis, aut commendationis gratia. Sed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem ampliſſimi beneficii, vicem officii præſentis, teſtimonium præteriti temporis.*

2. Per

2. Per Comparationem, conferendum erit teſtimonium ſcriptum cum fama cæteriſque teſtibus, & rationes quærendæ, quibus probetur plus habere auctoritatis teſtimonium ſcriptum quàm aliud quodlibet.

Ita Cicero pro Archia num. 9. commendat Tabulas quibus conſtabat, Archiam domicilium Romæ habuiſſe. *At non eſt profeſſus. Imò verò in Tabulis profeſſus, quæ ſolæ ex illa profeſſione collegioque Prætorum obtinent publicam Tabularum auctoritatem. Nam cùm Appii Tabulæ negligentius aſſervatæ dicerentur, Gabinii, quandiu incolumis fuit, levitas, poſt damnationem calamitas omnem Tabularum fidem reſignaſſet; Metellus homo ſanctiſſimus modeſtiſſimuſque omnium tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum Prætorem & ad Judices venerit, & unius hominis litura ſe commotum eſſe dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis.*

3. Per Frequentationem Conſequentium, oſtendendo non poſſe violari teſtimonium ſcriptum & relatum in Tabulas publicas, quin hæreat æterna labes ipſis impreſſa Tabulis publicis, adeoque nullum fore jus, quod non poſſit infringi.

Quartò ab Adjunctis exaggerabitur commiſſum contra Tabulas ſcelus. Si reus eſt ignobilis, dicetur, neminem fore deinceps, qui id ſe impunè facturum non ſperet, quandoquidem violatæ Tabulæ violatoris capite non vindicantur. Si reus eſt nobilis, oſtendetur peſſimum apud poſteros exemplum fore, ſi ſcelus impunitum relinquatur.

Quomodo refutandus hic Locus, aut infirmandus?

R. 1. Quærendum eſt aliquod Teſtimonium ſcriptum, quod Tabulis opponatur, & ejus auctoritas amplificanda.

2. Si nullum ejuſmodi Teſtimonium occurrit, declinanda vis eſt Tabularum, adhibita interpretatione, quæ niſi accedat, dicendum eſt, multa fore incommoda, quæ ex ſcriptis legibus naſcantur.

3. Si nulla afferri poterit probabilis interpretatio, probandum erit non eſſe majorem vim teſtimonii ſcripti, quàm vocalis, cur enim tanta vis eſt calami, aut typographiæ, ut ſi acceſſerit, continuò ex Teſtimonio faciat Oraculum.

4. Tam mutari poſſunt Tabulæ, quàm cæteræ Leges, quia non majoris auctoritatis fuerunt, qui tulerunt illas, quàm qui ſancitas & ſcriptas acceperunt.

5. Quò major eſt Tabularum antiquitas, eo videtur eſſe major nonnunquam mutationis in illas inducendæ ratio; quia pro varietate temporum, ut ſunt variæ conſuetudines variique mores, ita varia decreta.

6. Quærenda ſunt exempla factæ alias in Tabulis mutationis.

Denique ſi non integræ, nec incorruptæ Tabulæ ſunt, fides Tabulis derogari poteſt. Ita Tullius pro Cluentio num. 91. corruptas Tabulas eſſe contendit, propter quaſdam lituras, quæ factæ fuerant. *Quod C. Verres Prætor Urbanus homo ſanctus ac diligens ſubſortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur.*

EXERCITATIO.

Oratio apud Moyſem contra Iſraelitas, qui vitulum aureum in Idolum conflarant, contra illud Tabularum Decretum: Non facies tibi Sculptile ut adores illud.

Locus à Tabulis.

SYNOPSIS.

Exord. JUbebit Orator Moyſem meminiſſe, in eo ſe dignitatis gradu poſitum, ut cauſam Dei auctoritate ſua tueretur.

Propoſitio. Vide ergo quo animo eſſe debeas in eos, qui ſacrarum Tabularum auctoritatem ſuo ſcelere violaverunt.

Confirmatio. Præmittet id quod eſt ſcriptum in Tabulis, & Tabularum auctoritatem amplificabit. 1. Per Negationem ad exemplum Ciceronis, non recito vobis decretum humana voce ſancitum, non fragili calamo exaratum, non legem quæ mutari poſſit hominum ad arbitrium, ſed, &c.

2. Per frequentationem Conſequentium dicet, nullum fore jus tam ſanctum, quod humana perverſitas non violet, ſi divinæ leges impunè infringantur. Quos habebis tibi obſequentes, ſi impunitos relinquis, qui Deo obſequium negavere?

Denique Perorationis loco, petet à Moyſe, ut vel populum plectat, vel Tabulas proterat ac conculcet. Videat utrum præſtet.

ORATIO.

Cùm intellexiſti ſatis ad huncuſque diem, vir ſapientiſſime, quo te conſilio ad eum, quem tenes, dignitatis apicem omnipotentis Dei manus evexerit; tum certè hodiernæ cauſæ gravitas ac magnitudo poſtulat, ut auctoritatis tuæ vim omnem ac robur cæteri omnes intelligant, & eo, quo par eſt, modo diſcant, revereri. Nam ſi fuit unquam tempus ullum, cùm tibi tradita poteſtate ad tuendam Dei cauſam uti oportuit, nunc profectò eſt, cùm incredibili totius pœnè populi ſuffragio atque impietate, divinę legis majeſtas atque reverentia contempta eſt.

Sed quid ego inſanientis multitudinis furores retractem, quos tuis ipſe oculis, non ſine incredibili dolore, conſpexiſti? Meminiſti, ut oblitus ſui ac Dei conflatum ex auro vitulum invocavit? ut opes ſuas gazaſque & omnem pretioſam ſupellectilem in ſceleſtum opus erogavit? Senſiſti, ut ad increpationes tuas indocilis ac durus vix ac ne vix quidem ab immani ſcelere temperavit? Interim jacebit ſacrarum Tabularum vis & auctoritas, nullum ad coercendam populi levitatem atque audaciam habebit pondus inculcata toties cervicibus duris lex illa? *Non facies tibi ſculptile, ut adores illud*. Nihil hìc obſcurum, nihil ambiguum, nihil verborum caligine obvolutum; patent omnia. Lucem hanc non obſcurabit populus infidelis, aut robur illud Dei ipſius auctoritate confirmatum infringet. Neque enim hìc recito Decretum humana voce prolatum, ſed ſacratiſſimo ipſius Dei Oraculo ſancitum: non legem levi fragilique calamo exaratam, ſed omnipotentis Dei digito altiſſimis characteribus impreſſam: non regulam morum, quæ varietati temporum ac mutabilitati obnoxia ſit, ſed quam mortalium animis natura ipſa, aut potius naturæ auctor Deus perennibus notis inſcripſit.

Auctoritas Tabularū per Negationem.

Quòd ſi hanc divinæ legis infractionem ſiveris impunitam, quid erit deinceps, amabo, tam ſanctum quod humana perverſitas non violet? quò non prorumpet populi infidelis audacia? quem flagitiis & impietati ſuæ modum eſſe patietur? Credis ullam fore populi hujus in ſervandis legibus cæteris reverentiam; qui nullam legis omnium ſanctiſſimæ habuit rationem? putas futurum, tibi ut pareant, ſi quid imperabis, quos contumaces ac rebelles Deus ipſe expertus eſt? Hos tu frænabis ac circumduces ad arbitrium, qui impoſitum ſibi à præpotenti Numine jugum excuſſere?

Per Frequentationem Conſequentiū.

Vide ergo quid ſtatuas, vir ſapientiſſi-

tiſſi-

Digitized by Google

tiſſime, aut quid conſilii capiendum putes? At cogita alterum è duobus ſupereſſe tibi, quod eligas; aut enim rebellis detrectantiſque imperium populi curam atque ſollicitudinem abjice; aut reprime furentem, & invitum ac reluctantem ad obſequium revoca; aut inuſtam divinæ legi labem atque contumeliam meritis, ut par eſt, pœnis ulciſcere; aut ſacras pedibus Tabulas, quibus vis omnis atque auctoritas adempta eſt, proculca.

Quanquam næ inconſultus ego, qui dubitare videar, num parere Deo malis, quàm rebelli populo favere impenſiùs. Sequere ergo tam laudabilem impetum, ductor ſapientiſſime; exerce in perfidos dignam ſcelere ſeveritatem, & emendata per te gens tota diſcat divinas leges revereri.

ALIA EXERCITATIO.

Oratio ad Moyſem pro Populo rebelli.

Locus à Tabulis infirmatus.

SYNOPSIS.

Exord. JUbebit Orator Moyſem meminiſſe evectum ipſum fuiſſe ad tantam dignitatem, non tam ut populi judex aut vindex, quàm ut patronus ac pater eſſet.

Propoſitio. Admonebit ipſum, ut priſtinæ humanitatis memor populum benigniùs tractet, & pro eo deprecator apud Deum accedat.

Confirmatio. Legem allatam interpretabitur; dicetque prohibitum non eſſe, ne quid fieret ſculptile; ſed tantùm, ne adoretur illud; & ſcelus populi in levitatem ipſius magis, quàm in malitiam cadere profitebitur.

Deinde per frequentationem Conſequentium oſtendet conſecutura mala, ſi populum duriùs plectat. Vertetur hæc pœna in dedecus divinæ majeſtatis, quæ ſervare ſuos vel non potuerit, vel noluerit.

Concluſio. Moyſem admonebit non eſſe periculum in divinis legibus quemadmodum in humanis; quæ, ſi violentur, excidat legiſlator auctoritate ſua. Denique hortabitur, ut utatur in populum ea benignitate, quam ipſe in Deo expertus eſt.

ORATIO.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

Nam quis ille eſt, Vir ſapientiſſime, qui te in populum tuum incendit, & triſtiſſimam ipſi perniciem meditatur? An oblitus eſt, qualem hîc perſonam apud nos geras, aut cujus gratia ſupremus rerum omnium arbiter ac moderator Deus ad eum, quo defungeris, honoris apicem te evexerit? Nempe ſeverus judex & infenſus ultor ad repetendam pœnam te accingas, qui ſtudioſi patroni & patris amantiſſimi partes tueris ac ſuſtines? Ah! potius priſtinæ clementiæ memineris; te infelicis populi tangat calamitas, & quo deplorato magis rerum in ſtatu verſatur, & ab irati numinis inclementia graviùs quiddam metuendum habet, tanto acriùs inſiſte; ut ab ejuſdem cervicibus funeſtiſſimam cladem vehemens deprecator avertas.

Neque verò te ſceleris ipſius gravitas, quam vehementiùs certè, quàm par erat, extulit accuſator, ab impetranda venia dehortetur. Peccavit quidem infelix populus (nam quid flagitium aut negare, aut diſſimulare videar?) peccavit, inquam; at peccatum illud tamen non eſt ejuſmodi, ut omnem indulgentiæ locum ſuſtulerit. Nihil ego detractum velim legis illius auctoritati, quam recitavit modo ſtudioſus accuſator; ſcio quanta debeatur ipſi reverentia, & quàm graves mereatur pœnas experiri, qui ſculptile quidpiam adorandum duxerit. Verùm quam intulit ille populo noſtro labem, ut violatam ab ipſo legem illam arbitretur, nec probabit unquàm, nec feciſſe fucum etiam videbitur. Putas nimirum hanc fuiſſe mentem populi, ut, quod manibus ipſe ſuis conflaverat, in eo divinum ineſſe quiddam exiſtimaret? aut quod non expers modò

Interpretatio legis.

Nu-

Digitized by Google

Numinis, ſed ratione ipſa ſenſuque crederet deſtitutum, huic, tanquam Deo, cultum ac religionem adhibendam eſſe cenſeret? Mihi crede, quantumvis nocens videri poſſit tuus ille populus, non cadit in eum pravitas tanta, ut ſceleris hujus reus audiat. Illum non tam cordis malitia, quàm animi levitas & inconſtantia ab officio ſuo miſerum in modum abduxit. Tu noſti indolem gentis illius, quam regis tot abhinc annos ac moderaris; expertus es non ſemel voluntatis imbecillæ mutabilitatem; at nulla vel pravitatis vel impietatis veſtigia deprehendiſti.

Si tamen culpam illam, quam admiſit imprudens, extremo caſtigandam ſupplicio æſtimaſti: Si delere populum illum paras, cujus tutorem te ac defenſorem, vel ipſo capitis tui periculo, toties profeſſus es; vide, amabo, qualem Deum in ipſum calumniæ labem acceſſurus ſis. Non potes Iſraeliticum ſanguinem fundere, niſi cædis auctorem Deum facias, & odioſam ipſi crudelitatis famam imputes. Nam quid dicent Ægyptii? quid barbaræ nationes loquentur, cùm deletos ad internecionem Iſraelitas audient? Crudelem nempe Deum noſtrum, barbarum, humani ſanguinis ſitientem, qui populum in ſolitudinem, ut interficeret commodius, malas per artes ex Ægypto deduxerit, mentientur. Ne patere tantum inuri religioni noſtræ probrum. Utinam, utinam in Ægypto remanſiſſet ille populus! Satius fuiſſet ipſum inter graviſſimas duriſſimæ ſervitutis moleſtias vitam agere miſerabilem, quàm eundem, poſt exhantlatos fruſtra tot labores, indigna morte abſumi.

Legis incommodá à Conſequentibus.

Atenim jacebunt divinæ leges in contemptu, niſi, qui illas violarunt, ſeverè puniantur. Ipſe legis auctor Deus illudetur, niſi ſumptum de nocentibus ſupplicium auctoritatem ejus fulciat. Scilicet: credis ergo rem eſſe nobis cum eo Numine, cujus auctoritas ex hominum ſcelere detrimentum patiatur, cui dedecoris aliquid accedat, ſi populos minùs obſequentes ſibi ſenſerit? Putas egere ipſum hominum judiciis, ut illatam ſibi contumeliam vindicet? aut non poſſe eum, cum volet, caſtigare per ſe, quos plectendos eſſe cenſuerit? Noli ergo prævenire ſupremi Judicis ſeveritatem; &, quem fortè converſus ad meliorem frugem populus placatum jam habet, rurſus ad vindictam provocare. Utere potius tua apud ipſum Deum gratia, ut, ſi quid offenſionis mitigandum ſupereſt, id tu pro tua in commiſſum tibi populum caritate perficias; &, quam toties expertus es ſupremi Numinis in te benignitatem, eandem viciſſim in tuos æmulari non dubites.

ARTICULUS V.

Locus de Tormentis ſeu Quæſtione.

Quid eſt Quæſtio?

R. Eſt cruciatus, quo reus ad confeſſionem ſceleris adigitur.

Quomodo confirmandus eſt hic Locus?

R. Primò. Dicet Orator antiquiſſimam illam eſſe veritatis eliciendæ rationem, & à ſapientiſſimis majoribus uſurpatam.

Secundò. Vix aliam eſſe in tanta noſtrorum temporum diſſimulatione veritatis extorquendæ viam.

Tertiò. Fieri poterit argumentum à Minori ad Majus. Si metus Quæſtionis ſæpe veritatem exprimit, quanto magis ipſa Quæſtio?

Tullius de Quæſtione ita loquitur in Topicis n. 74. *Facit neceſſitas fidem, quæ cùm à corporibus, tum ab ani-*

animis naſcitur. Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere. Et quæ à perturbatione animi ſunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſſitatis vim habent, afferunt auctoritatem & fidem.

Quomodo infirmandus eſt hic Locus?

R. Primò. Si timori & dolori tribuatur extorta confeſſio, non veritati.

Ita Cicero pro Sylla n. 78. *Quæſtiones nobis ſervorum ac tormenta accuſator minitatur; in quibus quanquam nihil periculi ſuſpicamur; tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujuſque tum animi, tum corporis; regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Syllæ torqueatur; ex ea quæratur, num quæ occultetur libido, num quod lateat facinus, num quæ crudelitas, num quæ audacia. Nihil erroris erit in cauſa, nec obſcuritatis, ſi à vobis, Judices, vitæ perpetuæ vox, ea, quæ graviſſima debet eſſe, audietur.*

Auctor verò librorum ad Herennium lib. 2. num. 10. *Qui in Equuleo eſt poſitus ſcire aut ſuſpicari facilè poteſt, quid audire quæſitor velit, quod cùm dixerit, intelligat ſibi doloris finem futurum.*

Secundò. Obſervandæ ſunt leges à Tullio præſcriptæ lib. Partitionum num. 50. *Sæpe etiam Quæſtionibus reſiſtendum eſt, quod & dolorem fugientes multi in dolore ementiti perſæpe ſunt, morique maluerunt falſum fatendo, quàm inficiando dolere. Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quàm ipſi ſibi eſſent, liberarent. Alii autem aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicii, aut mortis vim tormentorum pertulerunt. Alii ementiti ſunt in eos, quos oderant. Atque hæc exemplo confirmanda ſunt.*

Tertiò. Quærendæ ſunt ab Adjunctis, rationes, quæ ſint rei, de qua agitur, propriæ, ex quibus inanitas Quæſtionis arguatur. Et hic maximè inſiſtendum. Quis contra reum depoſuit? Contra virum clariſſimum homo nullius fidei, vel iratus, vel inimicus, vel deſpicatiſſimus, vel à natura timidus & ignavus.

Quartò. Opponenda erunt teſtimonia clariſſimorum virorum pro reo contra teſtimonium per vim expreſſum ab homine nullius auctoritatis.

Ita Cicero vim Quæſtionis infirmat pro Milone num. 59. quòd Appius & apud ſe ſervos habuiſſet, & ab Accuſatore producerentur, & ipſemet Quæſtionem urgeret de ſervis, qui ejus gratia facilè mentiri poſſent.

Sed Quæſtiones urgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio libertatis. Quibuſnam de ſervis? rogas? de P. Clodii. Quis eos poſtulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio? Dii boni! quid poteſt agi ſeverius? De ſervis nulla quæſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium. Proximè ad Deos acceſſit Clodius, propius quàm tum, cùm ad ipſos penetrarat. Cujus de morte, tanquam de ceremoniis violatis, quæritur. Sed tamen Majores noſtri in dominum de ſervo quæri noluerunt, non quia non poſſet verum inveniri; ſed quia videbant indignum eſſe, & domini morte ipſa triſtius. In reum de ſervis accuſatoris cùm quæritur, verum inveniri poteſt? Age verò; quæ erat & qualis Quæſtio? heus ubi Ruſcio? ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit. Certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas.

tas. Quid hac Quæſtione certius? Subitò abrepti ſunt in quæſtionem, tamen ſeparantur à cæteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui poſsit. Hi centum dies penes accuſatorem cùm fuiſſent, ab eo ipſo accuſatore producti ſunt. Quid hac Quæſtione dici poteſt integrius? quid incorruptius?

Lege & numerum 57. ejuſdem Orationis.

EXERCITATIO.

Accuſatur Maria Scotorum Regina apud Senatum Londinenſem, quòd in Elizabetham conjurarit.

Locus à Tormentis.

SYNOPSIS.

Exord. DIcet Accuſator antiquam illam eſſe & à ſapientiſſimis majoribus uſurpatam, ut per tormenta veritas eliceretur. Et rationem afferet; quia in tanta temporum noſtrorum diſſimulatione vix alia videatur eſſe via veritatis inveniendæ.

Propoſitio. Dicet, ſi unquam valuit teſtimonium per vim extortum, valere debere in cauſa Mariæ.

Confirmatio. Petetur à variis Adjunctis adhibitæ Quæſtionis in cauſa Mariæ. 1. Quia non unus, ſed multi Mariam accuſarunt in tormentis. Non eſt autem credibile tam multos deceptores fuiſſe vel deceptos. Si Maria eſſet innocens, inventus fuiſſet ſaltem aliquis, qui &c. 2. Quia non hoſtes, non ignoti, quibus parum fidendum eſt, ſed amici, ſed domeſtici accuſant, nulla propoſita mercede vel ſpe vitæ. 3. Quia vi Quæſtionis extortæ ſunt ſcriptæ à Maria literæ.

Concluſio. Quis ergo Mariam innocentem putet, quæ teſtimoniis hujuſcemodi convincatur?

ORATIO.

Non eſt novus ille mos, ſed vetus jampridem conſuetudo, quam non invenimus ipſi, ſed à ſapientiſſimis majoribus traditam accepimus, Ampliſſimi Senatores; ut à quibus latentem penitus abſtruſamque veritatem elicere oporteret, ii variis Quæſtionibus ac tormentis adhiberentur.

Jamverò in hac tanta, quanta laboramus hodie diſſimulatione temporum, non potior modò compendioſiorque videri debet iſthæc veritatis indagandæ via, ſed hanc unam ſupereſſe ad extricandas mendaciorum fallacias rationem cogimur magno omnium dolore profiteri.

Quod ſi qua valuit unquam in cauſa extortum vi Quæſtionis veritatis teſtimonium, quantum habere pondus debet in probata jam tot nominibus Mariæ conjuratione? Nam qui ſunt illi, amabo vos, qui Mariam accuſant, & læſæ in Eliſabetha majeſtatis ream criminantur? *Commendatio Teſtium in Quæſtione Confitentium.* Accuſant illam, qui? non unus aliquis aut pauci tantùm, ſed numero plurimi, ſed omnes quicumque cruciatibus appliciti, quod negarant hactenus, per fas ac nefas, idipſum modò coacti ſunt confiteri. Nos interim arbitrabimur tam multos vel deceptores fuiſſe, vel deceptos? Non inventus ſaltem fuiſſet aliquis, qui ſtetiſſet pro Maria, vel inter ſuppliciorum acerbitates invictus, hanc ſi vacare culpa ac ſcelere revera credidiſſet? Et cùm à tuendo pertinaciter mendacio nullis tormentorum doloribus revocari complures poſſint, nemo in hac cauſa conſtans veritatis aſſertor ipſo capitis periculo exſtitiſſet? Accuſant Mariam, qui? non hoſtes, quorum teſtimonium ſuſpectum merito ac mala plenum fide habendum eſſet; ſed amici ac familiares, quos ſancta amicitiæ jura, ſi ſalva veritate licuiſſet, in defendenda Maria fortes ac generoſos præſtitiſſent. Accuſant Mariam, qui? non ignoti homines, qui per incertos rumores de Mariæ cri-

mi-

minibus audierint, ſed domeſtici, qui res ipſas ſuis uſurparunt oculis, & ſceleris ipſius magna pars extiterunt. Accuſant Mariam, qui? non corrupti beneficio, non propoſita irrogandæ veniæ aut evitandæ mortis expectatione adducti, ſed rebellionis participes, & ferali capitis ſententia jam mulctati. Denique accuſant Mariam, qui? homines, quorum è ſcriniis exaratas ipſa Mariæ manu literas extorſimus, quæ ſcelus ipſum ſine dubitatione ulla, ſine erroris ullius metu teſtantur.

Quis igitur erit deinceps tam obſtinatus Mariæ fautor, ut, quam tam aperta, tam multa teſtimonia ream læſæ Majeſtatis revincunt, eam nihilominus aut innocentem, aut nulla puniendam pœna arbitretur?

ALIA EXERCITATIO.

Defenditur Maria Scotorum Regina apud eundem Senatum Londinenſem.

Locus à Tormentis infirmatus.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet Defenſor Mariæ neſcire eos, qui tantum ponunt in teſtimonio per vim Quæſtionis elicito, quanta ſit vis doloris ad extorquendum quidlibet: hinc accidiſſe plerumque, ut multi dolorem fugientes in tormentis mentiti ſint, maluerintque mori falſum teſtando, quàm inficiando, dolere.

Confirmatio petetur à confutatione ſingulorum capitum quæ contra Mariam allata ſunt. 1. Multos quidem tuliſſe teſtimonium, at ſervos omnes, quibus veteres nullam fidem contra dominos habuerunt; quia ſi hoc liceret, ſervi metum dominis incuterent. 2. Nihil eſſe facilius, quàm homines venales corrumpere propoſita immunitate à dolore vel promiſſa etiam vita. Sed hæc ſunt promiſſa ſervis. 3. Mariæ vitam innocentem ac pacatam refragari ejuſmodi teſtimoniis. Quod ſpectat ad literas, dicet illas ſpurias eſſe, & exaratas à librario Mariæ.

Concludet excitando Judicum commiſerationem, propoſita Mariæ calamitate per annos 20. captivæ & tumulo proximæ.

ORATIO.

Neſciunt illi profectò corporis humani imbecillitatem, aut inſuperabilem certè doloris acutiſſimi vim ignorare videntur, qui in teſtimoniis per Quæſtionis acerbitatem elicitis tantopere ponendum putant; ut quæcumque mediis in cruciatibus miſeri homines effutierint, iis tanquam totidem oraculis habendam eſſe fidem arbitrentur. Tamen, quid eſt, amabo vos, Judices, perpetua quadam exemplorum ſerie ſpectatum magis atque confirmatum, quàm vel utrumque, vel alterutrum ſic valuiſſe ſemper apud eos, qui torquerentur, ut dolorem fugientes multi in tormentis ſæpe mentiti ſint, morique maluerint falſum teſtando, quàm inficiando, dolere.

Quod ſi unquam nullius eſſe ponderis ac momenti viſa ſunt expreſſa per tormentorum aſperitates adverſus innocentiam teſtimonia; audeo dicere, Judices, hodiernæ cauſæ naturam eſſe hujuſmodi, ut extortæ in Mariam criminationes vim Quæſtionis omnem infringant atque debilitent.

Nam qui ſunt illi, quantumvis multi proferantur, qui ſuppliciorum vel metu, vel dolore compulſi conſtatæ in Elizabetham conjurationis Mariam accuſarunt? Nullos hic ego tot inter teſtes & accuſatores agnoſco, præter Mariæ ſervos ac domeſticos; quorum teſtimoniis quanta fides habenda ſit, unanimis populorum pœnè omnium conſenſus ſatis decla-

Confutatio Teſtimonii per Quæſtionem expreſſi.

clarat. Noluerunt plerique vel audire tantum, qui dominum accuſaturi deſcenderent; adeo non cruciandos illos eſſe exiſtimabant, ut injurioſum quid atque impium dominorum in perniciem extorquerent. Id porro quàm ſancitum prudenter, quàm ſapienter obſervatum, Judices. Nam cui tandem domino ſecurum eſſe liceat, aut quem vacare unquam metu poſſe cenſebitis, ſi ſervorum calumniis atque criminationibus locus patuerit? Quis deteriorem multo eorum qui imperant, quàm eorum qui ſerviunt, conditionem non putet, ſi minitari dominis accuſationes ſervi audeant? ſi trahere eos in judicium quacumque tandem de cauſa confidant?

Et illud adjicite, Judices, eam eſſe ejuſmodi hominum naturam atque indolem, ut tentari mercede, corrumpi beneficio, perterreri minis, ſuperari mortis metu, obtinendæ ſalutis expectatione allici facilè poſſint. Atque illa ſunt, quæ cauſæ ſuæ firmamenta, contra Mariæ innocentiam adhibuerunt homines malevoli, & inſtructæ in Reginam ſanctiſſimam calumniæ artifices. Hinc enim promiſſa, inde graves minas, hinc mercedem ampliſſimam, inde cruciatus acerbiſſimos, hinc ſpem impertiendæ vitæ, inde mortis metum compoſuere; ut, quos non alliceret ſpes præmiorum, eoſdem ſuppliciorum timor infringeret.

Valeant ergo, Judices, illa teſtimonia per cruciatus expreſſa; nullo habeantur in loco eorum accuſationes, quos ſic gubernat dolor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, nullus ut veritati locus relinquatur. Torqueatur Mariæ vita, & ex ea quæratur, num quod lateat facinus, num quæ inſidiæ occultentur, num qua in Elizabetham conjuratio ſe prodat. Nihil erit erroris in cauſa, nec obſcuritatis; ſi à vobis vitæ integerrimæ perpetua vox, quæ graviſſima debet eſſe, audiatur. Tunc patebit vobis, quàm malignè literas illas à Maria ſcriptas accuſatores oſtentent, quas vel accuſatorum malitia ſuppoſuit, vel librarii perfidia exaravit.

Quid reſtat, Judices, niſi ut per veſtram fidem, per æquitatem veſtram, per infortunatæ Reginæ calamitatem etiam atque etiam vos orem atque obteſter, ne ſerpere ulteriùs maledicentium invidiam patiamini. Si quam culpæ partem infelix Maria admiſiſſet, an non illud, quodcumque eſt, videri potuit eluiſſe ſatis duriſſima viginti annorum captivitate? an non ſatiatus abunde eſt adverſariorum furor, qui tales vel ab experte ſceleris pœnas repetierint? Quid in illius vitam inquirunt, quam brevi luctus & dolor totque ærumnis afflicta valetudo eripiet. Sinite illam latebris immori; neque committite, ut exprobrari vobis aliquando poſſit, vos innocentis Reginæ ſanguine veſtras manus polluiſſe.

LIBER

LIBER QUINTUS.

De Argumentatione.

POſtquam egimus de Locis Oratoriis tam Inſitis, quàm Aſſumptis, ſeu de Locis cùm Intrinſecus, tum Extrinſecùs petitis, ex quibus eruuntur argumenta ad faciendam fidem idonea; reſtat, ut, quo pacto tractari argumenta illa atque ornari poſſint, doceamus.

Quæres igitur: Quomodò tractantur & ornantur argumenta?

R. Per Argumentationem.

Quid eſt Argumentatio?

R. Eſt diſpoſitio quædam propoſitionum ac ſententiarum, ex quibus legitima concluſio elicitur.

Articulus Primus.

De Argumentatione in genere.

Quotuplex eſt Argumentatio?

R. Alia Philoſophorum, alia Oratorum eſt propria.

Quotuplex eſt Argumentatio Philoſophica?

R. Duplex. Alia perfecta, quam illi *Syllogiſmum* vocant, alia imperfecta, quam appellant *Enthymema*.

Quid eſt Syllogiſmus?

R. Eſt Argumentatio conſtans tribus propoſitionibus, quarum prima dicitur à Philoſophis *Major*, ſecunda *Minor*; tertia *Conſequentia*; quæ ita diſponuntur inter ſe, ut conceſſis duabus prioribus, tertia neceſſariò admitti debeat, v. g. omnis virtus eſt laude digna, ſed Temperantia eſt virtus, igitur Temperantia eſt laude digna.

Quid eſt Enthymema?

R. Eſt Argumentatio conſtans duabus propoſitionibus, quarum alteram *Antecedens*, alteram *Conſequens* nuncupant, v. g. Omne vitium turpe eſt, ergo Ebrietas eſt turpis.

Quare iſthæc Argumentatio vocatur imperfecta?

R. Quia in ea ſubauditur una è tribus propoſitionibus, ex quibus Syllogiſmus componitur; unde licet ſemper negare concluſionem, donec ad perfectam revocetur, v. g. Omne vitium eſt turpe, ſed Ebrietas eſt vitium, igitur Ebrietas eſt turpis.

In quo differunt Argumentationes Rhetorum à Philoſophicis?

R. 1. Quia Rhetorum Argumentationes non continent ſemper rationes veras, ſed interdum, aut etiam ſæpe veriſimiles tantùm. Philoſophicæ verò nihil habere debent niſi verum.

R. 2. Quia Philoſophus habet Argumentationes nudas ac ſimplices, quas certo ſemper propoſitionum ordine & ſine artificio exquiſito proponit; Rhetor è contrario ſuam in collocandis, amplificandis ornandiſque propoſitionibus ita ponit induſtriam, ut tamen artem diſſimulet. Cujus rei ratio ex eo repetenda; quod Philoſophus probare tantùm; Rhetor & probare, & probando placere etiam intendat. Hinc fortè manavit tritum illud Zenonis Stoici dictum, qui Philoſophiam adſtrictæ manui & in pugnum collectæ, Rhetoricam verò eidem expanſæ & explicitæ comparabat.

Quomodò utriuſque diſcrimen in exemplo revinceres?

R. Sit illud demonſtrandum Judicibus,

bus, Æmilium fuiſſe à Lepido propinquo ſuo interfectum, ut hereditatem ejus occuparet. Si nulli ſint teſtes illius parricidii, ſed meræ tantùm conjecturæ, ita rem aggredietur Philoſophus. Ille credendus eſt occidiſſe propinquum ſuum divitem, qui pauper erat, & hominis divitis heres futurus; atqui talis erat Lepidus; Ergo Lepidus credendus eſt occidiſſe propinquum ſuum.

Quomodò Rhetor eandem propoſitionem probabit?

R. Hoc pacto. Inhiabat Lepidus, *inquies*, ampliſſimæ hereditati homo alioqui vita profligatiſſima. Accedebat ad ſingularem nequitiam ſcelerum omnium inventrix egeſtas; urgebatur à creditoribus; jamque oſtentabantur miſero carcer ac compedes. Quò ſe verteret demum tanto in diſcrimine? quid expectandum ab homine ſic comparato, niſi ut carcerem & alia omnia pericula redimeret facinore ſibi facili? Quanquam, quid immoror in convincendo auctore ſceleris? non alia benè multa ſatis probant, quid in hac occaſione potuerit? &c. Utra porro Argumentatio alteri præferenda? ſentient, qui intelligunt.

ARTICULUS II.

De Argumentatione Rhetorica.

Quid eſt Argumentatio Rhetorica?

R. Eſt apta & exquiſito cum artificio facta propoſitionum, ex quibus argumentum conſtat, diſpoſitio, unde legitima concluſio elicitur; & amplificata ornataque effloreſcit oratio.

Quotuplex eſt Argumentatio Rhetorica?

R. Multiplex: quas inter hæ vulgò quatuor recenſentur, Ratiocinatio, Sorites, Enthymema, Dilemma.

Quid eſt Ratiocinatio?

R. Eſt Argumentatio omnium perfectiſſima, per quam tractatur & amplificatur Argumentatio Philoſophica, & quæ tunc adhibetur, cùm majori amplificatione indiget Oratio.

Quot in partes diſtribuitur Ratiocinatio?

R. In quinque partes, quas Tullius lib. 1. de Inventione n. 67. ita recenſet. *Quinque ſunt igitur*, inquit, *partes ejus Argumentationis, quæ per Ratiocinationem tractatur. Propoſitio, per quam breviter locus is exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet Ratiocinationis. Propoſitionis Approbatio, per quam id, quod breviter expoſitum eſt, rationibus affirmatum, probabilius & apertius fit. Aſſumtio, per quam id, quod ex Propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumtionis Probatio, per quam id, quod aſſumptum eſt, rationibus probatur. Complexio, per quam id, quod conficitur, ex omni argumentatione breviter exponitur.*

Hæc porro quæ de Ratiocinatione retulimus ex Tullio, ut clariora fiant, & ipſum Ratiocinationis artificium apertius pateat, rem in exemplo ſtatuemus, quo juvari deinde exercitatio poſſit.

ARTICULUS III.

De Artificio tractandæ Ratiocinationis Oratoriæ.

Quodnam eſt artificium tractandæ Ratiocinationis Oratoriæ?

R. 1. Debet Orator attendere, quid ſibi probandum incumbat. 2. Rationes quærere ad id probandum idoneas. 3. Rationes illas revocare ad Argumentum Philoſophicum. 4. Argumentum tractare Oratorio modo.

Quiſ-

Digitized by Google

Quiſnam ille eſt modus Oratorius?

R. Ut duabus prioribus Propoſitionibus Argumenti Philoſophici, *Majori* nimirum ac *Minori*, quas vocant, ſua probatio adjungatur; quæ duæ partes tribus argumenti Philoſophici partibus additæ Ratiocinationem Oratoriam efficient Quinquepartitam. Prima pars vocatur Propoſitio. Secunda, Probatio Propoſitionis. Tertia. Aſſumtio. Quarta, Probatio Aſſumtionis. Quinta, Complexio. Unde patet Ratiocinationem nihil aliud eſſe, quàm Syllogiſmum probatum & dilatatum, cui deinde amplificatio & ornatus accedit.

Sit itaque illa ſententia per Ratiocinationem Rhetoricam pertractanda. *Vitæ puritas inprimis colenda eſt, omnique ſtudio retinenda.* Quærenda erit primùm ratio, quæ perſuadere illud poſſit ex Locis Oratoriis, v. g. hæc afferri poteſt ex Loco communi, quem appellavimus *ab Effectis*, quia vitæ puritas arctiſſimam cum Deo conciliat amicitiam. Unde eruetur hæc Argumentatio more Philoſophico. Colendum illud eſt omnique ſtudio retinendum, quod arctiſſimum eſt cum Deo amicitiæ vinculum; ſed vitæ puritas arctiſſimum eſt cum Deo amicitiæ vinculum; igitur ea eſt magnopere colenda, omnique ſtudio retinenda.

Deinde Argumentationem illam ita poterit Orator dilatare & in quinque Ratiocinationis partes ſic diſtribuere. 1. Ut Propoſitio fit hæc, *Divina amicitia omni ſtudio colenda ac retinenda.* 2. Ut Propoſitioni ſubjiciatur iſta ratio, quæ ejus Probatio ſit; *Quia à Deo omnia bonorum genera derivantur.* 3. Ut ſequatur hæc Aſſumtio. *At vita puritas divinæ amicitiæ vinculum eſt.* 4. Ut afferatur Probatio Aſſumtionis; iſta nimirum. *Quia ſimilitudo amicitiam parit, cumque Deus ſit ipſa puritas, non poteſt eos non diligere, qui hac virtute præſtant.* Denique ut ſequatur Complexio. *Colendam eſſe vitæ puritatem.*

Tum ſingulas illas Quinquepartitæ Ratiocinationis partes ita poteris amplificare & ornare, & oratiunculam conficere.

PROPOSITIO.

Divina amicitia omni ſtudio colenda ac retinenda.

Si communis amicitiæ ratio illud in hominum animis pondus ac momentum habet, ut nihil huic præponendum mortales exiſtiment, quis erit tam parum æquus rerum æſtimator, qui ſibi longè potiori jure ardentiorique ſtudio, quæ Deum inter & hominem intercedit, amicitiam colendam non reputet atque retinendam.

PROBATIO PROPOSITIONIS.

Quia à Deo omnium bonorum genera derivantur.

Etenim cùm utilitatis rationibus maximè ducantur homines, quid eſt in humana vita boni, quod, ut inde acceptum, ita etiam huc referri non debeat? Si enim vitam dices? Et ipſe Deus hanc mortalibus omnibus impertiit. Si honores? ipſe gloriæ omnis juſtiſſimus eſt & æſtimator & diſpenſator. Si voluptates? futiles ſunt & noxiæ, quæcumque ab eo non dimanant. Si divitias? & in eo tantæ ſunt, ut cumulatiſſimè hominis quantumvis avidi cupiditatem explere poſſit.

Digitized by Google

ASSUMTIO.

At vitæ puritas divinæ amicitiæ vinculum eſt.

Atque inde arbitror ſatis intelligitis, quæ ſit divinæ vis amicitiæ, quam qui negligat, næ ille non impius modò, ſed etiam ſtupidus & amens haberi poſſit. Quod ſi ita eſt, qua tandem ope, & cujus rei beneficio bonum illud infinitum conſequemur? an ſuperbia fortaſſe & cæca mentis temeritate? vaniſſimè. An vita molli & deliciis luxuque diffluente? ſtultiſſimè id quidem. An divitiarum jactantia? nequaquam. Quid eſt igitur, qua tandem arte potiſſimùm divinam illam amicitiam nobis conciliare poſſumus? Vitæ puritas & morum innocentia hujus eſt felicitatis conciliatrix, hujus conjunctionis vinculum & amicitiæ nexus. Atque utinam cæci mortales intelligerent, quantum in ea virtute momentum ſit ad veram germanamque felicitatem! utinam omnia ſtudia vireſque eò conferrent, ut eam in ſe morum integritatem efformarent! Fugerent profectò molles voluptatum illecebras, & quanto cupidiùs laxioris ſolutioriſque vitæ formam conſectantur, tanto morum innocentiam ardentiùs concupiſcerent.

PROBATIO ASSUMTIONIS.

Quia ſimilitudo amicitiam parit.

Neque enim fieri ullo modo poteſt, quin infinito quodam amore Deus optimus maximus proſequatur eum, quem ſui ſimillimum viderit. Et verò quæ major cum divina natura fingi ſimilitudo poteſt, quàm ſi quis ipſius ſanctitatem morum innocentia æmuletur; &, quantum mortali fas eſt, in ſe quaſi repræſentet? Etenim divina mens incorrupta eſt, & ab omni terrenæ concretionis rerumque corporearum contagione atque affinitate remotiſſima; uti etiam ab omnibus corporeæ voluptatis ſordibus vitæ puritas abſtrahit. Divina mens immortalis eſt, ut & ſua eſt morum innocentiæ vitæque integritati immortalitas.

COMPLEXIO.

Colendam eſſe vitæ puritatem.

Quis ergo jam de ſalute ſua ſit parum adeo ſollicitus & inimicus puritatis ſanctitatiſque, ut hanc non ſummo quodam amore ſtudioque proſequatur, quam noverit eſſe vinculum, quo humana natura divinæ conciliari poſſit? ſine qua omnis virtutis ſplendor extinguatur neceſſe eſt & intereat? quæ mundiſſimum eſt ſpeculum, cujus beneficio divinæ in ſe naturæ ſimilitudinem efformet? quæ brevis eſt & compendioſa via, qua ad intimam cum divino Numine conjunctionem homo pervenire poſſit?

ARTICULUS VI.

Exempla Ratiocinationis è Cicerone.

Quoniam Ciceronem ſecuti ſumus hactenus viæ ducem, non eſt integrum, vel cùm metas propè contigiſſe nobis videmur, ab eodem declinare. Videamus ergo quomodo Ratiocinationem illam perfectam, de qua egimus, ipſe pertractet.

Exemplum dabit Oratio pro Lege Manilia n. 47. Ubi probat committendum eſſe Pompejo Exercitus Romani imperium propter Imperatoris ipſius

ipſius felicitatem . Hoc ergo argumentum habebat in Ratiocinationem oratoriam dilatandum. In deligendo Imperatore non bellicarum tantùm virtutum, ſed felicitatis ipſius etiam ratio habenda eſt , ſed Pompejus bellicas virtutes cum felicitate conſociat. Igitur Pompejus eſt Imperator deligendus. Rem ita conficit Ratiocinatione Quinquepartita ſeu perfecta.

PROPOSITIO.

In deligendo Imperatore non tantùm virtutis bellicæ, ſed etiam felicitatis habenda ratio eſt.

Ego ſic exiſtimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario & ceteris magnis Imperatoribus non ſolum propter virtutem, ſed etiam propter fortunam ſæpiùs imperia mandata, atque exercitus fuiſſe commiſſos.

PROBATIO PROPOSITIONIS.

Quia ſummis viris ad magnas res bene agendas divinitus adjuncta eſt fortuna.

Fuit enim profectò quibuſdam ſummis viris quædam ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna.

ASSUMTIO.

Pompejus fuit ſemper felix.

De hujus autem hominis felicitate, qua de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam, ſed ut præterita meminiſſe, reliqua ſperare videamur; ne aut inviſa diis immortalibus oratio noſtra, aut ingrata eſſe videatur.

PROBATIO ASSUMTIONIS.

n. 48.

Magnas res domi militiæque, terra marique feliciter geſſit.

Itaque non ſum prædicaturus, Quirites, quantas res ille domi militiæque, terra marique, quantaque felicitate geſſerit: ut ejus ſemper voluntatibus non modò cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſque obſecundarint. Hoc breviſſimè dicam, neminem unquam tam impudentem fuiſſe, qui à diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt: quod ut illi proprium ſit ac perpetuum, Quirites, cùm communis ſalutis atque imperii, tum hominis ipſius cauſa, ſicut facitis, velle & optare debetis.

COMPLEXIO.

Igitur Pompejus deligendus eſt Imperator.

Quare cùm bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit, ita magnum, ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum, & cùm ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna; dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod à Diis immortalibus oblatum & datum eſt, in Remp. conſervandam atque amplificandam conferatis?

Similiter in Miloniana hoc inſtituit argumentum, quod Ratiocinatione perfecta dilatat atque exornat. Licet occidere Inſidiatorem, Clodius fuit Inſidiator, ergo licuit Clodium occidere.

Nam Propoſitionem, licet occidere Inſidiatorem, primùm exponit, eandemque probat multis exemplis à n. 7. ad 23.

Deinde dilabitur ad Aſſumtionem, nempe Clodius fuit inſidiator, cujus probationem affert in tota cædis narratione, quam ita comparat, atque inſtruit, ut ex ſingulis rerum adjunctis appareat, Clodium fuiſſe inſidiatorem. à n. 24. ad num. 32.

Sequitur Complexio qua concludit jure Clodium occiſum fuiſſe.

Exercitationem geminam more noſtro adjungemus, quæ exactam ad traditas ſuprà leges Ratiocinationem perfectam referent.

EXERCITATIO.

Lucilius Cæcilius Metellus, Pontifex Maximus, dum Veſtæ Templo deflagrante, Palladium Trojæ quondam advectum mediis è flammis eripit, oculos amiſit. Agitur in illum contenditurque auferendam illi Pontificiam dignitatem.

Oratoria Ratiocinatio perfecta.

SYNOPSIS.

QUærenda 1. ratio eſt, quæ perſuadere illud poſſit ex Locis Oratoriis. Ducetur illa à Conſequentibus, quia non poteſt amplius eo munere defungi. Unde eruetur hæc argumentatio Dialectico more: Non debet ille tolerari in munere præſertim ſacro, qui non poteſt omnino eo defungi: ſed Metellus non poteſt eo defungi. Ergo non debet in eo retineri.

Deinde hæc argumentatio in quinque partes diſtribuetur Oratorio modo. Quarum erit prima pars propoſitio, nempe, non debet ille tolerari in eo munere, quo defungi non poteſt. Quam ſententiam dilatabit in Periodum, dicetque Reip. munera non eſſe vana & inania nomina, ſed complecti illa multa officia, ad quæ aſpirare non debet, qui illis defungi non poſſit.

Secunda pars erit Probatio Propoſitionis. Quia non decet dignitatem geri ab eo, qui illam adminiſtrare non valeat. Amplificabit hoc per varias Interrogationes & Antitheſes. Illud eſt enim nomine, non re defungi; Magiſtratus frui emolumentis & honore, quæ officio nullo promereri poſſis.

Tertia pars Aſſumtio. Sed Metellus non poteſt defungi munere Pontificio; id tractabitur per Apoſtrophen ad Metellum, vel per communicationem cum auditoribus. Poterit præire Prolepſis, qua lugebit funeſtum & Metelli & Reip. fatum, quòd vir tantus inutilis Reip. factus fuerit.

Quarta Pars Probatio Aſſumtionis quæ gemina erit: prima fiet per Enumerationem, recenſendo ea omnia officia quæ Pontificia dignitas complectitur, ut ſunt Auſpicia, Haruſpicia, Tripudium, victimarum inſpectio quæ homo cœcus præſtare non poteſt. Secunda, quia requiretur quotidie voluntas Deorum à Pontifice, qua in re ſatisfacere interrogantium votis non poterit; hinc Deorum indignatio.

Quinta pars Complexio. Non eſſe retinendum Metellum: tractabit illam hortando Judices, ut aliis muneribus compenſent jacturam, quam Metellus ſui muneris patietur.

ORATIO.

Propoſitio. Non debet ille retineri in ea dignitate qua fungi non poteſt.

Non eſt vanum & inane nomen aut honorifica tantùm appellatio Pontificis Maximi dignitas, Judices; ſed veris neceſſariiſque officiis ita continetur tota, ut qui defungi illis non poſſit, is ad eandem vel obtinendam, vel etiam retinendam non debeat aſpirare.

Probatio Propoſitionis. Quia non decet.

Quid enim eſt non modò ab inſtitutis Reipublicæ alienum magis, ſed ipſi etiam rationi minùs conſentaneum, quàm ut decoretur quiſpiam ampliſſimo Reipub. totius magiſtratu, qui ad obeundum illum ineptus ex omni parte videatur? Præfulgeat ille ſcilicet ſpecioſis primariæ dignitatis inſignibus, quam ad exercendam ineptus ex omni parte cenſeri debeat. Plenos honore titulos ambiat, quos nullo labore ſuo rependere aut compenſare teneatur?

Eos.

Digitized by Google

Eos percipiat fructus & emolumenta ſui muneris, quæ nullum obſequium, nullum officium valeat promereri? Hoccine putatis illuſtrari magiſtratum, an potius eundem dedecorari? creditis hoc in honorem Reip. ac non magis in contumeliam vertendum eſſe?

Aſſumzio. Non poteſt Metellus defungi officio Pōtificis.

Equidem fateor, Cæcili Metelle, hoc contigiſſe luctuoſo Reip. fato, quòd privatus oculis fueris. Amiſimus in te civem optimum, & de hac civitate totoque adeo imperio bene meritum: doleamus virum egregium, & ad omnia Reip. munera non tam factum, quàm natum, ita repente concidiſſe, ut ad capeſſendam gerendamque dignitatem, qua functus es tam egregiè ad hunc uſque diem, ineptus omnino evaſeris. Habet ſanctiſſimorum Numinum Religio quòd conqueratur ereptum ſibi illum Pontificem, qui tanto pietatis ſtudio, tam ſingulari diligentia res ſacras hactenùs obierat. Verùm quid aliud poſſit deinceps tua cauſa hæc civitas, quàm dolere? quam navare ipſi tibi operam poſſumus, ex quo oculos amiſiſti? an ſupereſt tibi facultas aliqua unde ſupplere oculorum vicem liceat? Tune ipſe eum retinere magiſtratum ſuſtineas, cujus peragendis officiis imparem te ſatis experiris.

Probatio Aſſumtionis. Quia captus oculis non poteſt obſervare volatum aut paſtum avium, neque inſpicere avios palpitantium Extorum motus.

Nam quo tandem pacto ſacris præpoſitus & ſacrificiorum omnium ſupremus moderator atque arbiter aſpicere poſſis volatum avium aut earumdem paſtum obſervare? qua ratione ſolemnes ritus & ſacras adhibere ceremonias, ſine quibus ſtare Religio non valeat? Tune immolare victimas & varios palpitantium adhuc Extorum motus inſpicere aut perſcrutari captus oculis aggrediare? Tamen hæc ſunt quibus Pontificia dignitas continetur: his autem ſere ſummum Sacerdotem oportet, & in iiſdem totum occupari. Quod niſi exequatur diligenter, ac ſedulò peragat, jacebit interim Deorum Religio, ceremoniæ negligentur, & omnis ſacrorum ritus penitus exoleſcet. Erit nimirum ceſſante atque otiante Pontifice, qui Deorum voluntatem dubiis in rebus exquirat? qui placare iratos ſuperbos per ſacrificia ſatagat? qui Reip. detrimentis ire obviam piaculares offerendo victimas neceſſarium putet?

Complexio. Non eſt retinendus in Pontificia dignitate.

Videtis ergo, Judices, quanti momenti ſit præeſſe aliquem ſacris ſolemnibus, qui defungi iſto munere cum dignitate poſſit. Quanquam ejicietur turpiter ſuo de loco civis optimus, & ſuis in Remp. meritis ſpectatiſſimus? Spoliabitur dignitatis ſuæ inſignibus verendus Pontifex, quem tot virtutum gloria ad hunc uſque diem decoravit? Jacebit ſine honore, ſive virtutis præmio, qui proprio diſcrimine ſacrum Palladium, præſidium hujus urbis mediis è flammis eripuit? Abſit hoc à nobis Judices: compenſetur, ut par eſt, tanti viri virtus, & perpetuis honorum monumentis cumuletur. At numquid eſt nullum aliud in Rep. munus, quod exercere Metellus etiam privatus oculis poſſit? Non habetis dignum aliquod tantò viro præmium, quod impertiri liceat? Præficite illum conſiliis veſtris. Remp. noſtram ſapientia ſua regat ac moderetur. Nihil, quod è re fuerit hujus urbis, quod ad imperii noſtri dignitatem pertinebit, ſine ipſius ſuffragio atque calculo peragatur. Decorate illum perennibus debitiſque tantæ virtuti inſignibus, cumulate opibus domum ejus; familiam totam liberalitate atque munificentia veſtra exornate. Denique dum ſuus Religionis ſtet honos; dum ſit aliquis firmus Pontifex, qui varias dignitatis illius vices obeat, nulli

nulli rei parcite, ut aliquod in hac ſua calamitate ſolatium Metellus conſequatur.

ALIA EXERCITATIO.

Metellum in Pontificia Dignitate eſſe retinendum.

Oratoria Ratiocinatio perfecta.

SYNOPSIS.

1. RAtio repetetur ab Effectis & Conſequentibus, quia nimirum Reſpub. eripiendo Pontificiam dignitatem Metello ſuſtineret labem ingrati animi, & ingentia ferret damna: unde eruetur hæc argumentatio. Non debet illud committere Reſp. unde ingrati animi labem ſuſtineret & ingentia ferret damna; ſed ſi auferatur Metello Pontificia dignitas, Reſpub. ſuſtineret labem ingrati animi & ingentia ferret damna. Ergo, &c.

2. Tractabit hanc argumentationem & diſtribuet in quinque partes; quarum pars prima erit Propoſitio: Nimirum tanto ſtudio cavere debet Reſpublica, ne ingrata videatur in cives, quanto ne detrimentum ferat.

Secunda Pars, erit Probatio Propoſitionis: quia debet alere in civibus ſtudium Reip. compenſando accepta ab iis beneficia, hic eſt enim ſtimulus, quo provocantur ad magna quæque; quod niſi faciat, quis operam Reip. navare ſuſtineat? Tractabitur hic Locus per Interrogationem & Subjectionem.

Tertia Pars, Aſſumtio, ſed Reſp. videbitur ingrata. Hoc tractabitur ſola expoſitione facti.

Quarta Pars, Probatio Aſſumtionis, oſtendet quàm ſit ingrati animi non ſolum non compenſare hominem pro accepto beneficio, ſed eundem privare dignitate ſua. Deſcribet hìc per Hypotipoſim, quemadmodum deflagrante Templo, ſe medios in ignes Metellus miſerit, ut ſervaret Palladium, unde pendet urbis incolumitas. Extollet etiam damna quæ Reſp. patietur, ſi mercedis loco plectatur Metellus.

Confutabit quod objectum eſt ab Adverſario, non eſſe idoneum Metellum ad officia ſui muneris: oſtendetque poſſe ipſum præſtare per miniſtros, quod facere per ſe non poſſet; exemplo Conſulum & Imperatorum qui in orbe toto multa præſtant per alios; præfuturum Metellum conſilio & ſapientia rebus divinis.

Quinta pars, Complexio. Inſectabitur adverſarium, qui perſuadere Reip. voluerit, ut eſſet ingrata, & deinceps careat bonis civibus, qui navare ipſi operam velint.

ORATIO.

Cùm ad ſingularem Reip. noſtræ providentiam pertinere dicendum eſt, Judices, ne quid committat unquam, unde capere detrimentum poſſit, tum certè non minore ſtudio præcavere illam oportet, ne beneficiorum immemor & in bonos cives ingrata videatur.

Propoſitio. *Nihil tam vereri Reſp. debet quàm ne ingrata videatur.*

Etenim cùm nihil ſit tam potens, tam efficax ad excitandos civium animos ad magna quæque, quàm ſi dignam rei benè geſtæ mercedem expectare cum certa fiducia poſſint; hic autem ſtimulus ubi ſemel defuerit, langueſcere ſoleant animi, nec pares ad ferendum rerum pondus experiantur; neceſſe eſt profecto, vel ut bene meritorum de ſe civium operam ac labores Reſpublica compenſet; vel ut ſuæ ipſius oblita gloriæ, rerum ſuarum curam omnem ac ſolicitudinem extingui penitus atque emori ſuſtineat.

Probatio Propoſitionis. *Quia debet alere in civibus æmulationis ſtudium.*

Nam quid aliud, amabo vos, ſuſcitavit in unoquoque noſtrum robur illud, quod ad tuendam Remp. eandemque amplificandam & ornandam ſenſimus nobis toties afflari? Quid majores noſtros ad tantam rerum geſtarum gloriam accendit, niſi quod perſuaſerant illi ſibi, uti & nos ipſi facimus, rem habere ſecum ea Rep. quæ pro navata quemque opera beneficiis afficeret, & nullius officii memoriam obliterari pateretur.

Quòd ſi bene meritis civibus gratiam non modò Reſp. non rependat, ſed eos etiam mulctandos arbitretur, quis eo paratam animo non abjiciat? quis ab ea deficiendum non pu-

Aſſumtio. *Eſſet ingrata Reſp. ſi Metellum re-*

pu-

Digitized by Google

moveret à Pontificia dignitate.

poteſt? quis ingrati animi vitio illam non arguat? Et tamen auctores erimus eidem Reip. ut Metello Pontificiam dignitatem eripiat? non videbitur illa vobis ingrata, dum hominis de ſe tam bene meriti labores aſpernabitur, & amiſſum ipſius cauſa lucis hujus beneficium æterno opprobrio cumulabit.

Probatio Aſſumtionis. Quia plecteret eum, cujus egregia merita tenetur remunerare.

Revocate animis, Judices, glorioſum Cæcilii Metelli & dignum perenni memoria facinus. Cogitate, quàm proximum ruinæ fuit diſcrimen hæc civitas adiiſſet! quantis hodie, quotquot ſumus omnes, in anguſtiis verſaremur; niſi viri optimi prudentia, magnanimitas atque conſtantia præveniſſet malum, & imminentem toti imperio procellam avertiſſet. Nihil hìc dicam, Judices, quod oculis ipſi veſtris uſurpare non potueritis; nihil exagerabo magnificentiùs, nihil ad hominis fortiſſimi commendationem jactantiùs prædicabo. Ardebat fatalibus flammis ab omni parte Veſtæ templum; jam ſuperaverant ignes ſacrarum ædium faſtigia; nulla ſpes reſtinguendi incendii affulgebat; præſens periculum, non evitandæ mortis metus, ipſa temerarii conſilii inutilitas ab admovenda operi manu cunctos deterrebat. Interim deflagrabant ipſa ſacratiſſimæ Sedis penetralia, ubi Palladium aſſervabatur: Palladium illud dico, Judices, Præſidium hujus urbis, Reip. columen, totius imperii decus & ornamentum: cujus Numen fortunatiſſimum tantam Populo Rom. gloriam peperit; quo percunte, interituram ſimul Romæ fortunam Oracula toties declararunt. In communi totius civitatis trepidatione pariter ac luctu; inter gemitus & complorationem civium, in ſumma populorum deſolatione, unus Metellus adfuit, qui jacentes erigeret, recrearet perditos, afflictos conſolaretur. Vidiſtis ipſi, ut oblitus ſui, periculi ſecurus, ſalutis immemor medios per flammarum globos ac vortices irruerit, & crepitantibus circumquaque ignibus, certo veſtigio in eum perrexerit locum, ubi furebat incendii vis major; ut ſuis ipſe manibus jam contactam flammis ſacram Palladis imaginem eripuerit, & illæſam ad nos reduxerit. Vidiſtis, inquam, obſtupuiſtis, collaudaſtis hominis fortitudinem, triumphanti applauſiſtis. At ingemuiſtis multo magis, cum redemptam tanta Metelli calamitate ſalutem veſtram animadvertiſtis. Nullus fuit è vobis, qui ſervatum optimo Pontifici oculorum uſum ſuo ipſius periculo non voluiſſet. Et erit jam aliquis, qui mulctandum eum dignitatis ſuæ jactura arbitretur? Ecquis erit deinceps, qui poſitæ paribus in anguſtiis Reip. opitulari ſuſtineat? qui capitis diſcrimine præſtare vos incolumes velit.

Confutatio. Metellus vel orbatus oculis eſt idoneus ad exercenda Pontificatus munera.

Atenim non eſt idoneus Metellus, ut muneris ſui partes per ſe ipſe obeat. Hoc enim unum eſt, quod tam malignè, quàm magnificè adverſarius noſter jactavit; hoc fuit unum cauſæ ipſius, & prolixæ Orationis firmamentum. Sed eſto: multa ſint, quæ deinceps præſtare Metellus non valeat: at numquid eadem præſtare non poteſt per alios? An ergo Imperatores noſtri, an Conſules, an cæteri, quos moderandæ Reip. præfeciſtis, ſuis ipſi oculis uſurpant omnia, aut omnia per ſe exequuntur? Quid ergo prohibet, Judices, quominus, quemadmodum illis, ita & Metello digni miniſtri ſeligantur, qui de omnibus ad eum referant, dum ipſe conſilio & prudentia pro more ſtatuet, quidquid ad Religionis ſacrorumque curam pertinebit?

Complexio.

Valeant ergo adverſarii noſtri præ-

ſtigia,

Eſt Metellus retinendus in ſua dignitate.

ſtigia, quibus ſcrupulum injicere religioni veſtræ aggreſſus eſt: occludite aures perniciosiſſimis conſiliis, quæ tantam nomini veſtro labem inferrent; neque in has anguſtias ſinite adduci Rempublicam, ut, dum in bonos cives ingrata videbitur, neminem deinceps habeat, qui laboranti ſuccurrere, & egregiam periculo ſuo navare operam velit.

Hic autem notabis non ſervandum eſſe ſemper eundem in tractanda Ratiocinatione Propoſitionum ordinem; ſed immutandum plerumque, cùm ad diſſimulandum Ratiocinationis artificium, tum ad vitandum tædium, atque ſatietatem. Quod ipſum monet Tullius lib. 2. de Oratore num. 177. *Tractatio*, inquit, *varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem, qui audiat, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate. Proponi oportet, quid afferas, & id quare ita ſit, oſtendere. Et ex iiſdem illis locis interdum concludere, relinquere alias, alioque tranſire. Sæpe non proponere ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum fueris declarare; ſi cui quid ſimile dicas, priùs ut ſimile confirmes: deinde, quod agitur, adjungas: puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare poſſit: ut re diſtinguantur, verbis confuſa eſſe videantur.*

Habes exemplum iſtius varietatis in Oratione pro Cœlio n. 45. ubi hoc argumentum inſtituit, quod Ratiocinatione tractat. Quiſquis liberalibus diſciplinis ac ſtudiis deditus eſt, non poteſt ſervire voluptatibus, ſed Cœlius liberalibus artibus perdiſcendis ſemper deditus fuit, Ergo Cœlius non potuit ſervire voluptatibus.

Nam ad diſſimulandum artificium Ratiocinationis incipit à Probatione Aſſumtionis, ſeu à quarta Propoſitione Ratiocinationis & probat Cœlium deditum fuiſſe ſemper liberalibus ſtudiis hoc pacto. *Audiſtis, cùm pro ſe diceret, audiſtis antea, cùm accuſaret (defendendi hæc cauſa, non gloriandi loquor) genus orationis, facultatem; copiam ſententiarum atque verborum, quæ veſtra eſt prudentia, perſpexiſtis. Atque in eo non ſolum ingenium elucere ejus videbatis, quod ſæpe, etiam ſi induſtria non alitur, valet tamen ipſum ſuis viribus; ſed inerat, niſi me propter benevolentiam fortè fallebat, oratio, & bonis artibus inſtituta & cura & vigiliis elaborata.*

Deinde expoſita & probata Aſſumtione regreditur ad Propoſitionem ipſam Ratiocinationis, & demonſtrat non poſſe eundem hominem & ſtudiis eſſe deditum, & ſervire voluptatibus eodem numero 45. *Atqui ſcitote, Judices, eas cupiditates quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facile in eodem homine eſſe poſſe.*

Mox ejuſdem Propoſitionis affert Probationem, quam fusè amplificat & exornat ... *Fieri enim non poteſt, ut animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quidquid eſt, quod nos facimus in dicendo, non modò agendo, verùm etiam cogitando poſſit ſuſtinere. An vos aliam cauſam eſſe ullam putatis, cur in tantis præmiis Eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam ſint pauci ſemperque fuerint, qui in hoc labore verſentur? Omittendæ ſunt omnes voluptates, relinquenda ſtudia delectationis, ludus, jocus, convivium, ſermo etiam pœnè omnium familiarium deſerendus. Quæ res in hoc genere homines à labore ſtudioque dicendi deterret, non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina pueriliſ...*

rilis. An hic ſi ſe iſti vita dediſſet, Conſularem hominem admodum adoleſcens in judicium vocaviſſet? hic ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitias? in judicium vocaret? ſubiret periculum capitis? ipſo inſpectante Populo Rom. tot menſes aut de ſalute, aut de gloria dimicaret?

Denique ſubjicit Complexionem; ac velut reportata victoria triumphat. num. 47. *Nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Bajæ denique ipſæ loquuntur, &c.*

Hujus Ratiocinationis hoc prope modo tractatæ ſequens Exercitatio exemplum dabit.

EXERCITATIO.

Alexandri Magni ad trecentos Milites Oratio, ut Petram Urbem in rupe inacceſſa poſitam invadant.

SYNOPSIS.

HAc utetur Ratiocinatione. Petra non debet eos retardare, quos nullæ hactenus difficultates retardarunt, ſed nullæ hactenus difficultates vos retardarunt, ergo Petra non debet vos retardare. Ratio quæ vim argumento ſufficit petitur ab Antecedentibus. Nihil vos hactenus retardavit.

Exordium ducetur à Complexione, nimirum ab ea ſententia, Petra non debet vos retardare, quæ ſententia ducetur in Periodum; v. g. ſi rem haberem cum iis Militibus quorum ſpectata minus virtus eſſet; &c. ſed &c.

Deinde veniet ad Aſſumtionem, nullæ ad hunc uſque diem difficultates vos retardarunt, quod tractabitur per Interrogationes & Antitheſes, quid enim tam invium quod &c.

3. Deſcenderet ad Probationem Aſſumtionis quæ tractabitur enumeratione Expeditionum illarum, quas Alexandro Duce perfecerant. Narrabit disjecta munimenta, occupatos inacceſſos aditus, juga montium ſuperata, debellatos hoſtes fortiſſimos, &c.

Concludet per Propoſitionem, Petra non debet retardare quos nihil hactenus retardavit. Nunc igitur tot expugnatores urbium, tot victores hoſtium urbs una moraretur, &c. Probationem afferet quia parum honorificum ipſis foret, hîc invenire metam victoriarum, &c.

ORATIO.

Complexio. Petra non debet retardare: Alexandri milites ab eadem oppugnanda.

Si rem haberem hodie cum militibus, quorum virtus ſpectata mihi foret minùs, quàm veſtra eſt, Commilitones fortiſſimi, vererer ego plurimùm, ne vel ad unum Petræ aſpectum, quam natura ipſa adverſus mortalium impetus videtur muniiſſe, arma pariter cum animis abjicerent. Nunc verò dum eos alloquor, qui ſuam in adeundis periculis conſtantiam toties approbarunt, non dubito, quin, quantum ad infringendos animos veſtros offert urbs illa difficultatis atque pertinaciæ, tantum ad eam expugnandam roboris atque audaciæ afferatis.

Aſſumtio. Nihil fuit tam difficile, quid illi non perfecerint.

Quid enim eſt tam invium, per quod ſibi viam fortitudo veſtra non fecerit? quid tam arduum, quò non alacritas eruperit? quid tam invictum & inſuperabile, quod inſitus animo vincendi ardor non fregerit atque expugnarit?

Probatio Aſſumtionis. Rerum ab Alexandri militibus fortiter & feliciter geſtarum enumeratio.

Nam quid hîc ego memoria repetam, quæcumque mihi dediſtis ad hunc uſque diem virtutis veſtræ monimenta? Urbium invictarum propugnacula disjeciſtis; montium juga perenni nive obruta emenſi eſtis; inacceſſos aditus occupaſtis! rapidiſſimos amnes trajeciſtis; anguſtias Ciliciæ intraviſtis, vim frigoris in India ſine laſſitudine perpeſſi toleraſtis; experiendo, quæ cæteri deſperaverunt, Aſiam tenemus in poteſtate.

Propoſitio. Petra non debet eos retardare quos nihil hactenus retardavit.

Nunc ergo tot expugnatores urbium, tot domitores hoſtium, tot populorum victores, Urbs una moraretur? Triumphis noſtris Petra metam imponeret; hunc ad ſcopulum alliſi

alliſa vis atque acies armorum frangeretur, aut hebeſceret? hìc præceptarum animo palmarum ac laurearum ſpes atque expectatio reſcinderetur atque evaneſceret?

Probatio Propoſitionis. *Quia eſſet hoc Alexandri militibus minus honeſtum*

Videte, fortiſſimi Commilitones, videte, ne cùm glorioſiſſimum vobis fuerit nihil hactenus fortitudini veſtræ reſtitiſſe; ita foret jam turpiſſimum, ſi vos iniquior urbis moles retardaret. Cogitate, quæſo, intentos eſſe in unumquemque veſtrum univerſi orbis oculos, qui facinorum veſtrorum ſplendore perſtrictus toties obſtupuit, & novum in hodierna expugnatione roboris atque conſtantiæ prodigium à vobis expectat. Ite igitur alacres, Alexandro duce atque auſpice, &c., quem tanti facinoris habetis jam hortatorem, eundem fortitudinis veſtræ muneratorem ampliſſimum ſperatote.

ARTICULUS V.

De Ratiocinatione Imperfecta, ſeu quæ Quinquepartita minor eſt.

Hactenus actum eſt à nobis de Ratiocinatione Quinquepartita, cujus partes omnino quinque in Oratione tractantur, & quæ libro 2. ad Herennium num. 27. vocatur Ratiocinatio abſolutiſſima & perfectiſſima. Quibus verò deeſt pars aliqua, aut etiam plures ex illis quinque, Ratiocinationes imperfectæ dicuntur, non, quòd careant aliqua perfectione, quam habere debeant, ſed quòd quibuſdam partibus deſtituantur, quæ prætermittuntur conſultò, & quas ſupervacaneum eſſet operoſiùs pertractare.

Sunt enim Propoſitiones quædam tam claræ, tam evidentes, ut probari non egeant; adeoque vel non eſt illis conquirenda probatio, vel ipſæ etiam indictæ relinquuntur. Verb. gr. Initio Orationis Milonianæ hoc inſtituere argumentum videtur Tullius, Si licet aliquando hominem occidere, maximè inſidiatorem, ſed licet aliquando occidere hominem, ergo licet occidere inſidiatorem.

Operam luſiſſet Cicero ſi Propoſitionem primam probare voluiſſet, quæ quoniam revocari non poteſt in dubium, dilabitur ſtatim ad Aſſumtionem, quæ faceſſere ſola difficultatem poterat. Et probat multis ac variis argumentis licere aliquando hominem occidere, unde concludat poſtea poſſe jure interfici inſidiatorem.

Sic & 7. Philippica num. 9. pacem nullam eſſe poſſe cum Antonio contendit, hac Ratiocinatione. Pax Populo Romano cum ullo mortalium turpis eſſe nulla debet; cui Propoſitioni per ſe notæ nullam rationem ſubjicit. At cum Antonio niſi turpis pax eſſe nulla poteſt; hanc verò partem pluribus probat. Denique concludit alienos à pace animos eſſe oportere.

Quin & unica nonnunquam Propoſitione conſtare poteſt Ratiocinatio. Ita pro Plancio num. 49. *Sed cur ego ſic ago? quaſi non comitiis jam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus Ædilis?* Iſtæ enim voces continent ſolam Aſſumtionem hujus argumenti. Non eſt reddenda ratio cur Plancius fuerit Ædilis renunciatus poſterioribus Comitiis, qui ſuperioribus jam fuerat deſignatus; ſed ſuperioribus Comitiis jam fuerat deſignatus, ergo, &c.

EXER.

EXERCITATIO.

Abigailis ad Davidem Oratio, cùm is ad perdendam Nabali domum pergeret.

Ratiocinatio imperfecta, in qua Propoſitio cum ejus Probatione & Concluſio tractantur, relicta Aſſumtione.

SYNOPSIS.

Utetur hoc argumento à Notatione Nominis perito. Nihil tam regium eſt quàm hoſtibus parcere. Tu Rex es, ergo debes hoſtibus parcere.

Exord. Ducetur à Prolepſi dicerque non venire ſe, ut factum conjugis excuſet, aut de nimia Davidis ſeveritate conqueratur; dignum eſſe Nabalum, qui pœnas luat; quandoquidem tanti Regis juſſa deſpexit. At eo ſe veniſſe conſilio, ut ad ejus clementiam recurreret. Tum tractabit Propoſitionem oſtendetque, quàm ſit dignum magnanimitate regia hoſtibus parcere.

Probationem afferet petitam à Comparatione; conferetque res à Davide præclarè geſtas cum eo facinore, quo vindictæ deſiderium reprimens Nabalo parcet.

Alteram Probationem afferet petitam ab ipſius Davidis facto, qui Sauli hoſti pepercit, cùm poſſet ipſum perdere. Unde elicier argumentum à Majori ad Minus. Tu cùm verſareris in continuo vitæ periculo, noluiſti eum occidere, à quo uno timendum habebas; quanto faciliùs debes homini parcere, à quo nihil tibi timendum ſit?

Tum relicta Aſſumtione, quæ clara eſt, per varios motus tractabit Complexionem, ergo debes Nabalo parcere.

ORATIO.

Supplicem vides, tuiſque advolutam genibus Abigailem, Rex fortiſſime; non eo paratam animo, ut infelicis Nabali factum excuſet, aut de tua in eum ſeveritate conqueratur. Scio quàm grave ſcelus ſponſus imprudens admiſerit; quaſcumque in eum ſtatueris pœnas, etiam meritis leviores feret, qui regiæ contemptor majeſtatis imperia tua neglexerit. Hoc unum mihi miſeris in rebus perfugium eſt, hæc ſpes afflictæ ſalutis una, clementiam ut implorem tuam. Caruiſſem hodie conſpectu tuo, Rex fortiſſime: ſuis ſe in latebris unà cum infelici marito continuiſſet Abigail fatalem capitis ſententiam expectans, niſi tu, quem unum vereri debuimus, ſpem injeciſſes aliquam; niſi benignitatis tuæ fiducia jacentes ac perditos excitaſſet. Novimus enimverò, novimus, & tota, quàm latè patet, Judæa ſpectatum habet, quàm regium ad hunc uſque diem duxeris hoſti vel infenſo parcere; hæc tibi ſemper placuit inter cæteras victoria, quam de te ipſo, quam de iracundia retuliſſes; neque viſus tibi eſt unquam triumphorum tuorum fructus dulcior, quàm ſi ex hoſte capitali feciſſes quempiam amiciſſimum. *Propoſitio. Nihil tam regium eſt, quàm hoſtibus parcere.*

Equidem ſcio, Rex fortiſſime; prædicabunt poſteri res à te bello & pace præclarè geſtas, neque de laudibus tuis ulla unquam ætas conticeſcet. Te Gigantis immanis victorem glorioſiſſimum, te Philiſtæorum triumphatorem, te domeſtici tumultus pacatorem extollent. Tuam in capiendis conſiliis prudentiam, in agendis rebus fortitudinem, in perficiendis conſtantiam celebrabunt. At quæ par inveniri poterit Oratio, cùm animi tui manſuetudinem, cùm temperantiam atque moderationem exornare aggredientur. Credent illi, qui rerum tuarum hiſtoriam olim excipient, extitiſſe quempiam in victoria tam ſui compotem, ut ſervare mallet quos vicerat, quàm vincendo eoſdem perdidiſſe. Huic tu gloriæ, cujus ſocium habes neminem, patere, Princeps invictiſſime, ut infelix Nabalus cumulum adjiciat? *Probatio Propoſitionis. A comparatione rerum à Davide geſtarum.*

ciat. Hoc habet ſaltem in ſua calamitate conjux meus ſolatium, ut per hunc tot patratis à te tanta cum laude facinoribus aliquod incrementum accedat. Is unus poteſt aliquid addere ad vulgatam jam de te apud gentes exteras bonitatis famam.

Altera Probatio *A comparatione Saulis, cui David pepercerat, cum Nabalo.*

Imò, imò indulta per te Nabalo venia ſuſcitabit apud omnium animos gratiſſimam facti illius memoriam; quando inimico Sauli & perſequenti te, te acriùs, cùm interficere eum poſſes, pepercisti. Hic ille David eſt, inquient, tam bonus, tam facilis, tam manſuetus! ut conſtans ſibi! ut ſui ſemper ſimilis, ut in parcendo tam imis quàm ſummis ſemper magnificus! Hanc tu opinionem manſuetudinis, non tuleris modò, ſi Nabalo parces, ſed augebis. Jam haberi contemptor injuriarum nullo tuo periculo potes, qui capitales iras tanto vitæ tuæ diſcrimine olim condonaſti. Nihil tibi jam metuendum habes à Nabalo, cui nihil non erat à Saule pertimeſcendum. Quanto ſtabit tibi illa victoria, quæ tantum tibi laudis accerſet?

Complexio. *Debet David Nabalo parcere.*

Miſereſce igitur, Rex fortiſſime; vivat beneficio tuo Nabalus; & quod ipſi mihique lucis exigendum ſupereſt, hoc Regis benigniſſimi clementiæ ac bonitati debeamus.

ALIA EXERCITATIO.

Septimi apud Ptolomæum Ægypti Regem Oratio, qua victum in acie Pharſalica Pompejum & in Ægyptum confugientem ſervandum eſſe demonſtrat.

S Y N O P S I S.

GEmino illo argumento utetur. 1. quidem Magnanimitatis eſt opem ferre miſeris, Pompejus eſt miſer, ergo magnanimitatis eſt opem ferre Pompejo. 2. Turpe eſt amicum adverſa fortuna laborantem deſerere, ſed Pompejus eſt amicus tuus, ergo turpe eſt Pompejum deſerere.

Tractabitur 1. Aſſumtio, 2. Propoſitio prioris argumenti. Deinde ſola Aſſumtio poſterioris argumenti.

Orietur ergo ab Aſſumtione prioris argumenti, nempe Pompejus eſt miſer, repræſentabitque miſerum ipſius ſtatum per comparationem cum priori fortuna & per Antitheſes. Ecce venit ad te Pompejus acciſis ac perditis rebus, qui, &c. victus, qui, &c. tuam implorat opem, qui, &c.

2. Gradum faciet ad Propoſitionem; oſtendetque magnanimitatis eſſe miſeris opitulari. Ne te illa ſpecies ſupplicantis deterreat, memineris nunquam fuiſſe tibi oblatam illuſtriorem occaſionem, &c. nam cur in eo poſita es dignitatis gradu niſi ut, &c. tum relicta probatione Propoſitionis,

3. Veniet ad Aſſumtionem alterius argumenti, jubebitque ipſum meminiſſe quid Pompejo debeat, qui parentem ipſius de ſolio deturbatum reſtituit. Amplificabit beneficium per Narrationem & Hypotipoſim. Dejectus pater tuus ſuorum malevolentia propitium Pompejum expertus eſt, &c.

4. Veniet ad Complexionem omiſſa Propoſitione. Tu-ne ergo dubites referre parem Pompejo vicem! hunc tu abjicias, per quem regnas, & ſine quo non viveres?

O R A T I O.

Aſſumtio prioris Argumenti. *Pompejus eſt miſer.*

Ecce venit ad te Pompejus, Rex fortiſſime, non in ea quidem majeſtate ac pompa, qua totius orbis victor ac triumphator inceſſit; ſed acciſis rebus ac perditis, ſed victus, & amiſſo exercitu triſtiſſimos inconſtantis fati caſus repræſentans ad vivum. Ecce ſupplicantis in morem alienam opem implorat, qui opitulari cæteris & afferre ſubſidium laborantibus noverat. Ecce tuam in fidem ac clientelam ſe recipit, cujus in patrocinio ac defenſione tam certum adverſus rebelles & contumaces Ægyptios tuus parens, tuque adeo paterni heres imperii præſidium habuiſti.

Neque te verò funeſtiſſimus ille ſuppli-

Propoſitio prioris Argumenti. Magnanimitatis eſt miſeris ſubvenire.

ſupplicis Principis apparatus ab impertienda, quam enixe petit, fiducia deterreat. Imò, imò cogita, Rex fortiſſime, nunquam illuſtriorem oblatam tibi fuiſſe probandæ virtutis & magnanimitatis regiæ commendandæ occaſionem, quàm quæ infortunati Imperatoris calamitas attulit. Quorſum enim putas ad tantum dignitatis apicem atque faſtigium fuiſſe reges evectos, niſi ut in altiore loco poſiti ad ſublevandam miſerorum inopiam ultro deſcenderent, & lætioris, quo fruuntur, fati commoda cum afflictis & iniquam ſortem patientibus partirentur. Hoc enim verò reges habent ſupra cæteros mortalium, ſuas ut opes effundere poſſint uberiùs, & liberalitatis ſuæ magnificentiam illuſtriùs declarare.

Aſſumtio poſterioris Argumenti. Multum debes Pompejo.

Sed quia ego te accedere iſtis meditor, aut nihil indigentem ſtimulis aggredior incitare, quaſi Pompejum ignorares, aut quid tanti viri benevolentiæ debeas non meminiſſe? Nam cur tibi revocem in memoriam, ut pulſus è ſolio per ſummum nefas populorum malevolentia Prolomæus parens tuus in ſola Pompei Magni liberalitate atque fortitudine præſidium invenerit? Fruſtra vicinorum Principum fidem ac clientelam imploraverat, fruſtra diverterat in varias plagas aliquam afflictis rebus fiduciam rogaturus: fruſtra digreſſus Romam tanquam in aſylum & communem gentium omnium portum, Senatus auctoritatem, Magnatum potentiam, veluti oſtiatim emendicaverat. Inveniebatur nemo, qui jacentem erigeret, recrearet perditum, afflictum conſolaretur. Unus repertus Pompejus eſt, qui amicas miſero regi tetenderit manus, & lentos nimis in ferendis ſuppetiis inflammaret. Noſti quo demum exitu excitarit unumquemque ad impertiendam, quam parens tuus opem atque benevolentiam poſtulabat? qua auctoritate ſua ac gratia partem Senatus longè potiſſimam ipſoſque adeo Conſules ſuam in ſententiam ire compulerit; quo ſtudio rerum veſtrarum hanc ſibi ipſe ſumpſerit provinciam, tuum ut ſolio parentem redderet; quanto denique robore, quanta prudentia rem totam promoverit ac feliciter conſummarit.

Complexio. Debes Pompejum adjuvare.

Et tu interim parem referre Pompejo gratiam dubitabis? hunc tu jacere afflictum patiere, qui parentem tuum erexit? hunc tu deſtitutum omni ope abjicies, ſine cujus præſidio nunquam ereptum tibi regnum recuperaſſes? Vide ergo, ne, cùm olim Pompejo glorioſiſſimum fuerit, nulla affectum beneficientia pulſo regnis Prolomæo tam impensè ſtuduiſſe, ita turpiſſimum tibi ſit tam ſingulari provocatum beneficio, nullam ſupplicanti jam Pompejo benevolentiæ partem impertiſſe.

ARTICULUS VI.

De Sorite.

De hac altera Rhetoricæ argumentationis ſpecie, quæ *Sorites* vocatur, dicemus pauca; tum quia non eſt illa tam frequens apud Oratores, tum quia non eſt difficilioris aut operæ, aut artificii.

Quid eſt Sorites?

R. Eſt ſeries, & veluti catena multarum Propoſitionum, ex quibus gradatim & acervatim collectis eruitur aliqua concluſio. Ita Cicero per Soritem probat omne bonum eſſe honeſtum lib. 5. Quæſtionum Tuſculanarum n. 45. *Etenim quidquid eſt, quod bonum ſit, id expetendum eſt: quod autem expetendum, id certè approbandum: quod verò approbaris, id gra-*

gratum acceptumque habendum ; ergo etiam & dignitas ei tribuenda eſt ; quod ſi ita eſt, laudabile ſit neceſſe eſt. Bonum igitur omne laudabile ; ex quo efficitur, ut quod ſit honeſtum, id ſit ſolum bonum.

Et in Oratione pro Flacco n. 44. Soritem adhibet Tullius. *Si Prætor dedit, ut ſcriptum eſt, à Quæſtore numeravit? Quæſtor à menſa publica ; menſa, aut ex vectigali, aut ex Tributo. Numquam erit iſtud ſimile criminis, niſi mihi totam rationem omni & perſonarum genere & literarum explicaris.*

Ita pariter ſi quis rationis præſtantiam velit oſtendere, ita poterit inſtituere argumentationem. Age, quidnam eſt in toto orbe præcipuum, quid optimum? homo. In homine vero quid? animus, mens. Quid in mente? Ratio. Quid autem in ipſa Ratione? ipſamet ratio, quæ naturæ ſuæ prærogativa divinam in ſe ſimilitudinem exhibet.

Obſervabis autem lubricum eſſe Soritem Argumentationis genus : adeoque cavendum eſſe diligenter, ne in illa ſerie propoſitionum ullam admittas vel falſam vel ambiguam. Alioqui tota rueret argumentatio, ut exemplo ſequenti patebit. Certum eſt Bibliopolam multos libros evolvere frequenter, qui multos libros evolvit ſæpe, multùm ſtudet, qui multùm ſtudet, procul dubio fit doctiſſimus, qui autem factus eſt doctiſſimus, poteſt cum laude omnes ſcientiàs profiteri. Igitur Bibliopola poteſt in celebri Academia omnes artes profiteri. Falſa eſt iſthæc Concluſio, ut facilè quivis intelligat ; quare verò? niſi quia vox illa evolvere ambiguam patitur ſignificationem, hoc eſt vel attentè legere, vel ſolis manibus verſare, quod ultimum proprium eſt Bibliopolæ, neque ad doctrinam multùm confert.

Hoc etiam animadvertendum diligenter ; tunc valere plurimùm Soritem ad amplificationem Concluſionum, cùm rebus antea probatis in unam veluti catenam multæ Argumentationes coacervantur. Sit Sorites ille in Exemplum.

Quis dubitet viros Principes in ſua regia tanquam in altiſſima ſpecula collocatos eſſe, ut inde oculis quaſi peragrantes imperii ſui magnitudinem ſolerti diligentia curaque pervigili provideant, ne quid Reſp. detrimenti capiat. Quale verò detrimentum acciperet, ſi pateret hoſtium incurſionibus, ſi in provinciis atque urbibus, in penatibus ac focis domeſticis barbarorum arma graſſarentur! Jam ad exitialem illam vaſtitatem evitandam, bella identidem cum irrumpentibus hoſtium copiis ſuſtinenda ſunt. Bellum ut geri poſſit, conſcribendæ ſunt cohortes, omnibus præſidiis legiones inſtruendæ. Quis autem cogere milites, conflare exercitum, inſtruere aciem poſſit, niſi ſtipendio muneribuſque propoſitis, quibus milites incendi conſueverunt atque ad difficillima ſubeunda pericula ſtimulari. Porro ad numerandam infinitæ prope multitudini pecuniam opus eſt ærario locupletiſſimo. Quapropter ex omnibus regni partibus atque clientum fortunis neceſſe eſt in ærarium regium vectigalia deportari.

ARTICULUS VII.

De Enthymemate.

Quid eſt Enthymema?

R. Eſt Ratiocinatio imperfecta, cui deeſt alterutra ex Propoſitionibus prioribus Syllogiſmi, ſeu Argumenti Philoſophici, v. g. Fortitudine atque prudentia ſingulari Pompejus præditus eſt, ergo dignus eſt

cui

cui adminiſtrandi belli provincia committatur. Omittitur nimirum prima Propoſitio: ille dignus eſt, cui provincia adminiſtrandi belli committatur, qui fortitudine & prudentia ſingulari præditus eſt, ſed Pompejus fortitudine & prudentia ſingulari præditus eſt, ergo, &c. Vel ſi quis ita concludat. Qui fortitudine & prudentia ſingulari præſtat, imperio dignus eſt, ergo Pompejus imperio dignus eſt. Tunc ſecunda Propoſitio ſeu Aſſumtio omittitur, nimirum ſed Pompejus fortitudine & prudentia præſtat, ergo, &c.

Hinc alterutram ex propoſitionibus quæ deeſt, ſi reſtitueris ex imperfecta Ratiocinatione perfectam efficies.

Porro hoc argumentationis genus, quod Enthymema vocatur, frequentiori in uſu eſt apud Oratores, quàm Syllogiſmus. Nam quoties Theſis omittitur, & Hypotheſis una explicatur, toties pœnè Syllogiſmus exulat & regnat Enthymema.

Cicero pro Muræna num. 3. probat Enthymemate à nemine æquiùs defendi Murænam quàm à ſe. *A quo tandem, Marce Cato, eſt æquius Conſulem defendi, quàm à Conſule? Quis mihi in Rep. poteſt aut debet eſſe conjunctior, quàm is, cui Reſpubl. à me una traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus ſuſtentata?*

Ibid. num. 6. reddit rationem ſuæ lenitatis ac miſericordiæ hoc Enthymemate. Vincenda mihi fuit olim indoles mea, ut ſeverus eſſem, ergo nunc cum me omnia ad manſuetudinem excitent, naturæ ſervire debeo. *Quòd ſi tum, cum Reſp. vim & ſeveritatem deſiderabat, vici naturam & tam vehemens fui, quàm cogebar, non quàm volebam, nunc cum me omnes cauſæ ad miſericordiam atque humanitatem vocent, quanto tandem ſtudio debeo naturæ meæ conſuetudinique ſervire?*

Quænam eſt ratio tractandi Oratorii Enthymematis?

R. Duplex. Prima ſi contrahantur duæ partes in unam, ſecunda ſi utraque pars fuſiùs explicetur. Habes prioris rationis exemplum Philip. 5. num. 3. *Pacem vult Antonius, arma ponat, roget, deprecetur; neminem æquiorem me reperiet: cui quidem, dum ſe civibus impiis commendat, inimicus eſſe quàm amicus maluit. Nihil eſt profectò quod dari poſſit bellum gerenti; erit fortaſſe aliquid, quod concedi poſſit roganti.*

Aliud exemplum habes pro Milone num. 41. ubi Cicero probat Milonem non cogitaſſe de occidendo Clodio tunc, cùm revera occidit, hoc Enthymemate. Milo non occidere voluit Clodium cùm potuit id impune facere, igitur non eſt credendus id voluiſſe, cùm exequi non potuit ſine ſummo ſuo periculo. *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?*

Fuſiùs verò tractat Enthymematis partes pro Mil. num. 79. *Quonammodo vos ille vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percuſſit? quid ſi ipſe Cn. Pompejus, qui ea virtute ac ſapientia eſt, ut ea potuerit ſemper, quæ nemo præter illum, ſi is, inquam, potuiſſet, ut de P. Clodii morte quæſtionem ferre, ſic eum ab inferis excitare, utrum putatis facturum fuiſſe? etiam ſi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter Remp. non feciſſet. Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam, ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis? Et de ejus nece lata quæſtio eſt, qui ſi eadem lege reviviſcere poſſet, lata lex nun-*

quam

quam eſſet .... Hæc autem omnia hoc uno concluduntur Enthymemate. Nolletis Clodium vivere, ergo non debetis eum afficere pœna, qui Clodium occidit.

Eſt aliud pœnè ſimile Enthymematis Exemplum Philip. 2. num. 94. *Igitur à quo vivo, nec præſens, nec abſens quidquam æqui boni impetravit, apud mortuum factus eſt gratioſus, &c.*

EXERCITATIO.

Cnei Domitii ad Jul. Cæſarem poſt Pharſalicam pugnam Oratio, ut iis qui contra ipſum arma tulerant, parcat.

Per Enthymema.

SYNOPSIS.

HOc utitur Enthymemate. Debes providere, ne quis ſuſceptum à te bellum civile putet non Reip. gratia, ſed ut privatas inimicitias ulciſcereris; ergo debes iis parcere qui contra te arma tulerunt.

Exordium ſumet à Propoſitione, dicetque hunc ſemper viſum fuiſſe animum Cæſaris, ut ſolius Reip. cauſæ dimicaret.

Rationem afferet propoſitionis. Quia id Cæſar revera præ ſe tulerat, cùm neminem perire voluiſſet præter eos, qui in acie perierant; revocabitque ipſi in memoriam quemadmodum ſuis militibus præceperat, ut civium corporibus parcerent.

Mox veniet ad Complexionem, Cæſarem hortando ut eos ſervatos velit, quibus belli furor pepercerat; ut Deos imitetur illis condonando, qui Deorum beneficio viverent.

ORATIO.

Propoſitio. Debes providere, omnes ut putent bellum &c.

Etſi nemo tibi, Cai Cæſar, ſuccenſere jure poteſt, ſi jam armorum tuorum gloria factus rerum omnium dominus juſtam in tuos atque Reip. hoſtes ſeveritatem exerceas; tamen cum ſuſceptum à te civile bellum tuendæ Reipublicæ, non vindicandi proprias inimicitias gratia omnibus ſemper approbaveris, non dubitavi, quin hoſti profligato parcere, quàm eundem perdere præſtabilius æſtimares.

viſum iri at Reip. gratia à te fuiſſe ſuſceptum.

Enimverò liceat tibi revocare in memoriam tempus illud, quod amariſſimis lacrymis ſæpe deflevisti. Meminiſti, Cai Cæſar, niſi fortè, qui nihil obliviſci ſoles præter laudes tuas, excidit diei illius recordatio, cùm in acie Pharſalica victor lectiſſimum Romanæ militiæ florem cerneres miſerabilem ultro in interitum ruere. Meminiſti, inquam, in illo armorum æſtu, qui inimicus ut plurimum conſilii eſt, & omnis expers humanitatis, quis fuerit animi tui ſenſus? ut percuntium vicem doleres unus omnium maximè? ut civium noſtrorum corporibus parcitum velles? ut ſalutis publicæ ſollicitus magis, quàm propriarum injuriarum memor, Romanum quoquo modo ſanguinem redemptum optares? Audivimus illam, quotquot ſumus, plenam clementiæ vocem, cùm victoriam ipſe tuam, quæ tanta cruoris copia conſtitiſſet, deteſtaveris; &, cùm jam non eſſet integrum revocare ad vitam, qui inter arma ceciderant, palam ediceres parta jam victoria, ne quis in ſuperſtites belli reliquias peccaret.

Probatio Propoſitionis. Quia neminem perire voluiſſet præter eos qui in acie perierant.

Nunc ergo compoſitis tam fortiter quàm feliciter civicis motibus, vide pro tua ſapientia, Cai Cæſar, qualem te medio pacis in ſinu præſtare debeas. An gloriæ tuæ ſit, quiſquam ut ſuſpicetur, plus te privatis odiis, quàm publicæ utilitati ſerviiſſe; neque tam ad arma convolaſſe, ut laboranti patriæ pacem ac tranquillitatem redderes, quàm ut aut ambitionem, aut iracundiam expleres. Intentos habet in te univer-

ſus

ſus orbis oculos, & ſuſpenſus inter admirationem ac metum expectat, qualem Pompejanis partibus animum allaturus ſis, paratus vel applaudere victori, vel funeſta bonis omnibus arma deteſtari. Tuum eſt moderari hominum judicia, &, quid de conſilio tuo ſentire illos velis, decernere. Non eſt tibi mora libera, ut in eos, quos armorum æſtus, aut civilis diſcordia contrarias in factiones abduxit, ſtatuas quidquam durius, ſi humanitatis, ſi clementiæ, ſi æquitatis ipſius famam affectas. Quidquid in te peccatum eſt, erroris vitium fuit, non voluntatis. Quare ſenſerint hactenus Pompejani armatum Cæſarem, quandiu armatum animum retinuere; nunc victoris benignitatem implorantibus, nefas ſit veniam abnuere, quam precantur. Habes in ipſis Diis exemplum, quod ſequaris. Quibus illi parcitum voluerunt, eoſne tu miſericordia indignos arbitrere? &, quos tot ereptos periculis conſervarunt, iis-ne tu calamitatem novam ac perniciem rurſum accerſas. Ah! potiùs cumula Deorum beneficium tuo; fruantur hoſtes tui benevolentia illa, quam per te impertiendam Superi cenſuerunt, rati nullum ipſis fore perfugium certius, quàm ſi tibi dederentur. Age, Cai Cæſar, abſolve quod incœpiſti: reportatam tot victoriis gloriam hodierna dies cumulet. Domuiſti Pompejanos duces fortitudine inſignes, numero prope infinitos; quid reſtat, niſi ut deinceps vincas clementia, quos armis hactenus ſuperaſti?

Complexio. Debes parcere.

ALIA EXERCITATIO.

Romani Cujuſdam ad Neronem Oratio, ut à perſequendis deinceps Chriſtianis abſtineat.

SYNOPSIS.

HOc Enthymemate utetur ad faciendam fidem. Inutile eſt Chriſtianos ulteriùs perſequi; ergo debes ab iis perſequendis deinceps abſtinere.

Exordium. Dicet nullo ſe Chriſtianam in gentem amore adduci ad dicendum, imò ſibi illam odio eſſe & execrationi.

Deinde veniet ad Propoſitionem, oſtendetque per varias Interrogationes, quàm ſit inutile Chriſtianos perſequi, qui nulla pœnarum acerbitate, nullo mortis metu à propoſito deterreantur. Id probabit ab Antecedentibus, jubebitque Neronem meminiſſe, quàm fruſtra fuderit hactenus Chriſtianorum ſanguinem, creſcere illos ſuis cædibus, non modò illos non extingui.

Idem probabit à Conſequentibus. Nihil magis deinde proficies; tibi, imperio noſtro, Diis ipſis timendum, ſi gens illa pergat creſcere.

Complexio. Sine ergo illos ſuis in tenebris inglorios immori; parce hujuſmodi meditari in eos bella, quæ nullum felicem exitum habere poſſunt.

ORATIO.

Quamvis gentem in illam, quam tam acriter perſequeris, graviſſime memet odio ſentiam exſtimulari, nullique rei parcitum velim, ut vel ipſa, ſi fieri poſſit, Chriſtiani nominis recordatio penitus extinguatur: tamen longa doctus rerum experientia operæ pretium eſſe exiſtimo, Princeps ſapientiſſime, ut à cruenta Chriſtanorum cæde tandem aliquando abſtineas.

Propoſitio. Inutile eſt Chriſtianos perſequi.

Nam quid agimus? quid molimur? quid promovemus, dum nova quotidie ſuppliciorum genera ad extirpandam nationem illam peſſimam excogitamus? Hoc tibi perſuaſeras, & nemo erat, qui tibi non aſſentiret, genus iſtud hominum non

eſſe tam invictum, ut alii pœnarum metu deterriti ad meliorem ſe frugem non reciperent, alii variis cruciatibus ac ſuppliciis perditi triſtiſſimas ſecum gentis nefandæ reliquias non ſepelirent. Inſtitimus acriter, perfecimus quod erat imperatum; nullam vel ſexus, vel ætatis, vel conditionis, vel etiam ſanguinis rationem habuimus. Sævitum eſt in amicos, non eſt parcitum affinibus aut conſanguineis. Fratres ipſi fratres in ſuos, parentes in liberos, in conjuges mariti crudeles exſtiterunt.

Probatio Propoſitionis.

At quo ſucceſſu tandem, quo exitu? Revoea, Princeps ſapientiſſime, revoca in memoriam, quàm multos tot ab hinc annis, ex quo funeſtum cum illis hominibus bellum exercemus, vario tormentorum genere perdideris. Numera, ſi potes, quot aquis ſubmerſi, quot enecti ſuſpendio, quot exuſti flammis, quot ferro, quot equuleis, quot rotis abſumpti. Vidimus vicos ac plateas natantes eorum ſanguine; timuimus non ſemel huic urbi, ne cadaverum moles immenſa luctuoſam peſtem ac contagem inferret. Exhauſimus ipſam tortorum induſtriam in inveniendis pœnarum monſtris, quæ Chriſtianos percellerent. Verùm quid promovimus ad hunc uſque diem, quid perfecimus, aut quæ ſpes nobis deinde relicta eſt? Non modò non eſt imminutus illorum numerus, ſed crevit; non infractus animus, ſed erectus; non acciſæ vires, ſed confirmatæ furoribus noſtris illudunt. Diceres fatalem hydram, quæ ſuis è vulneribus quotidie creſcit ac pullulat; ſanguis eorum fatalis inſtar ſeminis eſt, unde nova ſingulas in horas monſtra paſſim exſurgunt.

Quòd ſi tam fruſtra gentem in illam certatum eſt, Princeps ſapientiſſime, qua ſpe deinceps in eandem ſævire parabimus? ſi creſcere ulteriùs pergat, ſi fors illa ſuppliciorum eſt, quibus illam exercemus, ut novum robur ſufficiant, nihil ne metuendum putas, ne, cùm invaluerit tandem aliquando, triſtiſſimam tibi perniciem, cladem imperio, ipſi Deorum religioni ruinam moliatur.

Patere igitur, Princeps ſapientiſſime, ut illa deinceps ceſſet carnificina, quam in Chriſtianum genus tam nullo fructu exerquimus. Suis illi addicti erroribus inanes recentis ac novæ religionis larvas conſectentur. Emoriantur illi natalibus in tenebris; & quando nullis tanti Imperatoris vel blanditiis, vel precibus, vel minis, vel terroribus revocari ad meliorem frugem non potuerunt, permitte illos infelici genio; neque tuam poſthac aut quietem turbent, aut plenam bonitatis clementiam experiantur.

Complexio. Ergo abſtine à perſequendis Chriſtianis.

Hanc verò argumentationem, quæ Enthymema dicitur, facile eſt, uti jam monuimus ad perfectam Ratiocinationem revocare, ſi nimirum vel Propoſitio, vel Aſſumtio, quæ ſubticetur in Enthymemate, reſtituatur. v. gr. Ex illo Enthymemate quod tractavimus; ſcilicet, inutile eſt ulteriùs Chriſtianos perſequi; ergo ab eorum cæde abſtinendum, faceres Ratiocinationem, ſi Propoſitionem ſubſtitueres, quæ ſubauditur. Nempe, deſiſtendum eſt à Conſilio inutili, ſed inutile eſt perſequi Chriſtianos, ergo, &c.

Et illud pariter Enthymema quod primo loco pertractatum eſt; nimirum, debes præcavere, ne quis ſuſceptum à te civile bellum non Reip. gratia, ſed ad vindicandas privatas injurias exiſtimet, ergo debes parcere iis, qui contra te arma tulerunt, facilè mutabis in Ratiocinationem, ſi Aſſumtionem, quæ ſubticetur,

cetur, reſtitueris hoc pacto. Præcavere debes, ne quis ſuſceptum à te bellum exiſtimet non Reip. gratia, ſed ad vindicandas privatas injurias; ſed niſi peperceris iis qui contra te tulerunt arma, multi exiſtimabunt te privatis injuriis, non Reip. utilitate ad ſuſcipiendum civile bellum fuiſſe adductum; ergo debes parcere, &c.

ARTICULUS VIII.

De Dilemmate.

Quid eſt Dilemma?

R. Eſt argumentatio conſtans duabus Propoſitionibus oppoſitis, quæ nihil medium patiuntur; adeo ut alteram concedi neceſſe ſit. Tale eſt illud latronis ſtricto pugione peregrinum inermem alloquentis, aut crumenam dabis, aut vitam.

Frequentiſſima ſunt apud Tullium hujus Argumentationis exempla. Philip. ſecunda num. 100. probat Cæſaris acta, quæ vulgaverat Antonius, fuiſſe adulterata. *Sed ad Chirographa redeamus. Quæ fuit tua cognitio? Acta enim Cæſaris pacis cauſa confirmata ſunt a Senatu. Quæ quidem Cæſar egiſſet, non ea quæ Cæſarem egiſſe dixiſſet Antonius. Unde iſta erumpunt? quo Auctore proferuntur? ſi ſunt falſa, cur probantur? ſi vera, cur veneunt?*

Et pro Cœlio num. 50. Clodiam perſtringit, & purgat Cœlium hoc dilemmate. *Si qua mulier ſit hujuſmodi, qualem ego paulo ante deſcripſi, tui diſſimilis vita inſtitutoque meretricio, cum hac aliquid adoleſcentem hominem habuiſſe rationis, num tibi perturpe aut perflagitioſum eſſe videatur? Ea ſi tu non es, ſicut ego malo, quid eſt quod objiciant Cœlio? Sin eam te volunt eſſe; quid eſt, cur non crimen hoc, ſi tu contemnis, pertimeſcamus?*

Duplex eſt ratio tractandi Dilemmatis: prima conſiſtit in Propoſitione ſimplici Dilemmatis, cujus utraque pars nuda effertur, quia veritas clara eſt. Tale eſt illud quod proponit Cicero Philip. quinta num. 25. *Legatos decernitis? ſi ut deprecentur, contemnet; ſi ut imperetis, non audiet.*

Et pro Quintio num. 41. ubi poſtquam probavit Quintium nihil debere Nævio, quod is debitum non poſtulaſſet ſibi perſolvi, in magna ejuſdem petendi facultate, hoc Dilemmate concludit. *Reſtat, ut ſumma tibi negligentia obſtiterit, aut unica liberalitas; ſi negligentiam dices, mirabimur: ſi bonitatem, ridebimus.*

Habes ibid. aliud exemplum Dilemmatis n. 81. Pro Roſc. Amer. n. 74. pro Plancio n. 6. ibid. 85. Philip. 3. n. 22. Phil. 13. n. 17.

Alius modus eſt tractandi Dilemmatis, cùm amplificatione figurata pars utraque Dilemmatis exornatur. Tale eſt illud, quod habetur Phil. ſecunda num. 31. *Nunquam-ne intelliges ſtatuendum tibi eſſe, utrum illi, qui iſtam rem geſſerunt, homicidii rei ſint, an vindices libertatis? Attende enim pauliſper, cogitationemque ſobrii hominis punctum temporis ſuſcipe. Etenim ego qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris; ut à te arguor, ſocius; nego quidquam eſſe medium; confiteor eos, niſi liberatores populi Rom. conſervatoreſque Reip. ſint, plus quàm ſicarios, plus quàm homicidas, plus etiam, quàm parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quàm ſuum occidere. Tu, homo ſapiens & conſideratus, quid dicis? ſi parricidæ, cur honoris cauſa à te ſunt & in hoc ordine, & apud populum Rom.*

ſemper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab urbe, plus quàm decem dies, abſuiſſet? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore ſunt celebrati? cur Provinciæ Caſſio & Bruto datæ? cur Quæſtores additi? cur Legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te: non igitur homicidæ? Sequitur ut liberatores tuo judicio ſint; quandoquidem tertium nihil poteſt eſſe. Quid eſt? non conturbo te; non enim fortaſſe ſatis, quæ diſtinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc eſt ſumma concluſionis meæ, quoniam ſcelere à te liberati ſunt, ab eodem te ampliſſimis præmiis digniſſimi judicati ſunt.

Et prima Verrina hoc utitur adverſus Cæcilium Dilemmate. Probatque non eſſe illum idoneum Verris accuſatorem. num. 31. *Tu, Cæcili, quid facies? Utrum hoc tantum crimen prætermittes? an objicies? ſi objicies, id ne alteri crimini dabis, quod eodem tempore, in eadem Provincia tu ipſe feciſti? Audebis ita accuſare alterum, ut, quominus tu te condemnere, recuſare non poſſis? ſin prætermittes, qualis eris iſta tua accuſatio, quæ domeſtici periculi metu, certiſſimi & maximi criminis non modo ſuſpicionem, verùm etiam mentionem pertimeſcat?*

Et Verrina quarta num. 155. *Utrum tibi Siculos publicè privatimque amicos, an inimicos exiſtimari vis? ſi inimicos, quid de te futurum eſt? quò confugies? ubi niteare? modò Aratorum honeſtiſſimorum hominum & locupletiſſimorum maximum numerum abs te abalienaſti; nunc de civitatibus Siculis quid ages? Dices tibi Siculos eſſe amicos? qui poteris, qui, quod in nullo homine antea fecerunt, ut in eum publicè teſtimonium dicerent, cùm præſertim ex ea Provincia condemnati ſint complures, qui ibi Prætores fuerunt, duo ſoli abſoluti, hu c conveniunt cum literis, veniunt cum mandatis, veniunt cum teſtimoniis publicis.*

Similiter probat adverſus Piſonem Dilemmate, eum oportuiſſe eſſe cupidum prædæ, qui ſe cupidum fuiſſe triumphi negaverat. Orat. in Piſ. num. 56.

Item & pro Cornelio Balbo probat inſigni Dilemmate, non feciſſe quidquam Pompejum contra fœdera n. 13. In his omnibus locis utramque Dilemmatis partem tractat magnifice & diligenter exornat.

Duplex eſt autem Dilemmatis diluendi ratio. Prima, cum Dilemma totum invertitur. Scitum eſt illud Antigoni Regis, a quo frater cùm peteret, ut cauſa, quam habebat, non in foro palam, ſed domi privatim cognoſceretur: reſpondit Antigonus hoc Dilemmate; ſi cauſam injuſtam habes, cur litigas? ſi juſtam, cur conſpectum hominum fugis? Cui frater reſpondere potuiſſet, utraque parte inverſa. Si juſta cauſa eſt, meliùs & faciliùs domi cognoſcetur; ſi injuſta, minorem infamiam privatim ſubibo, quàm publicè.

Altera ratio diluendi Dilemmatis; cùm una duntaxat pars Dilemmatis infirmatur. Sic herus ille ſervum percutiens, roganti ſervo, cur ipſius opera uteretur, ſi eſſet improbus; cur percuteret, ſi probus eſſet? reſpondit: non percutio te, quia probus es; ſed quia improbus, ut probo uti poſſim.

EXER-

EXERCITATIO.

In eos, qui de eventuris ſibi calamitatibus Divinos & Hariolos conſulunt.

Exemplum Dilemmatis.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet quoſdam eſſe in torquendis ſe ipſis ingenioſos, quaſi non ſatis multa evenirent contra voluntatem ferenda.

Propoſitionem efferet per Apoſtrophen ad eos qui de futuris calamitatibus Divinos conſulunt; dicetque illos eſſe miſerrimos.

Confirmatio petetur ab hoc Dilemmate, quod ita proponet. Vel illi quod enunciant, eventurum eſt, vel non eventurum: ſtatuite ergo quod vultis; verſate vos in omnem partem, nam alterutrum neceſſe eſt, ut admittatis.

Tum tractabit prius Dilemmatis membrum; oſtendetque inſipientes eos eſſe, ſi calamitates de quibus Hariolos conſulunt, eveniant; quia ſtultum eſt ante tempus ſe macerare, bis miſeri, &c.

Deinde poſterius membrum tractabit probabitque non minus eos infelices eſſe, ſi nihil eorum eveniat, quod Divini mentiuntur, quia nihilominùs torquebuntur perpetuo inanique metu.

Concludet deterrendo ab ejuſmodi curioſitate.

ORATIO.

Cùm tam multa ſunt in hac, quam vivimus, vita homines miſeri, quæ contra ſpem ac voluntatem nobis ab adverſis rebus ferenda paſſim occurrunt; tum certè mirum eſt inveniri quoſdam in torquendis ſemetipſis macerandiſque tam ingenioſos, ut novum quemdam malorum cumulum ultro ac volentes ſibi accerſere non dubitent.

Nam quid aliud, amabo vos, facere dicendi ſunt, qui inſanabili quadam curioſitate correpti eventuras ſibi olim calamitates ex Hariolis Diviniſque ſciſcitari geſtiunt; &, quod prudens rerum omnium moderator atque arbiter Deus, non ſine amabili providentiæ ſuæ ordine occultandum cenſuit, id per fas ac nefas magno ſui ipſorum damno ambiunt pervidere?

Age enim, quiſquis es hujuſmodi tam inimicus felicitatis tuæ, ut, ſi quid credis tibi metuendum gravius, id conjicere ex Hariolorum reſponſis & malas per artes augurari geſtias? Quis hanc miſero mentem injecit, ut torquere te multo ante quàm oporteat, atque etiam macerare fruſtra, ut plurimùm, moditeris? Unum te volo imprudentiæ tuæ teſtem ac judicem; non ad aliud quàm ad tuum ipſius tribunal appello. Dic mihi, quæſo; vel illa evenient aliquando, quæ inanes illi Augures enunciant mala, vel ab illis eventura falsò prædicantur. *Dilemma.* Quid tibi videtur? ede reſponſum: quid ſiles? an facere tibi fucum velle videor? an captioſis argumentis credulitati tuæ inſidias paro? Nullæ hìc ambages, nullus latet hìc dolus; clara ſunt omnia & aperta, niſi quod velis intervenire medium, ubi eſſe non poteſt? Fateris ergo quod nemo ſanus revera negaverit, aut eventura illa, quæ noſſe curioſiùs ambigis, aut certè non eventura? Bene eſt, utor reſponſo tuo, & rem ulteriùs perſequor. Si, quod illi malum tibi perſcrutanti cupidiùs *Pars prior Dilemmatis.* præcinunt, eventurum revera eſt, uti dictitant, næ tu hominum inconſultiſſimus, qui tantopere te maceres ac torqueas ad eas evitandas calamitates, quas declinare non poſſis! cur non quieto potiùs ac tranquillo exſpectas animo, quidquid Superi de te ſtatuerint? Numquid illa, quæ reformidas, mala cruciabunt te ſatis, cùm evenerint, niſi te ipſe ante

ante tempus ultro vexaveris? bis miſer & infelix, quem impendentis fati metus multo graviùs jam cruciet, quàm ipſo fortè malo, cùm inciderit, cruciandus ſis. At ſi nunquam evenient illa, quæ tibi jam tum ſollicitudinem tantam pariunt, quantæ ſtultitiæ eſt. inanibus perturbari malorum umbris puerorum more, &, dum in portu navigas, adverſas tempeſtates formidare?

Pars poſterior.

Videte ergo vos, quotquot mala iſthæc prurigo inceſſit hactenus, ne vos ullo fructu atque emolumento, ſed magno atque incredibili veſtro ſupplicio torqueatis; abſtinete ea velle percunctari, quæ ſibi uni ſupremus fatorum omnium arbiter ac moderator Deus cognoſcenda reſervavit; hoc agite multo diligentiùs, ut æquam rebus omnibus, non adverſis minùs quàm proſperis mentem præparetis; &, quidquid vobis demum contigerit, facite, ne vos aut elatiùs extolli, aut deprimi humiliùs patiamini.

Complexio.

ALIA EXERCITATIO.

In Degeneres Chriſtianos.

S Y N O P S I S.

DEgeneres Chriſtianos urgebit hoc Dilemmate. Vel eſtis Chriſtiani vel non eſtis? ſi Chriſtiani eſtis, cur Chriſti legibus non paretis? ſi non eſtis, cur glorioſum illud nomen uſurpatis?

Exord. Dicet Orator defeciſſe Chriſtianos à majorum ſuorum virtute, & pleroſque nihil retinere præter inanem Religionis umbram.

Deinde proponet laudatum jam Dilemma, idque urgebit variis interrogatiunculis & quaſi punctis.

Tertiò. Priorem partem Dilemmatis per Subjectionem exponet; ſi Christiani eſtis, cur igitur Chriſti legibus morem non geritis?

Quartò. Secundam partem tractabit, petetque, cur Chriſtiani nomen uſurpent, qui nihil hominis Chriſtiani habeant, præter inane nomen? jubebit illos glorioſam iſtam appellationem deponere, qua temerè ſuperbiunt.

Denique concludet per Ironiam, hortando illos, ut aliam religionem amplectantur, niſi malint ad meliorem frugem ſe recipere.

O R A T I O.

Quonam deplorando temporum noſtrorum facto fieri dicam, ut cum Majores noſtri Chriſtianæ Religionis inſtitutum tam ſedulò, tam ſeverè coluerint; ſic ab eorum virtute & ſacra velut hereditate nepotes defeciſſe videantur, nihil ut præter vacuum & inane duntaxat Chriſtiani nomen, mendacemque religionis larvam retineant?

Nam quò, degeneres animæ, quò priſtina pietas abiit? quò priſcus receſſit ardor? ubi prioris illius fortitudinis exſtant veſtigia, qua mediis vel in ſuppliciis parentes veſtri invicti perſtitere? Quo ego vos nomine jam appellem, in quibus nulla avitæ pietatis exempla video? ſtatuite tandem ipſi quales velitis eſſe, quales appellari. Chriſtiani eſtis, an non? reſponſum date. Nolite facere fucum hominibus, aut ementitam virtutis faciem prætendere. Nunc opus eſt, omnes ut intelligant, quo nomine vobis placeat unumquemque veſtrum deſignari.

Dilemma.

Atenim audio communem omnium vocem; Chriſtiani ſumus, exclamatis. Idipſum piacularibus ſacri lavacri fontibus abluti profeſſi ſumus; hoc præclaro gloriamur nomine; Chriſtianorum ſacramenta uſurpamus; Chriſtianis inſtituris ac religionibus utimur. Cur igitur nomen tam ſanctum flagitiis veſtris polluitis? cur alienam à vita Chriſti vitam vivitis? cur præceptis ipſius ac legibus rebelles uſque ac con-

Pars prior Dilemmatis.

contumaces, hanc ipſam, quam videmini profiteri, doctrinam abjicitis? Chriſtus voluptates damnavit, vos conſectamini: Chriſtus opibus maledixit, vos inhiatis: Chriſtus honores contempſit, vos omni ſtudio ac labore per fas ac nefas aucupamini.

Pars poſterior. Faceſſite mendaciſſimi hominum, larvati Chriſtiani faceſſite; parcite ſpecioſum illud nomen jactare ambitioſius; non eſt Chriſtianum nomen poſitum in verbis, ſed in factis; integritate vitæ, morum innocentia, virtutum exercitatione glorioſa iſthæc appellatio continetur. Non capiunt ſordes veſtræ, fœditas animi, morum corruptela tantum nomen, tam cœleſte, tam divinum.

Ite, ite ad Mahumetanos, turpiſſimos illos fœdiſſimarum voluptatum cultores; Religionem eorum amplectimini, quorum mores imitari vos non piget. Hîc licebit omni vitiorum genere inquinare vos; hîc ſpurciſſimis deliciis indulgebitis impune; non erit quiſquam, qui depravatam morum veſtrorum turpitudinem arguat. Sed quid ego, hæc? Ah! potius, ſi qua vos ſalutis veſtræ remordet cura, ſi quis Chriſtianæ Religionis amor tangit, recipite vos ad meliorem frugem, & Chriſtiani nomen, quod uſurpare placet, omnibus Chriſtianæ virtutis officiis decorate.

ARTICULUS IX.

De dilemmate captioſo.

Quid eſt Dilemma captioſum?

R. Eſt argumentatio ita concludens ab utraque parte, ut adverſarium ſimpliciorem & imperitum illudat, niſi illius eludendæ artem noverit. Talis eſt iſta argumentatio, qua Sacerdos quædam utebatur, ad ſuadendum filio, ne apud populum diceret. Nam ſi injuſta dixeris, inquiebat illa, Deos habebis iratos, ſi juſta, homines. Quam argumentationem ſic invertit Adoleſcens ingenioſus & in matrem retorſit. Imò expedit apud populum dicere, nam ſi juſta dixero, Deos amicos, ſi injuſta, homines inveniam.

Huc referendæ ſunt mentientes Propoſitiones, quæ ſe ipſas negant, vel ſi ſe includunt, falſum affirmant. Sic Poeta Cretenſis cùm dixiſſet omnes Cretenſes eſſe mendaces, Propoſitionem certè mendacem attulit. Nam ſi Cretenſes omnes ſunt mendaces, ergo & ipſe mendax, cùm Cretenſis ipſe omnes mendaces Cretenſes dixerit. Si neget ſe mendacem, falsò dixerit Cretenſes omnes eſſe mendaces; erit itaque & ſimul mendax & ſimul verax.

Denique eo etiam revocantur Crocodili, quos vocant, ſeu callidæ interrogationes, quæ fucum faciunt rudibus & imperitis. Dicuntur autem Crocodili, propterea quòd commenti ſunt Poetæ, Crocodilum rapto mulieris viduæ filio, ſic cum ea fuiſſe collocutum: Reddam tibi filium, ſi verum dixeris. Reſponde igitur, utrum ſim tibi redditurus, an non? Negavit illa fore ut redderet, & ob eam cauſam reddi debere, quòd verum dixiſſet. Cui Crocodilus. Atqui non reddam, inquit, ſi enim reddidero, verum non eris locuta: ſin me redditurum dixeris, falſum dices, non enim certò reddam.

Similis eſt ludicra & captioſa Adoleſcentis illius argumentatio, qui, cùm ſe cuidam Rhetori inſtituendum tradidiſſet, grandi mercede pactus, ſi primam cauſam apud Judices evinceret, bellè tandem eruditus mercedem negavit. Cui diem Magiſter cùm dixiſſet, nihil debeo tibi, retulit Diſci-

Digitized by Google

pulus. Nam ſi vicero, ex judicum ſententia ſolutus ac liberatus ſum; ſi vincor, ex pactis nihil tibi debeo, ea tibi lege tantùm obſtrictus, ſi prima in cauſa palmam referrem.

At Diſcipulo perito Magiſter ipſe peritior. Imò, mercedem debes, ſubjecit; ſi viceris, ut pactus es: ſi non viceris, ut condemnatus. Cauſam illam utrinque oratoriè tractabimus ad Rhetoricarum Exercitationum complementum.

EXERCITATIO.

Thiſias Adoleſcens Syracuſanus adverſus Coracem Rethorem magiſtrum ſuum.

Dilemma captioſum.

SYNOPSIS.

Exord. Sumet à Prolepſi. Significabit dolorem ſuum, quòd adverſus Magiſtrum adhibere cogatur artem illam, quam ab eo didicerat.

Deinde allata Propoſitione narrabit breviter, qua lege cum Corace pactus fuerit.

3. Per Interrogationem quæret à Magiſtro qua tandem in re poſitam artem putet, quam ab ipſo didicerat; tum per ſubjectionem reſpondebit in perſuadendo.

4. Proponet hoc Dilemma; vel perſuaſero Judicibus nihil me tibi debere, vel non perſuaſero. Si perſuaſero, dicta cauſa eſt; ipſo Judicum calculo ſolutus ac liberatus ſum. Si non perſuaſero, nihil eſt quod mercedem petas, quam ex pacto nullam debeo niſi cauſa vincerem. Hoc argumentum urgebit variis interrogatiunculis.

Peroratio. Judices obteſtabitur ut jus ſuum ſententiis confirment.

ORATIO.

Etſi injuſtus ego quibuſdam, aut ſaltem accepti beneficii parum memor videri poſſum, qui poſt exactam ſub eruditiſſimi Magiſtri diſciplina adoleſcentiam, hac ipſa, quam ſum edoctus ab eo, dicendi facultate adverſus eundem abuti mediter; tamen cùm res mihi ſit hodie apud Judices æquiſſimos & maximè perſpicaces, ita dicturum me ſpero, ut non iniqui tantùm, ſed ingrati animi ſuſpicionem penitus amoliar.

Poſtulor ego negatæ mercedis reus, quam ſibi debitam Corax eruditus Rhetor vindicat. Ne injurius revera ſim, Judices, & dignus criminatione; quæ mihi clariſſimos apud viros infertur, ſi defraudare hominem velim re ſua, &, quam pro jure ſuo repetat, abnuam perſolvere. Verùm hoc agitur inter nos, Judices, hoc contentionis hodiernæ caput, an debita ſit merces illa, quam Corax pertinaciter exigit. Affirmat ille quidem confidenter, vocat me veſtrum ad tribunal; infractæ fidei & immemoris animi crimen objicit. Ego verò, Judices, non confidenter minùs, quàm verè debitam nego mercedem, ille quam petit: adſum paratus diluere calumniam, qua me provocat, & inuſtam nomini meo labem accuſatoris pœna mulctari poſtulo. Uti noſtrum ratio milit et & æquitas, per voſmetipſi judicate.

Permotus ego Adoleſcens Coracis eruditi Rhetoris fama, veni ad eum Eloquentiæ perdiſcendæ cupidiſſimus. Ille, ut me aſpexit, atque etiam interrogatiunculis quibuſdam ingenii mei ſi quod eſt, fecit periculum, non dubitavit affirmare, eſſe in me non ita contemnendam ad capeſcendam Eloquentiam facultatem; quæ ſi diligenti ſtudio & perito imprimis magiſtro excoleretur, fructus habere aliquando poſſet minime pœnitendos. Exarſi continuò magis ac magis nova divinæ illius artis cupiditate, & ad Coracem converſus, age ſis ergo, dixi, hominum peritiſſime; ecce trado me tibi præceptis tuis inſtituendum; hoc in me perfice, quod polliceris, nec levem impenſi laboris mercedem.

cedem exſpecta. Accepit ille conditionem; pacta merces eſt: veni ad eum aſſiduè; excepi diligenter doctas periti Magiſtri lectiones; uno verbo artem didici, perdidici; imò, ſi qua homini fides eſt, novi, ut quiſquam optimè. Mihi non ira videtur, Judices; uter noſtrum opinione fallatur ſua, veſtrum eſt facere conjecturam.

Age verò, Rhetor facundiſſime, qua demum in re artem illam, quam edoctum eſſe me à te venditas, poſitam arbitraris? opinor in perſuadendo; hoc enim decantaſti nobis centies; hoc ipſo, medius fidius, Scholæ noſtræ parietes ſingulis propè diebus perſonuerunt. Nunc igitur attendite, Judices, in ea facultate quid poſſim; quantum ſub Coracis diſciplina profecerim; pro veſtra cùm æquitate, tum perſpicacia judicate.

Vel enim perſuaſurus ſum vobis, Judices, tibique adeo ipſi, Rhetor erudítiſſime, debere me tibi omnino nihil, vel non ſum perſuaſurus. Nam alterutrum neceſſe eſt ut eveniat, niſi fortè quid medium putes intereſſe, ubi eſſe non poteſt. Si perſuaſero; cur tu mercedem exigas, homo diſertiſſime, quam non Judicum modò ſuffragiis, ſed tuo ipſius calculo non debitam fateare? an viciſſe cauſam poſſum, ſimul & perdere? Quod ſi non perſuaſero, ô fruſtra tot exhantlatos labores! ô collocatam malè induſtriam! ô te hominum, ne quid dicam pejus, minimè providum! qui mercedem eo nomine repetas, quòd nihil artis illius, quam profitere, quidquam in me contuleris. Vide, quæſo, Rhetor facundiſſime, ne, cùm ad eam, qua polles, doctrinam minùs bene vertat, quòd in inſtituendo adoleſcente, quem ingenioſum eſſe jactitabas, tam parùm profeceris; multo ſit turpius eam mercedem poſtulare, quam ea tantùm conditione promiſſam non diffiteris, ut me in arte tua peritiſſimum efficeres.

Quamobrem peto à vobis, Judices integerrimi, ut quam inflixit mihi Corax, imprudens quidem, quod ego lubentiùs crediderim, ingrati animi labem pro veſtra æquitate eximatis; ſtatuatiſque, vel ut me ſuis præceptis diligentiùs erudiat, vel ut ab efflagitando præmio, quod non eſt meritus, deinceps abſiſtat.

ALIA EXERCITATIO.

Corax Rhetor adverſus Thiſiam diſcipulum ſuum.

Ratio diluendi captioſi Dilemmatis.

SYNOPSIS.

Exord. Dicet non exiſtimare ſe locutum ſeriò fuiſſe Thiſiam, cùm oratione publica pactam negavit ſolvere pecuniam. Probabit hoc ab opinione quam habet de Adoleſcentis optimi moribus. Sed voluiſſe eum oſtentare ingenium & artis, quam didicerat, facere periculum.

2. Rem geſtam eo modo, quo narravit Thiſias, fatebitur, nec alio ſe velle uti argumento ab eo, quod Thiſias adhibuit.

3. Eodem utetur Dilemmate, quod ſic invertet. Vel perſuaſit vobis Adoleſcens eruditus, vel non perſuaſit; ſi perſuaſit, dicta cauſa eſt: hanc enim ſibi dixit ipſe legem, ut cùm perſuadendi didiciſſet artem, pactam numeraret pecuniam; inſiſtet maxime in ea tractanda Propoſitione. Si non perſuaſit, ergo, vobis Judicibus, mihi debet pecuniam.

Concluſio. Hortabitur Judices, ut cauſam ludicram ſeria ſententia finiant.

ORATIO.

Et fucum faciet eruditione ſua Diſcipulus ille noſter? Artem in eum, à quo didicit, impunè converret à

Nu-

Nudam ac ſimplicem Eloquentiæ ſinceritatem compoſitis ad fallendum verborum phaleris perperam adhiberi? Fallor, Judices; alius eſt ille prorſus ab eo, quem fortè exiſtimatis. Novi adoleſcentem, novi mores, novi ingenium. Scio qua mente, quo conſilio rem illam, quam ſuſpicari falſi nemini veniat in mentem, quam inficiari ipſe ſeriò non audeat, revocare in dubium tentaverit. Voluit ſcilicet Adoleſcens minimè malus publica quadam exercitatione & frequenti clariſſimorum virorum conſeſſu probare omnibus, quid poſſet dicendo, & quantos apud me progreſſus feciſſet. Gratulare tibi, Adoleſcens ingenioſe; id eviciſti, quod volebas; habes laborum tuorum fructum ampliſſimum; hoc tu conſecutus es omnium judicio, ut diſertus, ut terſus, ut politus Orator haberere. Nemo non ſuſpexit ingenii tui ſolertiam; concinnitatem in ſcribendo, in agendo gratiam omnes laudavere. Quid ambis ultra? quid moliris? quid petis? Addam & illud, ſi voles, ad commendationem tui nominis ſingularem, quòd ſapiens ante pilos, quòd præter ætatem eruditus, quòd ſupra hominum conditionem ac naturam, in ipſa adoleſcentia, quæ ut plurimum fugitans eſt laboris, ſtrenuus ac diligens videare. Eſt-ne aliquid amplius, quod ab amantiſſimo Magiſtro tuo deſideres? ſuſpicor ego quid velit, Judices; nolit haberi ſe à me durius in hac cauſa, vel dum ſe mihi adverſarium profitetur.

Eſto: dabimus hoc etiam illi perlubenter, Judices; minimè illum vexabo; conſulam indoli ipſius, parcam ingenuæ morum ſuavitati; non inficiabor quidquam ex iis, quæ diſſeruit tam eleganter in hac cauſa: fatebor rem ita geſtam eſſe, uti ipſe narravit, in quo maximè Diſcipulum agnovi, non adverſarium. Ludam ergo juveniliter in verbis, quod ille fecit tam ſubtiliter; nec aliud armorum genus ſtringere in eum velim, quàm id ipſum, quo me aggreſſus eſt.

Age, Adoleſcens erudite, ingredere ipſe campum illum, quem aperuiſti tu mihi, eandem permitto tibi, quam permiſeras modo exſpatiandi liberiùs facultatem. Verte te ergo partes in omnes; ſtatue quod volueris; quære etiamnum, quod præſtitiſti jam jam mirificè, unde ingenium & artem oſtentes. At alterutrum fateare neceſſe eſt; aut perſuaſiſſe te quod volebas, aut non perſuaſiſſe. Si perſuaſiſti, habes quod tantopere petebas, cùm veniſti ad me. Te unum teſtem volo, nitor enim maximè ingenua Adoleſcentis ſinceritate; unum te inquam teſtem appello: quid poſtulaſti aliud, cùm divertiſti Ludum in noſtrum, niſi ut perſuadendi artem diſceres? Hoc ſi conſequereris, nihil eſſe ajebas, quod Magiſtro tuo donandum non cenſeres; promittebas montes aureos; compoſuimus: pacta merces eſt: quid igitur hodie renuis pactam numerare pecuniam? quid ambages quæris? quid negas? quid affirmas?

Quanquam, Judices, laudo Adoleſcentem, qui in eo, non me ut illuderet, ſed ut daret aliquod ingenii ſui ſpecimen inprimis elaboravit. Suſpexiſtis enimverò, & mirati eſtis, ut rem clariſſimam propè obſcuraret Oratoriis artibus, & cauſam, quam pro ſua perſpicacia noverat ipſe deſperatiſſimam, dicendo faceret probabilem, tantùm non veram. Optandum fuiſſet Adoleſcenti ingenioſo, ut in deligendo argumento cautior ac ſolertior extitiſſet!

Atenim, inquiet aliquis, non perſuaſit; patuit futilis & captioſæ Argumentationis artificium. Nunquam

crim-

evincet ille, ut debitam quis non putet, quam repeto pro jure meo mercedem. Audio: reſtat hoc unum Adoleſcenti perfugium; non perſuaſi, reclamat ille. Bene eſt; non perſuaſiſti? igitur dijudicata res eſt; cauſa victa eſt, quin pactam ſolvis pecuniam, quam mihi non deberi perſuadere nemini potuiſti? Quid adhuc dubitas, quid tergiverſaris? Quaſi verò eſſet quid medium, in quo ludere etiamnum juveniliter poſſes? Sed jam omiſſo ludo ad ſeria veniamus.

Videte ergo, Judices, ut de re tota pro veſtra perſpicacia & æquitate ſtatuatis, ut cauſam illam ludicram ſeria ſententia terminetis; ut Thiſias, cui pro veſtra humanitate indulſiſtis, ut graviſſimum hunc conſeſſum jocando nugandoque recrearet, non jam inanes Figurarum phaleras, ſed ſolidos & benè probatos nummos expediat.

Ultima huic Exercitationi aliquam Forenſis Cauſæ formam dabimus, conſtituendo ſuper ea controverſia Judicem, qui litem dirimat.

J U D E X.

Novum protſus cauſæ genus, Judices, & ante hunc diem inauditum veſtris dirimendum ſententiis hodierna die delatum eſt. Ecce Adoleſcens ingenioſus cum nobili Rhetore, Diſcipulus cum Magiſtro, Thiſias cum Corace componitur. Ecce non tam de mercede fragili, quàm de ingenii gloria, non tam de pecunia, quàm de eruditionis laurea certatur. Atque hæc certaminis ratio, Judices, eſt ejuſmodi, ut alteri ſit glorioſius vinci, quàm vincere, alteri ſine dedecore contingere non poſſit ab altero ſuperari. Nam quid ſit honorificum magis Adoleſcenti ingenioſo, quàm ſi veſtris omnium judiciis eam adeptus in dicendo facultatem videri poſſit, ut pactam ea conditione pecuniam peritiſſimo Magiſtro ſolvere debeat? Quid verò ſapientiſſimo Rhetori eveniat funeſtum magis, quàm ſi ad ſuſceptos nullo emolumento labores is accedat ignominiæ cumulus, ut nihil boni Thiſiam docuiſſe judicetur?

Verùm, quoniam non cadit in hodiernam contentionem, quid utrumque deceat magis aut minùs, aut quid ad eorum utilitatem detrimentumve pertineat, niſi conjunctum idem cum æquitate cenſeri poſſit; video noſtrarum eſſe partium excutere diligenter litigantium jura, &, quibus ad cauſam adjumentis accedant, ſedulò demonſtrare. Quod ut aſſequamur faciliùs, operæ pretium eſt videre, quid dederit hodiernæ controverſiæ cauſam; ac licèt Coracem inter ac Thiſiam ſatis ſuper ea re conveniat, hoc ipſum tamen, uti geſtum eſt, perſtringere breviter non pigebit.

Non potuit ignorare Thiſias vel in hac ætate tum tenera, quanta Corax apud nos Eloquentiæ fama floreret; atque ut is fuit etiam ab infantia bonarum artium percupidus, nihil antiquius habuit, quàm ut ſe totum doctiſſimo Rhetori ad eam, quam ille profitebatur, artem informandum permitteret. Venit ergo Thiſias ad Coracem, conſilium aperit ſuum, & montes aureos pollicitus, ſi tanti Magiſtri ſub diſciplina peritum in Rhetorem olim evaderet, facilè perſuaſit homini, ſuam ut Candidato navaret operam, neque ad eundem inſtituendum labores ullos ſubire detrectaret. Quippè ſenſit Corax in Thiſia, poſtquam pertentavit Adoleſcentis ingenium, quoſdam fortunatæ indolis igniculos, qui ſi foverentur aſſiduis inſtitutionis bonæ laboribus, uberrimos

mos fructus aliquando promitterent.

Verùm hæc fuit pacta Diſcipulum inter ac Magiſtrum mercedis conditio, ut Coraci Thiſias nihil rependeret, niſi cùm perſuadendi artem, qua tota conſtat Rhetorica, aſſecutus videretur.

Ita profecit brevi Coracis in ſchola Thiſias, ut jam peritus Magiſtri ſui judicio Rhetor haberi poſſit, & pactam ſolvere pecuniam teneatur. Id porro negat Diſcipulus, Judices, atque, ut aliquod facultatis illius, quam adeptus dicitur, faceret veſtro in conſpectu periculum, voluit perſuadere vobis; nihil eſſe, quod ſuus ille inſtitutor mercedem exigat, ut eandem ipſe erogare cogeretur.

At quàm ſolerter id aggreſſus eſt, Judices, quàm proceſſit ingenioſè, quàm ſubtiliter peroravit! Rem pœnè adduxit eo, ut ſuam nos in ſententiam pertraheret, tam probabili in ſpeciem, tam idoneo ad faciendam fidem argumento uſus eſt? Etenim niſi revera perſuaderet vobis, nullis ſe pactæ cum Corace pecuniæ nominibus obligari, veſtraque omnium eò confluerent judicia, ut ab omni exſolvendæ mercedis lege Adoleſcens ſolveretur, quid erat ultra, quod à Diſcipulo ſuo Corax expoſceret, cui promiſſa merces ea tantùm conditione fuiſſet, cùm perſuadendi artem Thiſias videri poſſet attigiſſe.

Hic enimverò triumphavit Adoleſcens; hoc argumento fretus Veterano Rhetori, ac pugili jamdudum exercitato Novitius ac Candidatus jocculariter illuſit. Actum erat de Adverſario, niſi rem cum peritiore, quàm eſſet ipſe, Magiſtro ingenioſus Diſcipulus habuiſſet.

Suſpexiſtis enimverò Coracis induſtriam, quem non ille artificioſæ orationis fucus perſtrinxit, non dejecit triumphantis Adoleſcentis cavillatio, non ipſe datus conſeſſu in celeberrimo plauſus perturbavit. Diceres verſutum quemdam & longa experientia contritum Ducem, qui comparatas ab hoſte ſpeculatus inſidias, non irruit ſtatim, illas ut dejiciat ac labefactet; ſed conſcius ipſe ſibi, quid ſit acturus, & quem ex paratis ſibi laqueis poſſit fructum percipere, opperitur iantiſper hoſtem, eundem etiam patitur propiùs accedere, donec ſuis ipſum in retibus implicet, tantoque illuſtriorem habeat ab eo victoriam, quanto certiorem ad triumphum ille properabat. Neque enim diſertiſſimus ille vir locupletiore de penu, aut de armamentario ſuo varia deprompſit arma, quibus inſultantem hoſtem conficeret; non recurrit ad amplam communium, quos vocant, Locorum ſegetem, unde velidiſſimis argumentationibus adverſarium obrueret? non adhibuit illa orationis lumina, multiplices Tropos ac Figuras, quibus in tractandis exercitatus jam pridem veſtram omnium admirationem raperet, & de judicibus ſuis totidem faceret cauſæ ſuæ patronos ac defenſores; ſed habuit ſatis, hoſtem ſi ſuum propriis armis confoderet, ſi, quam inſtruxerat ille fallaciam, eadem in ipſum abuteretur; ſi præſtigias, quibus ille fucum fecerat, eaſdem ad retegendam malignioris Diſcipuli verſutiam converteret. Nam, Judices, repoſuit Corax, ſi meus ille Diſcipulus perſuaſit vobis quod volebat, videtis quanto meo jure poſtulem, quam oppigneravit mihi ea lege mercedem, ſi perſuadendi peritus evaderet. Sin minùs oratione perfecit ſua, ut, quam repeto mihi pecuniam, hanc non deberi perſuaderet, qua tandem æquitate illius perſolvendæ neceſſitatem eludat.

Ex iis poteſtis intelligere, Judices, quàm

quàm parum afferat captioſa utriuſque oratio præſidii ad præſentem contentionem dirimendam, niſi rem totam magis ſeriò, quàm ſit hactenus pertractata, excutiamus. Quare ut certi quidpiam ſtatuatur in cauſa ejuſmodi, hanc ineundam eſſe rationem putavi, quæ, uti ſpero, neque meritiſſimo Rhetori diſpliceat, neque Adoleſcenti ingenioſo accepta eſſe non poſſit. Nolite exiſtimare, Judices, hoc fuiſſe unquam Thiſiæ conſilium, ut ſuſceptos inſtitutionis ſuæ gratia labores debita mercede defraudaret. Novimus liberalem optimi Adoleſcentis indolem, & plenam animi gratiſſimi memoriam; ſentit unus omnium maximè, quantùm Magiſtro ſuo debeat, cujus beneficio ad eam, quam ſuſpexiſtis, eruditionis ac facundiæ laudem pervenit. Imò non cenſuit compenſandam ſatis pro rei dignitate, quam accepiſſet à Corace educationem fortunatam, niſi hanc ipſam omnium in oculis & in conſeſſu tam honorifico demonſtraret. Voluit notum vobis omnibus facere, quantùm ſub ipſius diſciplina profeciſſet, & ex ſua ipſius in dicendo facultate de Præceptoris peritia fieri conjecturam. Hinc ſuſceptum ab eo illud cauſæ genus, in quo tanto majus ederet cùm ingenii, tum eloquentiæ ſpecimen, quanto difficiliorem ingreſſus aleam videretur. Quid feciſſet ille in cauſa bona ac ſeria, qui malam & ludicram non probabilem modò, ſed vero proximam effecit?

Gratulare tibi, Rhetor peritiſſime, Diſcipulum tam ſolertem, tam benevolum, tam amabilem. Plus ille tua laboravit gratia, dum mercedem pactam negare viſus eſt, quàm ſi eandem ſtatim lubens ac volens condonaſſet. Quis erit in hac civitate cupidus bonarum artium Adoleſcens, qui ſe tibi erudiendum ultro non tradat, cùm tales è tua ſchola prodire diſcipulos intellexerit? Concurret Ludum ad tuum, mihi crede, nobilitas tota, neque præter te deinceps quemquam ambiat Rhetoricæ artis inſtitutorem.

Igitur, Judices, ſic adjudicemus Coraci, quam promeruit mercedem, ut Thiſiæ Adoleſcentis optimi ingenium ac ſolertiam admiremur; qui ſubtili Oratiuncula ſua ingentem ſibi ipſi eruditionis laudem, Magiſtro ſuo ſingularem gloriam, nobis omnibus honeſtam peperit delectationem.

Parcimus dicere de aliis Argumentationum generibus, vel quia non egent longiori explicatione, vel quia de illis jam diximus in alio Libro.

Tale eſt Epicherema, quod eſt Argumentatio quædam quaſi ad manum; & quæ unica propoſitione totam vim argumenti continet. v. g. Impiè vivit Chriſtianus; his enim paucis verbis tota hæc Argumentatio continetur. Chriſtianus vivere impiè non debet, tu Chriſtianus es, ergo vivere impiè non debes.

Numerantur etiam Inductio & Exemplum, de quibus abundè egimus in Libro de Locis communibus.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quomodò Argumentationes illæ omnes ſint in Oratione variandæ.

In hoc totum hujuſce rei momentum vertitur, qua ratione variari debeant illæ Argumentationes, cùm in Oratione uſurpantur, cùm ad levandum tædium, tum ad prolixitatem fugiendam.

Quæres ergo; quibus variari modis debeant Argumentationes?

R. Variam eſſe rationem ac multiplicem.

Pri-

Prima. Cùm rationes multæ, quæ tractandæ occurrunt, non eodem, ſed vario Argumentationum genere pertractantur. v. g. Si ad primam rationem amplificandam & ornandam adhibita ſit Ratiocinatio; ſecundæ Enthymema deſerviat, tertiæ varia Epicheremata, aliis vel Dilemmata, vel Inductiones, vel Exempla.

Exemplum dabit Tullius prima Catilinaria, in qua Rationes quatuor, quibus probat Catilinæ in exſilium eſſe abeundum, varietate Argumentationum illuminat. Prima eſt quia ejus conjuratio patet, quam rationem Quadripartita ratiocinatione tractat n. 6. *Etenim quid eſt jam amplius, Catilina, quod expectes, ſi neque nox tenebris obſcurare cœtus nefarios, nec privata domus continere parietibus vocem conjurationis tuæ poteſt. Si illuſtrantur, ſi erumpunt omnia. Muta jam iſtam mentem, mihi crede; obliviſcere cædis atque incendiorum; teneris undique; luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia, quæ etiam mecum licet recognoſcas.*

Rationem affert Aſſumtionis à n. 7. ad 10. *Meminiſtine me ante diem 12. Calendas Novembris dicere in Senatu, certo die fore in armis Cajum Manlium audaciæ ſatellitem atque adminiſtrum tuæ, &c.*

Secunda ratio eſt, quia nihil eum in urbe delectare poteſt, quam per Enthymema amplificat, cujus hæc eſt prima propoſitio. Tibi nihil in urbe jucundum eſt à n. 13. *Quid enim eſt Catilina, quod te jam in hac urbe delectare poſſit, in qua nemo eſt extra iſtam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo, qui te non oderit? Quæ nota domeſticæ turpitudinis non inuſta vitæ tuæ eſt? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab oculis, facinus à manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? Cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætuliſti? &c.*

Concludet n. 20. *Egredere ex urbe Catilina; libera Remp. metu: in exſilium, ſi hanc vocem exſpectas, proficiſcere, &c.*

Tertia ratio eſt, quia omnes boni cupiunt vehementer illum egredi; quam rationem amplificat per Inductionem à n. 20. Optat Senatus, Equeſter ordo, Populus, &c. *De te autem, Catilina, cùm quieſcunt, probant; cùm patiuntur, decernunt; cùm tacent, clamant. Neque hi ſolùm quorum tibi auctoritas videlicet eſt cara, vita viliſſima, ſed etiam illi Equites Romani honeſtiſſimi atque optimi viri, cæterique fortiſſimi cives, qui circumſtant Senatum, quorum tu & frequentiam videre, & ſtudia perſpicere, & voces paulò ante exaudire potuiſti, quorum ego vix abs te jam diu manus ac tela contineo, &c.*

Concluſio n. 23. *Quamobrem ut ſæpe jam dixi, proficiſcere, &c.... ſin autem ſervire laudi meæ mavis, egredere cum importuna ſceleratorum manu; confer te ad Manlium; concita perditos cives; ſecerne te à bonis; infer patriæ bellum; exulta impio latrocinio, ut à me non ejectus ad alienos, ſed invitatus ad tuos eſſe videare.*

Quarta ratio, quia ipſe cupit ad Manlium proficiſci; quam tractat Enthymemate num. 24. *Quanquam quid ego te invitem, à quo jam ſciam eſſe præmiſſos, qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur armati? ſciam pactam & conſtitutam eſſe cum Manlio diem? &c.*

Secundus modus variandæ Argumentationis. Cùm Propoſitiones ip-

ſæ immutantur, aut imminuuntur, uti jam diximus, ita ut, ſi primo loco ponatur Aſſumtio & ejus Probatio, ſecundo loco ponatur Propoſitio & ejus probatio & viciſſim: vel omittantur etiam Propoſitiones, maximè cùm claræ ſunt, & non egent probatione.

Tertius denique modus; cùm variantur Figuræ, quæ ad amplificandas & exornandas Argumentationes adhibentur. Hæc enim exornationis diverſitas facit, ut eadem Argumentationis forma quaſi altera appareat. Multùm etiam conferunt ad eandem varietatem Tranſitiones, quibus ab una ratione gradus fit ad aliam. Sed hæc omnia meliùs deprehendi atque obſervari non poſſunt, quàm ex attenta aſſiduaque Ciceronis lectione & ſingulari in ſcribendo diligentia.

Finis Rhetoricæ.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONES SACRÆ.

ADMONITIO.

Quæ futura ſit Orationum iſtarum conditio, nihil auſim ego dicere, adeo lubricum pariter & tentatum à paucis tramitem videor inceſſiſſe. Tamen profiteri poſſum citra jactantiam, & oſtentationem, ſuffragatam ipſis fuiſſe multorum ſententiam, quibus, niſi reſtitiſſem, jam diu illæ non forent in mea poteſtate. Dicebant illi, quod me mirum in modum ſtimulabat, eſſe in iis Conciunculis momenti plurimùm ad erudiendos Adoleſcentum mores, & tenero Religionis ac pietatis ſenſu imbuendos. Imò nec dubitabant quidam affirmare, hinc ſumere ſibi eos exemplum poſſe, quibus hæc provincia obtigit, ut Juventutem Latino ſermone cohortentur, & ad virtutem informent.

Cæterùm habet Latina Lingua, ut rebus ſacris non minùs quàm profanis accommodari poſſit. Ac licèt apud priſcos Latinitatis Auctores ac Parentes plurima, quæ rebus ad Dei Religioniſque cultum pertinentibus neceſſaria ſunt, vocabula non inveniantur, quia rudes illi Myſteriorum noſtrorum & imperiti extiterunt, tamen in ipſa Romanæ Linguæ copia occurrunt affatim, quæ vocum illarum ſterilitati atque inopiæ medeantur.

Porro Latini ſermonis mira vis eſt & efficacia in movendis ciendiſque affectibus, quod eſt præcipuum in Concione ſacra & maximè providendum. Mihi certè fructus hic laboris videbitur uberrimus, non tam ſi placuerit genus iſtud Exercitationis, quàm ſi fuerit Chriſtianæ Juventuti novum ad virtutem pietatemque incitamentum.

IN FESTO
SANCTORUM OMNIUM.
ORATIO PRIMA.

Sancti eſtote. Levit. cap. 11.

QUam luctuoſo Sanctitatis fato fieri dicam, Auditores, ut, cùm tam multis ſacrarum Literarum teſtimoniis graviſſimum illius conſectandæ præceptum eſſe conſtet, tamen ſic ab ea exercenda plerique mortalium refugiant, quaſi vel in paucos lata lex, vel etiam in nullos eſſe videretur? Quod enim genus hominum, ut vivitur, qui flexus ætatis, quæ vitæ conditio eſt, quibus ſuæ non ſint, eædemque, ſi ſingulos audias, cauſæ legitimæ, propter quas Sanctitatis jugum aut omnino detrectare, aut certè magna ex parte declinare ſe poſſe exiſtiment?

At quoniam neque hujus loci eſt, neque per ipſas temporis anguſtias licet, alios poſt alios aggredi, & quas quiſque afferat adverſus Sanctitatem præjudicatas opiniones, ſingulatim confutare; eos mihi limites præſcribam, Adoleſcentes Chriſtiani, ut, illis prætermiſſis, quæ ad cæteros hominum pertinent, quædam tantùm proſequendæ Sanctitatis impedimenta, quæ circumferuntur paſſim à vobis, diligentiùs excutiam, & inania eſſe ac nulla planè apertèque demonſtrem. Eſt enim ad perniciem ſuam ingenioſa magis, quàm dici queat, veſtra hæc ætas in contexendis conſuendiſque variis nominibus, quorum obtentu Sanctitatis labores ſubterfugiat.

Alii diffidentes plus æquo viribus non firmo ſatis ac forti animo inſtructam Juventutem putant, ut, vel depravatos, quibus illa jam tum conflictatur, animi motus continuò refrenate, vel aſperitates atque moleſtias, quibus Sanctitatis via conſita eſt, ſuperare poſſit. Alii Sanctitatem ajunt opus eſſe maturioris cujuſdam ac ſuperioris intelligentiæ, ad quam ne aſpirare quidem teneræ mentis imbecillitas nequeat. Alii cùm magna atque ardua exigi arbitrentur ab eo, qui per ſanctiorem vitæ normam placere Deo velit, Adoleſcentiam defendunt exiguis plerumque ac nullius pœnè momenti rebus totam contineri. Alii, quia ſunt in eorum conſortio poſiti, qui ſeverioris pietatis ac ſtrictioris diſciplinæ leges ventilare ac cavillari ſolent, durius æſtimant conflictari cum ejuſmodi ingeniis, eorumque cavillationibus ac jocis eſſe obnoxios. Alii denique conſcii levitatis atque inconſtantiæ, quæ Junioribus vulgò adhæreſcit, fruſtra eos eſſe jactitant, qui prematuræ at-

atque intempeſtivæ Sanctitatis ſtudio correpti eam ineunt vitæ formam, à qua, peractis demum ſtudiis, & facta rerum converſione, poſtmodum recedere neceſſe ſit.

Hæc ſunt, opinor, Adoleſcentes Chriſtiani, quæ Juvenum bona pars inertiæ atque ſocordiæ ſuæ tanquam velamen quoddam obtendunt; his ſpecioſis freti ratiunculis validiſſimas quaſque virtutis ac Sanctitatis incitationes eludunt. Quæ ſi omnia elevare uno verbo ac confutare velim, ſufficiat mihi oſtentare vobis innumerabilem illam Sanctorum multitudinem, quos, ad inflammandos amore Sanctitatis hominum animos, noſtris hodie oculis ſancta mater Eccleſia ſubjicit.

Quàm multi enim ſe offerunt, inter fortunata beatarum mentium agmina, juvenes vobis ætate pares, qui Sanctitatis gloria inferiores nemini, proximi ſolio divinæ Majeſtatis aſſiſtunt. Video, qui ingenitam pueritiæ imbecillitatem obliti quodammodo, & inter acerbiſſimos cruciatus fortes invictique cum acerrimis Religionis Fideique defenſoribus de conſtantiæ laude certarent. Video, qui rudi atque inculto literis ingenio, recondita quæque cœleſtis doctrinæ myſteria pervidere. Video, qui iiſdem illis, quibus quotidie defungimini vitæ communis officiis, ad altiſſimum Sanctitatis gradum pervenerunt. Video, qui poſiti in medio nationis pravæ, ſic in ſuſcepto ſemel religioſioris vitæ propoſito perſtitere, ut neque improborum jocis aut ludibriis dejici, neque blanditiis emolliri potuerint. Denique video, qui ex iſto ſcholarum umbraculo, ex iſta ſtrictiore diſciplina in apertam lucem & liberiorem vitæ campum progreſſi, inter graviſſimas tentationum oppugnationes illibatam uſque morum innocentiam retinuerunt.

Nam quid ego hìc Agathas, Agnetes, Celſos, Aloyſios, Staniſlaos, Bercios, Rufinos, Ubaldinos alioſque quamplurimos, notiſſima vobis nomina, laudare aggrediar, qui ætatem hanc veſtram incredibili fortitudine, pietate ſingulari, integritate morum, eximiæ ſanctitatis excellentia commendarunt? In tanta tot illuſtrium exemplorum luce quis locus eſſe poſſit illis præjudiciis, quibus adverſus Sanctitatis incitamenta plerique abutuntur? Quas objiciant difficultates tam inſuperabiles, quas non ſenſerint illi, & divinæ gratiæ præſidio non vicerint? Huic tamen argumento, cujus vim nemo veſtrum non videt, ſuperſedere in præſentia velim. Venio ad excutienda diligentiùs, quæ obtenduntur à vobis Sanctitatis impedimenta, &, nullo propoſito rerum dicendarum ordine, illa, ut ſe ſe offerent, ſic arripiam, &, quàm ſint inania ac nulla, demonſtrabo.

Non habet, ut vobis quidem videtur, veſtra hæc ætas firmitatis ſatis atque roboris, ut ſtare poſſit contra difficultates, quibus conſitam fingitis Sanctitatis ſemitam? Ita ne porro eſt, Adoleſcentes Chriſtiani? huccine animum veſtrum induxiſtis? Videte, amabo, quàm præpoſtera iſthæc excuſatio ſit, quàm injurioſa in voſmetipſos, quàm aliena ab ea opinione, quam haberi de vobis ambitioſiùs affectatis! Quæ enim pars eſt ætatis ulla ad audendum quidlibet alacrior, ad perrumpendos obices paratior, ad ſubeundos graviſſimos periculorum caſus Juventute confidentior? Poſtquam ſemel ab erudito ſcholarum pulvere, & ludicris ingenii doctrinæque certaminibus ad veras crudioreſque pugnas vos tranſtulit natalium ſplendor,

dor, & inſita optimo cuique virtus; eget-ne ſtimulari ætatis veſtræ ſocordia, an potiùs audacia refrenari? Imò, quid tam operoſum eſt, tam invium, tam plenum periculis, quod Juvenum ardor non ambiat, non occupet, non præcipitat? Laceſſendus hoſtis in propugnaculis? oppugnandæ inacceſſæ moles repetitis aſſultibus? perrumpendi diſturbandique denſiſſimi hoſtium cunei? Illuc Juventutis totius flos lectiſſimus nudis pectoribus, rejectis galeis, crepitante nequicquam auribus ærata grandine, irrumpit, emicat, volat: igne, ferro, manu, vi cautes aſperas, munitos aggeres, proruit, diſſipat, evertit; hoſtem aggreditur, vincit, fugat, ſtationes occupat! Standum adverſus hoſtis ingruentis impetum? excipiendus ac ſubeundus cantarum catapultarumque hinc atque inde furentium fragor? quis movere gradum de veſtigio, quis claudicare vel retorquere oculos, quis demonſtrare vel leviſſimam timoris ſignificationem non erubeſcat? Cadunt à dextris & à ſiniſtris percuſſi globulis igneis ſocii? ſufficiunt alii continuò, qui morientium locum ſubeant ac virtutem. Minuuntur ac perturbantur ordines eorum multitudine qui corruunt? Redintegrantur illico ac reſtituuntur. Eadem in omnibus confidentia, conſtantia par, ſimilis magnanimitas!

Quid reliquos enumerem militiæ labores atque incommoda? Verſari fere ſemper in caſtris, in pugnis, in obſidionibus? Veſtitus aſper, tenuis victus, rarus ſomnus, frequentes vigiliæ, humi cubitus? Iſthæc ludi ſunt & oblectamenta Juventutis, ad quæ tam lætos, tam alacres, tam exultantes animis convolare videas, quàm ſi ad ludicram atque umbratilem palæſtram diverterent. Tales enimverò vos quotidie probamus, tales miramur atque obſtupeſcimus: cur eoſdem in divino obſequio non liceat experiri? Fortes, indeſeſſi in graviſſimis bellorum caſibus, cur in leviſſimis Sanctitatis exercendæ obſtaculis molleſcitis?

Quid hoc dicemus eſſe, Deus immortalis? An terrenis regibus, quàm tibi præſtaret famulari? tunc vel in redamando fidelis minùs, vel in munerando minùs liberalis ac magnificus exiſteres? ò cæcitas, ò pudor, ò ſtoliditas humanæ mentis, inquiebat olim vir ſanctiſſimus! *Promittit mundus temporalia & parva, & ſervitur ei aviditate magna; promittit Deus magna & æterna; & torpeſcunt mortalia corda!* Vigilabit adoleſcens Chriſtianus dies noctesque, parcè vivet, duriter ſe habebit, fame, ſiti conficiet ſe ſe, ut incertam, fragilem, perituramque brevi fortunam paret; ut ſtabiles, incorruptas, immortaleſque divitias conſequatur, inanes difficultatum umbras expaveſcet! Nihil tam arduum, tam laborioſum, quò non devolvet, ſi fallacis gloriolæ ſpes affulſerit; animi verò motus effrenes coercere gravabitur; ut æternum gloriæ pondus acquirat! Gratiam Principis, commendationem nominis ac laudem mille periculorum caſibus ultrò redimet; Dei ipſius favorem ac benevolentiam brevis alicujus moleſtiæ pretio non compenſabit! Nolite igitur veſtram in conſectanda virtutis ac Sanctitatis ſemita ſocordiam futili infirmitatis nomine prætexere, quos in exantlandis operoſis quibuſque laboribus, quoties vel officii, vel gloriæ, vel humani obſequii ratio poſtulat, tam fortes conſtat eſſe, tam invictos.

Nunc ad alium venio, quem obtendere Juvenes ſolent, Sanctitatis obi-

Digitized by Google

cem. Nam quis noſtrum, inquiunt, abdita Religionis myſteria pervidere, quis in rerum cœleſtium contemplatione verſari hac ætate noſtra poſſit? Nondum defæcata ſatis ab infantiæ tenebris ratio eſt; nondum judicio maturitas, conſilio prudentia, ingenio vis ſua ac ſagacitas acceſſit; quibus adoleſcentia præſidiis deſtituta, nec penetrare rerum ſacrarum caliginem, nec explicare nodos, nec ambages reſolvere valeat. Atqne verum illud, quod objicitis, Adoleſcentes? Tamen unde tanta ſe prodit in hac eadem ætate veſtra ingenii ſubtilitas ac perſpicacia? unde illa, quam in ipſis pueris quotidie miramur, ſublimioris cujuſdam intelligentiæ vis? Nihil eſt in unaquaque diſciplina tam reconditum, tam abſtruſum, quo mentis veſtræ acies non penetret ac pervadat; nihil tam implexum atque intricatum, quod non diſſolvat ſtatim atque explicet; Nihil tam ſublime, tam elatum, quò non pertingat. Sit aliquid modò quod veſtram diligentiam acuat, ſpes excitet, titillet ambitionem, vanitati blandiatur; molliuntur continuò ſtudiorum aſperitates, reſolvuntur tenebræ, difficultates evaneſcunt. Nihil vos fugit, nihil prætervolat. Eloquentiæ vim artificiumque perſentitis; Poeticæ delicias, amœnitates elegantiaſque æmulamini; Philoſophorum tricas argutiaſque ſolvitis; Verbo dicam, in rebus quibuſque difficillimis tam acutùm ipſi ſæpe, quàm Magiſtri veſtri cernitis; cur in iis, quæ ad Religionem, pietatem, Sanctitatemque pertinent, quas ad aſſequendas plus una docilitas mentis, qualibet ingenii facultate proſit, imperitiam cauſamini.

Hæc enim habet commoda ſcientia Salutis, Adoleſcentes, ut non tam ex labore noſtro, quàm ex Spiritus ſancti illuſtratione dependeat. Vidimus ſæpe literarum rudes pueros ac puellas ſub illius Magiſtri diſciplina adeo profeciſſe, ut peritiſſimis etiam doctoribus invidiam facerent. Quæ ex illo nimirum fonte hauriuntur lumina uberioribus multo, mihi credite, melioribuſque radiis mentem illuſtrant, quàm quæ ex longo ſtudio multoque librorum uſu proveniunt. At licet cœleſtis illius doctrinæ lucem nemini volenti Deus non impertiat; tamen in erudiendis rudioribus ita ſe amat plerumque, ut, dum abſtruſiora myſteriorum ſuorum arcana prudentibus plus æquo ac ſapientibus abſcondit, parvulis eadem reductis; ut ſic loquar, velis revelet penitus atque communicet.

Nihil ergo eſt, Adoleſcentes, in via Domini tam altum, tam ſublime, quod faceſſere negotium ætati veſtræ poſſit, ſi modò bene affecta voluntate ad capeſſendam cœleſtem doctrinam acceſſeritis. Quòd ſi arcanos informantis vos ad ſupernam ſapientiam Dei motus pernoſcere videretur vobis aliquando nimis operoſum, neque tum carebitis, qui ſe Dei interpretes ac vicarios exhibeant, veſtramque in divinis rebus novitatem adjuvent.

Atenim non fert veſtra hæc ætas egregia illa virtutum exempla, quæ paſſim à viris Sanctitate conſpicuis edita legimus. Neque etiam exiſtimate, Adoleſcentes, vel novis ejuſmodi inſolitiſque facinoribus rationem ſanctitatis totam contineri; vel neminem Sanctorum extitiſſe, quin, tritam cæterorum hominum veſtigiis viam prætergreſſus, inuſitatum quemdam vivendi morem tenuerit. Suis eſt vita communis & in medio poſita ad eminentiſſimam Sanctitatem inſtructa præſidiis, neque minùs obvium eſt quotidianis vitæ, quam ducitis,

Digitized by Google

citis, exercitationibus, quàm ipſis Apoſtolici muneris laboribus ſupremum virtutis faſtigium adipiſci.

Deus ille, quem nos colimus, rerum omnium dominus atque arbiter, & obſequii noſtri minimè indigens hoc ſatis contentus eſt, ſi nos ardentiſſimo ſuæ charitatis igne ſuccenſos, & perpetuo ſibi placendi deſiderio inflammatos habeat. Quid igitur prohibet, quominus hoc incitati ſtudio ad peragenda ea, quæ ſunt officii veſtri, ſingulis in rebus accedatis? In tenui quidem labor, at nec tenuis tamen fructus, nec leve Sanctitatis incrementum. Ad Studium eundum eſt? Hoc animo ſtudete, non ut primas inter ſocios feratis eruditionis atque doctrinæ partes; verùm ut divinæ voluntati diligentiam à vobis inter ſtudendum exigenti morem geratis. Præſtanda in Scholis attentio, exhibenda modeſtia eſt? hoc facite, non demerendi vobis eos, quorum ſub diſciplina adoleſcitis, ſed captandæ ipſius Dei benevolentiæ gratia, quem actionum veſtrarum ſpeculatorem perpetuum ac munificum largitorem agnoſcitis. Adſiſtendum rebus divinis, ſolitis pietatis officiis vacandum eſt? Illuc pergite, non quia mos eſt ille conſuetudoque collegii, ſed quia vel offert ſe fruendum per orationem Deus, vel per Sacramentorum communionem poſſidendum.

Hæc inſtituti ratio ſanctiſſimos illos Juvenes, Bercios, Rufinos, Ubaldinos, quorum vitas habetis in manibus ad ſummum Sanctitatis apicem ac gloriæ faſtigium extulit. Ferventiſſimis illi divini amoris incenſi ardoribus nihil vel cogitabant, vel loquebantur, vel agebant, quod ſummæ Dei gloriæ deſiderium non inſpiraſſet. Hæc erat veluti formula, cujus ex præſcripto vitam moreſque componebant; hæc regula, cujus ad amuſſim ſingulos animi corporiſque motus dirigebant; hic ſcopus in quem perpetuò collimabant, his finis, hic terminus, quem reſpiciebant, quò ferebantur, quò contendebant. Hæc ipſos divinæ gloriæ æmulatio ſollicitabant domi, comitabatur foris, ſtimulabat in templo, inter ſtudendum acuebat, & in ipſis animi oblectamentis ſuaviſſima quadam voluptate perfundebat. Noverant illi quidem quàm leve, quàm exile, quàm nullius momenti eſſet, quod agebant; & tenuitatis ſuæ conſcii ſe ſe in conſpectu divinæ majeſtatis, ut par eſt, deprimebant. Tamen quod erat illud cumque tam ſedulò faciebant; ut, ſi majora quædam ac difficiliora in Dei laudem atque obſequium præſtandi occaſio incidiſſet, id ſe eadem animi alacritate ſuſcepturos fuiſſe ſatis oſtenderent. Iterum atque iterum à vobis peto, Adoleſcentes, quid in mora eſt, ne virtutis iſthæc exempla vobis imitanda proponatis? quid prohibet, quominus tenuia illa quidem atque obvia, ſed egregiè ad Sanctitatem aſſequendam comparata vitæ communis officia, certo, quod fecerunt illi, lucro apponatis?

Sed quid ego hîc elevare ac deprimere videor ea, quæ in uſu etiam quotidiano exercentur à vobis, quaſi vel levioris apud Deum momenti forent, vel præſtantior quædam eſſet Sanctitatis obtinendæ via? Dicamus quod res eſt; nihil penè video, quod eſſe Deo poſſit acceptius, quàm quod ſingulis prope diebus facitis; ſi modò eo, quo par eſt ſtudio atque affectu præſtetur. Liceat enimverò ponere vobis ante oculos, quàm laudandis, quàm ſanctis vita hæc veſtra inſtitutis traducatur. Agite; ubi tandem gentium in tam læta tamque numeroſa Juven-

tute & moderatior vivendi forma, & diſciplina conſtantior? ubi in florentiſſima nobilitate aut docilitas major, aut illuſtrior modeſtia, aut ſuavitas morum amabilior? Quo demum in Lycæo uberiùs florent Literarum ſtudia, & optima cuſtos innocentiæ diligentia fervet acriùs? Jam verò quæ pars Chriſtianæ pietatis vos præterit? Quàm frequens apud vos Sacramentorum, Orationis, divini verbi piorumque librorum uſus? Nec in ipſis virtutibus ſublimioribus quidquam eſt tam altum, tam difficile, tam perfectum, in quo plerique veſtrum rudes atque imperiti videri poſſint. Sunt qui jacere pauperum ad pedes, ſordes abluere, miniſtrare menſis, & viliſſima quæque charitatis atque demiſſionis Chriſtianæ obire miniſteria non erubeſcant. Sunt qui defraudantes genium ſcholaſticos inopes ſuis impenſis alant, & in ſtudiis ſuſtentent. Sunt qui detentos in carcere amicè viſitent ac conſolentur. Sunt qui ſubtractam ludo oblectamentiſque pecuniam ad eorum caſas, quos egeſtas dura & verecundus pudor enecat, eò lubentiùs deferant, quòd miſerorum vitæ conſulunt & pudori. Alios videas, ubi ſacra Dominici corporis Hoſtia adoranda proponitur, in perpetuis quaſi excubiis ſibi invicem ſuccedere; alios ſolidas identidem hebdomadas in contemplandis rebus divinis conterere; alios abjectis, quas mundus offerebat, ſplendidioris ac mollioris vitæ illecebris, totos ſe divino obſequio mancipare. His atque aliis, quæ mirari ſatis non poſſumus, quid eſt vel ad promerendam divinam benevolentiam potentius, vel ad capeſſendam Sanctitatem efficacius?

Quanquam video, quid in mora ſit, & pleroſque veſtrum ab inſiſtenda virtutis etiam ſeverioris ſermo deterreat, aut deterrere aliquando poſſit. Nemo fere eſt è vobis, quem inſitus quidam boni rectique amor, liberalis educatio, ipſa virtutis amabilitas & incitatiores aſpirantis gratiæ ſtimuli ad ſaniora non flecterent, niſi malus pudor & humanarum rationum momenta conceptam bonæ ſementis vim omnem partim in ipſo ortu ſuffocarent, partim enatam feliciter & jam luxuriantem corrumperent. Optandum quidem illud foret, ut conſpirantibus omnes animis virtutem colerent, aut certè in aliis triumphantem mirarentur! Verùm ſupervacanea illa vota ſunt. Eſt hæc virtutis indoles, miſerabile fatum meliùs dixerim, ut nequiorum hominum jocis ac cavillationibus obnoxia ſemper extiterit. Atque genus eſt illud oppugnationis, adverſus quam Spiritus ſanctus præmonendum diligenter putavit unumquemque veſtrum, dum ſacris in Literis admonet; *Fili accedens ad ſervitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem*. *Eccleſ. 2.* Fruſtra ſis igitur, quiſquis futurum confidis, ut virtutis viam ingreſſus adverſarium neminem experiare?

Tamen hæccine Chriſtianum Adoleſcentem ab obſequio divino revocent, & currentem ultrò per ſanctitatis ſemitas remorentur? At durum eſt petulantis Juventutis impetus ac ludibria ſuſtinere: durum eſt hujuſmodi hominum proſcindi ſibilis, explodi conviciis, & amariſſimis conſici ſalibus: durum eſt perpetuum ſtare contra improbitatem innocentiæ patronum, Dei pugilem, cenſorem vitiorum & quotidianum libidinis objurgatorem! Durum eſt, inquis, Adoleſcens Chriſtiane? Ecquis erit ergo Chriſtianæ fortitudini locus, niſi quid moleſtum identidem atque aſperum inter militandum Deo

oc-

occurrerit? Quibus argumentis cupidum te & amantem Dei evinces, ſi nihil unquam ipſius cauſa viriliter ſuſtuleris? Quo demum pacto futurum ſperas, ut te Chriſtus olim agnoſcat ſuum, huic ſi cultum & obſequium exhibere nunc erubueris? Quid hoc dicemus eſſe, aut quo nomine genus illud contumeliæ, quam inferimus, Deo deſignabimus? Agitur cauſa Principis, amicus vocatur in diſcrimen, vir probus malevolis hominum linguis proſcinditur; turpe ducimus ſilere in his rerum adjunctis, facinus indignum exclamamus, quantùm in nobis eſt, ulciſcimur! Deus peccatorum flagitiis quotidie laceſſitur, irridetur, contumelia afficitur, nobis ipſis irritandus, provocandus proponitur: Interim ſegnes, ignavi, reſides conticeſcimus, &, quod pejus ac deteſtabilius eſt, malo pudore victi Deum abnegamus turpiter & ejuramus!

An ergo pudere quemquam debeat, ò Deus debitæ tibi ſervitutis, &, quibus nihil honorificum magis eſſe poſſit, quàm tibi præſtare obſequium, an deceat in eodem deferendò meticuloſos videri? Nemo eſt hominum, quantum eſt, qui vivunt, quem conditionis illius, quam ſemel amplexus ſit, aut pudeat, aut, quæ ad illam pertineant, pigeat exercere! Chriſtiani ſumus, Chriſtum luſtralibus Baptiſmi fontibus abluti induimus, Chriſtiano nomine gloriamur; & tamen, cum videri tales oportet, quales ſumus, cùm tueri Chriſti jura, cùm re factiſque ſpectatam fidem facere neceſſe eſt; tunc Chriſtianos eſſe nos obliviſcimur, aut etiam erubeſcimus! Et hoc Chriſtus patiens ferat? non aliud exigat à nobis obſequii & amoris monimentum? veſtrum ipſorum judicium, veſtra exiſtimatio ſit. Si quem, Adoleſcens Chriſtiane, nactus eſſes ejuſmodi, qui præſenti quidem blandiretur, fauſta precaretur omnia, totumque ſe ad quoſvis periculorum caſus devoveret. At roderet abſentem interea, maledictis oneraret, proderet, execraretur; eum ne tu amicum, an non perfidum potiùs ac proditorem æſtimabis? Te verò qualem arbitrer, qui piorum quidem in conſortio poſitus cultorem te veri Numinis, pietatis amantem, Religiónis defenſorem ultrò profiteris; deprehenſus autem inter impiorum improborumque quiſquilias eandem meri perſonam non ſuſtines? Tu pius, tu religioſus audias; dum pietatem ac Religionem haberi impunè ludibrio patieris? dum nebulonum jocis ac cavillationibus applaudes? dum terriculis inanibus ab acceſſu Sacramentorum abſtinebis? dum ipſum verecundi piique adoleſcentis nomen perhorreſces? denique dum inter diſſolutos non diſſolutum, inter impios non impium, inter flagitioſos non flagitioſum, inter impudentes impudentem non eſſe ſubpudebit? Erras, erras, mihi crede; larvatos ejuſmodi ac perſonatos cultores Chriſtus abjicit. *Qui me erubuerit & meos ſermones*, inquit ipſe, *hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua*. Luc. 9.

Reſtat hæc una propulſanda excuſatio, quæ à juventutis levitate atque inconſtantia proficiſcitur. Eſt enim, inquiunt, ætatis illius indoles, ut, cùm amatum quidlibet relinquere pernix ſit quàm maximè, tanto faciliùs à rigidiore virtutis cultu deficiat, quanto majus ejuſdem olim profitendæ deſiderium exhibuerit. Quid ergo adoleſcentem juvet ita macerare ſe ſtudio exercendæ virtutis, cujus pœnitere ipſum, non ita multo poſt futurum ſit? Quæ tandem vox illa eſt, quàm à divinis humaniſque teſtimoniis aliena! Nam,

quid in ſacris literis aut in communi hominum ſermone plenius confirmatum ac conſignatum; quàm eam eſſe hominis conditionem, ut ab ea, quam juvenis ingreſſus ſit vitæ ſemita, etiam in ſenectute non deflectat? bonum eſſe illi ſi ab adoleſcentia jugum Domini portaverit; magnum haberi quiddam vel à teneris virtuti aſſueſcere; Adoleſcentum mores teſtæ cujuſdam inſtar videri poſſe, quæ liquoris illius, quo ſemel imbuta recens fuerit, odorem diù retineat; ceream quidem & in vitium flecti facilem ætatem illam eſſe, at docilem tamen tenacemque recti; quod recentibus adhuc animis commiſſum ſit, haud dubitandos ſuis temporibus fructus afferre.

Sed eſto: ſit illa miſeræ juventutis infirmitas, ut in ſuſcepta virtutis exercitatione ſtare diu non ſoleat; non habeat illa ſatis roboris, ut contra vitiorum illecebras, pernicioſam exempli vim, æſtum pravæ conſuetudinis reſtare poſſit; pœniteat illam brevi diſciplinæ ſeverioris, & liberioris vitæ licentiam tanto impenſiùs conſectetur, quanto alienum magis ab ea inſtituti morem coluerat. Tamen remittentibus annis procedentibus ille fervor ætatis; langueſcet paulatim impetus animi conſectantis prava, &, quæ juvenum mentes faſcinant, ſuis etiam voluptatum lenociniis faſtidium adhæreſcet. Tunc ſi fuerit olim adoleſcentia liberaliter educata, ſi bonis erudita moribus, ſi piis ſanctiſque traducta inſtitutis; tunc, inquam, velut bona ſementis, quam exortæ infelices herbæ ſuffocarant, areſcentibus illis poſtmodum, aut diligenti manu radicitus avulſis, pullulat denuò atque efflorеſcit; aut ſicut ignis cineri doloſo aliquantiſper ſuppoſitus ſuccenditur facilè atque inflammatur; ſic pietatis ardor, qui naſcentibus ac profundentibus ſe ſe cupiditatibus deferbuerat; integritatis ſtudium quod elanguerat, virtutis exercitatio quæ exoleverat, exacto demum juventutis tempore, efferveſcit, ſuſcitatur, invaleſcit.

Atque hæc ſunt, quæ peractam in pietatis ſtudio virtutumque exercitatione adoleſcentiam præſidia conſequuntur; quibus reliqua deinceps vita carere eos neceſſe eſt, qui ipſa ætatis teneræ primordia ineris, ne quid pejus dicam, nugis contriverunt. Abſtineo pluribus, Adoleſcentes; &, quoniam tam multis æqualium veſtrorum exemplis, & ipſa præjudiciorum, quæ circumferri ſolent adverſus Sanctitatem, confutatione liquet, nihil eſſe, quod ab ingredienda Sanctitatis ſemita retardare vos debeat; facite, ut Dominico præcepto magna alacritate deinceps obſecuti, tandem aliquando ſancti ſitis.

IN EODEM FESTO.

ORATIO II.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. Cor. 1. Cap. 2.

HOc unum eſt quod de cœleſti gloria prædicat Paulus, quem gratia ſingulari Deus vivum adhuc ſpirantemque anticipato deliciarum æternarum guſtu recreaverat; qui raptus uſque ad tertium cœlum, ut profitetur ipſe de ſe, quidquid illic ſuavitatis eſt, delibaverat; cui arcana verba, quæ homini loqui non licet, audire datum erat: hoc unum eſt, inquam, ſi

quod

quod de civitate illa ſancta, quam incolunt felices animæ, referendum habet. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Tamen hoc ipſumcumque quàm magnum eſt, Adoleſcentes Chriſtiani! quantum id oportet eſſe, quod neque uſurpari oculis, neque auribus percipi, neque mente ipſa intelligi cognoſcique poſſit!

Oculus non vidit? Quid eſt in hac rerum univerſitate pulchrum, quid admirabile, quid magnificum quod oculus non viderit? Quidquid natura profundit, quidquid extrudit induſtria, oculos admirabili quadam varietate paſcit? Quem non delectet florum amœnitas, lux gemmarum, ſyderum ſplendor, regiæ ædificiorum ſubſtructiones, aurea laquearia, miracula picturæ, cœlaturæ prodigia, ſolemnes ludorum ſpectaculorumque apparatus? Hæc omnia oculus vidit, cœleſtem gloriam *oculus non vidit*; pulchrius eſt quiddam & magnificentius, quàm quod acies humana, quantumquis acris ac perſpicax, valeat intueri.

Nec auris audivit! quidquid omnibus retro ſæculis egregium fuit ac ſplendidum; quidquid uſquam terrarum eſt, vel diſſitum locorum ſpatiis, vel temporum intervallis remotum, atque disjunctum præſens auribus ſiſtitur. Quàm porro liquida voluptas, quàm ſuavis ſenſus ſolet exiſtere ex rerum geſtarum narrationibus, ex Oratorum facundia, ex Poetarum illecebris, ex avium, ex fidicinum, ex ſymphoniacorum omnium concentibus? Tamen aures, quæ voluptatem hanc percipiunt, atque intimis animis propinant, capere cœleſtes delicias non poſſunt; *nec auris audivit*; aliquid eſt in iis omni voce jucundius, omni concentu ſuavius.

Nec in cor hominis aſcendit! nihil eſt, quod humana mens cogitando optandoque non ſuperet, una cœleſti gloria ſuperatur. Maxima quæque fabricantur hominum animi, nulli ſunt eorum molitionibus poſiti fines, nulli præſcripti termini. Numerum finge quemlibet magnum & ingentem, illum cogitatione una ſuperabo: finge divitias, quibus pares nullæ fuerint, argenti pondera infinita, auri gemmarumque montes immenſos; ubi pendendo, numerando, metiendo ſudaveris, quidquid ſit illud, cogitatione vincam. At cœleſtem gloriam adeo vincere cogitationibus ſuis humana mens non poteſt, ut ne aſſequatur quidem; *nec in cor hominis aſcendit*.

Nihil ego jam mirer, Adoleſcentes Chriſtiani, ſi infinitus ille beatarum mentium numerus, qui ex univerſis populis, gentibus ac linguis, ut facer Scriptor loquitur, collectus noſtris omnium oculis hodie ſubjicitur, ita caperentur potentibus cœleſtis gloriæ illecebris, ut ſpretis facile, quæcumque cœteri hominum tantopere ambiunt, bonis terreſtribus, in uno boni illius pretio atque amore conquieſcerent; ſi ejuſdem adipiſcendi gratia, nihil ducerent arduum aut difficile; & graviſſimos quoſque labores ac cruciatus ultro ſubire atque perpeti non vererentur. Nos verò, quibus immenſa felicitatis æternæ magnitudo ex altiſſimo omnipotentis Dei domicilio oſtentatur; quos ejuſdem aliquando potiundæ certa ſpes reſpicit; cur illam tam vili reputamus loco? cur in ea comparanda leviſſimis difficultatibus deterremur? Diſcamus Sanctorum exemplo, id æſtimare unum, quod unum illi reponendum in pretio; id perſequi unum, quod unum illi laboribus ſuis dignum cenſuere. Docent enim verò nos

San-

Sancti, quanti facere cœleſtem gloriam debeamus; hoc priori quidem orationis parte, demonſtrabimus. Quid ad cœleſtem gloriam promerendam facto ſit opus, Sancti ſe duces ac principes exhibent, hoc poſteriori capite conficiemus.

Atenim quanta ſe mihi ſtatim objicit (3, Pars.) nubes teſtium, qui ad æſtimandam, ut par eſt, cœleſtem gloriam, & ad ſpernenda, quæcumque reputamus bona, nobis exemplo præiere. Hac incenſus fide credentium pater Abraham natale ſolum & totam cognationis ſeriem deſeruit, ut in regionem longinquam, & ignotas ſibi terras penetraret: audierat ille nimirum injectam hanc cœlitus patriæ melioris promiſſionem; *& merces tua magna nimis.* (Gen. 15.) Noverat & ipſe deſtinatæ nobis in cœlo mercedis pretium ſapientiſſimus Iſraelitici populi ductor Moſes, qui teſte Apoſtolo maturiorem ætatem cùm attigiſſet, potuiſſetque, ſi voluiſſet, Pharaoni Regi legitimus heres deſignari, mollioris aulæ delicias, regiam ſupellectilem, ipſum Ægypti totius imperium triſtibus ærumnis ac laboribus, quibus ſuus in Ægypto populus vexabatur, conſtanter poſthabuit: quippe ſubjicit Paulus, (Heb. 11.) *aſpiciebat in remunerationem.* Qua animatus fiducia B. Job, vir ille, cujus in ſacris literis habetur celebratum ipſo Dei omnipotentis ore præconium, qua animatus, inquam, fiducia, bonorum jacturam, everſionem domus, liberorum excidia, opprobria propinquorum, Domeſticorum cavillationes, maledicta conjugis, omnium denique calamitatum ac malorum cumulum tam fortiter perpeſſus eſt? Audiamus illum medio è ſterquilinio, ſuo illo infimo; ubi deſtitutus ab amicis, irriſus à ſuis, rerum omnium laborans inopia, vix habebat miſeras teſtarum reliquias, quibus fluentem è vulneribus ſaniem raderet; audiamus, inquam, illum erumpentem in iſtas voces. *Rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum .... hoc ſpes repoſita eſt in ſinu meo.* (Job. 19.)

Placet è miſeris pauperis tugurioli anguſtiis in ſuperba potentis aulæ penetralia ſubire? Ecce inter exquiſitiſſimas fortunæ lætioris illecebras, in ſumma divitiarum, honorum, ac voluptatum abundantia regius Vates exclamat; *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* (Pſal. 16.) Atqui nonne rebus cæteris abunde ſatiatus, ô David? parum ne igitur videtur tibi, quòd ab ovium gregibus, regalem in aulam vocatus es? quòd Gigantis victor, quòd totius populi plauſibus exceptus, quòd in Regem ſuper univerſum Iſraelis imperium conſecratus es? Quid deſideras ampliùs? quid petis? quid ad plenam perfectamque ſatietatem deeſt? cœleſtis gloria, inquit; quam dum recogito, cætera, quæcumque contuleris bona, viléſcunt animo, & faſtidio ſunt. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quòd ſi ſub iſtis rudioribus veteris Teſtamenti elementis, in tanta temporum caligine, quam nondum venientis ab alto Numinis divina lux decuſſerat, inventi ſunt cùm eximii æſtimatores bonorum cœleſtium, tum conſpicui rerum terrenarum contemptores; quanto minùs debet mirum videri, melioribus novæ legis auſpiciis, inſtitutos fuiſſe ad ſaniora mortalium animos; poſtquam delapſus in terras, Chriſtus Dominus puriores doctrinæ ſuæ fontes aperuit, & exemplo pariter ac verbo rerum humanarum deſpicientiam & cœleſtium amorem inſpiravit?

Agite enim; quàm multos habuit audientes dicto & ſtrenuos novæ diſcipli-

ſciplinæ æmulatores divinus ille Magiſter? Quid dicam duodecim illos viros, quos erudierat ipſe tam ſedulò, & documentorum ſuorum præcones univerſo orbi informarat? quo illi vultu deſpicere ſoliti quæ vulgo perſtringunt oculos? quàm verè ac ſincerè dimiſerunt quod habebant cumque, & habendi deinceps quidpiam affectum exuerunt? Quid memorem illa naſcentis Eccleſiæ lumina, generoſos illos Chriſtiani nominis cultores ac defenſores, qui projectis Apoſtolorum ad pedes perituris opibus ac fortunis, uno immortalis theſauri deſiderio ſuccendebantur? Quid appellem ejuſdem conſilii ſocios omnes Religioſorum Ordinum fundatores, qui tritam Apoſtolorum veſtigiis viam ingreſſi, abſtractos à terrenis cupiditatibus diſcipulorum ſuorum animos ad amorem cœleſtis gloriæ traduxerunt?

Omitto tot eorum imitatores æque aſſeclas, qui voluntaria divitiarum ſuarum abdicatione æternæ felicitatis præmia mercanda cenſuerunt. Circumfluebant alii rerum multarum copia, copiam illam extremæ paupertatis anguſtiis poſteriorem duxerunt. Fulgebant alii natalium ſplendore, ſplendorem illum horrentibus ſolitudinum ac ſpeluncarum tenebris obſcurarunt. Nitebant alii purpura, purpuram humili pannoſoque veſtitu mutaverunt. Imperitabant alii populis, regendos ſe aliorum arbitrio ac torquendos ſubdiderunt. Florebant alii laude pulchritudinis, pulchritudinis gratiam fame, ſiti, frigore, patientia deformaverunt. Hæc autem omnia qua ſpe, quò conſilio ſuſcepta ſunt? Numquis eſt eorum, qui cum Apoſtolo non exclamet: *Hæc omnia detrimentum feci & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam?* Phil. 3.

Vos verò, Adoleſcentes, quo putatis ponendam in loco cœleſtem gloriam, quæ tanti Sanctis omnibus viſa eſt, ut cæteris omnibus ultrò carerent, ne ſibi res tam pretioſa deperiret? Eos ne errore lapſos turpiter ac deluſos cenſebitis in æſtimanda cœleſti beatitudine, qui tam periti rerum cæterarum, dum vivebent, æſtimatores audierunt? tot viros eruditione præſtantes, morum integritate conſpicuos, rerum geſtarum fama percelebres, erit hìc quiſpiam è vobis qui ſtultitiæ vel imprudentiæ audeat accuſare? Quòd ſi ſapientes illi, ſi conſultè omnes fecere; qui, quantùm ſuppetebat ipſis, aut divitiarum ad abundantiam, aut deliciarum ad voluptates, aut dignitatum ad magnificentiam, totum illud in ſpem æternæ felicitatis impenderunt, qualem ego te æſtimem, Adoleſcens Chriſtiane quiſquis es, ſi inani fucatæ Beatitudinis larva deceptus, futiles fallaceſque delicias conſectere, veras interim ſinceraſque voluptates contemnas? Quàm bellè te & ſimiles tui, quotquot ſunt, Regius Vates ſic increpat; *Filii hominum, uſquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Iſa. 4. Filii hominum, quò ruitis? quò vos malus error præcipitat? quò pertinent tandem tot vigiles curæ, tot anxiæ ſolicitudines, tot contentiones laborioſæ? quò pergitis? quò contenditis? cujus rei gratia militatis? Beatitudinem quæritis, video; felices fortunatique vultis eſſe, quidni autem? & illuc pariter omnes ferimur, ad hoc naſcimur, ſpiramus, vivimus, ut felicitate tandem aliquando potiamur. At quid beatitudinem quæritis ubi non eſt? quid illam non ſcrutamini ubi eſt? inſipientes vos, dementes, inſanos, qui vilibus craſſiſque bonis felicitatem putetis alligatam! Majores profectò ſumus, & ad majora

jora geniti; quàm ut fragilibus ac caducis ejuſmodi rebus animus acquieſcat. Indignum nobis eſt, quidquid cœleſti gloria minus eſt. Videte, amabo, quid vobis culpa veſtra deperеat; attendite, quàm iniquam, quàm inconſultam rerum commutationem faciatis. Hic nulla eſt ſuavitas tanta, quæ non infuſo aliquo felle temperetur; aſt integra olim in cœlo, liquida, defæcata gaudia inundabunt. Hîc nihil eſt tam jucundum, quod uſu ipſo flaceſcere ac marceſcere non incipiat: illic ſatietas erit ſine nauſea, diuturnitas ſine faſtidio; tot bona, tam ampla, tam diuturna omni æternitatis momento recentia videbuntur. Erigite igitur animos veſtros, Adoleſcentes; laxate frena cupiditati: optate, appetite, concupiſcite Sanctorum exemplo bona illa, de quibus, ut jam monui, Apoſtolus profitetur. 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

II. Pars. Hanc verò tam nobilem gloriæ cœleſtis ideam, quoniam ſanctiſſimi, quotquot extitere, viri defixam animis altiùs habuere; nolite mirari, ſi ejuſdem gloriæ conſequendæ gratia, quod alterum demonſtrandum propoſui, tam fortiter aggredi multa, tam conſtanter perpeti multo plura non dubitarunt. Nam ſi videmus quotidie, alios, ut avaritiæ ſtudeant, divitiaſque & opes accumulent, habere ſe ſe duriter, perpetuis animum corpuſque macerare laboribus, trajicere maria frigoris æſtuſque patientes: alios, ut honorum, quibus inhiant, expleant famem, vel ſervire Principum in aula, vel ingenuæ conditionis oblitos adulari turpiter hominibus novis quos oderunt, vel abjectis mollioris vitæ deliciis, quas deguſtare ad ſatietatem & vellent & poſſent, fortunarum capitiſque ſubire aleam: alios, ut turpiſſimas ſequantur voluptates, nec pudoris ac famæ jacturam vereri, nec libidinis atque intemperantiæ aſſiduos comites morborum aculeos formidare; nec anticipatam annis plurimis ſenectutem, & ſucciſam in ipſo ætatis flore vitam perhorreſcere: hæc inquam, omnia ſi quotidie experimur ab avaris, ab ambitioſis, ab amatoribus voluptatum factitari; huc ſi opum cupido, ſtudium gloriæ futilis, libidinis atque intemperantiæ rabies homines adigit; cùm tamen noverint intelliguntque penitùs, nihil eſſe non caducum, nihil non fragile, nihil non periturum in iis, quæ concupiſcunt, aut operoſiùs affectantur, bonis; quanto æquius fuit, quidquid uſquam aut laborum eſt, aut periculorum, aut acerbitatum, tentatum eſſe à Sanctis, ut ad vera, ſolida ac perpetuò commanſura bona pervenirent. *Et illi quidem*, inquit Paulus, *ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem ut incorruptam.* 1. Cor. 9.

Veniant enimverò, veniant mundi, carnis rerumque terrenarum ſectatores; ſeque in exhantlandis laboribus, in aggrediendis periculis, in perferendis pro conſequenda cœleſti gloria acerbiſſimis doloribus videant ſuperatos fuiſſe à Sanctis & intabeſcant.

Verùm quàm acerba offerunt ſe mihi ſpectacula, quàm horribilis undique carnificina exhibetur! per quot, quàmque per varios periculorum caſus felicitatis æternæ cupido cujuſcumque ſexus, ætatis ac conditionis homines impulit! Alios video palis affixos, fuſtibus flagelliſque cæſos, laceratos ungulis, liquato in plumbo atque æſtuante oleo demerſos: alios intueor rotis diſtractos, ignitis laminis exuſtos, ardentibus in crati-

crati-

Digitized by Google

craticulis verſatos; effoſſis oculis, avulſa lingua, reſectis articulis omnibus in crucem tandem actos; alios aſpicio pice oblitos atque ſebo, accenſos facum inſtar ad nocturna ſpectacula; alios lapidibus obrutos, alios enectos fame ſitique, ſerris diſſectos, confixos claviculis, depexos ferreis pectinibus, membratim concifos, ferri flammarumque vim omnem expertos; tanti eſt cœleſtis gloria, quàm hoc pretio lubentes, volentes, triumphanteſque mercantur!

Jam à cruentis Martyrum ſpectaculis, ab illa ſuppliciorum atrocitate ad alios Sanctorum labores intuendos, quibus illi ſe, quoniam tortor ac tyrannus deerat, ſponte ultroque macerarunt, veniamus. Circumſpicite tam multas religioſorum hominum familias, tot illuſtrium Confeſſorum agmina, tam conſpicuos ſanctarum Virginum ac Puellarum choros. Cogitate eorum omnium deſertam ſolitudinem, juge ſilentium, precationes aſſiduas, duriſſimam paupertatem, ſeveram ſenſuum omnium arctiſſimamque cuſtodiam, labores continuos, vigilias, jejunia, ſuſceptas ultro caſtigationes, corporis, & abſolutam rerum omnium, quæ hominum naturam aut delectare aut juvare poſſunt ſpoliationem. Penetrate receſſus intimos ſolorum nemorum, deſerta illa ſqualentia Thebaidos, illas ſpeluncas belluis unis, unis ſcorpionibus notas. Quid illi tot laboribus, tam pertinaci rerum omnium abdicatione homines mundo mortui negotiantur? cœlum emunt. Dura quidem eſt crux illa per ſe ſe; aſt ubi fructum ejus pretiumque cogitant, leviſſimum illius videtur pondus, ſuaviſſimi labores, honorificæ & illuſtres ignominiæ! Jucundum illis fuit cœleſtem patriam mercari tanto fœnore, jucundius eſt autem in præſentia exhantlatos olim labores, ærumnas, contumelias meminiſſe, quæ tantis tamque illuſtribus præmiis compenſantur. Oſculantur omnes & trophæi loco oſtentant crucem ſuam, cujus breves moleſtias æternis excipi deliciis intuentur.

Et vos, Adoleſcentes, vos pigebit modicam vobis vim facere? digna vobis æterna felicitas non videbitur, cui comparandæ laboris nonnihil adhibeatis? aut putabitis eandem ceſſantibus vobis, ac futiles uſque delicias venantibus olim impertiendam? Age, reſponde mihi, Adoleſcens Chriſtiane, ſi quis eſſes in re ſalutis remiſſus ac languidus; vel ſpem cœleſtis gloriæ omnem expectationemque abjeciſti, vel ad eam utique aliquando poſſidendam contendis? ſi primum, miſerum te, cujus pars cum reprobis inter perennes rogos futura ſit: neque enim medium eſt inter utrumque, vel gaudere te oportet cum Sanctis, vel cum malis Dæmonibus in perpetuum cruciari. Sin magis ad beatam immortalitatem aſpiras, quod alterum lubentiùs crediderim: peto à te, quem laborem ſuſcepiſti, ut cœleſti gloria aliquando fruerere? Merces eſt enim cœleſtis gloria, æqua laboris compenſatio: labor itaque mercedi prævius, & æquus quodammodo mercedi labor exigitur. Quem tu, inquam, laborem ſuſcepiſti, qui cœleſti gloriæ reſpondeat? Scio mercedem infinitam apparari tibi; nihil à te niſi finitum proficiſci aut expectari poſſe. Sed quid ſaltem à te profectum ejuſmodi, cujuſmodi facere tandem potes? non infinitum à te laborem peto, ſed laborem quoquo modo, qui felicitatem æternam ſibi vindicet? profer ergo nobis quidpiam; loquere, quid feciſti? Si te mori hac nocte contingeret, quo jure poſſis cœleſtem gloriam tibi mercedis loco

poſtulare? quæ tù Chriſto merita offeras? Mercedem petis? ubi labor? ubì opera? coronam petis? ubì prælium? ubi victorìa; Cœlum petis? ubi pretium? quanti emis? Stephanum vides? emit lapidatione corporis & acerbiſſimo laniatu. Laurentium vides? emit lentìs ignibus & uſtulatione membrorum. Auguſtinum vìdes? emit lacrymis & diuturno ſcelerum dolore. Franciſcum vides? emit abjectione rerum omnium & humillìma paupertate. Brunonem vìdes? emit orationibus & jejuniis. Tot Virgines, tot tui ſimiles Adoleſcentulos vides? emerunt mundiſſimi corporis integritate, morum innocentia, quam acri ſenſuum omnium cuſtodia muniérunt. His cœlum emitur; quid æquale, quid ſimile, quid aliquatenus affine nobis offers?

Si jam ego diſcurrerem per omnes Scholæ hujus ordines, & unumquemque veſtrum percunctarer tacitus, vitia ſingulorum enumerans, quæ ſpem impertiendæ olim cœleſtis gloriæ aut remorari poſſunt, aut etiam exſcindere penitus; quotus quiſque veſtrum eſſet, qui profiteri poſſet ex animo, ſe aliquam in iis vel extirpandis, vel coërcendis operam hactenus poſuiſſe?

Tu, quem moroſa, difficilis ac tetrica præter modum indoles moleſtum ſociis, domeſticis incommodum, aſperum monitoribus, parentibus contumacem ac refractariolum ſingulos in dies magis ac magis exhibet, an ne aliquam identidem adhibuiſti vim, ut aſperitatem illam mitigares? ut mollioribus verbis uterere? ut docilem te benemonentibus, & ad ſaniora flectentibus, manſuetum præſtares? Tu, quem ludi inſanus furor totos per dies, etiam cùm neque licitum eſt, neque vacat, miſerum obſidet ac deperdit; qui inſanabile illud cacoheтes, dum ſtudes, dum precaris, dum ſacris Myſteriis interes, tecum portas; an ut effrenem illum impetum coërceres, interdicendam tibi nonnunquam ludendi poteſtatem ultro volenſque æſtimaſti? Tu, qui literarum pertæſus turpi jam dudum langues in otio; hinc, ſi neſcis, tot cogitationes malæ, tot incitationes ad voluptatem, tot graves ac periculoſæ tentationes, tot inflicta integritati tuæ atque innocentiæ vulnera, tanquam teterrimi rivuli ex corruptiſſimo fonte promanarunt; tamen quid feciſti ut veternum excuteres? ut intermiſſum ſtudii ardorem reſumeres? ut patentem morum corruptelæ aditum occluderes? Tu, quem conſuetudo prava ſuis conſtrictum laqueis tenet forte jam pridem, non ignoras, quàm gravem in te ipſo ſalutis obicem, quantum ad beatam immortalitatem conſequendam impedimentum feras? Intelligis dictam hanc legem eſſe, nequid inquinatum ſordibus intret in regnum cœlorum. Tamen quid contuliſti de tuo, ut habitus illius mali vitium corrigeres? An interdixiſti ſedulò curioſis oculis quæcumque pudicitiam lædere quoquo modo poſſent? an abjeciſti immiſericorditer & ultricibus damnaſti flammis pernicioſa illa volumina, è quibus peſtiferum altiùs venenum hauſiſti? an temperaſti liberioribus colloquiis, quæ malum invexerunt fortaſſe, idemque etiamnum fovent & alunt? an abrupiſti fatalia neceſſitudinis illius vincula, quæ mortem animæ, pudori labem, cœleſti gloriæ tam gravem moram importat?

Hæc & alia ejuſmodi, quæ petuntur à vobis, quantula ſunt, ſi cum æternæ mercedis magnitudine comparentur? *momentaneum & leve tri-* 2. Cor. 4.
bulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus.

dus operatur in nobis: tamen quis credat? hæc rejiciuntur à pleriſque, tanquam onus non ferendum ſuiſque impar viribus! Quid ſi ergo majora pro jure ſuo ac difficiliora Deus exigeret? quid ſi labores continuos, acerbiſſimos cruciatus, ipſam per mille vulnera vitæ jacturam gloriæ cœleſtis in pretium repeteret? tanti ſtetit nimirum Chriſtianis heroibus, illam ut adipiſcerentur. Nos qui ad eandem, qua potiuntur illi, felicitatem aſpiramus, leviſſimas difficultates perhorreſcimus! Pudeat certè noſmetipſos ignaviæ noſtræ, Adoleſcentes; caveamuſque diligenter, ne, cùm glorioſiſſimum fuerit viris ſanctiſſimis vitæ immortalis delicias tam vario pœnarum mortiſque genere redemiſſe; nobis turpiſſimum ſit, eandem illam gloriam tam vili promerendam pretio deſpexiſſe. Quamobrem, ut unde cœpit Oratio, eodem referatur; oro vos, Adoleſcentes, atque obteſtor per Jeſu Chriſti ſanguinem, cujus cœleſtis gloria pretium eſt, per Sanctorum exempla, per ſalutem veſtram, qua nihil vobis debet eſſe antiquius, aſpirate totis animis, & contendite fortiter ad illa bona, de quibus hoc polliceri nobis poſſumus; quoniam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum*.

IN FESTO
Natalis Domini.

ORATIO III.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joan. cap. 3.

STupendum enimverò divini in homines amoris prodigium hodierna ſolemnitas exhibet, Adoleſcentes Chriſtiani! Ecce Deus Optimus, Maximus triſtiſſimam humani generis ſortem commiſerans, Filium ſuum Unigenitum mittit in terras, & ardentiſſima ſuſpirantis jam diu, & in tanti boni expectatione geſtientis univerſi orbis vota cumulat! Ecce Filius ipſe dilectiſſimus, *qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe* Heb. 1. *æqualem Deo*, paternæ voluntati obſecutus ad nos ultro delabitur, non debitis regiæ majeſtati inſignibus præfulgens, ſed mortali infirmitate circumſeptus; atque, ut Apoſtoli verbis utar, *in ſimilitudinem hominum* Ibid. *factus, & habitu inventus ut homo*.

Hactenus equidem noveram, ò Deus, incredibilem potentiam tuam, cùm varietatem illam ac pulchritudinem rerum, quæ cœli terræque ambitu continentur, uno voluntatis nutu conderes. Intellexeram infinitam ſapientiam, cùm orbem univerſum tam mirabili tempeſtatum viciſſitudine regeres ac temperares. Didiceram quoque quàm eſſet metuenda juſtitiæ tuæ ſeveritas, cùm inquinatum flagitiis hominum opus illud manuum tuarum vindicibus aquis elueres. Nunc autem ex quo Verbum tuum, *figuram ſubſtantiæ tuæ* Filium illum amantiſſimum, *in quo* Phil. 2. tibi *ab æterno complacuit*, ad extremam hominum conditionem abje- Matt. 17. ctum, natum in ſtabulo, in præſepio reclinatum, vagientem in cunis, faſciis alligatum, unius diei infantem intueor, nunc, inquam, ſumma tua benignitas apparuit; nunc intelligo, quàm flagrans tuum erga nos, quàm ſingulare ſtudium extiterit. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*.

Verùm ut tanta Dei bonitas magis ac magis eluceſcat; excutiamus diligenter, Adoleſcentes Chriſtiani, quo tandem conſilio, quàm pio volun-

lun-

luntatis affectu, tam eximium humano generi beneficium Deus contulerit. Erraveramus, quotquot ſumus, à via veritatis, & cœco cupiditatum æſtu à recto tramite omnes abducti habebamus neminem, quem, vel revocantem audire, vel præeuntem ſequi vellemus: Deus filium ſuum, cui non liceret fidem abnuere, quem non imitari turpe eſſet, nobis in Exemplum dedit; hoc primum divinæ benignitatis caput. Excideramus eo jure, quod collata primis parentibus ab ortu ipſo innocentia nobis ad beatam immortalitatem dederat, & perpetuo damnati exilio nequicquam gemebamus; Deus Filium ſuum ejuſdem immortalitatis redimendæ in pretium dedit; hoc alterum divini erga nos amoris argumentum. Utrumque quàm juſta Chriſto ipſi cauſa fuerit, ut diceret, *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*, gemina hujus Orationis parte, quantùm patientur anguſtiæ temporis, demonſtremus. Igitur ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum nobis in Exemplum daret, hoc priore quidem parte: ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum in pretium daret, hoc poſteriore intelligetis.

I. Pars. Ac primò quidem revocate, quæſo, animis, quæ facies eſſet orbis univerſi, antequam Chriſtus in terras laberetur. quàm pravi ſenſus hominum, quàm diſtorti affectus, quàm projectæ ad omne facinus voluntatum inclinationes! Ut omnes meditantes iniqua, ſcrutantes perverſa, nefaria molientes! *Dominus*, inquit Pſaltes regius, *de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videret, ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Verùm corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, omnes declinaverunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

Pſal. 13.

Agite enim; quota pars in toto terrarum orbe, ſi breviſſimum Judææ angulum excipias, quæ verum Numen agnoſceret? Suos ſibi quiſque Deos fingebat ad arbitrium: tot erant illi, quot erant turpiſſimæ cupiditates: & impia pariter ac flagitioſa hominum natio ita nullum ponebat perverſitati modum; ut illa, quibus ſe inquinabant, ſcelera prætento Deorum nomine conſecrarent. Jam inter eos ipſos, qui ſe veri Numinis cultores profitebantur, quàm erant multi; qui avaritiæ ſordibus, qui honorum ambitu, qui voluptatum illecebris nequiter deſervirent? Quis tenuitatis ſuæ conſcius abjicere ſe infra cæteros? quis ſpoliare ſe bonis paternis & voluntariam colere paupertatem? quis macerare corpus, & inflictis ultro doloribus carnem affligere aut ſuſtinebat, aut etiam noverat? Imò ipſa virtutum illarum nomina ignorabant, ne dum illas colerent atque exercerent. Fruſtra Deus quoſdam identidem plenos æmulatione viros ſuſcitarat, qui corruptos depravatoſque mores arguerent, increparent vitia, virtutis amorem inſpirarent. Gravior erat, & diuturnitate temporis confirmata nimis mali acerbitas; quàm ut levioribus ejuſmodi remediis curaretur. Nempe natura morbi hujus, quo genus hominum laborabat, non tam verbis ſanari poterat, quàm exemplis.

Hoc intelligens, & humano generi medelam afferre cogitans cupidiſſimus reparationis noſtræ Deus hanc in ipſo Filio novæ, quam parabat inducere, vitæ formam atque ideam exhibere voluit, unde exemplum ſibi ſumere nemo hominum detrectaret. At quanta in eo conſilio Dei noſtri bonitas eluxit; qui veterem inſitamque penitus morum noſtrorum corruptelam emendaturus, vim

vim emendationis omnem atque acerbitatem voluit in proprio filio priùs experiri, quàm nobis eandem aut admittendam, aut etiam pertentandam proponeret!

Nihil ego jam miror, ſi Apoſtolus gentium Paulus Nativitatis Dominicæ myſterium intuens quaſi raptus ex ſe ſe in eas voces exclamet. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos*. Quam enimverò
Tit. 2. putatis Deum iniiſſe erudiendi unumquemque noſtrum & ad meliora provocandi viam? *Multifariam*, ſubjicit idem Paulus, *multiſque modis*
Heb. 1. *olim loquens Deus in Prophetis, noviſſimis diebus iſtis nobis locutus eſt in Filio*. Audiamus igitur quid loquatur; attendamus diligenter, & ad percipienda cœleſtis illius, quam tradit, doctrinæ oracula aures noſtras præparemus. Accedamus propiùs, penetremus uſque ad præſepe, in quo jacet reclinatus infans Deus, & caveamus ſedulò, nequid eorum nobis excidat, quæ ab ipſius ore promanabunt. Quanquam ſilet, aut nihil auribus inſonat, præter vagitus miſerabiles, triſtiſſima paupertatis, anguſtiæ, dolorum, quos patitur, argumenta! Fallimur, Adoleſcentes Chriſtiani, non loquitur ipſe modò, ſed quæcumque hic adjacent, omnia loquuntur. Loquitur ſtabulum in quo naſcitur, loquitur præſepe ubi componitur, loquuntur panni quibus involvitur, loquuntur lachrymæ, quæ defluunt ex oculis, loquuntur vagitus illi miſerabiles, in quos erumpit, loquuntur minuta & tenera corpuſculi membra, quæ faſciis aſtringuntur, ipſum denique ſilentium, quod miramur, diſertiſſimè loquitur.

Imò, imò, agnoſco, ſentio, intelligo vocem illius, *qui cœpit facere & docere*. Jam *exemplo* docet,
Adv. 1. inquit Bernardus, *quod poſtea traditurus eſt verbo*. Jam beatos pauperes clamat, beatos, qui lugent, prædicat, beatos, qui patiuntur propter juſtitiam, profitetur. Nunc primùm divitias reprobat, ſuperbiam & ambitionem arguit, & mollioris vitæ delicias execratur. Nunc è ſtabulo meliùs, quàm olim è monte Evangelicæ diſciplinæ fundamenta orditur & jacit.

Nam quis, amabo, commendanti paupertatem non credat, quem ad extremas egeſtatis anguſtias redactum & rebus ſpoliatum omnibus noverit? cui procul à cognatis, amicis, notis poſito nullum comitatum, nullum auxilium, nihil eorum, quæ miſerrimis quibuſque nunquam deſunt, videat ſuppetere? quem ſine tecto, ſine lare, ſine foco, nihilo ſanè commodiùs quàm foris, in aperto ac propatulo loco ſubque dio natum & educatum ſciat? Quis repudianti honores atque dignitates fidem deroget, dum ipſe ſciens ac volens viliſſima quæque, ſpreto conculcatoque mundano faſtu, amplectitur? dum patrem opificem, matrem peræque in vulgus ignotam, tenuiſſimis utrumque fortunis ſeligit? dum emendicato oſtiatim diverſorio ſpretus inſigniter, & per ſummam ignominiam excluſus undique ad deſertas atque inhabitabiles artegias, merum ceſpitem, meram maceriam, ad mutarum animantium conditionem, ſocietatem, ac veluti contubernium ſe demittit? Erit aliquis denique, qui diffluentem deliciis voluptuoſamque vitam increpanti contradicere audeat, quem graviſſimos moleſtiarum omnium atque acerbitatum caſus intelligat ſubiiſſe; & innumeris, quibus humana infirmitas conflictatur, ærumnis obnoxium ac ſubjectum fuiſſe fateatur?

Nam ſi tanta vis eſt in exemplis ad commovendos animos inclinandaſ-

daſque voluntates, quantam ineſſe revera uſu quotidiano atque experientia cognoſcimus; cujus ponderis oportet eſſe Chriſti naſcentis exempla, cùm ad extirpandam abolendamque in unoquoque noſtrum prioris conſuetudinis vetuſtatem ac corruptelam, tum ad inducendam melioris ſanctiorisque vitæ novitatem atque innocentiam?

Nolite enim exiſtimare Dominum Jeſum, tot ac tantis infantiæ ſuæ miſeriis circumſeptum, quaſi unum aliquem è liberis mortalium, cui iſthæc ætatulæ illius primordia fortuito Natalium caſu obvenerint. Supremus ipſe rerum omnium dominus; ætatum, locorum, tempeſtatum totiuſque naturæ effector ac moderator, id ſi illi tantopere cordi erat, ut Deo minus quiddam hominum cauſa fieret; aut ſi neceſſarium nobis videbatur, ut ad humanitatem noſtram ſe ſe deprimeret; poterat, ablegatis longiùs infantiæ moleſtiis, ea firmitate laterum, ea proceritate membrorum, eo corporis totius habitu prodire in hunc orbem, quo vel ipſe vir inter viros confirmata poſtea ætate exſtitit, vel quo hominum parentem primum novimus maturum ac prorſus virum, ut erat Dei ſummi architecti manibus fabricatus, ita de repente proceſſiſſe in medium, & apparuiſſe coram ex improviſo.

Si tamen necdum amori ſuo factum ſatis videbatur, cùm ſe in noſtrum numerum aggregabat, niſi factus nobis ex omni parte ſimillimus, ætatis gradus ſingulos decurreret; niſi obiret ſtatas vices variaſque mutationes, & quædam, ut militandi, ſic & vivendi ſtipendia conficeret; poterat ita lenire infantiæ ſuæ moleſtias, ut non hyeme, ſed vere, non noctu, ſed interdiu naſceretur; ut tanto hero atque hoſpiti digna domus non deeſſet; ut ſaltem mitigaret aſperitatem temporum bonitas loci, anguſtias ætatis laxitas habitandi & rei domeſticæ copia ſublevaret. Sed quæ, malum! tecti opportunitas ei, qui non agrum, non villam, non ædiculam habet, ubi pedem in ſuo ponat! Tamen eſto; alieno in loco naſcatur, cujus cœlum ac terra eſt, & quæ utroque continentur, at in conducto, at in commodato, at in clauſo, at aliqua in domo. O Deus immortalis! rerum parentem conſervatoremque omnium, non herediolum apud ſuos, non inquilinum pretio ac mercede, non amicum gratis, non mendicum aliena miſericordia, uſpiam ac non foris habitaſſe naſcendo! Stabulum, præſepe, fœnum; tantumne? latibulum pecudum, luſtrum ferarum, locum derelictum, patentem, ruinoſum ſedem ex altiſſimo pulcherrimoque cœli domicilio præbuiſſe venienti! Hæc ſedes imperii, hoc palatium, hic ſupellectilis apparatus, quem æquiſſimus rerum creatarum æſtimator, idemque dominus atque arbiter ſuum eſſe voluit!

Quid ad hæc dicemus, Adoleſcentes Chriſtiani? quem deinceps habere nos decet divitiarum, honorum, rerum cæterarum guſtum ac ſenſum, quas Chriſtus ſtatim ab ſuo in mundum ingreſſu deſpicit, abjicit, abominatur? Revocemus ad examen tritum illud quidem, at nihilo ſolidum minùs ac verum Divi Bernardi argumentum: *Aut mundus errat, aut Chriſtus fallitur.* Aut mundus errat, dum fluxas perituraſque opes, vanos & inanes honorum titulos, molliſque ac delicatæ vitæ illecebras tantopere ſectatur; aut certè fallitur Chriſtus, dum extremæ paupertatis inter anguſtias, inter ſummi contemptus opprobria, inter graviſſimos dolorum aculeos,

utriuſ-

Digitized by Google

utriuſque fortunæ arbiter, naſcitur. Falli Chriſtum, quem ipſam omnipotentis Dei ſapientiam profitemur, nefas eſt dicere; Quid porro ſupereſt, niſi ut vanitatis, erroris ac dementiæ mundum arguamus?

Neque verò exemplum iſtud, quod cæteris quidem hominibus naſcendo Chriſtus exhibet, alienum ab ætate veſtra veſtriſque moribus putarete, Adoleſcentes: Imo nullos imitatores ſui Chriſtus ambitioſiùs velit eſſe, quàm voſmetipſos, quorum potiſſimùm gratia naſci parvulus, ac ſingulos pedetentim infantiæ, pueritiæ, atque adoleſcentiæ gradus voluit decurrere. Nempe in informanda illa, erudienda ſuiſque virtutibus exornanda vitæ parte amavit ſe plurimùm, quam factus grandior teneriore quodam voluntatis affectu ſupra reliquas dilexit ætates; quam cæterarum veluti formam & abſolutum exemplar commendavit; cujus innocentiam & expertes fuci mores propoſuit omnibus ad imitandum, qui cœleſtis patriæ felicitatem ambirent.

Agite enimverò unde illuſtriora innocentiæ, pudoris, modeſtiæ, manſuetudinis, docilitatis, obedientiæ, quæ ſunt ætatis veſtræ ornamenta, mutuari vos exempla liceat, quàm à Puero Jeſu; qui virtutes illas ſtatim ab ortu, ad ipſa exactæ juventutis tempora, tam mirabiliter exercuit? qui vel inter matris ubera pleniſſimo rationis uſu fruens, regi ſe nihilominus, cæterorum infantium more, ac circumduci parentum ad voluntatem paſſus eſt? qui per multos annos duriſſimæ ac laborioſiſſimæ Juventutis, unam hanc ſectari viſus eſt laudem, ut ſe Mariæ æquè ac Joſepho viliſſimis etiam in rebus obſequentem ac ſubditum exhiberet? Documentum ingens, Adoleſcentes Chriſtiani, quàm dociles, quàm cereos, quàm flexiles in omnem partem ac patientes culturæ animos afferre vos deceat moderatoribus; qui ætatem veſtram liberalibus ſanctiſque diſciplinis imbuendam, grande munus pariter & onus, ſuſceperunt?

Quin & hæc ipſa, quæ Chriſtus infans admiſit in ſe vitæ auſterioris exempla, non minùs vos in hoc, quem decurritis, ætatis flexu reſpiciunt, quàm ad eoſdem olim plenioribus maturos annis pertinebunt. Neque enim alia potior Puero Jeſu videtur fuiſſe conſilii ratio, quamobrem, vel ab ſuo in hunc orbem ingreſſu, tam ſtupendum rerum humanarum contemptum præ ſe ferret, niſi ut eundem teneris adhuc ac recentibus juvenum animis inſpiraret. Intelligebat nimirum, qui penitiſſimas humani cordis latebras ſcrutatur & intuetur Deus, quàm difficilis operæ foret; ut quis divitias negligere, honores fugere, voluptates ſpernere ſuſtineret; niſi inſanos rerum iſtarum amores ſtatim dedoctus, quidquid caducum ac periturum eſt, ab adoleſcentia parvi facere, ac paulatim etiam contemnere aſſueviſſet.

Id ipſum per ſe unuſquiſque veſtrum æſtimet, Adoleſcentes. Putatis maturam ætatem aſſecutis imitandum vobis eſſe in contemptu mundi Infantem Jeſum, ſi jam eundem mundum, & ea quæ in mundo ſunt, amando deperitis? Tu magnas olim poſitus inter opes, non inſervies illis turpiter, aut etiam illas abjicies egregius contemptor, cujus avidos jam tum oculos argenti nitor ac ſplendor auri adeo perſtringit? qui idipſumcumque, quod habes, recondis ſedulò ac ſordidè comparcis? qui egenti ac mendico ſubveniendi gratia, ne modica pecuniæ parte genium defraudare ſuſtines?

Tu medius aliquando inter illecebras atque irritamenta voluptatis vives abſtinentiſſimus; qui curandæ fovendæque molliter cuticulæ nunc indulges? qui furtivas vetitaſque delicias conquiris? qui enatam vix ac prodeuntem ſe ſe libidinem, tot inſtructus ad eam coercendam præſidiis, compeſcere ac refrenare non vales? Tu denique ampliſſimas vel Eccleſiæ, vel militiæ, vel Togæ adeptus dignitates abjectè ſenties de teipſo, tu deprimendi tui animum induces, qui junior inani tumes Natalium faſtu? qui leves aucuparis rumuſculos, & omnes umbras futilis ac falſæ gloriolæ conſectaris? quem amica moderatorum conſilia exaſperant potiùs atque irritant, quàm pravos errores dedoceant, aut ad meliorem vitæ frugem revocent? Erras, erras, mihi crede, ſi tam contrarias, tam ex adverſo poſitas vitiis, quæ nutris hodie ac foves, tibi virtutes aliquando polliceris. Aſſueſcite nunc igitur, Adoleſcentes, Chriſtum pauperem, abjectum, patientem, quantùm per ætatem veſtram licet, æmulari. Quid non aggredi liceat tanto duce atque auſpice, qui non modò nobis datus eſt in exemplum, ſed etiam in pretium oblatus?

II. Pars. De hoc altero divini erga nos amoris argumento quàm multa ſe offerret dicendi ſeges; niſi temporis anguſtiæ imponendum jam jam orationi finem admonerent. Rem itaque pauciſſimis verbis ita conficio, ut non tam notiſſimi vobis myſterii veritatem explicare aggrediar, quàm impoſitas inde vobis officii partes declarare.

Ita creverat in immenſum humani generis perverſitas, adeoque divinam in ſe indignationem peccando concitarat, ut neque veniæ locus aliquis, neque ſpes ſalutis ulla ſupereſſe videretur. Actum erat de nobis ac penitus conclamatum, niſi ſpes noſtras ſuſcitaſſet ipſe Deus, &, quam nemo hominum ſuffeciſſet unquam, hanc in proprio filio communem pro peccatis victimam ſtatuiſſe. Hæc illa divini conſilii ratio Chriſtum è regali divinæ Majeſtatis ſolio in terras evocat, ubi tandiu parat exulare, donec expiatis ſuo ſanguine mortalium flagitiis occluſum æternæ beatitudinis aditum reſerarit. At quanta divinæ benignitatis immenſitas, ut innocens pro reis, Juſtus pro injuſtis, Dominus pro mancipiis, Deus pro viliſſimis homuncionibus ſe ſe in pignus ac pretium devoveret!

Adeſte igitur animis, Adoleſcentes, & Puerum Jeſum tot tamque gravibus ærumnis veſtra omnium cauſa perfungentem attentè contemplamini? Quidquid hìc durum ſuſtinet, quidquid aſperum ac moleſtum patitur, totum hoc vobis ultrò ac volens impendit. Quòd excluſus undique per ſummum nefas ad miſeras tugurioli tenebras redigitur, quòd alget malè compoſitus in præſepe; quòd vagit in cunis; quòd frigidæ tempeſtatis incommoda, extremæ paupertatis anguſtias, rerum penuriam omnium, ſibi relictus uni ſolatiique expers omnis non detrectat, hoc ſui in vos amoris pignus ac monimentum agnoſcite. Divinæ juſtitiæ, quotquot eſtis, multis nominibus debitores, quod pendere pretium nemo veſtrum poterat, ipſe perſolvit. Veſtris ille jam tum onuſtus flagitiis, quas dare vos pœnas ſine fructu, ſine emolumento decuiſſet, illas melioribus auſpiciis veſtræ apud Deum pacis ac gratiæ reconciliator ſuſcipit. Neque enim ignorare vos oportet, Puerum Jeſum tot infantiæ ſuæ moleſtiis obnoxium videri, non eò ſolum conſilio & animo, ut nævum fatalem illum nativamque labem, quæ ſingulos ab ipſo

ſatu

Digitized by Google

ſum conceptuque occupat atque inficit, bonus eluat; ſed etiam ut graviſſima quæque flagitia ac ſcelera, quæ, aut in ſe admiſerant homines, aut admiſſuri erant aliquando, expiaret.

Itaque ille tum pœnas dabat furtorum, quæ hominum avaritia, homicidiorum, quæ crudelitas, impuritatum, quas petulantia ac libido ſuſceptura deinceps ætatibus cunctis eſſet ad finem uſque & occaſum univerſi orbis. Quiſquis obſcœniſſimo ore verba profers, quæ vel audiri pudor vetat, viden' tu Puerum elinguem ac mutum, tua illum verba infantem fecerunt. Qui pudicitiæ & honeſtatis oblitus abuteris manibus ad flagitium, illum tu faſciis obligaſti. Qui paſcis oculos inverecundis imaginibus, qui corpus luxu frangis, & mollibus vetitiſque deliciis enervas, tu illius oculos depreſſiſti, tu infirmaſti vires; pœnas tibi ſceleribuſque tuis debitas toto corpore ſuo expendebat. Quo igitur animo te eſſe decet, ſi inhumanus, ſi planè ferreus non es in eum, quem noris tuas partes ſuſcipere, culpam tuam ſuſtinere, ſe pro te reo reum ſupponere?

Ah! ſi nihil aliud præſtare Chriſto poſſis, unde gratus ac memor animus erumpat, ſaltem pone aliquo in loco beneficium illud, quod tibi naſcens impertit. Intellige quanta ſit dignitas animæ tuæ, quam perennibus ſuppliciis obligatam ut exſolvat, ſemetipſum offert piacularem in hoſtiam. Metire pretium illud ex ipſa Dei majeſtate, qui ſe vadem & obſidem jam oppignerat, donec redimendæ ejuſdem gratia, quidquid ſanguinis in venis micat, effuderit.

Nihil hìc dictum à me vel ambitioſiùs ad oſtentationem, vel ad hodierni beneficii prædicationem magnificentiùs. Nolim ego tibi fucum facere, Chriſtiane Adoleſcens, quiſquis es; Auguſtinum audi nativitatis dominicæ beneficentiam excutientem. *Tanti vales*, inquit, *quanti Deus*. Igitur Dei ſordes hominum, & mortalis naturæ miſerias ſuſcipientis humilitatem & abjectionem expende, tanti vales! Dei viles terras tui cauſa pulcherrimo cœli domicilio præponentis, obnoxiam laboribus & opprobriis infantiam expende, tanti vales! Dei, ad obeundum ſalutis tuæ gratia quemcumque ſuppliciorum modum, teneros artus jam tum præparantis lachrymas, algorem, paupertatem expende. Tanti vales! Tot impenſis, tot ſumptibus quæſita, redempta, inſtituta anima tua eſt. Quanti tu illam hactenus feciſti? quantum curæ, quantum diligentiæ adhibuiſti, ne tibi res tam pretioſa deperiret. Quid egiſti unquam, quid paſſus graviùs, eam ut in tuto collocares & incolumem cuſtodires? Ah! potiùs quoties animam illam tuam turpiter abjeciſti? quoties breviſsimæ voluptatis pretio Satanæ oppigneraſti? quoties ſciens volenſque ſempiternis ignibus addixiſti? Chriſtum interim non ignorabas è ſupremo Majeſtatis ſuæ ſolio delapſum fuiſſe, ut per mille moleſtiarum ac dolorum aculeos illam redimeret ac ſervaret?

Vos ego per immortalem Deum, Adoleſcentes, per Chriſti Natalem plenum egeſtatis, plenum contemptus, plenum patientiæ; per ſalutem fortunaſque veſtras, quæ in ipſo poſitæ ſunt, cavete diligenter, ne, cùm tam multa pro ſalute veſtra Chriſtus fecerit ac pertulerit, labores ipſius omnes irritos inaneſque reddatis. Nolite, quæſo, committere, ut, cùm nemo vobis propior ſit, quàm vos, tum nemo veſtri negligentior, quàm vos, nemo vobis inimicior, quàm vos eſſe videatur. Pergite eximium, immortale ac divinum Chriſti benefi-

cium tueri ac ſuſtinere; &, dum ſe vobis pro charitate ſua in Exemplum & in Pretium naſcens impendit, eam ſaltem referte gratiam, ut per ipſius exempla veſtræ ipſorum ſaluti ſtudioſè ac conſtanter adlaboretis.

IN PASSIONE DOMINI. ORATIO IV.

Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Luc. 23.

ITa compellabat Chriſtus Dominus pias illas Fœminas, quæ inſito commiſerationis ſenſu crucifigendum ipſum in Calvariæ monte collacrymantes ſequebantur. Idipſum hodie, quis credat, ab alto Crucis patibulo Chriſtus idem exſpirans unumquemque noſtrum tanto poſt tempore rurſum admonet. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſos flete.* Tamen ita ne verò eſt, Adoleſcentes Chriſtiani, ut in tam juſta luctus materia flere nobis non liceat? Non erumpemus in lacrymas, dum acerbiſſimos inter cruciatus, Supremus rerum Moderator atque arbiter Deus, innocens victima in ara Crucis immolatur? At ecce vultus ſuos caliginoſa nube Sol obnubilat, Luna deficit, finduntur petræ, recluduntur monumenta, terra concutitur; velum templi ſcinditur per medium, fuiſque convulſa ſedibus natura tota morienti ſuo Creatori, quoquo poteſt modo, ardet parentare. Interim unus homo tam funeſtæ mortis & cauſa & pretium erit adeo ferreus, ut ſpectaculum ejuſmodi ſiccis oculis aſpiciat? hoc ferat Chriſtus? hoc velit? hoc imperet? ſic eſt tamen, Adoleſcentes; neque mirum illud accidat. Nam quid inanes lachrymæ Chriſtum adjuvent, quæ nec dolores ejus allevant, nec mitigant cruciatus, nec ſanguinem reſtinguunt, nec ſanant vulnera, nec crudelem, quæ paratur ipſi, mortem impediunt, aut remorantur! Alias hodie ſibi lachrymas Chriſtus repoſcit. Vultis utilibus & verè piis lachrymis Chriſti funus proſequi? Hæc deflete, & perpetuis lachrimarum fontibus eluite, ſi poteſtis, quæ Chriſto tot inter dolorum aculeos moriendi cauſa extitere. Peccata veſtra intelligo, quæ tam crudele, tam horrendum, tam deteſtabile parricidium perpetrarunt. Illa, illa ſunt, quæ Dei omnipotentis iram ita provocarunt in amantiſſimum Filium, ut, niſi exhauſto ipſius ſanguine, ſatiari nulla ratione potuerit.

Audiamus, Adoleſcentes, audiamus Deum ipſum de Filio ſuo ita profitentem. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Iſa. 53. O dignam dolendi lugendique materiem! Peccata noſtra Chriſtum innocentem Cruci affixerunt! Quid ſi peccata illa Chriſti dolores ac vulnera quotidie refricant? quid ſi novam in eum mortis ſententiam pronunciant? quid ſi benigniſſimum Jeſum rurſus crucifigunt? Nolite mihi credere, Adoleſcentes, ſed Apoſtolo credite malos ſui temporis Chriſtianos increpanti, quòd rurſus ſibimetipſis Chriſtum crucifigerent! Exclamemus igitur cum Propheta; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut plorem die ac nocte* peccata illa, Jer. 7. quæ Chriſtum olim ſemel in Cruce, eundem in corde meo toties immolarunt? Attendamus diligenter ad geminum, quod peccata noſtra ſufficiunt, perpetui fletus argumentum. Peccata noſtra Chriſtò patiendi ac moriendi olim cauſa extiterunt; hoc primum. Peccata noſtra Chriſti dolores ac mortem quotidie renovant,

hoc

hoc alterum. Utrumque gemina orationis parte conſideremus.

I. Pars. Tanta eſt illius, qua per peccatum divina Majeſtas læditur, injuriæ gravitas, ut non in creaturæ cujuſquam poteſtate ſit, contractam peccato labem expiare. Finge tibi, quotquot habet cœleſtis patria, puriſſimas Virgines, Confeſſores ſanctiſſimos, fortiſſimos Martyres, Spiritus omnium Ordinum divinæ charitatis ardoribus ferventiſſimos mutuis ac conſpirantibus omnes animis contendiſſe, ut aſſiduis precibus, laboribus aſperrimis, perpetuis etiam, ſi voles, cruciatibus unius lethalis noxæ offenſam compenſarent; nunquam id illi, vel æternum afflictando ſe ſe, fuiſſent conſecuti. Unus erat pro peccato ſatisfaciendo par Chriſtus Dominus; unus iratum nobis Deum placare poterat. Actum erat de ſalute noſtra, niſi ille, *qui peccatum non noverat*, inquit Apoſtolus, noſtra in ſuo corpore peccata pertuliſſet.

At quàm grave, quàm durum onus ſubiiſſe putatis benigniſſimum Jeſum, dum ſe communem expiandis totius mundi flagitiis victimam obtulit? Intelligite nunc tandem, Adoleſcentes, atque hinc, quanta ſit peccati labes, obſtupeſcite. Poſtquam ſemel fatalis dies illuxit, quem Chriſti flagrantiſſimus erga nos amor exſolvendo debitam peccato pœnam delegerat, quàm nova, quàm ſtupenda, quàm funeſta rerum facies exurgit! Scilicet Deus Optimus, Maximus, qui vel in ipſa naturæ mortalis infirmitate coæqualem ſibi filium hactenus agnoverat; qui, aſcitas extrinſecus inter ſceleris umbras, hominis innocentiſſimi perviderat integritatem, mutatus repente totus tenerum patris affectum, & ipſam oculati judicis perſonam videtur exuere; nihil ut in filio deinceps introſpiciat, quod ſuam indignationem non exſtimulet, furorem non accendat, ultionem non provocet: hæc una peccati labes, quam ſuſcepit Chriſtus eluendam, obverſatur oculis; hanc in ipſo ſceleris umbram ira perſequitur implacatus vindex Deus; nullum ut ſatis grave ſupplicii genus, nulla pudenda ſatis contumeliæ ſpecies, nulla ſatis cruenta mortis conditio ſit, quam ſubire Chriſtus ac perpeti non debeat.

Nolite igitur jam mirari, ſi tam turpiter deſeratur à ſuis, tam ignominioſè prodatur à domeſticis, tam perfidè, tam inhumaniter ejuretur ac vendatur à Diſcipulis. Levia illa ſunt, & prima dolorum rudimenta, quos inimicorum ipſius rabies, aut potiùs irati patris inclementia meditatur. Ipſe benigniſſimus Jeſus, incenſo quantumvis humanæ ſalutis ſtudio triſtiſſimam illam horam ambiiſſet, cùm intueri cœpit animo acerbiſſimos propinquæ mortis cruciatus, & ſummam cum ſummis doloribus conjunctam infamiam: cùm revolvit ſecum tacitus nutantem ac dubiam Diſcipulorum fidem, confirmatam legibus & magiſtratuum auctoritate carnificum audaciam: cùm ſtolidæ plebeculæ ſibila, contumelias, probra, ululatus ſibi repræſentavit ad vivum: cùm trahendum ſe per urbem, ſiſtendum ante Præſides, cædendum alapis, flagris lacerandum, confodiendum ſpinis, ſicariis poſthabendum, componendum cum furciferis, in Crucem diſtrahendum ac ſuffigendum expendit; hæc tanta, tam dura, tam aſpera cogitatione complexus exhorruit totus ad terribilem aſpectum. Mox colluctantibus inter ſe; & ſanctiſſimam animam varias in partes trahentibus tædio, pavore, mœſtitia, ecce ſanguineus

Digitized by Google

ſacro de corpore ſudor exoritur. Hinc exanimatus pœne, deficientibus ipſum viribus, in terram collabitur; ac veluti ſuſcepti laboris & dicti pro nobis ſacramenti ipſum pœnituiſſet, profuſus in faciem, ſemel
Matt. 26. iterumque ac tertiò ſuppliciter petit, orat, obteſtatur, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*. Verùm heu! ne quicquam eſt; Filii amantiſſimi precibus non flectitur Pater, non placatur, non mitigatur. Calicem totum, quàm amarus eſt, innocens Jeſus ad fæces uſque exhaurier, jacta alea eſt, juſtus pro injuſtis peribit!

Dum loquor jam appropinquant immanes duræ ſententiæ adminiſtri: perſonant omnia vagis & inconditis clamoribus; adeſt ſubito tumultu turba ingens militum, civium, ſervorum, operarum facibus, gladiis, fuſtibus armata: præeſt inſanæ cohorti ſignifer Judas mitiſſimum Dominum, inaudita ſceleris ſpecie, pacis oſculo traditurus! Actum eſt de te, bone Jeſu, de vita tua conclamatum! Ecce veluti quodam œſtro omnes perciti in Chriſtum, tanquam in prædam, irruunt, eundem ictibus trudunt, propellunt, vinculis onerant, & laqueis conſtrictum foras pertrahunt! Ah! ſiſtite impetum, crudeles! Quo vos immanis furor præcipitat? Nihil igitur auguſti capitis reverentia, nihil majeſtas frontis, nihil modeſtiſſimi vultus gratia, nihil divina totius hominis dignitas quædam atque amabilitas ab infando ſcelere deterruerunt? Voſque adeo fortunati beatarum mentium ordines, qui beneficentiſſimi Jeſu innocentiam ac ſanctitatem, inter illas, quibus obtegitur, peccatorum noſtrorum umbras, perſpicitis; non obſtupeſcitis ad tam triſte tamque immane ſpectaculum? non advolatis ocyùs? non irruitis denſis agminibus? Regem veſtrum ac Conditorem ex impiis inimicorum ſuorum manibus non eripitis? Nihil agimus: Angeli pacis amarè lugent: hoc unum poſſunt amantiſſimi Domini gratia: prohibet læſus divinæ juſtitiæ furor, ne quid ulterius audeant. Rapitur ergo Chriſtus impunè, & per varia iniquorum Judicum tribunalia cruentum in morem pertrahitur, irridetur, exploditur, conſpuitur, colaphis tunditur, mutilatur, flagellis cæditur, crucifigitur, & per mille dolorum aculeos innocentem animam profundit.

Huc oculos, Adoleſcentes Chriſtiani, & triſtiſſimam Chriſti Domini morientis effigiem diligentiùs contemplamini. *Attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor* Thren. 1.
illius. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Cernite Iſa. 1.
transfoſſum acutiſſimis vepribus caput, obſcuratam frontem, extinctos & media jam in morte nutantes oculos. Intuemini turpatas ſputis, cæſas alapis, & ſanguineo rore madentes genas. Aſpicite flagris laceratum & continua ſanie tabidum corpus, perforatos clavis pedes, transfixas manus, pendulam ac ſuſpenſam è cruce molem corporis. Penſate dolorum multitudinem, acerbitatem vulnerum, pudendæ mortis infamiam; atque hinc peccatorum veſtrorum gravitatem tandem aliquando intelligite.

Quorſum enim è pulcherrimo Cœli domicilio delapſus in terras Chriſtus conditionis humanæ miſerias amplexus eſt? quorſum tot exercitatus laboribus, quorſum affixus Cruci per mille vulnera vitam profundit; niſi ut iniquitates noſtras, quibus eluendis eramus impares, fuſo ipſe ſanguine expiaret? Adeſte igitur animis, & propioribus oculis

attri-

Digitized by Google

attritum propter peccata veſtra Dominum Jeſum, & propter ſcelera veſtra vulneratum inſpicite. Nolite, amabo vos, nolite proditoris Judæ perfidiam, malevolentiam Judæorum, Judicum iniquitatem, impudentiam militum, tortorum immanitatem aut incuſare graviùs, aut acerbiùs execrari. Quidquid hic admiſſum ſceleris, quidquid patratum flagitii eſt, veſtrum ſcelus, Adoleſcentes, veſtrum flagitium eſt. Agnoſce, perdite juvenis, ſi quis eſſes, in hoc triſtiſſimo Chriſti morientis ſpectaculo parricidii tui crudelitatem, ferociam, immanitatem; recogita tecum annos tuos in amaritudine animæ tuæ; expende, quàm ſæpe, quàm graviter vel cogitatione, vel dicto, vel facto Deum offenderis. Tu, dum Chriſtiani nominis dignitatem oblitus, aut certè nullo reputans in loco, amplitudinem generis, opum magnitudinem, opinionem hominum tanti faciebas & oſtentabas ambitioſiùs, Chriſtus jam tum in cruce ſuperbiam illam tuam mille ſpinarum aculeis in capite transfixus eluebat. Tu, dum conſuetudinis pravæ conſtrictus vinculis ſolemni die ſacrum ad tribunal ſine ullo pœnitentis animi affectu, aut melioris vitæ propoſito adrepebas; Chriſtus duritiem cordis tui acerbiſſimo dolore & amariſſimis lachrymis expiabat. Tu, dum fœdæ conſcientiæ ſentinam exhaurire non auſus partem delictorum longè graviſſimam celabas; Chriſtus inter ſceleratos atque homicidas computatus intempeſtivum illum pudorem exſolvebat. Tu, dum flagrans libidine, dum tacita cupiditate æſtuans pudendis & obruendis æterna nocte piaculis maculabas te ac contaminabas, Chriſtus in medio petulantis militiæ nudus, & diriſſimis flagellis laceratus turpitudinis tuæ pœnas dabat. Tu, dum ad ſocios, vel magiſtros impuritatis, ad nefarias impietatis ſcholas divertebas; Chriſtus ad expiandos flagitioſos inceſſus, ſacros pedes, ut perfoderentur, offerebat. Tu, dum pudoris immemor inferebas manus vagè ac licenter, quo neque decet, neque fas eſt; Chriſtus geminas hinc atque inde manus cruci affigendas expandebat. Tu, dum ore nequiſſimo maledicta, contumelias, perjuria, obſcœna verba proferebas; Chriſtus ſacratiſſimam linguam felle & aceto perfundebat. Tu denique, dum vindictæ modum meditabare, dum coquebas iram in ſinu, dum cordis impuri ſenſus illicitis cogitationibus ac deſideriis paſcebas; Chriſtus puriſſimo ſuo pectore aciem lanceæ excipiebat. Sic Tibi ruenti ad flagitia cœleſtes Dei omnipotentis iras Chriſtus avertebat; ſic debitam ſceleribus tuis pœnam exſolvebat; ſic innocens pro nocente, juſtus pro iniquo, purus atque integer criminis pro nefario ac ſceleſto plectebatur.

Tene ergo tot ſuppliciis affecerim, ò Chriſte! Tene durus ac perditus carnifex affixerim Cruci? tibine tam cruentæ mortis auctor extiterim? heu! verum ò nimis? tot criminum reus, tot peccatorum conſcius nihil habeo, unde factum excuſem! ſed quid agam? moreris, ò Deus, & ego ſuperſtes vivo! In me, in me furorem veſtrum convertite, ò tortores: nocentem perdite; ſceleſtum, impium, tot nominibus divinæ juſtitiæ debitorem crucifigite! Nihil ago, nihil promoveo, nequicquam queror! ò Chriſte, moreris, ne peream, vitæ temporalis uſuram abjicis, ne æterna vita aliquando caream! At ſaltem qua deinceps habiturus ſum in parte peccata illa, quæ tibi lucem eripiunt? Eademne perpetrare rurſum aut ve-

lim,

lim, aut ſuſtineam vecors, ingratus, impius? Ah! ſi potiùs præteritæ delicta juventutis ſanguineis deflere & expiare lachrymis poſſim! Interim has haſce tibi, ò Deus, qualeſcumque lachrymas, quas verus ac ſincerus peccatorum meorum dolor ex ipſa cordis duritie tandem elicuit!

Quanquam ò me infelicem! doleo ereptam tibi à me ſemel in Calvariæ monte vitam; nec adverto imprudens, quoties ejuſdem parricidii reus te, te in meo corde crucifixerim! Unde porro tanta lachrymarum copia tot eluendis piaculis ſufficiat? Ita res enim ſe habet, Adoleſcentes: Peccata noſtra Chriſti dolores ac mortem renovant, quod altera Orationis parte ſupereſt breviter demonſtrandum.

III. Pars. Quanquam ea eſt Chriſti Domini, poſt expletum ſalutis humanæ negotium, felix fortunataque conditio, ut poſitus extra quaſcumque mortalis vitæ miſerias, nihil ab hominum injuria metuendum habeat: quis credat tamen ſic in immenſum prorupiſſe Mortalium perverſitatem, ut contra fas, contra jus omne, Chriſti refricare vulnera, & mortem renovare crudeliſſimam etiamnum meditentur? At non his ſe finibus continet peccantium atrocitas, quibus parum eſt meditari animo tam deteſtabile parricidium, niſi & illud majori ſcelere, quantùm eſt in ſe, exequantur. Advertite quod dico, Adoleſcentes; quoties lethale peccatum admittitis, toties benigniſſimum Jeſum novis doloribus affligitis, toties novo ipſum ſcelere crucifigitis.

Neque hic quidquam ad vivum reſeco; cùm non ſit hæc oratio mea, ſed divini Spiritus oraculum id ipſum conteſtantis, & Apoſtoli voce degeneres Chriſtianos increpantis, quòd nova prorſus & inaudita crudelitate Dei Filium in corde ſuo crucifigant. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Heb. 6.

Tamen, quis hoc ſibi perſuadeat, inquies; eſſe malitiæ tantùm in peccato vel lethali, quod ſæpe voluptatis unius, aut ambitionis, aut etiam humanæ infirmitatis partus eſt? Cui venit unquam in mentem, cùm tentationis violentia ſuperatus rapi ſe ad peccandum ſineret, hoc imputandum ſibi eſſe, quòd Chriſti tortor ac carnifex haberetur? Quibus revinci poſſit argumentis in miſerum peccatorem cadere tantam ſceleris ignominiam ac ferocitatem? Cauſam petis, infelix, propter quam immanis parricidii auctorem ac reum Oracula ſancta te redarguant, quoties mortiferam labem admittis? Hoc igitur altiſſimis defige animis, eam adhæreſcere peccato lethali pravitatem, ut, ſi illatam novo illo ſcelere divinæ Majeſtati contumeliam compenſari ex æquo rurſum oporteret; nihilo leviùs ab ipſo Chriſto juſtus criminis ultor Deus exigeret piaculum, quàm quod reconciliando toti humano generi Chriſtus idem in ara Crucis ſemel obtulit. Ergo breves intra cordis unius anguſtias, quod inficit peccati labes, luctuoſum horrendæ carnificinæ apparatum innocens Jeſus rurſum offendit. Illic novum opprobrii genus, novam ſuppliciorum ſeriem, nova verbera, novos clavos, novam iniqui tribunalis imaginem, nova funeſtæ mortis inſtrumenta ſibi videt apparari. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.*

Quantæ porro immanitatis eſt obductas renovare cicatrices, & acerbiſſimis amoris noſtri gratia cruciatibus jam defunctum ad crudeles de integro pœnas revocare! Id cogitaras.

ras ſedulò ac maturè perpenderas; infelix Adoleſcens, cùm op ignoratam toties Deo tuo ſolemnibus Sacramentis fidem violares; cùm ejurata conſuetudinis malæ flagitia ſtatim repeteres; cùm receptam poſt tot relapſus gratiam primo quoque tempore proſtitueres? An ergo nondum videbatur admiſſum à te ſceleris ſatis, qui Chriſtum olim Judæorum manu interfeciſſes, niſi denuo ſacratiſſimum ipſius pectus multo acerbiùs confoderes? Acerbiùs dico, infortunate Adoleſcens, crucifigi à te Dominum Jeſum, quando lethali labe te polluis, quàm fuerit ab infida Judæorum gente mactatus. Impiè illi hominem innocentem perſequebantur, at volentem, & ſe ſalutis humanæ gratia ultro devoventem: tu nolentem, invitum ac repugnantem inſectaris. Illi peregrinantem in terris, & ærumnis vitæ hujus obnoxium impetebant; tu regnantem in cœlo, & de mortali infirmitate triumphantem aggrederis. Illi partim ignari, quid facerent, partim aliena malevolentia compulſi cruentas in Dominum gloriæ manus injiciebant; tu ſciens ac prudens, hortante nemine, nemine provocante Deum tuum petis ac trucidas. Illi ſemel parricidium illud deteſtabile perpetrarunt; tu quoties eodem te parricidio contaminaſti?

Nunc igitur repete ſpatium præteriti temporis, & funeſtam dierum illorum memoriam recordare; cùm vellicantibus te fruſtra conſcientiæ ſtimulis humanarum pariter divinarumque legum contemptor turpiſſimis facinoribus indulgebas; tunc, ſi neſcis, Dominum Deum tuum, pro te jam paſſum, pro te mortuum, abſque quo foret, ut devota ſempiternis ignibus victima inter ardentes rogos gemeres ac lamentareris; tunc, inquam, beneficii tam ſingularis oblitus Deum tuum laniabas, perimebas, crucifigebas. Atque hæc carnificina non longè à te, ſed in oculis; non ut olim in Calvariæ monte, ſed in ipſis cordis tui penetralibus exercebatur. Illic effrenatæ cupiditates tuæ, totidem veluti carnifices ad omne facinus projecti, nequiſſimæ voluntatis, quæ Judicis iniqui partes agebat, imperium exequebantur. Sedebat illa pro tribunali, &, vociferantibus horribilem in modum habitibus pravis, Crucifige, Crucifige, mitiſſimum Jeſum injuſta morte condemnabat. Continuo virgæ, lora, ſcuticæ, verbera, & alia id genus, diriſſimæ laniena inſtrumenta expediebantur. Stabat in medio innocens Jeſus, & tacitis nequicquam motibus infame ſupplicium deprecabatur. Inſiſtebat in eum libido petulans ac proterva, & nudatum immiſericorditer dilacerabat. Plaudebant repetitis ictibus reliquæ labes animæ, & ſuis unaquæque ſtimulis inſtigabant furentem & acuebant. Interim feralis in corde tuo erigebatur arbor, in qua, non ut quondam expiandis omnium flagitiis, totique debita mundo victima, ſed tibi devota uni, & nunquam fortaſſe profutura penderet. Te verò inertem & ignavum tam cruentæ tragœdiæ ſpectatorem partemque adeo longè maximam, nec impenſi amoris recordatio, nec immanis parricidii atrocitas, nec tuam tibi arcanis vocibus perfidiam exprobrantis Chriſti commiſeratio inflectebat, dure, crudelis, barbare! Ah ſi amicum tam acerbè, ſi extraneum, ſi mancipium tam inhumaniter excepiſſes, puderet te tui, & tuam ipſius ſævitiam incuſares! Deum ſic habuiſti tam ſæpe, nec erubeſcis? nec doles? nec facti te piget? imò gloriaris, inſoleſcis, &, tanquam re geſta feliciter, juvenilem in modum exultas!

Ob-

Obſtupeſcitis, Adoleſcentes, novum illud, quod dico, videtur vobis & inſolens. Nihil hic tamen fingo, nihil comminiſcor, nihil præter modum exaggero. O miſeram hominum conditionem! Quò nos cæcitas, quò vecordia dementes rapit! Judæos damnamus, & imitamur; Chriſtum miſeramur, & per peccatum rurſum cruciamus; ſub mentionem obitæ noſtra cauſa cruentæ mortis, lachrymas inſita quadam miſericordia vix tenemus, & eoſdem luctus identidem aut innovamus, aut recenti acceſſione cumulamus.

Quo igitur animo eſſe vos deinceps oportet in peccatum, quod Chriſto ſemel quidem in Calvariæ monte, veſtris in cordibus toties diriſſimæ necis cauſa extitit. Etiamne carnificem illum Servatoris veſtri atque parricidam fovebitis in ſinu, in amoribus, in deliciis habebitis? Heu! quæ ſpes ſalutis deinde ſupereſt, ſi ſalutis auctorem malè perditis? Ah! pereat potius tanti ſceleris artifex; debitas pœnas luat, &, qui mortem intulit tam ſæpe, mortem & ipſe tandem aliquando patiatur. Sic erit, ò Chriſte! Peccatum, hoſtem illum tibi capitalem eo, quo par eſt, odio habebimus: æternas hodie declaramus illi inimicitias; eum, quò quò demum ſe recipiat, inſequemur acriter, & vel in ipſis animæ noſtræ penetralibus latitantem immiſericorditer immolabimus.

At te, benigniſſime Jeſu, per iſthæc vulnera, quæ, miſeri quanquam fecimus, noſtram agunt cauſam, & veniam poſtulant, oramus atque obteſtamur. Noli vel meritos abjicere: excipe gemitus illos ſinceri indices doloris. Te pia moveant, quæ tu ipſe excitaſti in unoquoque noſtrum, vitæ melioris deſideria. Ac, ſi quam animæ noſtræ partem lethalis noxæ macula etiamnum inficeret, illam ſaluberrimo ſanguinis tui lavacro ſic ablue, ut munda rota atque integra, immortali, quod paraſti nobis tua morte, beneficio frui aliquando poſſit.

IN SACRO DIE

Pentecoſtes.

ORATIO V.

Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui. Act. 2.

QUod olim in monte Sinai, non ſine incredibili quadam admiratione, factum legimus, ut poſiturus Iſraelitico populo leges inter fulgura ac tonitrua Spiritus Domini deſcenderet; idipſum ſuccedentibus deinde temporibus in urbe Jeruſalem melioribus renovatum fuiſſe auſpiciis Chriſtianum genus meritò gloriatur. Neque enim, Adoleſcentes chariſſimi, delapſo rurſum in terras divino Spiritui, non ut in lapideis tabulis, ſed in mortalium cordibus novas ipſe leges ſcriberet, vel repetiti tonitruum ſonitus, vel terrifici flammarum turbines, ſacræ Majeſtatis apparatus, defuerunt. *Et factus eſt*, inquit Lucas, *repente de Cœlo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis ... & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Act. 2.

Verùm quàm diſpar gemini illius illapſus ratio, quàm diſſimilis exitus fuit! Olim, ut incredulum ac rebellem populum Religionis metu in officio contineret, præſentem ſe in iſto formidabili comitatu divina Majeſtas exhibuit. Tunc, ut jacentes erigeret, recrearet perditos, affli-

ctos

ctos conſolaretur, Deus ad amantiſſimos diſcipulos delapſus eſt. Olim tanquam viliſſimis mancipiis plenam triſtiſſimis comminationibus legem, & duriſſimum ſervitutis jugum impoſiturus venerat. Tunc ut ſuos veterum Legalium onere eximeret, & in libertatem filiorum Dei vindicaret, apparuit. Olim, temporanearum rerum expectatione, Deus Iſraelitas ad implendam legem alliciebat. Tunc, ad excitandos ad amorem ſui Chriſtianorum animos, non cœleſtia tantum gratiarum dona, ſed & ſe ipſum inſuper totum, bonorum omnium fontem atque originem, liberaliter impertiit. Olim ad acceſſum divini Numinis pavitans ac retrocedens populus exclamabat. *Non loquatur nobis dominus, ne fortè moriamur*. Tunc, propioribus Dei præſentis afflatibus populi recreati, ut ſpiritalem vitam hauriant, dilatant ultro pectoris anguſtias, & ſacros illapſus excipiunt. Denique ut uno verbo complectar omnia, olim poſt mirabilem illam omnipotentis Dei ad populum ſuum venientis manifeſtationem, non legimus illos aut immutatis voluntatibus, aut moribus emendatis, aut abjuratis erroribus ad meliorem frugem ſe ſe recepiſſe. Tunc, poſt exceptum præcordiis ſuis divinum Spiritum, Apoſtoli in alios penitus mutati homines nihil priſtinæ infirmitatis retinent, &, quem clam atque in tenebris vix audebant profiteri, eundem palam atque omnium in oculis confitentur ac prædicant, *Loquebantur Apoſtoli*, inquit idem Lucas, *cum fiducia verbum Dei*.

Exod. 20.

4.

Ex iis tam novis tamque ſtupendis impertientis ſe ac communicantis ſancti Spiritus miraculis, intelligite, Adoleſcentes, quanti ſit ejuſdem gratiæ fieri participem, & ad ejuſdem beneficentiæ communionem aſpirare poſſe. Neque enim exiſtimare delapſum in terras fuiſſe divinum Spiritum, ſuum ut in Apoſtolos ſolos amorem tam multis tamque illuſtribus monumentis declararet. Et nos pariter reſpicit Dei omnipotentis munificentia, neque miſerrimus rerum noſtrarum ſtatus ullam divinæ liberalitati moram afferet. Imò, hæc ipſa, quam lugere ſatis non poſſumus, animæ noſtræ conditio ſuſcitare ſpes noſtras debet, &, quo videtur eſſe deplorata magis, eo vehementius ſingularis illius beneficii deſiderium debet accendere. Erant Apoſtoli, antequam divini Spiritus illapſum exciperent, ignavi, imbecilles, multis erroribus gravibuſque peccatis obnoxii: Spiritus ſanctus ſuo illos adventu mirabiliter immutavit. Hoc Primum. Ignavos nos, quotquot ſumus, & imbecilles magis, pluribus gravioribuſque erroribus ac peccatis laborantes novo Spiritus ſanctus miraculo, ſi volumus, immutabit. Hoc Alterum. Utrumque, quantam apud nos tam ſingularis gratiæ fiduciam, quàm vehemens ejuſdem deſiderium debeat ſuſcitare, breviter demonſtremus.

I. Pars.

Quales putatis extitiſſe duodecim illos homines, qui per univerſas mundi plagas Chriſtianæ fidei vexillum erexerunt, antequam ipſos Spiritus ſancti gratia roboraſſet? Juvat, juvat in eorum infirmitatem inquirere diligentiùs; ut, dum mirabilem, quæ deinceps interceſſit, morum converſionem ſuſpicimus, incredibilem divini Spiritus potentiam pariter admiremur. Eruditi ad unum omnes ab ipſo Chriſto veritatis Evangelicæ præceptionibus ac documentis audierant centiès, quàm fragilis eſſet rerum terrenarum natura, comparatio quàm difficilis, quàm bre-

vis

Digitized by Google

vis & plena ſollicitudine fruitio, jactura quam gravis & amara. At tam parum profecerant ſub tanti Magiſtri diſciplina, ut divitiarum fulgore etiamnum perſtringerentur, dignitates ambirent, honores aucuparentur, &, de prærogativo inter ſingulos jure, magna animorum contentione diſputarent.

Hinc patuit filiorum Zebedæi ambitio, cùm illis inſtigantibus deprecatura Mater ad Chriſtum acceſſit, ut amborum alter ad dexteram, alter ad ſiniſtram in cœleſti regno conſiderent. Hinc ridicula, quam moverunt invicem, pridie quàm è vita Dominus excederet, controverſia, quis ex omnibus primas ferret. Hinc apud eumdem Chriſtum, cùm ille è tumulo ſurrexiſſet, inſtare pertinaces, & crebris moleſtiſque interrogatiunculis curioſiùs perſcrutari, num tandem illuxiſſet felix ille dies, quo ſe vindicaturum in priſtinam dignitatem regnum Iſraeliticum promiſerat. Fruſtra Chriſtus admonuerat eos ſæpius, *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, alias eſſe ac longè diſpares in eo leges ab iis, quæ apud terrenos Principes obſervarentur: primas in illo regno fore eorum partes, qui ſe infra cæteros abjeciſſent. His atque aliis oraculis cùm errores ſuos minimè dedocerentur, cùm nullam cœleſtis doctrinæ partem caperent, cùm indociles uſque ac rebelles arcanis gratiæ motibus offenderentur, cùm præſtigiis atque illecebris inanibus miſerum in modum capti ac deluſi perſiſterent; tum demum fatigatus ac victus diſcipulorum ſuorum cæcitate ac pertinacia divinus ille Magiſter, diſcutiendas eorum tenebras, emolliendam duritiem, pravitatem emendandam Spiritui ſancto reſervabat. *Baptizabimini Spiritu ſancto*, inquiebat, *non poſt multos hos dies*; quod dum

Joan. 18

Act. 11.

Chriſtus diceret, quid aliud volebat intelligi, ſubjicit Gregorius, niſi *Baptizabo vos igne, ut, abſumpta omni cupiditate regni terreni, fortes ſitis ad contemptum mundi*.

Jam verò ad illam cæcitatem pravitatemque mentis quanta imbecillitas animi accedebat! Agite quàm timidi, quàm vecordes, quàm ignavi erant, quotquot laborum ſuorum comites ac ſocios Chriſtus aſſumpſerat! Ecce fortiſſimus omnium ac generoſiſſimus Petrus, qui paratum ſe mori cum amantiſſimo Domino tam confidenter jactitarat, unius muliérculæ voce conterritus pavet, fremit, datæ fidei obliviſcitur, Chriſtum abnegat, ejurat, execratur. Ecce reliqui fortiores nihilo, aut Petro conſtantiores turpiter deficiunt, abſcedunt, latitant, occultantur. Ecce emerſo tandem è ſepulcri tenebris Domino, & exhibente ſe ipſis videndum ac palpandum, nec oculis credunt, nec contrectantibus manibus fidem habent, nec auditis tam ſæpe ſacrarum Literarum teſtimoniis confirmantur. Mox poſt ipſos dies quadraginta, quibus Chriſtus verſatus cum ipſis eſt, & explanatis ſingulis Scripturarum locis, liquidò demonſtravit, nihil contigiſſe ſibi, aut toto vitæ curſu, aut mortis tempore, quod non fuiſſet multò ante divinis oraculis prænunciatum, exprobrare tamen ipſis vel tum cogitur, *incredulitatem & duritiam cordis*. Denique aſſumpto ad dexteram Dei omnipotentis Chriſto Domino, tot excitati prodigiis, tot confirmati miraculis domi ſe continent Judæorum metu; &, quem ſuis ipſi oculis ſuperaſſe cœlorum orbes conſpexerant, de eodem confiteri quidquam non ſuſtinent! Hic erat nimirum, bone Jeſu, tot documentorum fructus, hæc laborum merces, hoc impenſi toties amoris emolumentum, ut in-

Marc.16.

ſidos, vecordes, ingratos diſcipulos experirere?

Quamquam nihil miremur: hoc ipſe Chriſtus præviderat, ipſiſque adeo Diſcipulis prædixerat eventurum; cùm miſſurum ſe ad eos pollicere tur Spiritum veritatis, qui rudes atque imperitas mentes erudiret; Spiritum Juſtitiæ, qui revocaret errantes; Spiritum roboris, qui nutantes & imbecillos confirmaret. Verùm enimverò quàm ſtupenda rerum omnium converſio ſe objicit, poſtquam ſacros divini Spiritus illapſus excepere! Video eoſdem illos viros tam rudes, tam imperitos, depulſis prioris ignorantiæ tenebris, aperire ſenſum Scripturarum, occulta quæque pervidere myſteria, genus omne linguarum, quas nunquam didicerant, adhibere. Video piſcatorem impolitum, nullis tinctum literis, nulla præditum ſermonis elegantia aut verborum concinnitate, primo ſtatim aditu perſuadere tribus hominum millibus, quæ ſentiret, mox alio die millibus quinque. Video concilium omne meticuloſorum hominum prodire in lucem confidenter, &, quæ de Chriſto noverant, palam prædicare! Ecquis autem horum tam validus ac potentis effector, tam prodigus largitor, ut talia poſſe homines dederit? *Hæc omnia*, ſcilicet,
1 Cor. 12. *operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. Idem auctor, idem dator, idque voluntate ſua, non alterius arbitrio, aut imperio: *prout vult*, inquit Chryſoſtomus, *non prout jubetur*, ut liberalitatis ſit divinæ, non neceſſitatis, aut fortunæ, aut humani obſequii.

Quæ porro in omnibus & in ſingulis confidentia! quanta in patrandis miraculis auctoritas! quàm efficax in pellendis morbis, in fugandis Dæmonibus, in vincendis ſuperandiſque naturæ viribus poteſtas elucet! Quæ magnitudo animi ac firmitas circum fora Magiſtratuum duci, & ad judicum raptari tribunalia nullo pallore! Virgas, fuſtes, lapidationes pati nullo gemitu? redire domum omnibus contumeliis affectos, & lætari ea re, quia contumeliis omnibus affecti ſunt, idque ipſum ſummo honori ducere, ſingulare beneficium interpretari! Quæ inductio voluntatis, aut immittere ſe medios in ignes, aut ſubire ollas ferventis olei, aut tradere ſe affigendos cruci & necandos ſuſpendio, incredibili cum animi lætitia & voluptate, quæ in ipſum corpus redundet! Hicine homines illi ſunt, quos ad ipſum venientis hoſtis aſpectum aufugiſſe, ad unam ancillulæ vocem concidiſſe metu vidimus? Unde ergo tantum fortitudinis & conſtantiæ in humana mente tam parum invicta malis; unde tantum gaudii ex crucibus ac tormentis, à quibus paucos ante dies tantopere abhorrebant? Sanctus nimirum Spiritus rem gerebat cum ipſis, neque cruciatus illis aut mortem objiciebat horribilem ac pertimeſcendam, ut natura fert, utque vulgò credimus; ſed multis nominibus amabilem atque expetendam. O vim divini Spiritus admirabilem! ò ſtupendam neque prædicandam ſatis mutationem voluntatum! ò præſidium quocumque pretio redimendum!

II. Pars. Hanc verò Spiritus ſancti vim incredibilem, & infuſum ex alto robur quàm ardentibus votis ambire par ei unumquemque veſtrum, Adoleſcentes; niſi fortè ignoratis voſme ipſos, &, in deploranda rerum veſtrarum conditione, hic etiam miſeriæ cumulus acceſſit, ut veſtra vos mala minimè commoveant! Agite enim; ſcrutamini penitiores animæ veſtræ latebras, implicatiores cordis veſtri ſinus excutite. Putatis nihil

hic

hìc eſſe, quod illapſus divini Spiritus emundet ac corrigat? Nihil videtur vobis ſordidum, quod abluat? nihil aridum, quod irriget? nihil frigidum, quod incendat; nihil ſaucium, quod ſanet? nihil rigidum, quod inflectat? nihil infirmum, quod roboret? nihil devium, quod dirigat? Repetat unuſquiſque veſtrum ſpatium præteriti temporis, & attentè ſecum ipſe reputet, quàm multa, quàm gravia ſalutis impedimenta, quàm incitatas ad vitium propenſiones, quàm arduas & vix ſuperabiles ad exercendam virtutem difficultates experiatur!

Age tu, qui videris tibi ſecurus præter modum futurique minimè providus, parumne timoris affert iſthæc animi levitas atque inconſtantia, quæ tam funeſtas in te varietates habet? Nunc virtutis cuſtos ac patronus apertas vitiorum monſtris inimitias indicis; modò vitiorum delinitus illecebris virtutem turpiter abjicis & ejuras. Jam ſalutis ſtudio reliqua cenſes eſſe poſthabenda; mox, converſis in pejus ſtudiis, animam eſſe tibi, quam ſerves, vix ac ne vix quidem cogitas. Hodie inſolito quodam fretus robore nullis Chriſtianæ vitæ aſperitatibus deterreris; cras leviſſimas difficultatum umbras expaveſces. Has inter virtutis ac vitii, torporis ac vigilantiæ, fortitudinis atque ignaviæ viciſſitudines, quæ tua poteſt eſſe fiducia, Adoleſcens infelix? an quia fortitus animam bonam vehementiores ad pravitatem motus non ſentis? an quia bene monentis & increpantis ad vocem Dei nondum penitus obduruiſti? an quia vel inter ipſam liberioris vitæ licentiam ſubortta identidem bonæ frugis deſideria experiris? an demum quia tam facilè erigeris, quàm facilè cecidiſti? At neſcis hunc fore tandem levitatis illius tuæ miſerabilem exitum, ut ſtimulis etiam acrioribus conſcientia tua ſenſim induret, neque te deinceps inconſtantiæ pœniteat tuæ; niſi ut funeſtam in flagitiis conſtantiam æmuleris? Cujus porro eſt efficere, ut in ea, quam juraſti Deo toties, fide perſeveres, niſi divini Spiritus, qui Diſcipulos Domini per varios erroris, inconſtantiæ infidelitatiſque fluctus jactatos ad eam denique immutabilitatem tranſtulit, unde nullis vexationum procellis dejici ac diſturbari potuerunt?

Tu verò, ſi quis es tamen ejuſmodi, quem effrenata cupiditas, & contracta per frequentes lapſus conſuetudo mala, per tot flagitiorum ſordes miſerum in modum abripuit; non ignoras, quanto verſeris tuæ ſalutis in periculo, niſi peſtem illam, quæ te infecit jam totum, penitus extinxeris. Tamen quàm parum feliciter elaboraſti ad hunc uſque diem, ut extirpares malum illud, & priſtinam animæ tuæ integritatem reſtitueres! Ingemuiſti quidem nonnunquam, cùm recurrentibus diebus illis, quibus in conſpectu ſupremæ Majeſtatis exhiberi te mundum oportebat, inquinatam conſcientiæ tuæ faciem intuerere: incuſaſti temetipſum, qui luctuoſum illum in ſtatum deveniſſes, nec ipſis etiam pepercisti lachrymis, quæ ſpem melioris vitæ deinceps afferrent. Hoc ipſum quoties viſus es polliceri; cùm projectus Sacerdotis ad pedes recentes adhuc cruentaſque animæ plagas ſanandas objiceres? Interim, dum periculi, quod incurreres, admonebare; dum triſtiſſimus inveterati habitus finis atque exitus repræſentabatur; dum incutiebatur juvenili animo terribilis & nequaquam evitanda divinæ juſtitiæ ſeveritas; ut conſtanter profitebare veniſſe demum diem illum, quo fatales conſuetudinis pravæ, cui ſervieras, nexus diſſolveres! Verùm heu! proh do-

dolor! ut effuſus labor omnis! ut oblitus tui poſtmodum! ut concepta pugnandi alacriter adverſus tuæ integritatis hoſtem deſideria ſtatim evanuere! vix effluxit dierum illorum ſolemnitas, per quos te receperas tantiſper ad bonam frugem; vix elapſum benè Paſchale tempus, quo expiatis prioris vitæ flagitiis, non videbaris eadem curſum admiſſurus; cùm, renaſcente denuò ac reviviſcente cupiditate, nec declinare prudenter blandientem hoſtem, nec fortiter ſuſtinere adverſantem potuiſti! Ah! ſi confirmatus fuiſſes cœleſti Spiritus ſancti robore, quod illapſum Apoſtolorum cordibus, tam fortes ipſos præſtitit, & contra quaſcumque cupiditatum vires aut illecebras inſtruxit; quantum & tu quoque adverſum exitioſam animi tui labem præſidium experireris!

Tu quem malus & imbellis timor, humanarumque rationum momenta ad ea plerumque flagitia pepulerunt, à quibus inſita animo verecundia abhorrebas; qui deprehenſus inter irreligioſos ac vitæ diſſolutioris adoleſcentulos erubeſcis, niſi tam irreligioſus, quàm ipſi ſunt, tam diſſolutus videare; qui ne diſpliceas ſocio improbulo, aut apud eum moroſus nimis ac tetricus audias, Dei incurrere odium, & inverecundi minuſque pii adoleſcentis ſubire famam non vereris; dic, amabo, noſti, quàm miſera ſit illa ſervitus, cujus te jugo mancipas? quàm exitioſus tibi futurus ſit intempeſtivus ille pudor, cùm ſemel ex iſto ſtrictioris diſciplinæ domicilio in apertum ac patentem liberioris vitæ campum progreſſus, tot habebis nonnunquam pietatis hoſtes, quot ſocios; tot voluptatis amatores, quot amicos; tot libidinum hortatores, quot domeſticos? Quòd ſi periculi magnitudinem intelligis, unde tandem pares infirmitati tuæ remedium, niſi ab ea pleniore gratia, quam tibi, ſi volueris, hodie Spiritus ſanctus impertiet? Cogita, quæſo, quales dixerimus fuiſſe Apoſtolos, antequam Spiritum ſanctum accepiſſent, quàm timidos, quàm ſocordes, quàm ignavos; poſt verò quàm audaces, quàm ſtrenuos, quàm fortes, cùm Spiritui ſancto aditus in ipſorum corda patuiſſet? Non ſtabit niſi per te unum, quin eadem in poſterum conditio tua futura ſit.

Tu ſingularem ab ipſa infantia divinæ benignitatis providentiam expertus; quem Deus purum ſceleris & expertem maculæ præſtitit ad hunc uſque diem; cui ſanctioris vitæ deſiderium jam pridem injecit; intellexiſti ſæpe uberiori lumine illuſtratus pariter & accenſus periculoſam fore tuæ ſaluti liberiorem vivendi formam, quam impenſiùs ambis, & votis omnibus affectas. Senſiſti non ſemel, quàm parum habiturus ſis in medio nationis pravæ poſitus adverſus pravitatem morum præſidii. Nactus es indolem facilem flecti ac ceream, minùs patientem laboris & propenſam plus æquo ad voluptatem; ac licet ſpecialibus divinæ gratiæ donis præventus illæſam ab omni labe innocentiam tibi gratulari poſſis; non ignoras tamen deliteſcere quædam in te malæ corruptelæ ſemina, quæ, ſi pravæ conſuetudinis æſtu foveantur, aut irrigentur illecebroſis deliciarum torrentibus, in infelices olim ramos & teterrimos fructus excreſcent. Interim vides aperiri tibi ſecurum viæ tramitem, quem ingreſſus per varia vitæ hujus diſcrimina inoffenſo pede ad beatam immortalitatem tutò pergeres. At te viarum anguſtiæ, locorum aſperitates, difficultatum metus deterrent, aut fortè pinguior hereditas, quæ te reſpicit, & ſpes ambitioſæ ſortis cupidum la-

Digitized by Google

lactat, ne vocantem Deum ſequaris. O ſi, divine Spiritus, ſplendioribus lucis tuæ radiis Adoleſcentis hujus menti affulſiſſes! ò ſi ferventioribus charitatis tuæ ardoribus illius pectus ſuccendiſſes! Ut illæ quas ſibi fingit difficultatum umbræ ſtatim evaneſcerent! ut levia nulliuſque ponderis viderentur, quæcumque graviſſimos metus jam faciunt, diſciplinæ ſeverioris inſtituta! Ut ſordeſcere inciperet, qui fucum nunc facit, & juniores perſtringit oculos fortunæ micantis apparatus! ut abruptis viriliter, quæ morantur ipſum impedimentis quibuslibet, totum ſe divino obſequio in omne vitæ tempus manciparet!

Denique, Adoleſcentes chariſſimi, nemo veſtrùm eſt, ſi modò diligenter attenderit, qui vel inſitas ab ortu ipſo, vel inductas conſuetudinis pravitate cupiditates malas non ſentiat, vel multa ab ipſis rerum externarum imaginibus incitamenta peccandi, difficillimos ad exercendam virtutem obices non patiatur. His atque aliis incommodis unus mederi poteſt divinus Spiritus, qui, ſi mentibus veſtris fuerit illapſus; ſi totos ſibi vos habeat; ſi vires & animos, quos ſolet, addiderit; cum oneri pleriſque ſit virtus, rectè facta odio, fuerint tamen, ne dubitate, adventu præſentiaque ipſius, ex amaris dulcia, ex gravibus levia, ex arduis & operoſis facilia & expedita omnia.

Oremus igitur totis animis impertiri nobis cœleſtem hunc & divinum Spiritum; invitemus eum ardentiſſimis precibus; prodeamus obviam venienti; &, quandoquidem ipſi propoſitum certumque eſt optimè de nobis mereri, quando illius dona nos ſpectant ad noſque pertinent, quando ſtudio lubenti prolixoque omnem nobis ſuam auctoritatem, gratiam, copias, opes deſert; ita nos pari affectu & propenſione mutua voluntatis agnoſcamus dantis animum, excipiamus hoſpitio venerabundi, ſumma cum benevolentia, ſummo cum honore deducamus, foveamus acceptum, & reverenter atque honorificè tractemus. Obteſtemur ſupplices, ut acceſſu ſuo in corda noſtra affectiones omnes malas corrigat, ſordes abluat, duritiem emolliat, ac ſuum ipſe domicilium ſanctificet. Poſtulemus denique, ut pretioſum illud pignus, quo par eſt modo, æſtimemus; ut eo præſente ac propitio utamur, ejus fruamur muneribus, ac nunquam tam ſingulari beneficio abutamur.

IN FESTO

Corporis Chriſti.

ORATIO. VI.

Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat; Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. 1. Cor. cap. 11.

QUod eſt illud præcepti genus, quod Apoſtolus gentium fidelibus impertit; aut quibus continetur finibus periclitandi ſui neceſſitatas, antequam ad ſumendum Chriſti corpus ac ſanguinem quis accedat? An percepiſtis unquam ſatis, Adoleſcentes Chriſtiani, quanta vis eſſet legis illius, quæ jubet unumquemque probare ſemetipſum? an ſenſiſtis quanti ſit ad ſalutem animæ in faciendo ejuſmodi periculo diligenter eſſe verſatum? Ecce multis jam abhinc annis plerique omnes di-

divinæ menſæ accumbitis; inſtauraſtis ſæpe cœleſtes epulas, & vivifico pane ac ſanguine refecti eſtis. Verùm itane præparatis animis ſacrum illud guſtaſtis convivium, ut contemptæ legis hujus infractæque nemo reus exiſteret? *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat?* Nam quia bona pars hominum probationis genus iſtud aut ignorat aut negligit, quàm multos quotidie videre eſt, quibus hoc Sacramentum ad fovendam animæ vitam ſanandaſque ejuſdem ægritudines inſtitutum, non ad ſalutem aut levamen morbi proſit, ſed ad irritandam mali acerbitatem, funeſtamque perniciem inferendam?

Cui incommodo ut eamus obviam, excutiamus primùm, Adoleſcentes, quid aſpirantibus nobis ad ſacrum Dominici corporis epulum injungat Paulus: idipſum verò quàm præſtare ſedulò oporteat, deinde expendamus. Quod utrumque ſi perſuadere vobis poſſim, felicem me profectò, qui voti compos effectus, triſtiſſimum, quod incuriis ac negligentibus imminet, exitium veſtris à cervicibus averterim!

I. Pars. Ergo quid voluit Paulus, quid intendit, quid deſignat potiſſimùm, cùm præcipit, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat?* Numquid hoc innuebat tacitus, in cogitanda frequenter ac ſedulò hujus myſterii dignitate, diligentem illi ponendam eſſe operam, qui ſuſcipiendum ſuis præcordiis Chriſtum Dominum præſumeret. Hæc enim eſt, opinor, vis illius admonitionis, quam impertit Paulus, quaſi apertiùs diceret. O tu qui præparas in corde tuo divinæ Majeſtati habitaculum, attende ſeriò quanta ſit dignitas illius hoſpitis quem ambis; diſce cujus tandem fabricæ debeat eſſe domicilium, in quo habitet Deus, quem cœlum ipſum non capit. Hoc tibi perſuadeas, propioribus, ut par eſt, divinæ fidei illuſtratus radiis, ad eum te vocari honoris apicem, ut unam rem deinceps cum Chriſto efficias, neque alius ab eo videare; hoc enim eſt, quod promiſit ipſe conceptis verbis, *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* (Joan. 6.) Hinc intelliges meliùs, quàm ſeverum facere te rerum tuarum examen oporteat; quàm accuratus eſſe debeas in perluſtrandis penitioris animæ partibus, in detergendis ſcelerum omnium purgamentis, quàm rigidus in recidendis extirpandiſque cupiditatum malarum fibris, ne quid adhæreſcat fortè reſiduum, quod verendi numinis præſentia non ferat, quod lædere poſſit puriſſimos ipſius oculos, quod inficiat ac maculet carnem Chriſti ſacratiſſimam, quam permiſceri jam jam cum tua neceſſe ſit; atque, ut ſic loquar, confundi. Quod niſi præſtiteris, niſi vim contentionemque mentis omnem ad mundandum cordis tui habitaculum adhibueris, niſi vulgarem inter ac ſpiritalem eſcam prævium maturumque judicium feceris; vide, ne periculum incurras, ut innocentiam cum ſcelere, puritatem cum ſordibus, Chriſtum cum Dæmone, novo prorſus & inaudito communionis vinculo conſocies; ne domicilii cujuſdam amœniſſimi loco, quod ſibi ad habitandum Deus elegerat, funeſtum erigas in corde tuo tribunal, unde irrevocabilem mortis ſententiam rigidus ſpreti corporis ſui vindex in te pronunciet. *Qui enim manducat & bibit indignè*, inquit Paulus, *judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* (1. Cor. 11.)

Hic verò utinam nativis adumbra-

re coloribus poſſim ſacrilegæ Communionis imaginem, & tam fœdam ſceleris illius ſpeciem altiſſimis veſtrum omnium cordibus inſculpere, ut certum hinc adverſus morum corruptelam, cui veſtra hæc ætas erit impoſterum obnoxia, præſidium habeatis. Tu mihi pares ſuffice vires, ò Deus, tu meis adde verbis robur ac pondus, quo perculſæ teneræ adhuc Adoleſcentum mentes, quos in diſciplinam meam regendos ac moderandos tradidiſti, ita ſe contra labem ejuſmodi præmuniant; ut jam tum ſatius mori arbitrentur, quàm tale flagitium unquam perpetrare.

Nam quale portentum illud foret, amabo vos, Adoleſcentes chariſſimi, ſi quis lethalis peccati conſcius pectus in ſuum Chriſtum admittat: an cognitam probè ſceleris hujus gravitatem hactenus habuiſtis? Expendite mecum hodie diligentiùs totum illud, quantum quantum eſt, & ad execrandi facinoris acerbitatem perhorreſcite. Quid enim agis, Adoleſcens Chriſtiane, ſi quis eſſes tamen tam perditus, quid agis, inquam, dum mortalis noxæ conſcius ad ſacram menſam accedis? Nihil hic moror, quàm nefariæ proditionis artifex incedas, qui contempti polſutique Chriſti ſanguinis reus, cùm expurgare conſcientiam debuiſſes, os peſtilens & immundum caſtis epulis pares oſtentare. Mitto impios ſimulatæ mentis dolos, dum invidia, odio, laſcivia plenus, frontem nihilominus, oculos, vultum, ad pudorem, ad modeſtiam, ad pietatem fingis & erudis; dum confertam inter piorum Adoleſcentum turbam, quaſi delapſus aliquis è Cœlo Genius, impudenter te offers, & omnium in te ora atque admirationes convertis. Sileo protervam temeritatem atque audaciam, dum puriſſimis immaculati agni nuptiis contaminatus ſordidatuſque totus non vereris aſſiſtere. Levia ſunt iſta, & rudis quidam flagitii majoris apparatus. Verum cùm in genua ſupplex procidis; cùm te propinas ore blando, cùm linguam porrigis, cùm vivificam hoſtiam intra pectoris infecti anguſtias demittis, quod ſceleris genus, infelix, quàm novum ſacrilegii portentum deſignas? Tu Deum tuum honoris gratia ſcilicet in illud deducis hoſpitium, ubi nihil eſt quod hoſpiti amantiſſimo diſplicere non debeat? tu medias illum inter cloacas ac ſordes collocas; tu cum hoſte nequiſſimo Chriſtum ſocias ac componis; tu afficiendum injuria, contumelia provocandum, laceſſendum opprobriis objectas: tu convertis in venenum & in perniciem, quod in eſcam fuerat & ſalutem inſtitutum; tu ſuaviſſimo tenerrimi amoris argumento in ruinam abuteris. Chriſto reſeras tu quidem atque aperis cordis tui penetralia; at quo tandem conſilio? quo fine, nempe ut admiſſum ſemel illudas, conculces, crucifigas & morte crudeliſſima condemnes? Hoc enim deteſtabili parricidio ſcelerata Communio concluditur, teſtante Apoſtolo eodemque exprobrante. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Heb. 6.

Verùm enimverò quam demum ſceleris ſui pœnam expectet, qui hanc facere Chriſto injuriam non dubitaverit? accipite, Adoleſcentes, & faxit Deus, ut nemo veſtrùm funeſtiſſima divinæ ultionis veſtigia nunquam in ſe deprehendat! Hoc eſt ſacrilegæ Communionis fatum ineluctabile, ut cæcitatem mentis & cordis duritiam ſemper importet; quo quid triſtius & deplorandum magis? Neque verò neceſſe eſt reconditius aliquod accerſere juſtitiæ exemplum tam ſeveræ, cùm notiſſimum

mum

mum in perſona Judæ ac pervulgatum habeamus. Quandiu temperavit ille à Communione ſacrilega, nunquam potuit adduci, ut, quod deſtinarat animo deteſtabile parricidium exequeretur; adeo ſceleris ipſius atrocitas, impenſi toties amoris recordatio, amantiſſimi Domini benignitas, aſpirantis & à ſcelere dehortantis gratiæ vis etiam feſtinantem ad flagitium retardabant! Verùm ubi porrectam Chriſti manibus impuro pectore Euchariſtiam abſorbuit, ecce ſurgit ſtatim à cœna conſilium ut peragat; adit Sacerdotum Principes, proditionis pretium pecuniam accipit, adeſt ipſe cohortis impuræ ſignifer mitiſſimum Dominum pacis oſculo traditurus. Nihil jam eum pungit aut moratur vel proditionis atrocitas, vel amica Chriſti exprobratio, vel proſtrata ejuſdem voce & retro corruentia perduellium agmina. Ruit præceps per omne nefas furentis in morem, nec admiſſum credit ſceleris ſatis, qui amantiſſimum Dominum inimicorum ſuorum in manus tradiderit, niſi ſupremum calamitatis ſuæ cumulum adjiciat, & de miſericordia divina deſperet. Sic Chriſtus illatam primùm ſuo corpori contumeliam ultus eſt ad cautionem terroremque cæterorum, qui verendi myſterii religionem polluere deinceps præſumerent. Neque enim exiſtimate Chriſtum mitiùs agere cum eis, qui exemplum Judæ ſecuti Sacramentum Euchariſtiæ turpiſſima conſcientia commaculant, quia neque tam apertam, neque tam illuſtrem vindictam exercet. Nam ſi repeteretur origo pravitatis illius, quæ Chriſtianorum mores hodie dedecorat, in promptu ſit intelligere, tam exitialem corruptelam non potuiſſe, niſi juſtam violatæ per ſacrilegos uſus divinæ Euchariſtiæ in pœnam, contingere.

Quare neque verear ſiniſtrum quidpiam & ominoſum malè ſuſpicari de vobis, Adoleſcentes, ſi in hac ætate veſtra, quam vel ab ipſa ſceleris umbra eſſe decet alienam; quæ deſecata vulgo eſt ab omni ſordium contage, dum indoli ſuæ permittitur; cui virgineus quidam candor ac pudor mirè convenit; quæ virtuti induendæ nata factaque videri poſſit; quam propterea Chriſtus, dum viveret, ſingulari habuit in pretio; quam adamaſſe viſus eſt plurimùm, & cæteris ætatibus imitandam proponere: ſi in hac, inquam, ætate inveniretur veſtrum aliquis minùs inſtructus ab iis virtutibus, quæ adeſſe in adoleſcente liberaliter educato debent; ſi quis non ita religioſus ac pius; ſi remiſſus in officio, ſi petulans in verbis, in colloquiis diſſolutus, in omni parte vitæ corruptior ac depravatior exiſteret: ad hæc ſi ſectator aleæ, voluptatis percupidus, faſtidioſus pietatis oſor ac religionis audiret; ſi exulaſſe ab eo pudor omnis & Sacrorum reverentia viderentur; ſi indocilem ſe, ferreum, intractabilem exhiberet; an non ætatis tam teneræ depravatio tanta illatæ Chriſto contumeliæ, & contaminati ſacrilega Communione auguſtiſſimi Sacramenti reum argueret? Sic eſt, Adoleſcentes Chriſtiani, quiſquis flagitium ejuſmodi admiſiſſet vel ſemel, dignus ille profectò, quem Deus turpiſſimis quibuſque vitiorum monſtris permitteret!

Videte ergo, quanta vobis incumbat deinceps neceſſitas, ſic excutiendi expurgandique conſcientiam veſtram, nihil ut ab ejuſmodi periculo metuendum habeatis. Verùm ſi immunem ab omni labe eum eſſe oportet, qui cœleſtem vivificumque panem comedere ambierit; unum eſt tamen inter cætera peccati genus, à quo tan-

tanto diligentiùs ſibi quiſque cavendum exiſtimet, quanto alienum eſt magis ab illius puritate, atque innocentia, qui ſe vobis inter ſacroſancta myſteria guſtandum impertit. Peccatum illud dico, Adoleſcentes, quod ne nominari quidem Apoſtolus patitur; cujus tamen ab inficeta peſte ætatem veſtram tueri integram non licet, niſi præſentiſſimo Dei præſidio muniatur; quod veneni cujuſdam inſtar ſubtiliſſimi inſinuat ſe ſenſim minimè advertentibus, & penitiſſimas animæ partes depaſcitur. Peccatum illud intelligo, cujus luctuoſum deplorandumque fatum eſt, ut nativum ætatis veſtræ candorem omnem obſcuret, dignitatem deterat, innocentiam labefactet, & turpiſſimam carni veſtræ inurat maculam, quæ puriſſimi Chriſti Corporis in dedecus & in opprobrium vertat.

Igitur ad declinandum ſedulò iſtud peccati genus tota Chriſtianæ vigilantiæ vis ſe ſe exſtimulet: habeatur ille capitalis hoſtis, quicum pax nulla, ſed atrox, ſed novum bellum ſemper exſurgat: nullus ſit veniæ, nullus indulgentiæ locus, ſed mactetur immiſericorditer, ubicumque deprehenſus occurret. Procul exulet ab oculis, procul à mente, procul à colloquiis, & diſſimulatus quantumvis aut amicitiæ ſpecie, aut urbanitatis larva, aut commercii elegantioris habitu perſonatus incedat, apertas juratasque inimicitias experiatur.

En quò pertinet Apoſtoli præceptum, Adoleſcentes, dum admonet unumquemque tam ſedulò, *Probet autem ſemetipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. Verùm quid putem, aut quid exiſtimem de vobis? Nemo veſtrum eſt, quem fortè conſcientia ſua remordeat, fuiſſe in hac parte minùs accuratum ac ſedulum? nullus eſt qui tam neceſſariæ probationis incuria periculum adierit aliquando, contaminandi ſacri illius myſterii Sanctitatem? Num quis fortè reperiretur, in tanta probatorum Juvenum multitudine, qui renovato Judæ flagitio Chriſtum in impuro pectore exceperiſſet? Abſit hic à me ſenſus, Adoleſcentes; abſit, ut tam alienæ à vobis ſuſpicioni adhæſiſſe videar. Scio quantum præſidii adverſus ejuſmodi corruptelam apud ingenuos ac liberales animos habuerint felix ac pia inſtitutio, quam nacti eſtis, inſita teneris adhuc ac recentibus cordibus religionis pietatiſque ſemina, frequens Sacramentorum uſus, quotidiana virtutum exempla, ſalubres moderatorum adhortationes, & alia ejuſdem generis tam multa, quæ nemini veſtrum defuerunt unquam, & veſtræ ad hunc uſque diem integritati mirificè conſuluerunt.

Quare hoc mihi ſupereſt unum, quod orem vos, atque obteſter inprimis, Adoleſcentes chariſſimi, ut tanti myſterii dignitatem prævia ac ſeria meditatione recolatis; ut defigatis altiùs veſtris animis, nihil accidere vobis unquam poſſe funeſtius, quàm ſi ſacratiſſimo Chriſti Corpore ac Sanguine abuti perperam vel ſemel contigerit; ut ſedula in declinandis periculis prudentia tam grande malum à veſtris cervicibus avertatis; ut immortales agatis omnipotenti Deo gratias, qui vos ab hujus contagione ſceleris expertes hactenus eſſe voluerit; ut quo primum die Chriſtus ſe vobis in potum pariter ac cibum impertiet, tenerrimos inter liquidiſſimæ pietatis ſenſus, unuſquiſque veſtrum cum Regio Vate in has voces erumpat. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nam quo demum Pſal. 115.

quam pacto exhibeam tibi gratum ac memorem animum, ò Deus, qui me, vel à puero, complexus tam amanter per tot adoleſcentiæ ſcopulos illæſum & incolumem deduxeris. Si videor mihi mundus ab ea corruptionis labe, quæ juvenum pleroſque omnes inficit; ſi nihil vel vitiatum in moribus, vel in vita fractum ac ſolutum, vel in tota conſuetudine depravatum objiciat verè quis mihi; imò ſi propenſum ad virtutem, ſi tuendæ innocentiæ cupidum, ſi placendi tibi deſiderio incenſum me experior, totum hoc tibi debeo, quodcumque eſt, ò Deus: tu mihi hos ſenſus, hos animos ſolus afflaſti, per te unum ſum aſſecutus, ne deſiperem cum multis, ne errore malo devius à juſtitiæ tuæ ſemitis deflecterem. *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Ibid. Ecce quod facere me jubes, ultro faciam, ò Deus; *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Calicem, inquam, illum ſumam benedictionis ac ſalutis, qui juventutem meam renovet: guſtabo vinum illud quod germinat virgines, & electorum frumento me ſaturabo: inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis me potabo; tum Deo plenus ac ſaginatus invocabo nomen tuum; non ut quidquam mihi petam caducum ac fragile: non ut divitias futiles, vitæ commoda, aut honores perituros ambiam; non ut peracto feliciter hujus Lycæi ſtadio, fiam unus eorum aliquis, quos vulgus hominum monſtrat digito & beatos appellat; nam cur optem aut precer, quæ noceant fortè magis quàm proſint; ſed invocabo nomen tuum, ò Deus, ut ſpiritum mihi rectum & cor docile benignus impertias; ut perpetuum ſanctiſſimi nominis tui timorem pariter & amorem largiaris; ut eam ſacri hujus myſterii reverentiam animo inſpires, quæ me in omne vitæ tempus ab indigno corporis tui & ſanguinis uſu ſecurum & immunem præſtet.

Quòd ſi me olim tui tuorumque beneficiorum immemorem vel exempli vis prava, vel æſtus malæ conſuetudinis, vel molles voluptatum illecebræ à fideli propoſito ſanctiſque officiorum legibus deflecterent; ſi meritis plectendus viderer pœnis; iras exere pro arbitrio ingratum in caput; percute nocentem, ut videbitur; quidquid dolorum ac moleſtiarum eſt, in rebellem, in proditorem effunde; vitam ipſam adime, ſi voles, & ſpes fluentis ad votum ævi lætiſſimas reſcinde, nihil moror, nihil abnuo, nihil deprecor; amplectar ultro & oſculabor ſævientem manum, & ærumnas inter graviſſimas prædicare bonitatis tuæ magnitudinem non ceſſabo. At unum hoc vindictæ genus deprecari liceat ſupplicio quocumque gravius; noli vel flagitiorum in pœnam permittere, ut execrandi ſacrilegii reus auguſtum tui Corporis Sacramentum unquam violem. Fac me potiùs impensè revereri magnificum illud liberalitatis tuæ munus, acceptum fovere ac tueri fideliter, eodem utiliter perfrui ad cœleſtem gloriam, cujus pignus eſt, aliquando promerendam.

DE PIETATE

Erga Beatam Virginem.

ORATIO VII.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Sap. 13.

MAgnam eſſe apud Deum Virginis Deiparæ auctoritatem ac gratiam, & ita magnam, ut major eſſe nulla poſſit; tantam eſſe vim illius patrocinii in re ſalutis potiſſimùm, ut quibus voluerit, iis facilem beatæ immortalitatis aditum recludat; denique ſic affectam illam eſſe in unumquemque noſtrum, ut opitulari nobis delicias reputet ſuas; nemo eſt, Adoleſcentes Chriſtiani, qui non fateatur, niſi fuerit ille B. Virginis obtrectator malevolus, aut ipſius gloriæ invidus æmulator. Quantam enimverò oportet eſſe illius potentiam, quæ omnipotentis Dei filia amantiſſima nuncupatur? quales eſſe debent ejuſdem in promovendo ſalutis humanæ negotio partes, quæ ſalutis ipſius auctorem ac pretium puriſſimo ſinu complexa ſit? Uno verbo quis tenerrimos charitatis ſenſus requirat in ea, quam divini Spiritus, hoc eſt caſtiſſimi amoris Sponſam agnoſcat. Quis ergo deſignatam hìc fuiſſe divinæ vocis oraculo B. Virginem inficietur; quam qui invenerit ſemel, & fideli obſequio demeruerit, certam obtinendæ ab ipſo Domino ſalutis fiduciam habeat. *Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet ſalutem à Domino?*

Nunc age; quibus tandem gradibus ad optatum illud ſacræ Virginis patrocinium pervenire quis poteſt? quo pretio certum illud ſalutis æternæ pignus redimitur? quas ipſa Virgo Deipara in iis adeſſe vult dotes, quos ſuorum in numero, & tanquam in albo recenſeat? Nam quid diſſimulem inveniri permultos, qui Mariæ præſidio ac gratia, tam fruſtra, quàm temerè gloriantur: qui Clientis ac Filii Deiparæ appellationem uſurpant, quid ipſa valeat, ignorant: qui ad eam, quam ſuis Virgo pollicetur, aſpirant mercedem, cujus nullam omnino partem conſequentur. Idipſum hodie mihi propoſitum velim, Adoleſcentes, ut exponam vobis breviter, qualem eſſe eum oporteat, qui Mariæ ſervus ac filius revera ſit, eoque nomine jus ad ipſius patrocinium ac clientelam habeat.

Tribus omnino rebus ſe prodit Deiparæ Virginis obſequium. Peculiari quadam atque externa pii ac religioſi cultus ſignificatione; hoc primum. Integritate morum ac vitæ ſanctimonia, hoc Alterum. Denique ardentiſſimo cultus ejuſdem tuendi ac promovendi ſtudio, hoc Tertium. Atque hæc tria ſunt, in quibus fidem obligant ſuam, quotquot Sodales B. Virginis nuncupantur, dum profitentur palam & apertè; *nunquam ſe Mariam derelicturos, neque contrà illam quidpiam dicturos aut facturos, neque permiſſuros, ut à ſuis ſubditis aliquid contra ipſius honorem unquam agatur*. Dicamus de ſingulis, quantùm patientur temporis anguſtiæ, antequam ad commendandum Mariæ ejuſdem patrocinium veniamus.

Ac primò quidem, quam putatis illam eſſe pii religioſique cultus, ad quem Mariæ clientes erudiuntur ſignificationem, aut quibus demum officiis continetur. Illa perſtringo paucis, Adoleſcentes, ac delibo tantum. Acce[illegible]ere frequenter ac piè ad ſacram divinorum myſteriorum communionem, iiſque diebus potiſſi- I. Pars.

tiſſimùm, quibus aliqua Mariæ feſtivitas recurrit: exercere identidem in ipſius honorem jejunium, aut aliquam aliam afflictationis corporeæ partem ultro ſuſceptam: inviſere pauperum & ægrotantium domos; opem ferre laborantibus; excitare jacentes, recreare perditos, afflictos conſolari. Defraudare genium aliqua pecuniæ parte, quam miſerorum in ſolatium ac ſalutem impendas: implorare aſſiduis precibus præſentiſſimum B. Virginis ſubſidium: frequentem eſſe in celebrandis ipſius laudibus; crebros de eadem ipſiuſque virtutibus miſcere ſermones, excitare ſe ſe invicem ad ipſius honorem quacumque ratione promovendum: habere certum quoddam ac fixum precum quotidianarum penſum, quod perſolvas illi fideliter, ac religioni ducere, ſi quam earum partem negligentia prætermiſeris: geſtare ſignum aliquod ſive teſſeram, quæ perpetuò revocet memoriam illius fidei quam Mariæ juraveris. Quid multa? adeſſe diligenter & aſſiduè illis cœtibus, qui ad celebrandas ipſius laudes congregantur: largiri libenter aliquid de ſuo ad ipſius ædium, vel imaginum ornatum ac decorem. Parco commemorare alia piæ mentis ac ſedulæ voluntatis officia, in quibus aut excogitandis aut perficiendis ingenioſus ſemper invenitur, quiſquis Deiparam ſincerè veneratur ac colit.

In his porro rebus externus Mariæ cultus poſitus eſt, & qui ſe Virginis obſequio mancipant, in iiſdem exercendis ſtrenuos eſſe ac ſedulos oportet. Nam cavete ſedulò à perniciofis illorum opinionibus, qui perſuadere vobis aliquando præſumerent, iſtum pietatis externæ apparatum ferendum quidem eſſe in junioribus, quorum ætas imbellis ac tenera fomentis ejuſmodi ſtimuliſque egeat; at aliud in viris ſolidæ magis virtutis ſpecimen requiri: colendam eſſe animo Virginem, non inanibus ac ſuperſtitioſis plerumque obſequiis, quibus illa facilè caruerit, ſi modò ſinceros ſuis in Clientibus virtutum ſuarum imitatores ſibi gratuletur.

Quem enim alium iniere Novatores agendi morem, cùm veteres piorum operum uſus ab orbe Chriſtiano rejicerent? Nam quo pertinet, inquiebant, cultus ille tam varius, tam multiplex? quid ſibi volunt revocatæ poſtliminio tot inutiles ceremoniæ, ubi Fides una ad ſalutem ſufficit? Equidem non inficiar, quàm prope nullo ponendus ſit in loco ille Virginis beatæ cultus, qui nihil præter meram phaleratæ pietatis oſtentationem præ ſe ferret. Scio requiri inprimis affectum animi & cupidam placendi voluntatem, quæ morum innocentia, & ſedula virtutum ejuſdem Virginis æmulatione ſe probat. Verùm nemo pariter, niſi temerè, negaverit affectum illum animi & devotam ad obſequendum voluntatem, qua certi quidam homines tantopere gloriantur, eſſe quid fictitium penitus, niſi prodeant foras & in opus erumpant. Ac quemadmodum Jacobus teſtatur emortuam eſſe fidem illam, quæ operibus bonis deſtituta ſit, ita fateri neceſſe eſt, inanem eſſe ac vacuum Mariæ cultum, qui nulla piorum actuum exercitatione ſuſtentetur.

Sed quid in re tam aperta diutius immoramur, præſertim ubi ipſa loquitur Eccleſia, & ſe facti auctorem ac ducem exhibet. Agite; an illa Virginis in cultu otioſa eſt, aut nos ſegnes eſſe atque inertes, patitur? Enumeret enimverò, ſi quis poteſt, quot & quàm variis religionibus ad ornandam venerandamque Deiparam Eccleſia veri recti-

que

que arbitra Chriſtiano populo facem prætulerit. Cedo partem aliquam tota Virginis in vita quam ſingulari ſolemnitate non conſignarit. Cogita ab ipſius Conceptu puriſſimo ad triumphales ejuſdem in cœlum ingreſſus, quàm multas prædicandis Mariæ laudibus feſtivitatis inſtituerit. Attende ſingulas per hebdomadas præfixum Eccleſiæ auctoritate ac deſignatum diem unum, qui Virginis nomen ac præconium præferret. Adde mirabilem piæ bonæque matris providentiam, quæ, ne tempus ullum à perſolvendis Deiparæ meritis honoribus vacuum præteriret, ter in die ſalutandæ illius ac invocandæ voluit nos admoneri. Quid etiam innumeras Precationes ab eadem Eccleſia aut informatas aut approbatas, quibus in anguſtis rebus, in ærumnis, in laboribus, in quotidianis vitæ ſalutiſque periculis Deiparæ præſidium, opem, patrociniumque poſceremus? Quid Officium divinum loquar, ipſum ſacro-ſanctæ Miſſæ ſacrificium communibus Chriſti ejuſque matris laudibus plenum ac refertum? Quid referam Regna, Provincias, Urbes, Collegia, Societates, quæ peculiari auguſtæ Virginis clientela glorientur? Quid erecta in ejus honorem templa? Uno verbo; percurrite univerſas orbis Chriſtiani plagas, ſi fortè colitur uſpiam Chriſti nomen, ubi nomen Mariæ & magna apud Filium ipſius gratia ignoretur. Nihil hic dictum ambitioſiùs, Adoleſcentes, & ad B. Virginis commendationem magnificentiùs exaggeratum: nihil non exactum ad ſeveras Eccleſiæ leges? illa certiſſima credendi agendique regula eſt, quam declinare nemini liceat. State porro tam firmis tamque ſolidis fundamentis, neque vos ulla rationum humanarum momenta à deferendo Mariæ debito cultu deterreant.

Alterum eſt obſequii genus quod à ſuis Clientibus B. Virgo ſibi vindicat; integritatem morum dico & innocentiam vitæ, ſine qua nemo gratum præſtare ſervitium confidat. Nam quantum illi ſpe falluntur ſua, qui externi cultus in umbra tuti, corruptelæ vitiorum interim indulgent, neque abuti dubitant Mariæ nomine ad peccandum tranquilliùs, & ſuam in tuendis flagitiis perverſitatem confirmandam. Tu ſcilicet ultrò feras tuis in Clientibus, Virgo ſanctiſſima, quod ab indole tua, quod à tuis moribus alieniſſimum ſemper fuit? Tu ſuperbi homuncionis preces ac vota patiens audias, quæ tam abjectè ſenſiſti de teipſa, ut ancillam Domini te diceres, dum ejuſdem mater ſalutabare? Tu profectas ab ore maledico laudes excipias, quæ benignitatis ac manſuetudinis exemplum, dum viveres, extitiſti? Tu corrupti Juvenis & libidinum ſordibus inquinati munus quodlibet habeas acceptum, quæ tam impensè caſtimoniam coluiſti; ut vel ad aſpectum viri expaveſceres? ut audito divinæ maternitatis nuncio pudori metuens animo turbareris? ut abnueres fieri Dei mater, ſi quod inde virginitati tuæ detrimentum ingrueret?

Ah! diſcite Mariam noſſe melius, Parthenici cultores, quos ſolutioris vitæ licentia reos coarguit: hoc inducite veſtros animos, nullo ponendum in loco ſtudioſæ quantumlibet mentis obſequium, quod criminum labes & cordis depravati corruptela inficiat. Nam quis vulgò fructus eſt ordinati tam malè cultus, niſi ut Hæreticis pariter atque impiis, pietatis in B. Virginem cavillandæ occaſionem præbeat. Vetus eſt Novatorum hæc querela, aut iniqua potius objurgatio haberi Mariam à nobis tanquam Numen, quæ Numinis

ipſu.

ipſi nec dignitate, nec potentia cedat: noſtram in ejus patrocinio ita collocari fiduciam, ut carere Chriſto quis poſſit, nec tanti putet Filium hoſtem experiri, qui parentis in benevolentia conquieſcat. Jam ſi pernicioſus error ille ſerperet, & inveniret fidem, qui certum adpromittit pravè quantumvis ac nequiter viventibus præſidium, modò levioribus officiis ad Virginis gratiam adrepant, quantum pondus adderet ad fovendam impiorum hominum in ſua perverſitate pertinaciam? Nam quis tam perditè malus eſt, aut ſalutis tam inimicus ſuæ, qui tranquillam in vita licentiore pacem aliquo precationum penſò, aut fragilibus alterius generis officiis ultrò non redimat; qui hac mercede compendioſam ac facilem ſub clientela Virginis ſibi munire viam dubitet? Hac ſpe freti dum vivere turpiter non deſinunt pietatis veræ illuſores, qualem nomini tuo labem, Virgo ſanctiſſima, quantum patrocinio tuo dedecus accerſunt!

Verùm quod illi viciſſim cultus inconſulti aut potius contemptæ religionis præmium referent? Etenim in extremo illo & decretorio die, quo ſedebit Chriſtus boni malique arbiter, & univerſi orbis judicium facturus; tunc infortunati homines, qui ſe medios inter reprobos delapſos fuiſſe ſentient, converſis ad Mariam oculis ac precibus exclamabunt cum impiis, de quibus apud Iſaiam mentio eſt. *Jejunavimus*, ò Virgo, *& non aſpexiſti: humiliavimus animas noſtras & neſciiſti*. Quid ergo nobis profuit jurare nomen in tuum, & inter Clientes tuos nomen ambire? quid juvat quotidianas preces tam ſedulò, tam religioſè tibi perſolviſſe? quò recidit glorioſa Parthenici ſodalis appellatio, quam circumtulimus ad pompam tuorumque hoſtium æmulationem, ſi nullum miſeris in rebus benevolentiæ tuæ tuique patrocinii fructum percipimus? Inutiles querelæ & ſupervacanea comploratio, quam Chriſti Mater eodem pacto illudet, quo Deum impiorum obſervationes ac jejunia legimus illuſiſſe. Numquid, reponet illa; tale eſt jejunium, quod elegi, infelix, quiſquis hunc mihi phalerati cultus apparatum ambitioſè jactitas? hoccine decuit pietatem in me tuam & obſervantiam contineri, dum effrenatis cupiditatibus impune frena laxabas? ah ſi placere voluiſſes, & me benevolam & amicam experiri, debueras emendare mores ante omnia, & vitæ integritatem æmulari. Nam quid mihi cum inſolente ſuperbia, cum indole effera & intractabili, quæ tot accendit odia, tot procreavit inimicitias, tam inſuperabiles fraternæ charitatis moras objecit? quid mihi cum illo concupiſcentiæ fomite, quem non modò non reſtinxiſti prudenter, ut decebat, ſubtrahendo pabulum ac fomentum, ſed inflammaſti magis, ac magis, dum molles voluptatis illecebras ſectabare, dum liberioribus colloquiis indulgebas, dum paſcebas oculos obſcœnis imaginibus, dum pernicioſas ſocietates, nequiorum adoleſcentum cœtus frequentabas, dum inerti languebas in otio, & laboris impatiens omne ſtudiorum genus, quaſi crudiores cibos nauſeabas? quid mihi cum amore ludi, cum aſſiduis commeſſationibus, cum violatione Sacrorum, cum Sacramentorum abuſu? cum vita ex omni parte depravata? His mederi oportuit, ſi haberi te filiorum in numero, ſi me parentis loco habere libuiſſet. Tunc enimverò, Adoleſcens Chriſtiane, propitiam tibi Mariam ſenſiſſes. *Invocabis & exaudiet, clamabis & dicet: ecce adſum.* Igitur externam pii cultus ſignificatio-

Iſa. 58.

tio-

tionem cum innocentia morum conſociet, quiſquis Mariam ex animo colere, & certum in ipſa præſidium voluerit experiri.

Tertium eſt devoti in Virginem Deiparam animi ſpecimen, cultum ipſius & gloriam tueri viriliter, & quocumque modo etiam promovere. Neque verò teſtandi ſui in eam ſtudii frequens, ut vivitur, occaſio defuerit. Eſt enim hoc Mariæ, uti Religionis ipſius fatum, ut nemo extiterit Sacrorum hoſtis, qui non apertas illi inimicitias declararit. Imò quoties petitus eſt Chriſtus per Mariam, toties ad labefactandam filii gloriam, de parentis auctoritate ac gratia certatum eſt? Vide ergo qui te Clientem Virginis profiteris, ut ad tuendum ipſius honorem comparatus accedas, ſi quando adverſarii inſurgent. Atque utinam tam multi quotidie non offenderentur! Mitto hìc appellare Novatores, quorum ingenium, ut ad abolendos germanæ pietatis ſenſus omnes eſt natum, ita ab exhibendo Mariæ cultu ſemper abhorruit. At inter vos ipſos, in medio juventutis illius, cujus conſortio utimini, ut occurrunt ſæpe, qui nec auſpiciis orti tam felicibus, nec tam liberaliter culti inſtitutis, aut virtutis ignorant pretium, aut eandem nunquam experti deſpiciunt. Quàm pronum eſt ab iis jactari multa, quæ pietas non ferat, quæ bonis moribus non congruant, quæ veſtrum in Virginem ſanctam ſtudium, aſſiduitatem, obſequia, aut elevent aut cavillentur. In iis rerum adjunctis qualem decet eum eſſe, qui ſolemne Deiparæ ſacramentum dicere ſe meminerit? cui res ejuſdem, cultus & gloria cordi ſint? An ſileat ignavo correptus metu? an ferat impune graſſari effrenem licentiam, ſi coercere illam pro ſuà auctoritate poſſit? an ſaltem teſtari parcat quoquo pacto, quantùm ſibi diſpliceat, quidquid religionis in probrum & Deiparæ dedecus circumfertur?

Verùm Mariæ Clienti videri ſatis non debet illæſum Virginis honorem præſtitiſſe, niſi eundem pro virili parte promoveat. Id verò quàm poteſtis commodè, Adoleſcentes, ſi vos Dominæ veſtræ ac Patronæ amantiſſimæ gloria exſtimulet! Nam quid in mora eſt, quominus veſtris inter ſocios colloquiis colendæ Virginis & amandæ ſtudium inſpiretis? cur expertes & ignari utilitatis ac commodi, quod liberalis ejuſdem famulatus parit, per vos non erudiantur, quanta ſit ipſius apud Deum auctoritas ac gratia; quàm multa veris amantibus bona largiatur; quàm certum ſit in ipſius patrocinio præſidium; quàm dulcem in extremo rerùm limine pretioſæ mortis fiduciam afferat? Cur intra penates domeſticos, ubi, qui vobis & familiæ veſtræ ſervitium præſtant, rudes vulgò ſunt & imperiti rerum æternarum, non inveniant in vobis doctores ac magiſtros, quorum verbo & exemplo diſcant Mariam toto corde venerari, & in ipſa ſpem æternæ ſalutis alteram poſt Deum collocare. Nolite dubitare, Adoleſcentes, quin parentes veſtri tam piæ æmulationi ſuffragarentur, & novos ex ſtudio veſtro pietatis ſtimulos ipſi perſentiſcerent.

Hæc ſunt, Adoleſcentes, quibus B. Virginis cultus ac veneratio continentur; hæc ſunt quæ Virgo ſanctiſſima ſuis à Clientibus in fidei & obſequii ſpecimen repoſcit. At quàm viciſſim veri Mariæ Clientes cultus ſui mercedem expectent; quam ſpem ipſa fidelis obſequii faciat, altera Orationis parte videamus.

II. Pars. Agite, qui ſtrenuam ac diligentem in colenda Virgine ſanctiſſima operam

ram ponitis, agite, inquam, & ſpes hodie veſtras diſcite. Agnoſcite quid vobis à potentiſſima domina, quid ab amantiſſima matre expectandum ſit; ſi tamen in eo, quod voviſtis illi obſequio, in eo quem juraſtis toties amore, fideles ac conſtantes ſitis.

At quoniam beneficia, quæ nobis à beata Virgine derivantur, tam multa ſunt numero, ut de ſingulis dicere Oratione breviſſima non liceat; illud habebo ſatis in præſentia attingere, quod momenti inter cætera maximi eſt, & quod omnium inſtar meritò poteſt nuncupari. Singulare nimirum intelligo iſtud auxilii genus, quod in re ſalutis ſibi jure polliceatur, quiſquis verè & ex animo Mariam colit & obſervat. Quare non perſequar hìc operoſiùs, Adoleſcentes, quanta & quàm multa extent ab omni ævò illius, quo Clientes ſuos proſequitur, amoris monimenta: non dicam, ut eos filiorum in numero computet, ut continuò præſentes oculis habeat, ut foveat in ſinu, ut omnia maternæ charitatis munia in ſingulos exerceat. Non retexam hìc longam eorum ſeriem, qui liberalem ac munificam ipſius manum ſenſere; qui præſentem apud ipſam difficillimis in rebus opem, ſingulare variis in periculis præſidium, certum adverſus carnis illecebras & dæmonis inſidias perfugium habuerunt. Non eruam è veteribus ſacrorum Annalium monumentis famoſa cultu Mariæ tot nomina, Irenæos, Cyrillos, Epiphanios, Damaſcenos, Anſelmos, Bernardos alioſque numero infinitos, tanto illuſtrioribus cumulatos donis ac gratiis, quanto ardentiore in Virginem ſtudio exarſerunt.

Veſtrum ipſorum judicium, veſtra exiſtimatio ſit, Adoleſcentes. Nam liceat mihi ad veſtram conſcientiam provocare: eſte mihi teſtes ſingularis illius providentiæ, qua Dei Mater ſuorum commodis ac ſaluti invigilat. Vos inprimis interrogo, qui Mariam teneris ab annis in Dominam, in Patronam, in Matrem elegiſtis; qui conſtantes in obeundis ſeduli Clientis partibus nihil de priſtino fervore remiſiſtis. Narrate, ſi poteſtis, quàm uberes veterum officiorum fructus perceperitis. Agite, an fruſtra ſollicitaſtis unquam tam piæ parentis nomen? an anguſtis in rebus, in periculis, in laboribus opem ipſius & amicam manum deſideraſtis? an in tuenda præſertim ætatis veſtræ innocentia inertem & otioſam ejus vigilantiam experti eſtis? Ah! ſi varia inter diſcrimina, quibus juventus obnoxia eſt, illibatum hactenus integritatis veſtræ florem conſervaſtis; ſi vix enatam cupiditatis malæ labem compreſſiſtis in ortu ipſo atque extinxiſtis; ſi pudori veſtro inſidiantem ſpiritum nequam tam prudenter quàm fortiter repuliſtis; ſi peccati fœditas vobis horrorem incutit, ſi virtutis amabilitas placet; ſi nondum pervaſit veſtros animos, aut etiam pertentavit illecebroſa mundi corruptela; imò ſi declinandæ illius gratia veſtrum aliqui perenne cum ipſa divortium meditarentur; an dubitabitis tot conciliatricem gratiarum, tam piarum cogitationum auctorem Mariam agnoſcere?

Sed quid hæc moror ſalutis vel præludia, vel adjumenta, quæ ſuis affatim & plena, ut ſic loquar, manu Dei Mater impertit? Salutem ipſam quam certò procuret; quàm ſecurum per tramitem ad felicem ſalutis æternæ portum Clientes perducat; uno verbo, quàm verè Sapientis ore pronuntiet, *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*, operæ pretium eſt demonſtrare. Sap. 8.

Una

Una eſt ad ſalutem æternam via *Pſal. 115.* Mors Sanctorum, quam pretioſam in conſpectu Domini regius Vates pronunciat, propterea quòd ſola feliceм ad beatam immortalitatem aditum recludit. Neque enim homini Chriſtiano ſatis eſt, contritam virtutum omnium exercitatione vitam vivere, niſi tam fauſtis initiis par exitus reſpondeat. Scilicet, inquit Tertullianus, *In Chriſtianis non quæruntur initia, ſed finis*. Huc ergo tota mentis noſtræ contentio feratur neceſſe eſt; hæc debet eſſe laborum noſtrorum meta; ad hoc naſcimur, ſpiramus, vivimus, ut Sanctorum obire mortem aliquando contingat. Verùm quàm expetenda mors ejuſmodi, tam arduum eſt quidem ac difficile illius fieri compotem; ubi ſacra veritatis oracula conceptis verbis admonent, non eſſe cujuſquam in facultate poſitum perſeverantiæ finalis gratiam promereri. Hoc pretioſum amoris ſui pignus Deus pro jure ſuo largitur ad arbitrium; & quod perditiſſimis peccatoribus aliquando non abnuit, id ipſum juſtis quidem, ſed imperviis humanæ menti judiciis vitæ probatæ viris non ſemper impertit.

Hinc porro quis tam mundus ab inquinamentis ſcelerum, quis tam nihili ſibi conſcius, qui perpetuo non vivat in metu, incertus an amore, an dignus odio, cùm erit moriendum, inveniendus ſit? Tamen nolite deſpondere animum, imò ſpes inde veſtras diſcite, vos ò, quos Virgo ſanctiſſima ſuam in fidem ac clientelam recepit. Intelligite, quàm non fruſtra ſponſionis & devotionis veſtræ in gratiam poſtuletis à Maria, ut vos in hora mortis non deſerat. Is enim Beatæ Virgini præcipuus incumbit labor; hanc ſibi provinciam vindicat; huc illius preces, vota, obſecrationes pertinent, ut, quos Clientes habet & amicos, ii juſtorum morte moriantur. Quin & ipſe Chriſtus, indulgens Matri, dum obſcurum penitus & abſconditum voluit eſſe divinæ prædeſtinationis myſterium, nobis in Maria dedit, unde ſpem ſalutis certam quodammodo haberemus. Atque ut mortalium animos ad reverentiam & amorem parentis optimæ magis ac magis accenderet, conſtituit illam tanquam Dominam & arbitram ſupremæ illius gratiæ, quæ tam arctam cum ſalute ipſa neceſſitudinem habet.

Verùm ne temerè dictum illud à nobis, aut ſaltem magnificè plus æquo ad B. Virginis commendationem videatur; conſulamus in re tanti momenti fidam divini Spiritus interpretem Eccleſiam, & quid ſuper ea re credendum ſit, ab illa perdiſcamus. Hæc illa eſt, Adoleſcentes, cujus admoniti oraculis ita Mariam compellamus. *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ*. Ecquid illam putatis à Filio precari jam jam morituris, niſi perſeverantiæ gratiam, quam ſemel nobis ſi precabitur, an conſentaneum eſt vereri, ne Maria repulſam ferat? Has etiam ſibi ſervavit, ſi Eccleſiæ teſtimonio credimus, Virgo beata partes, ut Clientes ſuos, cùm ad extremam rerum lineam pervenerint, à Dæmonis inſidiis præſtet incolumes. Sic enim Eccleſia canit beatam Virginem alloquens, *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege*. Terribilem ſanè, & ſupra quàm dici poteſt homini præſertim moribundo metuendum hoſtem! Tamen quid vel infrendens in eum valeat, quem tuendum ac protegendum Maria ſuſceperit? Verùm quàm dulce eſt & plenum ſolatio, quod Eccleſia Virginem interpellans confidenter adjicit, *& hora mortis ſuſcipe*. Erit igitur

 rit tui, ò Virgo ſanctiſſima, muneris, ut defunctos hujus vitæ caſibus tuas in manus excipias. Felicem ò nimis conditionem noſtram, ſi tam piæ parentis in manus venerimus! Nam quæ vis nos avellat inde? quis hoſtium furor tam immanis, qui mediis è Mariæ complexibus nos eripiat? Quanquam ſit inſtar omnium, per me licet, ad incitamentum fiduciæ, ad amoris incrementum illa deprecatio, qua ſingulas divini Officii partes Eccleſia complectitur ac terminat. *Et Jeſum, benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria!* Scilicet, ſi nec falli, nec fallere Eccleſia poteſt, per Mariam dabitur nobis ex hoc peregrinationis loco decedentibus, ut Chriſto Jeſu benedicto virginalis ipſius uteri fructu perfruamur. Ecquid, amabo vos, Adoleſcentes, dici poterat, vel ad excitandas ſpes noſtras potentius, vel ad confirmandam contra mortis acceſſum fiduciam noſtram optatius!

Nihil ego jam mirer, ſi tam luculentis Eccleſiæ teſtimoniis freti tot ſancti Patres totque Doctores ſapientiſſimi ſic extulerint B. Virginis potentiam, nihil ut accedere ad eam poſſe videatur. Nam quid ego proferam nubem illam teſtium, qui Eccleſiam ducem ſecuti tam præclarè, tam magnificè Virginis beatæ patrocinium commendarunt? Hi gratias quaſcumque, quæ hominum in genus derivantur, communicari per Mariam affirmant. Iſti eadem exorante indulgeri peccatorum veniam accuratè defendunt. Illi palam & apertè pronunciant: ſic in ea poſitam eſſe ſpem ſalutis, ut ejuſdem via ſit, quam ingredi unumquemque oporteat. Alii profitentur nihil eſſe deſperandum, quidquid per invocationem ipſius petieris. Alii negant ulla temporum memoria quemquam Mariæ ſervum periiſſe. Ita loquuntur Bernardus, Anſelmus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, qui non tam ſuo, quàm Eccleſiæ Spiritu afflati, hanc inter cæteras Mariæ prærogativam tribuerunt, ut in re ſalutis jus quaſi ſupremum exerceret. Eiſdem & nos eruditi confirmatique oraculis certam indubitatamque ſpem habeamus, id affore nobis in Maria præſidium, quod in extremo vitæ diſcrimine conſtitutos recreet ac conſoletur.

Sic erit! ò Virgo ſanctiſſima, cùm venerit ille dies ultimus, qui vitæ finem imponet; in his temporum ac difficultatum anguſtiis, te piam, te clementem, te propitiam experiar. Cùm derelictus à meis, deſertus à parentibus, deſtitutus rebus omnibus neminem habebo, cujus fidem & opem implorem, tu mihi rerum omnium loco non deeris. Cùm deficient unà cum corpore vires animæ, & iners languor totum obruet; tu præſens adverſus infirmitatem remedium, & invictum contra languorem robur ſufficies. Si me præteritorum recordatio delictorum deprimat nimiùm & affligat; tu jacentem eriges & afflictum conſolabere. Si videbor impar hoſtium conatibus, qui ſaluti meæ inſidias comparabunt; tu cœleſtia ſuppeditabis arma, quibus eorum furor retundatur. Si me propinquæ æternitatis metus exanimet; tu novam addes fiduciam, & impertiendæ mox miſericordiæ conſcientia ſuſtentabis. Tu denique roborabis fidem, ſpem incendes, charitatem inflammabis, & tuis ad extremum uſque ſpiritum beneficiis recreatus in ipſa ſanctiſſimi tui nominis invocatione emoriar.

Erit aliquis veſtrum, Adoleſcentes, quem redditi Deiparæ obſequii pœniteat? qui ſe magis ac magis ad eandem colendam & amandam non exſti-

ſtimulet? qui feliciſſimos inter vitæ ſuæ dies illum non ponat, quo ſe B. Virginis fidei ac clientelæ tempus in omne conſecravit? Felicem enimverò fortunatumque diem, qui tot gratiarum fons uberrimus extitit, & in novos deinceps rivos, dum veniat extremus dies, erumpet. In ſpem igitur tanti tamque ſingularis boni renovemus ex toto corde, quod B. Virgini diximus jam toties, perpetuæ ſervitutis ac fidei ſacramentum. Ecce præibo vobis ultrò ac volens, vos dicentem animis proſequimini.

Sancta Maria Mater Dei & Virgo, Nos te in Dominam, Patronam & Matrem eligimus. Dominare noſtri tu, Virgo ſanctiſſima, quibus nihil tam dulce ac decorum eſt, quàm fidele in omne vitæ tempus tibi obſequium præſtare. Et quando Matrem te dici non gravaris, habe nos, quotquot ſumus, filiorum in numero, & da, ne quid indignum tam honorifica appellatione admittamus. Verùm quia nemo noſtrum ignorat, nihil tam diſplicere tibi in iis, qui tua fide ac clientela gloriantur, quàm pravitatem morum ac corruptelam, hoc providebimus præter cætera, labes ut nulla noſtris moribus adhæreſcat. Nihil erit laſcivum in verbis, nihil in factis inverecundum, nihil in affectibus aut cogitationibus ipſis immundum patiemur. Neque hoc ſatis Virgo ſanctiſſima, ſed ſtudium in ea re noſtrum verſabitur, ut quos habemus in poteſtate, ii parem tibi honorem & amorem impertiant.

Obſecramus te igitur ac petimus, per illa miſericordiæ viſcera, quæ ad ipſas nequiſſimorum peccatorum preces commoveri ſolent, ut, quod devovemus tibi obſequium, gratum acceptumque habeas, noſque in fideles, ſinceros conſtanteſque ſervos admittas. Noli permittere, Virgo ſanctiſſima, nos ut dies ulla datæ fidei immemores arguat. Amove diligenter à nobis plenas periculis occaſiones, contra quas ſtare probatiſſima innocentia non ſufficit. Accerſe nobis ab uberrimis inexhauſtiſque divinæ miſericordiæ fontibus illa præſidia, quibus freti nihil ab inſanis vanitatis ambitioſæ fulgoribus, nihil ab humanarum rationum momentis, nihil ab illecebroſis voluptatum lenociniis timendum habeamus.

Verùm hoc à te poſtulamus inprimis, ut, cùm ad ultimam vitæ noſtræ metam pervenerimus, in his triſtiſſimis temporum caſibus uberius auxilium impertias. Ac ſi fortè vel morborum aculei, vel propinquæ mortis horror, vel divinorum judiciorum metus tui invocandi nominis facultatem adimant, memento tunc qualem te futuram eſſe in fideles ſervos ac filios promiſeris; protege nos ſub umbra alarum tuarum; ut illæ ſi per te & incolumes æternùm prædicemus, nemini, qui Mariam coluerit & amaverit, in extremo die malè unquam fuiſſe.

DE NECESSITATE

Promovendæ Salutis æternæ.

ORATIO VIII.

Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Matth. 16.

Dicturus apud vos hodie de promovendo ante omnia ſalutis æternæ negotio, unde momentum gravius mutuandum putem, Adoleſcentes Chriſtiani, quàm ab iis Chriſti vocibus, quas ad increpandam homi-

minimum incuriam, & ſtimulandam in re tanti ponderis cautionem ac diligentiam adhibuit? Nam ſi, affirmante Chriſto Domino, vel ipſum totius orbis imperium nullam, cum de ſalute æterna agitur, afferre moram debet; ſi nullo redimendam pretio jacturam animæ conſtanter profitetur, quid erit deinceps in hac rerum univerſitate tam expetendum, quod ſalutis ejuſdem negotium debilitare, aut retardare poſſit? Atque utinam altiſſimis uniuſcujuſque veſtrûm animis defigere liceat capitalem illam Chriſtianæ doctrinæ partem, quæ cæterarum omnium fundamentum eſt! cujus intelligendæ ſedulò & ad ejuſdem normam ac regulam exigendæ vitæ tanta eſt neceſſitas, ut qui illam vel capere, vel ſequi neglexerit, hujus deſperanda ſalus videatur; quam ſi ſemel guſtaveritis, ut par eſt, atque imbiberitis, fortunæ veſtræ, cæleſtes, dico, & æternæ, in tuto ſunt; cujus aſſequendæ vel negligentia, vel contemptu, bona pars hominum in perniciem ſempiternam corruit; quam quia nemo recogitat, inquit
Jer. 2. Jeremias, *deſolatione terra deſolata eſt*. Hæc illa doctrina eſt, qua diſcurrens olim Chriſtus per regiones, per urbes, per caſtella auditorum aures atque animos perſonabat. Hæc illa doctrina eſt, quæ tam multis exſtitit, & exſiſtit hodieque ad ſpernendas, quas offert mundus, illecebras incitamentum; quæ Eremo ac ſolitudini tot incolas, religioſis domibus tot habitatores ſubminiſtrat. Hæc illa doctrina eſt, quam ego Principum in aula, militum in caſtris, Magiſtratuum in concilio, mercatorum in tabernis, artificum in officina, in plateis, in vicis, in publicis domibus ac privatis, in uniuſcujuſque conclavi ac muſæo ita deſcriptam vellem, ut omnium oculis, multo magis mentibus perpetuò obverſaretur, *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

Attendite igitur, Adoleſcentes, & fundatam in laudatis jam à me Chriſti verbis ſalutis promovendæ neceſſitatem animadvertite. Atque ut hoc ipſum æternæ veritatis oraculum tam clarum ex ſe ſe, penitiùs intelligatis, hæc duo mecum, unde geminum oritur Orationis hodiernæ caput, diligenter conſiderate. Tale eſt ſalutis veſtræ negotium, ut ſi malè proceſſerit, cæteris rebus ex animi ſententia fluentibus, actum de vobis atque conclamatum omnino ſit: hoc priore quidem loco excutiam: Tale eſt ſalutis veſtræ negotium, ut ſi ceciderit ſemel feliciter, deſperatis penitus acciſiſque reliquis rebus, fortunæ veſtræ in tuto ſint; hoc poſteriore loco, quantum patientur temporis anguſtiæ, demonſtrabo.

Ac primò quidem nihil immorandum putem in ſtabiliendis con- I. Pars.
firmandiſve illis fidei noſtræ capitibus, quæ, vel alterius vitæ ab ea quam ducimus, expectationem, vel propoſitam ſingulis pro meritorum ratione, aut pœnam, aut mercedem æternam, vel ineluctabilem denique ſeveriſſimi judicii ſubeundi neceſſitatem ſpectant. Apud eos Adoleſcentes loquor, qui prima iſthæc Chriſtianæ Religionis rudimenta veluti cum ipſo lacte ſuxerunt. Quare ſatis habebo ponere vobis ante oculos unumquemque hominum, quorum memoria pervenit ad nos illuſtrior, &, quod in conſectandis perfruendiſque, quas potiſſimum adamarunt, rebus commodum ad ſalutem æternam perceperunt, ita perſcrutari, ut exemplum inde,

Digitized by Google

inde, quod ex uſu vobis ſit, ſtatuatis.

Agite verò, Adoleſcentes Chriſtiani, inquiramus diligentiùs in vetera præteritorum temporum monumenta, rerum geſtarum hiſtorias annaleſque curioſiùs evolvamus. Video florentiſſimos rerum omnium copia non Principes modò, ſed privatæ conditionis homines, qui extructis in altum divitiis numeroſiſſimos exercitus, provincias etiam integras alere potuiſſent. Video Juvenem fortiſſimum, qui partem orbis nobiliſſimam victoriis potiùs ac triumphis, quàm paſſibus peragravit; cujus in conſpectu, ipſa Scriptura ſacra teſte, univerſa terra ſiluiſſe viſa eſt. Alium video decertantem de orbis imperio, rerum non ita multo poſt potientem, in eoque poſitum gloriæ faſtigio, unde aſpirare ſuperiùs mortalium votis non liceat. Video noviſſimum hominem dominantem populorum animis, coercentem improborum audaciam, armorum vim atque impetus ſola linguæ facundia refrenantem. Video probatos ſapienteſque omnium judicio viros, quorum quot verba, tot effata, quot reſponſa, tot oracula reputantur. Neque verò, quod præter cætera mirandum eſt, illi omnes, quotquot ſunt, quibus vita ſpatiis ac limitibus continetur, ejuſdem nominis ſui memoriam commendationemque terminarunt. Viget apud nos hodieque gratiſſima ipſorum recordatio; pulpita & exhedræ ipſorum laudibus quotidie perſonant, &, quæ cæteris rebus injuriam facit temporum vetuſtas, non modò non imminuit quidquam de ipſorum gloria, ſed eandem nobilitavit magis ac ſacravit.

1. Mach. 1.

Magna ſunt illa profectò, Adoleſcentes Chriſtiani, florere magna divitiarum abundantia, numeroſis imperitare populis, eruditionis ac ſapientiæ laude parem habere neminem. Magna illa ſunt, vivere in hominum memoria, celebrari conſequentium ætatum præconiis, nominis ſui famam cum tota poſteritate coæquare; magna ſunt, inquam, illa, & tanta, ut graviſſimis laboribus, curis, vigiliis, aſſidua animi corporiſque defatigatione, ipſo fortunarum omnium capitiſque diſcrimine bene redempta videantur. Tamen quantula illa ſunt, quàm habenda nullo in pretio, ſi, qui conſecuti ſunt hæc omnia, illi viam ſalutis aut ignorarunt, aut cognitam ingredi neglexerunt!

Sciſcitemur enimverò ſpectatiſſimos illos viros, quos etſi tacito nomine commendavi, ſatis, opinor, intellexiſtis, quos innuerim, ſciſcitemur, inquam, illos, quid ſua illis gloria profuerit, quid etiamnum proſit, quam habent apud nos, admiratio? Quid tibi, Crœſe, quid Craſſe, profuerunt ingentes illi divitiarum cumuli, quarum magnitudinem ac copiam nemo eſt unquam aſſecutus? Quid te juvat, Alexander Macedo, quòd tam multas, tam varias, tam diſſitas nationes redegeris in poteſtatem? Quid te, Cai Cæſar, quòd orbi toti imperaris, quem uterque fructum ex eo jam habetis, quòd heroes quique fortiſſimi certare vobiſcum de animi magnitudine, ac bellica virtute ambitioſiùs affectent? Tibi verò, Marce Tulli, quid ubertas ingenii, dicendi facundia, Eloquentiæ vis, quam admiramur tantum & extollimus; quid tua tibi, Marce Cato, prudentia, quæ ſapientiſſimis quibuſque viris ad imitandum proponitur, ſolatii jam affert? Reſponſum date, quotquot extitiſtis olim, prudentes viri, invicti heroes, omni doctrinarum genere homines ſpectatiſſimi?

quid

quid ſupereſt vobis ex ea gloria, quam habuiſtis aliquando; quam etiamnum apud hominum memoriam retinuiſtis?

Silent ad unum omnes, obmuteſcunt, nullus eorum habet quidquam, quod reſpondeat! ſed ecce pro omnibus ac ſingulis diſertiſſimè reſpondet Auguſtinus, *laudantur ubi non ſunt*, *cruciantur ubi ſunt*. Hìc egregias, quibus nituerunt illi, dum viverent, corporis animique dotes laudamus, miramur, extollimus; ſed nihil laudum iſtarum jam ad ipſos pertinet, non moventur ejuſmodi præconiis, non afficiuntur rerum ſuarum commendatione; quia nihil commune jam habent nobiſcum; quia exceſſerunt vivorum de numero; quia æternum fecere cum hac vita divortium; *Laudantur ubi non ſunt*. At apud Inferos, in quibus tot ab hinc annis demerſi jacent, diriſſimis torquentur ac macerantur pœnis. Illic ſuam in re ſalutis aut ignorantiam, aut negligentiam amariſſimis fletibus expiant, & per æternitatem totam expiabunt. *Cruciantur ubi ſunt*.

Sed quid dico, non reſpondent ipſi pro ſe ſe? Imò, imò audiamus illos è mediis flammarum infernarum incendiis triſtiſſimum vitæ in ſpeciem florentiſſimæ exitum deplorantes. Proh! quàm verè, ſi quid divinis oraculis credimus, quàm ſine fuco loquuntur. *Quid profuit*, inquiunt, *nobis ſuperbia*, *aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra*, *aut tanquam avis quæ tranſvolat in aere*, *cujus nullum invenitur argumentum itineris*. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis*, *& ambulavimus vias difficiles*, *viam autem Domini ignoravimus*. *Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt*, adjicit Spiritus ſanctus, *quoniam ſpes impii tanquam lanugo eſt*, *quæ à vento tollitur*.

Veniamus jam ad voſmetipſos, Adoleſcentes Chriſtiani, & ex funeſto fortunatorum hominum, ut ſibi videbantur, fine, quid futurum ſit aliquando de vobis, niſi diligentiùs quàm fecerunt ipſi, de ſalute veſtra cogitetis, conjiciamus. Quàm multi ſunt inter vos, qui vel in hac ætate veſtra magnum aliquod ſublimioris fortunæ ædificium meditantur? quàm multi nobilitate generis, opum magnitudine, parentum gratia atque auctoritate freti dignitates eximias animo præripiunt & aucupantur. Hic in Aula, ille in Militia, iſte in Foro, alter in Clero ſuum ſibi quaſi deſignant locum. Cæteri, etſi non audent ad ea quæ ſunt ſublimiora aſpirare, nemo tamen eſt, qui pro tenuitate ſua ſpes aliquas non foveat, & ſin ſplendidæ minùs & ambitioſæ, ſaltem commodæ ac tranquillæ vitæ fabricam non moliatur. Interim quotuſquiſque eſt, qui de ſalute æterna ſeriò diligenterque cogitet; qui certam aliquam ſtabiliendæ illius & in tuto collocandæ rationem ineat; qui rem illam unicè neceſſariam reliquis omnino rebus anteponendam ducat? Tamen quis dubitet eſſe plurimos è vobis, qui ad eam, quam paſcunt animo, fortem fortunatam nunquam pervenient; qui vel rerum domeſticarum perturbatione, vel æmulorum invidia, vel ſuo ipſorum vitio, vel quod proclivius eſt ſuſpicari, prematura morte prohibebuntur, ne votorum ſuorum compotes olim fiant?

Nam quid ego fatali non ita paucorum experientia id ipſum comprobem, quos ante annos aliquot vidimus intra has ipſas ſcholæ anguſtias, plenos expectatione ſumma Juvenes, & doluimus non ita multo poſt in medio curſu, aut in ipſo

V 2 etiam

etiam ætatis flore fuiſſe ſucciſos; dum riderent ipſis omnia, dum fortuna blandiretur amiciùs, dum aſſurgerent ad majora, & ſpes ipſi ſuas ſuperare viderentur. Hunc armorum furor & iniqua Martis alea media in acie, illum orta repente rixa, iſtum funeſtus inter commeſſationes caſus, alium partus ex vita diſſolutiore languor, alium ſola properatæ & inexpectatæ mortis neceſſitas notuſque uni Deo fatorum ordo rapuerunt.

Quoniam igitur eadem pleriſque veſtrûm pernicies imminet, quam tot alios vobis ætate, ſplendore nominis, lætiſſimæ fortis fiducia pares ſubiiſſe intellexiſtis; tunc, niſi ſaluti veſtræ feriò provideritis, niſi deſpectis rejectiſque reliquis omnino rebus, rem illam, quæ maximi omnium ponderis ac momenti eſt, quæ homini Chriſtiano una videri debuit, procuraveritis; quid proderit vobis, quid animæ veſtræ proderit altiſſimæ fortunæ poſuiſſe fundamentum; contendiſſe ad honores ampliſſimos, & aliquam apud opinionem hominum nominis veſtri commendationem promeruiſſe? Hæccine, amabo, defenſionis alicujus, aut excuſationis locum invenient apud Deum in hora mortis objurgantem & inquirentem; *quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?*

Quanquam ne ſic reſecemus rem ad vivum; agamus tecum liberaliter, Adoleſcens infortunate, ſi quis eſſes, quem fragilis rerum caducarum gloria ſic raperet in amorem ſui, ut in iis aliquando perfruendis felicitatem tuam reponendam æſtimares. Eſto demus hoc tibi; ut ad eum, quem informaſti animo, fortunæ apicem tandem pervenias: opta etiam, ſi voles, aliquid majus ac melius: nullum cupiditati tuæ modum ac finem pone: nihil moror; hæc conſequeris, quæcumque optaſti: nihil deerit tibi vel divitiarum ad avaritiam, vel dignitatis ad ambitionem, vel deliciarum ad voluptatem plenè perfectèque ſatiandam & explendam. Adjiciamus etiam, quod nec poſtulare, nec ſperare audeas, centum annos, quibus integris, ſine ulla corporis animive ægritudine, ſine ullo fortunæ reflantis æſtu, ſine ulla rerum perturbatione, tua illa tam beata, tam florente, tam honorifica conditione quiete tranquilleque perfruaris. Tamen poſt elapſam demum tam longam fortunati temporis ſeriem, veniet aliquis dies ultimus, qui vitam illam jucundiſſimam terminabit; vale dicendum erit tandem aliquando divitiis, honoribus, voluptatibus cæteriſque adeo rebus, in quibus ſpem fiduciamque poſueras. In his rerum temporumque articulis, peto à te, infortunate Adoleſcens, quid proderit tibi contrita mundi hujus illecebris vita? quid juvabunt honorum tituli & ambitioſiùs conquiſitæ dignitates? quid proderunt illæ deliciæ, quas deguſtaveris ad ſatietatem; ſi longa ſalutis tuæ oblivione ſepultus jacueris, ſi de paranda animæ tuæ beatitudine non cogitaveris; ſi continua rerum terrenarum ſollicitudine occupatus ad perpetuam bonorum cœleſtium poſſeſſionem, mentem animumque non erexeris? Tunc intelliges, at feriùs fortaſſe, quàm ut ab imminenti periculo ſervare te incolumem poſſis; tunc intelliges, inquam, latentem in iis vocibus veritatem. *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?*

Prævertite feria ac frequenti meditatione fatalem illam horam, Adoleſcentes Chriſtiani, neque rem

ino-

Digitized by Google

momenti hujus in ulteriorem ætatem rejiciendam putatote. Ecquando enim defigatur altiùs veſtris mentibus hujus ſententiæ veritas, aut feliciorem fructum pariat, quàm dum recentes adhuc animi bonæ ſementis vim omnem ultrò excipiunt, neque ullis vitiorum ſalebris lætiſſimas fruges remorantur. Scilicet expectetis tempus illud, quod vobis fortaſſe nunquam aderit, aut, ſi dabitur aliquando, nihil admodum profuturum eſt, niſi ut conditionem veſtram deteriorem faciat, quàm ſi non adfuiſſet? Inveniet locum apud vos ſalutis æternæ cogitatio, & hoc unum curandum ante omnia cenſebitis; cùm ineluctabilis parandi opes ſollicitudo vix alterius ſtudii ſocietatem ac communionem admittet? cùm ſuis vos laqueis irretitos voluptas tenebit? cùm dominabitur ambitio? cùm promovendæ altiùs fortunæ cupiditas ſic occupabit totos, quaſi nihil expetendum præterea, aut expectandum relinqueretur? Fructum pariet olim aliquem veſtris in cordibus ſalubris rerum æternarum meditatio, ubi miſerabilis perturbationum tumultus regnabit? ubi pravorum habituum obdurata malignitas nullo cœleſtium gratiarum influxu mollietur? ubi pullulantes perpetuo malarum cupiditatum fibræ felicem boni ſeminis, ſi quod fortè incidiſſet, progeniem ſuo ſtatim in ortu ſuffocabunt?

Nolite, Adoleſcentes, ſpem inanem paſcere, & inutili confidentia ſeducere veſtros animos, qui niſi ſtatim imbiberint iſtius documenti veritatem, & ad normam ipſius exigere vitam ſenſim aſſueverint, fruſtra futurum polliceri ſibi videantur, ut olim in media mundi corruptela poſiti, aut ejuſdem ſenſum capiant, aut, quod difficilius multo ſit, componere mores, uti ad ſalutem æternam oportet, inducantur.

Tamen niſi hoc fiat ſedulò ab unoquoque veſtrum, niſi proviſum veſtræ in perpetuum ſecuritati certò fuerit, intellexiſtis hactenus, quid proſit non ſolùm fieri vos votorum omnium compotes, ſed orbi etiam univerſo dominari. Jamverò quàm parvi referat cætera omnia, quæcumque mortalium animis blandiuntur, concidiſſe penitus, ſi modò ſalutis æternæ negotium feliciter ſteterit, conjiciamus.

II. Pars. Atque ut multa paucis complectar, quoniam anguſtiæ temporis nos premunt; cogitate, Adoleſcentes Chriſtiani, hominem miſerum, infelicem, ærumnoſum, qualem nec peior ætas unquam tulit, nec poſterior in perpetuum feret. Fingite vobis illum deſtitutum præſidiis omnibus, laborantem rei familiaris inopia, nulla vel parentum vel amicorum ope ſuſtentatum. Impetatur ille, quantùm placet, quibuſcumque adverſæ fortunæ telis; nihil cogitet, nihil loquatur, nihil agat, nihil moliatur, quod non cedat malam in partem, & in ipſius opprobrium, contumeliam, ac deſperationem vertat. Nullum in ſeipſo conſola[illegible]is inveniat modum, nullum [illegible]ua ſagacitate atque perſpicacia fructum percipiat; niſi ut conditionis ſuæ acerbitatem ſentiat validiùs, & fortis injurias graviores experiatur. Irruant in eum omne morborum genus, omnes dolorum aculei, omnes corporis animique ægritudines, quæ infortunatum hominem dies noctesque reſpirare non ſinant. Adjicite, ſi volueritis, equuleos, cataſtas, rogos, liquati plumbi balnea, enſes, carnificinas, & alia id genus ſupplicia, quæ ingenioſus tyrannorum furor ad probandam torquendamque ſanctorum Martyrum conſtantiam aliàs

excogitavit; nullus ſit in tam gravibus malis modus, nulla requies, nullum à Deo ipſo ſolatium, qui moleſtiores ærumnas mitigat; quando vult, & ſuaviſſima jucunditate perfundit. Annos inſuper quamplurimos in hujuſmodi tormentis conterendos habeat. Quid eſſe vel fingi poſſit homine illo, quem adumbravi, miſerius, quid atrocius, quid calamitoſum magis? Tamen ſi per conſitam tot ſentibus viam pervenire tandem ad beatam immortalitatem poſſit, felicem illum ac fortunatum appellabo. Neque mirum hoc vobis videatur, quia quantæcumque ſint illæ, quibus conflictatur, calamitates, finem aliquando invenient, & luctuoſam ex omni parte vitam æterna felicitas excipiet.

Hinc diſcipulos ſuos Chriſtus olim per univerſum orbem cùm mitteret, & multo ipſorum labore totiuſque effuſione ſanguinis propagandam Chriſtianam fidem admoneret, hoc adjicere ſolebat, ne fatiſcerent ipſorum animi, & rerum difficultate deterrerentur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

Hoc & ipſi retinete diligenter, Adoleſcentes Chriſtiani, ſi quid durum identidem, ſi quid aſperum, ſi quid laborioſum nimis in promovendo ſalutis æternæ negotio occurrerit; nam quid diſſimulem, aut verear loqui, quod nec prænunciare ipſe non poſſum, nec vobis integrum eſt declinare? Hæc eſt nimirum fatalis quædam æternæ felicitatis conditio, ut illam ingredi, Chriſto teſte, niſi per graves ærumnas non liceat. Idem vobis, Adoleſcentes, quod cæteris hominum, fatum impendet, ſi certo ad beatam immortalitatem pede pergere volueritis. Alios à Dæmonum invidia, alios ab illecebroſis mundi præſtigiis, alios ab exempli pravitate, alios à vobis ipſis objices invenietis. Verùm in iſta difficultatum mole, ſi recreare veſtros animos, ſi novum ad peragendum alacriter inchoatum jam opus ſentire robur placuerit, retractate frequenter quod profitetur Chriſtus, nihil eſſe metuendum in hac vita, dum in altera nobis bene ſit. Ita quamcumque ſortis aleam vobis contingat olim experiri; neque vos fortunæ aſpirantis ſuavitas illudet, neque reflantis ejuſdem calamitas labefactabit; ſi paratum uſque in hac Chriſti ſententia præſidium adhibueritis. *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

DE PECCATO LETHALI.

ORATIO IX.

Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Rom. 6.

QUod olim beatæ Catharinæ Genuenſi contigiſſe legimus, ut animam lethalis peccati labe infectam cerneret; id utinam unicuique veſtrum, Adoleſcentes Chriſtiani, attentis ac diligentibus oculis liceret intueri! Nihil ego dicturus hodie de peccato mortali tantopere elaborandum arbitrarer in conquirendis vividioribus pigmentis, quibus fœdiſſimi illius monſtri turpitudinem nativis coloribus adumbrarem. Sic enim mihi perſuadeo ſola triſtiſſimæ illius imaginis contemplatione ita percellendos eſſe veſtros animos, nunquam ut inquinari vos illa peſte pateremini. Eſt enim peccatum lethale quiddam tam deforme, tam horrendum, ut profi-

teri

Digitized by Google

teri Virgo ſanctiſſima, quam laudavi modò, non dubitaret, eligendum à ſe lubentiùs, ſi daretur optio, vel ad ipſam mundi extinctionem calcare nudis pedibus ardentes prunas, quàm internam animæ peccato inquinatæ faciem iterum ſuſtinere. At quoniam non eſt hìc locus hujuſmodi prodigiis, faxit Deus, ut validiſſima, quæ jam diducere conabor, rationum argumenta idem apud vos momentum habeant. Quæ dum ipſe pro virili parte exequor, quæſo vos, diligenter attendite.

Verùm quia dies me deficiat, ſi ſingula, quæ concitare peccato invidiam poſſunt, vel leviter delibare velim, tria tantùm ex omnibus perſequar, quæ potiora mihi viſa ſunt, & majus apud vos pondus habitura confido. Igitur peccati lethalis gravitatem ex ipſa peccati natura primùm, deinde ex eo quo fertur Deus in peccatum odio, denique ex pœnis quibus divina juſtitia peccatum afficit, æſtimemus. Hæc tria pars Orationis triplex complectetur.

I. Pars. Ac primum quidem peccati naturam inveſtigemus. Quid peccatum putatis eſſe, Adoleſcentes? quam impreſſam animo teterrimi illius monſtri ideam hactenus habuiſtis? Nunquam fortaſſe ſatis expendiſtis, quàm grandi vos obſtrinxeritis piaculo, quoties lethale peccatum admiſiſtis; intelligite nunc demum, quale malum peccatum eſt, atque utinam cognita mali gravitas vos à peccando deinceps deterreat!

Peccatum omne, atque inprimis peccatum lethale Dei offenſa eſt, Dei injuria eſt, Dei contumelia eſt. Quid enim peccatum eſt, inquit Auguſtinus, niſi dictum, factum vel concupitum contra legem & voluntatem Dei? Ergo qui peccat, voluntati Dei reſiſtit, imperium ejus detrectat, legem abjicit. Reſiſtere autem legitimæ poteſtati, Dei ſupremique Domini imperium detrectare, Legiſlatoris ſui leges contemnere ac refigere, quid hoc dicemus eſſe, ſi non ſumma Dei noſtri, noſtri Domini ac Legiſlatoris offenſa, injuria, contumelia eſt? Terreno Principi non obtemperas, jugum excutis, leges, edicta tranſgrederis; læſæ continuò, violatæ ac contemptæ majeſtatis reus ageris, detruderis in carcerem, gravibus ſuppliciis atque adeo morte ipſa plecteris. Deus loquitur, audire negligis; jubet, non obſequeris; imperat, parere abnuis; & te Majeſtatis divinæ obtrectatorem, contemptorem, violatorem inficiabere? An igitur arbitrabimur vel levius exigere Deum à nobis ſervitutis, reverentiæ atque obſervantiæ monimentum, vel minùs diligentem eundem eſſe, quàm terreni Principes videantur, dominii ſui ſuæque gloriæ æmulatorem? Imò tantò creſcit magis offenſæ in Deum atque injuriæ gravitas, quantò majus pro jure ſuo obſequium repetit, & contemni ſe ac deſpici iniquiùs patitur. Hinc illæ, quas in ſingulis ſacrorum librorum paginis legimus, Dei ipſius aut querelæ, aut objurgationes; cùm illudi ſe à peccatoribus, contemptui haberi, irrideri, contumelia affici, conculcari, rurſum crucifigi, & nova mulctari morte expoſtulat.

Quantus porro ille eſt, in quem per peccatum ſic inſurgitur! Cogitate pulchritudinem illam, quæ omnes ad ſe rapiat voluntates; quam vidiſſe vel ſemel optabilius quiddam ſit, quàm deliciis ſuavioribus per multa annorum millia ad ſatietatem frui. Repræſentate animo majeſtatem illam, cui ſervire ſit honorificum magis, quàm toti mundo imperare. Reputate vobiſcum bonitatem tantam, ut diſpliçuiſſe illi grandius quoddam ſit & minùs expiabile flagitium, quàm totius

orbis in ruinam conjuraſſe. Hæc ſi vel liceret aſſequi cogitatione, nondum tamen quantus ſit Deus attigiſſetis. Igitur dotes dotibus, perfectiones perfectionibus adjungite: tot fingite vobis, quot fulgent in cœlo ſydera, quot atomi per inane circumvolitant, quot arenas mare complectitur; neque ſic leviſſimam perfectionum divinarum imaginem adumbrabitis. Quantum illud eſt ante omnia tempora extitiſſe, nullis locorum circumſcribi finibus, nihil eorum, quæ olim eventura ſunt, ignorare, ſupremum in res omnes creatas dominium exercere! Deus ille tamen tantus, tam bonus, tam perfectus, Deus ille rerum omnium principium ac finis, cœli terræque artifex ac moderator, quem vidiſſe, quem poſſediſſe ſumma felicitas eſt, per peccatum impetitur, proteritur, conculcatur.

At quis ille eſt, qui ſupremam infinitamque Majeſtatem attentare confidit? pulviſculus eſt, vermiculus eſt, vile mancipium eſt, uno verbo, homo eſt, in iniquitatibus conceptus, in peccatis natus, ex argilla lutoque confictus, & in cineres jam jam abiturus. Hominem dico inimicum Dei, ſervum Diaboli, cœleſti patria extorrem, ſpoliatum gratia & ſempiternis ignibus mancipatum. Hominem dico cujus in intellectu ſumma ignorantia eſt, in voluntate incredibilis perverſitas, in facultatibus cæteris generalis quædam depravatio: hominem dico tot flagitiorum reum, tot malis affectibus corruptum, tot nominibus divinæ juſtitiæ obligatum. Ille, ille eſt, qui Deum laceſſit ac provocat, qui voluntati ejus reſiſtit, qui legem infringit, imperium
Job. 15. excutit, qui denique, ut Jobi verbis utar, *adverſus Deum manum ſuam tetendit & contra omnipotentem roboratus eſt*.

Age, age, infortunate Adoleſcens, dum obſcœnis imaginibus oculos mentemque paſcebas; dum pravos nequitiæ magiſtros, avidis oculis amatorios libellos perlegebas; dum turpibus colloquiis liberiùs indulgebas; dum ambiguis captioſiſque vocabulis alienæ pudicitiæ laqueos comparabas; dum res divinas riſu jocíſque ventilabas; dum præſens in templis corpore, alienus mente oculos, vultus huc illuc circumferebas; dum inter ſacra myſteria nugis, confabulationibus operam dabas; dum nullo peccatorum dolore, nullo melioris vitæ propoſito ad Sacramentum Pœnitentiæ accedebas; dum inter confitendum intempeſtivo pudore correptus ulceratæ conſcientiæ virus occultabas; dum ad ſacram menſam nullo pietatis ſenſu accumbebas; denique dum te, reclamantibus atque increpantibus nequicquam monitoribus, pernicioſæ conſuetudinis vinculis aſtringebas; tibi ne venit unquam in mentem cogitare, eò te prorupiſſe temeritatis atque impudentiæ, ut in præpotentem rerum omnium dominum vile mancipium, in Creatorem tuum abjectiſſima creatura, in ſupremum vitæ neciſque arbitrum tot ſcelerum reus inſurgeres; ut apertas illi inimicitias declarares; ut graviſſimam contumeliam inferres; ut, quantum erat in te, de ſolio Deum dejiceres & hærentem capiti ipſius coronam detraheres? *adverſus Deum manum ſuam tetendit, & contra omnipotentem roboratus eſt*.

Et mirabitur poſtea quiſpiam, ſi tam incenſo non in peccatum modò, ſed in ipſum peccatorem odio feratur Deus? ſi tam impium, teſte Spiritu ſancto, quàm impietatem ejus execretur? Quo quid, amabo, ad deteſtandam declinandamque peccati labem potentius afferri poſſit? Hoc etiam veſtris animis defigite, nihil II. Pars.

eſſe

eſſe rerum omnium, quod Deus præter peccatum oderit; ſi peccatum ex orbe ſuſtuleris, omnem divini odii materiem ſuſtuliſti. Ponite vobis ante oculos dura quæcumque patimur atque aſpera; curas quibus angimur, labores quibus obruimur, caſus ancipites & adverſos quibus aſſiduè conflictamur, populares calamitates ac publicas, bellorum incendia, contagia morborum, imperiorum excidia, tot tamque diverſas mortis facies, & cætera, quibus urgemur mala, quæ fugimus, quæ votis omnibus deprecamur, amolimur, quæ naturali odio ac penitus inſito deteſtamur; hæc adeo non odit Deus, ut eorum auctorem ſe ac diſpenſatorem non dubitet profiteri. *Si erit malum in*
Amos 3. *Civitate*, inquit Deus, *quod dominus non fecerit*. Fecit illa nimirum non vexandis ac torquendis hominibus, ſed ut Medici prudentes ſolent noſtræ ſtudio ſanitatis, ut his quaſi medicamentis purgati ſenſim ac curati, etſi cum aliquo dolore, tamen cum utilitate convaleſcamus.

Quid quod nec in ipſis etiam Inferis quidquam eſt, quod præter peccatum oderit Deus; hoc uno inviſus nomine Diabolus eſt, hoc odioſus uno homo impius. Peccatum ex eorum animis erue; frigebunt ignes, æterna vix flammarum extinguetur: peccatum ex rerum natura depelle, labor omnis ac dolor evaneſcet. His Deus odiis, his pœnis, his ſuppliciis peccatum inſectatur. Peccatum in ſe aggerat iras omnes, omnem divini furoris vim colligit. Finge tibi quempiam omnibus naturæ ac gratiæ dotibus cumulatum, meritis etiam & dignitate, ſi fieri poſſet, beatæ Virgini ſuperiorem: cogita ſedentem illum in ſolio & ad ipſam Dei omnipotentis dexteram collocatum. Ille, ſi peccato ſe inquinare poſſet, ſi leviſſimam, quæ lethalis noxæ materia ſit, cogitationem admitteret, hoc ipſo momento, nulla interjecta temporis mora ſuum amorem odio Deus commutaret; perfectiſſimum illud manuum ſuarum opus execraretur, deturbaret cœlo, præcipitaret, & quandiu fœda illa peccati labe pollutum videretur, nullam ipſi benevolentiæ partem impertiret.

Id capis, id cogitas, id intelligis, Adoleſcens Chriſtiane, quoties mortifero ſcelere te obſtringis? attendis id eſſe apud te, quod unicè Deus oderit? unum ex iis eſſe te, quos unicè averſetur? Num id tecum reputas aliquando ac revolvis? unicè Deo inviſus ſum! Amat Deus fovetque cætera quæ video, quibus utor, in quibus verſor, rebus etiam leviſſimis & abjectiſſimis, & rationis expertibus, & ſenſu carentibus amoris non nihil impertit: in me unum ac mei ſimiles odia Dei omnia converſa & intenta ſunt! Hac oppreſſus conſcientia, his ſtimulis, hac cogitatione tacita confixus jocari poſſum, riſum tollere, ludo indulgere, cibo, literis, amicis, negotiis tranquillè operam dare? Quid enim intereſt: ſi magiſtrorum gratia floreo ſolers ac blandus adulator, infeſtum interim Deum habeo? quid refert, ſi clarus nobilitate, ingenii gloria & principe inter æquales loco circumfluo ſtudiis amicorum & famulantium obſequiis; Deo interim utor inimico & adverſo? Quid juvat, ſi magnæ ſpei juvenis obverſos omnium in me oculos, propenſas omnium voluntates animadverto, defixum interim in me Dei odium eſt? Magiſtris gratioſus, dilectus æqualibus, charus meis, acceptus alienis, laudatus ab omnibus, uni abominatus Deo quid curem cætera? Miſerum me, imprudentem, inconſultum! An flere re noctes inte-

integras, an ſomnos capere tranquillos poſſum divini odii ſecurus? Interim, dum dormio, illam divinæ juſtitiæ virgam ſuper me vigilantem, ut Prophetæ verbis utar, illam ingruentem capiti meo procellam, non video, non ſentio, non pertimeſco? ubi mens, ubi ſenſus? conſilium, ratio quò conceſſit? quò fugit?

III. Pars. Nunc ad eam, quam peccati lethalis ſeveriſſimam vindictam Deus exercet, convertamus oculos: futurum confido, Adoleſcentes, nemo ut veſtrum non obſtupeſcat ac contremiſcat totus, dum furoris divini triſtiſſima in peccatores veſtigia perſpexerit. Ac primò quidem ecce video innumerabilem cœleſtium Spirituum multitudinem, quos liberalis Dei omnipotentis munificentia, omnibus tam naturæ quàm gratiæ donis cumulaverat, quos in ſuprema cœli parte inter exquiſitiſſimas mentis delicias collocarat; quibus incredibilem vim ingenii, ſingularem ſapientiam, pulchritudinem ex omni parte perfectam largitus fuerat; quos concretæ labis expertes, ſanctos, immortales & ad fruendum æterno Dei conſpectu deſtinatos creaverat. Video, inquam, infinitam illam beatarum Mentium multitudinem è ſupernis ſublimioris cœli partibus repente dejectam, in altiſſimas Inferorum voragines præcipitatam, in turpiſſimas fœdiſſimaſque Dæmonum facies converſam! Cauſam inquiro tam ſubitæ, tam prodigioſæ mutationis, quid demum intervenerit ſciſcitor; ipſum infortunatæ militiæ Principem

Iſa. 14. compello, *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* Ecce inter lamentabiles confuſæ multitudinis gemitus & ejulatus triſtiſſimam omnium vocem audio, peccavimus, iniquè egimus, adverſus Dominum Conditoremque noſtrum rebellavimus; actum eſt de nobis, manus omnipotentis Dei contra nos eſt, conterimur, affligimur, æternis irrevocabilibuſque ſuppliciis addicimur!

Quamquam, ò Deus, tam multi ſunt illi, quos perdis, ut ſtellas cœli ipſaſque maris arenas numero ſuperent; parum intereſt, omnes peccaverunt, una eademque ruina omnes involventur. Atenim perfectiſſimum manuum tuarum opus deſtruis: inquinatum eſt peccati labe, perpetuis ignibus expiabitur. At quantula eſt noxa illa, quam una ſimplexque cogitatio peperit? noxa illa noxa lethalis eſt, quam nullæ æternitate tota pœnæ unquam eluent. Saltem, ò Deus, ſi quam ipſis pœnitendi moram permitteres! nunquam experti ſunt priùs vel ſuo, vel cujuſquam periculo exemplum juſtitiæ tam ſeveræ, nullus ad hunc uſque diem tam rigidi ſupplicii metus, nulla ſuſpicio inciderat! Te miſera, te luctuoſa tangat tot infortunatorum Spirituum conditio; moveantur miſericordiæ tuæ viſcera, neque perire in perpetuum ſuſtineas, quos ad ſempiternam nominis tui honorem condidiſti. Agitur gloria tua, agitur pietatis tuæ commendatio; ſi peperceris, ſi quam bonitatis partem imperti'eris, deteſtabuntur illi toto ſuccedentium retro temporum decurſu errorem ſuum; non conticeſcent unquam magnificentiam liberalitatis tuæ, & illatam ſemel majeſtati tuæ contumeliam æternis obſequiis reparabunt? Lata ſententia eſt, inquit Deus, non revocabitur; peccaverunt, & in ipſo momento detrudentur ad inferos æternas rebellionis ſuæ pœnas dolituri! Hìc mihi cum Vate Regio exclamare liceat, ò vox! *vox Domini* Pſal. 28. *in virtute, vox Domini confringentis cedros*, vox horrenda, vox æternæ calamitatis artifex, quàm immenſam infelicium Mentium catervam diſperdis, conteris, exterminas! Et tamen quis credat, vocem illam tam

me-

metuendam, tam formidabilem, tam exitioſam quotus eſt hominum qui pertimeſcat?

Immoremur hic paulùm, amabo vos, Adoleſcentes, & incredibilem noſtram temeritatem atque amentiam expendamus. Ecce nobiliſſimis aulæ ſuæ Principibus Deus non parcit; ecce puriſſimas mentes ob unius cogitationis flagitium perpetuis caſtigat incendiis; non deterretur innumeris perfectiſſimiſque dotibus, quibus plena, ut ſic loquar, manu cœleſtis illos Spiritus cumulaverat, quin ſuum ipſe opus deſtruat ac labefactet; nos interim viles contemptique homunciones ex argilla lutoque confic̄ti eandem illam majeſtatem repetitis laceſſere flagitiis non deſiſtimus! Quæ tandem illa confidentia noſtra eſt? quid tam ſecuros media inter juſtitiæ ſeverioris exempla tamque tranquillos facit? Illi tot ornati naturæ gratiæque muneribus nullum apud Deum indulgentiæ locum invenire potuerunt; nos tam ab ortu ipſo, quàm toto vitæ tempore peccatorum infecti ſordibus facilem ad iratum Judicem acceſſum habebimus? Illi peccati unius conſcii perbrevem ad pœnitendum moram non impetrarunt; nos obtenta toties multorum flagitiorum venia placabilem Deum experiemur? Deum illi ſupremum quidem Conditorem, at neque pro ſe paſſum, neque pro ſe mortuum offenderunt; nos ſuffixum in crucem, & inter cruciatus acerbiſſimos amoris noſtri gratia interemptum illuſimus! An igitur exiſtimamus Deum illum, qui pravitatem in Angelis ſuis tam immiſericorditer emendavit, placatum nobis ſemper ac miſericordem fore? Nam cur ſpe futili decipimur? Diſcamus potiùs, Adoleſcentes, ex hoc primo divinæ juſtitiæ veſtigio inexorabilem ſceleris vindicem revereri.

Sed ad aliud divinæ ultionis exemplum intendamus oculos; & peccatum in Adamo, ex quo prognati omnes ſumus, totaque deinceps hominum ſerie vindicatum contemplemur. Verùm quàm multiplices, quàm variæ, quàm terribiles occurrunt unius flagitii pœnæ! quàm rigidum ſe primi, quod in mundum prodiit, peccati vindicem Deus exhibuit! Penſate enim animo illam malorum profluviem; quæ ex primi parentis ſcelere, tanquam ex fonte teterrimo in univerſum terrarum orbem promanavit: complectimini, ſi poteſtis, cogitatione veſtra omnes miſerias ac calamitates, quibus vita hominum eſt obnoxia; paupertatem, ignorantiam, perverſitatem, morborum omne genus, famem, peſtilentiam, tempeſtates, incendia, lites, jurgia, diſſenſiones, bella, cædes, vaſtitates, quidquid durum eſt, quidquid moleſtum atque aſperum. Repetite memoria ab ipſa origine varias mundi ætates, quot hominum millia ferro, quot flammis, quot aquis perierint. Congerite in unum cumulum atque aggerem omnia eorum cadavera, qui vixerunt ad hanc uſque diem; oſſa oſſibus imponite; & in triſtes illas reliquias ſeriò ac diligenter intuiti, dicite; hæc ſunt peccati pœna: iſtam malorum omnium immenſitatem unius peccati labes in mundum invexit: ſi Adamus abſtinuiſſet à peccando, perpetuam ſibi nobiſque in hac vita tranquillitatem ac pacem, & perennem in altera felicitatem promeruiſſet. Quale igitur malum peccatum eſt, quod tam multis ab hinc ſæculis Deus ulciſcitur, & ulciſcendum adhuc non ad ultimam modò temporum omnium ſeriem, ſed & æternitate tota caſtigandum judicavit! Quibus lachrymis dolendum peccatum eſt, quod tantam nobis cladem, tam exitialem ruinam attulit!

De-

Deploramus quotidie graves vitæ hujus ærumnas, ipſam verò tot ærumnarum cauſam non deteſtamur! Dolemus accenſas atque inflammatas toto orbe bellorum faces; accendit peccatum atque inflammavit. Querimur exulare pacem ac tranquillitatem, pacem ac tranquillitatem peccatum expulit. Deflemus difficultatem temporum, rerum anguſtias, tempeſtatum incommoda; hæc quanta, quanta ſunt, peccatum induxit. Lugemus afflicta innumeris morbis corpora, continuis ſollicitudinibus ac curis mentem fauciatam afflixit peccatum ac fauciavit. Hæc tamen cùm amariſſimis lachrymis ſæpe proſequamur, peccatum unum, abſque quo foret, ut malis iſtis omnibus careremus, ſiccis aſpicimus oculis; & , quod multo pejus eſt, ſuſcipimus ultrò, & amicum ipſi noſtris in cordibus hoſpitium exhibemus.

Quod ſi, nec iſti, quos patimur quotidie, miſerabiles peccatorum effectus eam vim habent, ut ingenerent animis veſtris infinitum quemdam peccati horrorem ac metum; ad tertium vos provoco divinæ ſeveritatis exemplum, quo nihil excogitari gravius aut acerbius poſſit; ſempiterna flammarum incendia intelligo, quæ expiandis tota æternitate impiorum flagitiis Dei omnipotentis furor ſuccendit. Accedite igitur animis ad illa fumantium clauſtrorum ſpiracula: imò reſerate, Inferi, reſerate fauces veſtras ad tempus, *ut deſcendant in infernum viventes, ne deſcendant morientes*, inquit Bernardus. Agite, Adoleſcentes, intendite curioſos oculos; circumſpicite aggeſtas cumulum in immenſum denſataſque hominum catervas medios inter rogos, nequicquam deſperantium: audite gemitus, excipite lamentabiles querelas, ſingultus & ejulatus obſtupeſcite. Contemplamini diligenter, & inter infinita reproborum millia ſecernite ac dignoſcite multos, quos vidiſtis, quibuſcum ſub eodem tecto fortè vixiſtis, aut de quibus ſaltem centies audiviſtis. Quid illos, amabo vos, perdidit? cur ardent tot animæ in illis ignibus? cur illis ſuppliciis cruciantur, cruciabunturque ſemper? quid illas in iſtam malorum omnium voraginem adduxit? Unum eſt, quod illic ardeat, lethale peccatum, quiſquis peccato vel uno conſtrictus eſt, reus eſt æterni incendii; momentum unum delectationis pravæ cruciatus acerbiſſimi æternitatem parit! Quot ſuperbi homines, quot nebulones laſcivi, quot ſacrorum hoſtes ab ipſo pœne naſcentis mundi exordio medios inter flammarum rogos ſepulti detinentur, qui nullum unquam patiendi finem invenient?

Interim Deus, cujus natura bonitas, animas illas videt, quas ad imaginem ſimilitudinemque ſuam condiderat, quibus ſanguinis ſui pretium liberaliter impenderat, videt, inquam, animas illas inextinctis depaſci ardoribus, audit triſtes gemitus, intuetur lachrymas, deſperantium deſideria contemplatur, nec flectitur tamen, nec movetur, nec parcit! Illa miſericordiæ viſcera, quæ ad leviſſimas vilium animalium neceſſitates commoveri ſolent, nihil omnino ſentiunt eorum gratia, quos paterna olim benevolentia complexus innumeris beneficiis cumulaverat! Magnam profectò & inauditam oportet eſſe peccati malitiam, quæ Deum ex ſe ſe tam bonum, tam beneficum, tam miſericordem, in ſeverum atque implacabilem judicem commutavit? *Pereat Samaria*, inquit Propheta, *quæ ad amaritudinem concitavit Dominum ſuum*. Væ vobis, Ado- Oſe. 14

le-

leſcentes, ſi infinitam Dei optimi atque amantiſſimi miſericordiam ad eas anguſtias unquam adigitis, ut æternas irrogare vobis pœnas ſuſtineat!

Durum fortè videtur vobis, quòd infelicis animæ triſtiſſima conditio nunquam flectere poſſit ad miſericordiam Deum illum, quem offendit: at ſcitote tamen tantam eſſe peccati lethalis gravitatem, ut, qui illud admiſerit, levioribus, quàm par ſit, mulctetur pœnis. Non, ſi Deus multitudinem illam atque acerbitatem pœnarum, quas ſinguli in Inferis Damnati patiuntur, in unam peccatricem animam effuderit, ſeverus fuiſſe plus æquo dicendus ſit. Ergo quid me fieret, ſi jam morerer, quem lethalis noxæ reum conſcientia redarguit? ubi nunc eſſem, ſi me improviſus obruiſſet caſus, antequam expiare lachrymis admiſſum ſcelus potuiſſem? arderem in incendiis, gemerem in ſuppliciis Inferorum civis, tenebrarum hoſpes, flammarum pabulum! Imprudens! an ego potui verſari tandiu in illo periculo? an in eodem diutiùs verſabor? En peccatum me ſuo pondere ad Inferos præcipitat, eò me Dæmon conatur impellere, vitam eripere omni momento paratus. Et tam vicinus æternis ſuppliciis ſecurus vivam? Ah! potiùs ſuſtine, juſte Judex, ultricem manum; da brevem moram, per quam lugere poſſim tot delicta traductæ perperam juventutis, & præfervidæ ætatis inconſiderantiam expiare. Neque enim ſatis intellexeram ad hunc uſque diem, quanta peccato gravitas atque fœditas adhæreſceret: non in mentem mihi venerat cogitare, eſſe peccatum lethale ejuſmodi, ut mitiùs, quàm deceret, inter graviſſimos Inferorum cruciatus puniatur. Nam ſi, quoties peccandi occaſio incidit, diligenter matureque perpendiſſem, nihil eſſe tam exquiſiti apud Inferos ſupplicii, quod æquare peccati malitiam poſſit, num peccare toties tamque graviter ſuſtinuiſſem?

Verùm heu me! quantùm abſuit quin funeſtiſſimam illam veritatem per memet ipſe experirer? quàm ſæpe in ipſa hujus præcipitii margine periculoſos feci lapſus, quibus, ni me tua manus tenuiſſet, in hanc malorum omnium eluviem, nunquam emerſurus inde, proruiſſem! Quas ergo tibi referam gratias, ò Deus, per quem incolumis etiamnum vivo, dum in alios minùs nocentes, quàm ego ſim, rigidus ſuppliciorum exactor extitiſti? Sed quo me deinceps pacto geram? Tene poſt tam illuſtria tuæ in me miſericordiæ monimenta rurſum offendam? eane abutar impoſterum bonitate, quam mihi hactenus indulſiſti? Ah! ne id patere, precor, ò Deus! quin pòtiùs, ſi quid eſſet adhuc in me, quod tibi diſpliceret, ſi quas in intimis animæ penetralibus peccati reliquias deprehenderes, totum illud ſic confice, ſic erue, ſic expurga, ut purus atque integer ab omni peccati labe, ſuaviſſima conſpectus tui jucunditate frui aliquando poſſim.

DE MORTE.

ORATIO X.

Pulvis es & in pulverem reverteris.
Geneſ. 3.

QUid eſſe dicam, Adoleſcentes, aut quo mortalium fato fieri putem, ut cùm nihil frequentius obverſetur oculis, quàm terribilis mortis aſpectus; nihil quod in communem omnium ſermonem ſæpiùs cadat,

Digitized by Google

dat, quàm funeſta mortis commemoratio; nihil denique quod in Literis ſacris inculcetur diligentiùs, quàm aſſidua mortis ejuſdem memoria; tamen ſic plerique refugiant fatalem illam univerſis hominibus horam animo pertractare; quaſi novum quiddam atque inſolens, aut alienum à ſe penitus proponeretur. Atqui hæc ipſa eſt diligens præſertim & attenta mortis cogitatio, vi cujus declinare liceat quidquid in morte metuendum magis occurrit; per quam ſenſim ſine ſenſu eadem illa non tam terribilis, quàm amabilis, non tam refugienda, quàm optanda poſſit videri; quam ſi defixerimus ſemel animo penitiùs, ſecuritate quadam & tranquillitate ſingulari, vel inter ipſa graviſſima mortis pericula gaudebimus. Adeſte igitur animis, Adoleſcentes; uſurpemus jam ultro ac lubenter non ſine incredibili animæ noſtræ utilitate, quod olim, ſi nunc neglectum fuerit à nobis, cum ingenti deſiderio luctuque vel inviti ac repugnantes experiemur.

Atque ut meditationis tam neceſſariæ ſtudium in vobis magis ac magis incendam; intelligite, quàm liquidus ex ea fructus, quàm utilis exiſtat. Duo ſunt vulgò quæ ſalutis æternæ negotio moram & impedimentum afferunt; nimius rerum præſentium amor, hoc primum: gravis rerum futurarum incuria, hoc alterum. Adhæreſcimus pravè bonis, quibus in hac vita fruimur; quid fruendis in altera bonis obeſſe poſſit, vix ac ne vix quidem attendimus. Porro, quàm ſalubriter frequens ac ſeria mortis meditatio utrique malo medeatur, hodierna Oratio demonſtrabit. Hoc habet mortis meditatio, ut rerum præſentium faſtidium ac deſpicientiam ingeneret, erit Orationis pars prior. Cogitatio mortis vigilantiam chriſtianam ſuſcitat, ne æternis bonis excidamus, pars Orationis poſterior perſuadebit.

I. Pars.

Agite, Chriſtiani Adoleſcentes, quis inordinato rerum terrenarum affectu teneri ſe patiatur, aut etiam eaſdem faſtidire ac deſpicere ſalubriter non incipiat, qui moriendum ſibi eſſe frequenter ac ſeriò cogitarit? Nam quid mori dicemus eſſe, aut mors quid aliud eſt, quàm abſoluta quædam, integra perpetuaque abalienatio, disjunctioque rerum univerſarum, quæ ſub aſpectum noſtrum cadunt? Scilicet qui moritur, ſic divellitur ab iis, quæ viderat, aut poſſederat, aut amaverat, ut habendæ impoſterum ullius cum ejuſmodi rebus communionis atque commercii ſpem omnem atque expectationem deperdat. Ita ſe res habet, Adoleſcens Chriſtiane, cùm moriendum erit tibi, quantumvis adhæreſcas terrenis ac caducis bonis, quæ paraveris multo cum labore, quibus fruere delectabiliùs, quorum uſuram longiùs tibi pollicebere, iis ſic eſſe valedicendum puta, nullam ut deinceps cum iiſdem ſocietatem habiturus ſis. Tum verò quid fiet illis opibus, quas ut in altum extrueres, totam pœne vitam labore, cura, anxietate contriveris? quò pertinebunt honorum gradus, unde in obſcurum horrendi tumuli domicilium demigrabis? quid proderunt illæ voluptates tanto quæſitæ ſtudio, tam deguſtatæ ſuaviter, quibus in perpetuum carendum erit? quid conferet tibi ingenii laus, eruditionis fama, politioris cujuſdam cultus elegantia, in quibus te vel extuleris inſolentiùs, vel pluſculum amaveris, cùm hæc omnia tecum unà jam jam extinguentur? quid juvabunt amicorum copia, domeſticorum multitudo, florentiſſimæ ſobolis frequentia, à quibus in hoc diſcrimine poſitus nullum ſubſidium, nullam operam, nullum

au-

Job 1. auxilii genus experire. *Nudus egreſſus ſum*, inquies cum Jobo, *ex utero matris meæ, nudus eodem revertar.*

Hanc verò rebus omnibus valedicendi neceſſitatem, cùm ſemel hora lethi fatalis acceſſerit, ita ſenſit profana antiquitas, ut indignum crederet hic amare perditiùs, quibus eſſe ſeriùs ocyùs carendum meminiſſes. Noſtis quàm ſeriò Poeta ille veſter amicum admoneret quempiam, qui rerum ſuarum amore tenaciùs
Lib. 2. Od. 3. vinciebatur: *Cedes*, inquiebat, *cedes coemptis ſaltibus & bonis, villaque, flavus quam Tyberis lavit, cedes, & extructis in altum divitiis potie-*
Ibid. Od. 14. *tur heres*; *neque* verò adjiciebat, *harum, quas colis, arborum, te præter inviſas cupreſſos ulla brevem dominum ſequetur.*

Verùm in iſta rerum omnium dimittendarum neceſſitate, quàm acerbus, quàm luctuoſus homini rebus omnibus circumfluenti dolor ingruet! quàm ægrè patietur auferri ſibi bona illa, in quibus ſpem ſuam atque felicitatem habebat collocatam! quot erumpent lachrymæ, quot ſingultus perſonabunt! quanta funeſtiſſimæ deſperationis ſignificatio ſe prodet!
1. Reg. 15. *Siccine ſeparat*, inquiet, *amara mors?* Heu! vix dum tempus fuit utendi illis opibus, quas tanto ſtudio comparſi miſer, & illas jam eripis! vix attigi labris primoribus delicias breves tot dolorum redemptas aculeis,
1. Reg. 14. *guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior*. Vix defungi licuit primis dignitatis hujus novæ honori-
Isa. 38. bus, & *ecce velut à texente vita mea ſucciditur*. Filios educaveram, ſpem domus, familiæ columen, patris amores, & jam divellor ab eis, & in omne tempus disjungor! *Siccine ſeparat amara mors?*

Hæc eadem hominis morientis deſideria quàm feliciter Spiritus ſanctus pauciſſimis verbis expreſſit! *O mors quàm amara eſt memoria tua* Eccli. 41.
homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! Hanc mentis ſollicitudinem, hanc amaritudinem cordis experietur olim, quiſquis è vobis opulentiori fortunæ nequiùs ſervierit, cùm erit nuncium eidem remittendum; cùm veniet ad vos trepidationem inter ac metum legatus à cæteris quidam, vel medicus, vel amicus, vel Chriſti miniſter, & decumbentibus in lecto mortis triſtiſſimam illam vocem deferet: Actum eſt, amice, deſperata valetudo, nulla ſpes ſalutis affulget: moriendum tibi: vix unus aut alter reſtat dies, quem æternæ ſaluti poſſis impendere. Eja de conſcientia tua expurganda cogita, pone in lucro moram brevem, quam tibi Deus adhuc impertit: Heu! inquies, ſi loqui jam vacat; vel ſi non licet, cogitabis tecum; heu! tam citò: hac ætate, his viribus, hoc ſtatu rerum mearum tam læto, tam florente, tam pleno expectationis cujuſque longiſſimæ? *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!*

Hanc verò morientis hominis imaginem quiſquis ſæpe retractabit animo, & maturè ſecum expendet, quam concluſionem pronum eſt eum elicere; niſi ridiculum eſſe & non ferendum ſtultitiæ genus, ita macerare ſe comparandæ ejuſmodi fortunæ gratia, quæ tam caducis, tamque ruentibus fundamentis nititur: amare perditè vitæ hujus delicias ac commoda, quibus primo quoque tempore privari poſſit: ſic eſſe totum in ædificanda domo fragili ac lutea, quæ per ſe ipſa rimas agit undique, dum parandæ habitationis æternæ cura penitùs negligitur. Quàm bellè ſtuporem mortalium & amentiam in conſectandis tantopere amandiſque fragi-

gi-

gilibus hujus ævi bonis Regius Vates olim increpabat! *Filii hominum,* Pſal. 4. *uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem ac quæritis mendacium?* Qui vos error à via veritatis abduxit, quò pergitis amentes, quid quæritis, quò contenditis? an neſcitis *quia non habemus hìc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus,* Heb. 13. ſtabilem, perpetuam, varietati temporum, ſortis injuriæ, hoſtium oppugnationibus minimè obnoxiam? Hos ſenſus, mihi credite, vobis injiciet ſalubris mortis cogitatio, neque continget fieri ſimiles hominis illius, cujus imprudentiam ac cœcitatem etiam cum amariore joco Chriſtus inſultat. Collegerat ille meſſem copioſiſſimam; fecerant agri fructus uberrimos; plena frumento horrea & torcularia vino redundabant. In hac lætiſſima rerum ſuarum conditione ita cogitabat intra ſe ac dicebat: *Quid faciam, quia non habeo* Luc. 12. *quò congregem fructus meos? & dixit;* ipſiſſima ſunt, Adoleſcentes, Evangelii verba quæ profero; *& dixit,* inquam, *hoc faciam: deſtruam horrea mea & majora faciam; & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus; Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cujus erunt?*

Heu! quàm multis illud ipſum accidit, qui poſt exhantlatos multos labores, & exhauſta varia vitæ hujus pericula, cùm veniſſent eò tandem, ut partis in pace fruerentur bonis, inter ſpes medias ſucciſi de numero viventium ſublati ſunt? Qui utinam in revocanda mortis memoria aſſidui diligenteſque magis extitiſſent! nec perſtringi ſiviſſent oculos ſuos inſanis rerum periturarum fulgoribus, nec fruſtrari ſpes ſuas in ipſo votorum apice doluiſſent. Vos verò in lucro ponite ſtultitiam iſtorum hominum, & ex eorum exitio documentum capite, quod vobis ex uſu ſit: æmulamini eorum prudentiam, ſin minùs effectu, ſed affectu ſaltem, qui in ipſa, quam propono veſtris mentibus, cogitatione mortis, ſubito ac repentino rerum terrenarum faſtidio ita correpti ſunt, ut abdicarent penitus, quæ poſſidebant, omnia; valedicerent honoribus ac dignitatibus; & voluntariæ paupertatis cultores ſe ſe ſylvarum tenebris ac montium ſpeluncis abderent omnium egentes ac nudi, ne quid ſupereſſet ſibi quod auferre mors poſſet; tanto illi contemptu faſtuoſas opes deſpiciebant, quanto cæteri hominum ſtudio illas conſectantur. Neque verò mirum erat, ſi cùm demigrandum ſibi foret ex hac vita, tam ſingulari gaudio & geſtientis animi ſignificatione accedentem mortem exciperent, neque tam decedere è vita viderentur, quàm in aliud multo felicius ævum commigrare. *O quanta erit fiducia morituro,* inquit aureus Imitationis Chriſti Liber, *quem nullius rei tenebit affectus!*

Sit ergo fructus ille veritatis hujus, quam mortis cogitatio bene præparatis animis nudam & apertam exhibet, Adoleſcentes; ut vim infringat periculoſæ tentationis, cui ætas veſtra, tenera quantumvis, plerumque obnoxia eſt. Quotus enim veſtrum eſt, qui, ſi conſcius ſibi ſit ingenitæ virtutis; ſi ſentiat in ſe ingenium rerum magnarum capax; ſi vel in parentibus vel in amicis præſidium grande, ad conſectanda quæ ſublimiora ſunt, ſibi gratulari poſſit; quotus, inquam, veſtrum eſt, qui ſpes altas jam tum non foveat, & excelſæ fortunæ fabricam moliri animo non incipiat? Cæteri qui nihil ha-

habent ejuſmodi quod ſperent; quibus tenuitas ſua audendi quidquam jus & animum eripit, nihilo æquiores prioribus, aut fortunatioribus invident, aut laudare & amare non ceſſant, quod ipſi aſſequi nequeunt, aut etiam iniquam nimis ſupremi Numinis incuſant providentiam, quæ liberalis in alios ac munifica, ſibi parca nimis & avara extiterit. Verùm quàm efficaciter damnoſos in utriſque ſenſus cogitatio mortis retundit ac reprimit. Nam quis ſtudeat impenſiùs rebus ejuſmodi; aut iiſdem deſtitutum ſe fuiſſe tantopere doleat, quarum hoc eſſe fatum meminerit, nihil ut morientibus vel ad præſidium vel ad ſolatium proſint? An non potiùs funeſtam fortunatorum hominum, ut ſibi videntur, ſortem commiſerans in has voces erumpat? Huccine, Deus immortalis, res humanæ recidunt! tamne brevibus cancellis ac terminis mortalium felicitas concluditur, ut in extremo vitæ limine ſpoliatos ſe rebus circumfluentibus nudatoſque deprehendant? Huic infelici ſcopulo ſic alliſa Regum ipſorum potentia confringitur, ut fulgor ille majeſtatis qui perſtringit oculos & animos rapit in admirationem ſui, tanquàm inanis fumus diſſipetur & evaneſcat! Nam cur ergo tantopere ſuperbiant qui divitiis affluunt, qui præfulgent honoribus, qui cæterorum fortunas moderantur, qui imperium exercent orbi ſpectabiles ac verendi, quando nihilo plus auferent ex illa rerum copia, quibus abundant, quàm qui miſerrima laborant egeſtate? quando ſummos pariter & imos eadem falce mors demetit, & uno compoſitos in tumulo omnes æquat omnibus?

Verùm ipſe quò feror? cur hæc eadem ambio tantum, quæ mors quantocyus eripiet? cur mihimet plaudo tacitus, & gratulor in ſinu, quia fortè pinguis hereditas me reſpicit, quia me primi honorum gradus expectant, quià mille deliciarum illecebræ mihi jam blandiuntur? Imprudens! ad quem tam brevis rerum iſtarum uſura pertineat, qui bonis omnibus aliquando exuendus ſim, & ad viliſſimorum homuncionum ſortem redigendus. Vel cur miſerum me & infelicem rear, ſi nobilitatis minùs ac ſplendoris natura contribuiſſet, ſi vivere obſcurum ſineret, ſi parciùs mihi ad vitæ commoda molleſque delicias providiſſet; cùm poſt anguſtos mortalis ævi terminos, ſublato inter homines aut nobilitatis, aut divitiarum, aut dignitatis diſcrimine, una eademque omnium conditio futura ſit.

Nolite dubitare, Adoleſcentes, habet hoc mortis meditatio ſingulare præſidium, cùm ut altos premat ſpiritus, & ambitioſum ſemper ſuis in votis animum coerceat, tum ut ſalubrem rerum humanarum deſpicientiam ingeneret. Nunc quàm potens eadem ſit ad ſuſcitandam Chriſtianam vigilantiam, pars Orationis altera demonſtrabit.

Quàm certa & ineluctabilis eſt mortis neceſſitas, tam incertam ex omni parte & obſcuram eſſe mortem fides & quotidiana experientia demonſtrant. Triplex autem inprimis obſcuritatis genus metuendam ac terribilem mortem efficit; quod ſi pertractetur animo diligenter & ad frequens revocetur examen, fieri omnino non poteſt, quin perpetuus inde & efficax pariter Chriſtianæ vigilantiæ ſtimulus exurgat. Incertam igitur dico & obſcuram mortem eſſe, primò quòd tempus attinet, deinde quòd ſpectat rationem ac modum; denique quòd pertinet ad ſtatum & varias affectiones, in quibus anima deprehendetur. Quæ tria dum breviter perſequor, diligenter attendite. II. Pars.

Incertum eſt, quando illuceſcet fatalis ille dies, qui vitæ modum ac finem imponet. Age, dic mihi, Adoleſcens Chriſtiane, ſi potes, quos præſcriptos tibi, quos deſignatos arbitraris vivendi fines ac terminos? An prorogabis vitam ad extremam uſque ſenectutem? an in medio quodam annorum curſu metam invenies? an breves ultra juventutis cancellos progredi non licebit? an in ipſa fortè adoleſcentia de numero viventium ſucciderìs? quid cenſes? quid exiſtimas? quid tibi videtur? Scio, quò pertineant ſpes tuæ, quàm longè promoveas expectationem tuam, quàm multam annorum ſeriem, hac ætate, his viribus, hac valetudine tibi adpromittas. Sed peto, ut exploratum aliquid ſuper ea re pronuncies; ut certum aliquod deſignes temporis ſpatium, intra quod ſine ullo mortis metu impunè poſſis excurrere. Sed fruſtra ego te interrogem, cùm nec tibi, nec ulli hominum id innoteſcat, di-
Matt.25. cente Domino, *Neſcitis diem, neque horam*. Imò; non modò nihil compertum quidquam de mortis noſtræ tempore, ſed etiam idem Dominus liquidò profitetur futurum, ut, qua præſertim hora nihil ejuſmodi ſuſpicabimur, ea ſit nobis morien-
Luc. 12. dum; *qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. Hinc in alio loco Chriſtus adventum ſuum furi ac latroni comparat. Quod ſibi tempus deligendum putat fur ac latro, ſi cujus domum populari atque expilare cogitet? Num media de luce fores obſidebit, aut in ædes irrumpet, cùm circumcurſant undique, qui vim arcere poſſint? cùm adſunt in excubiis domeſtici, & ad ferendam opem prompti ac parati? cùm vigilat ipſe paterfamilias, & periculi metuens cuſtodit ipſe domum ac tuetur? Non committat ſanè, ut tam ineptum rei faciendæ tempus occupet. At cùm ſecurus rerum ſuarum dominus nihil ſibi metuendum æſtimabit; cùm alto demerſi ſomno domeſtici facilem in penates aditum permittent; cùm tenebræ & longum concubia nocte ſilentium prædonum conſilium adjuvabit; tunc illi facto impetu domum adorientur, ſepultos ſomno vinoque ſervos occupabunt, jugulabunt patremfamilias, & rebus omnibus potientur. Hunc ipſum inibi morem Chriſtus Dominus, cùm ad exigendam à nobis totius anteactæ vitæ rationem accedet, Apoc. 16.
ecce venio ſicut fur.

Sic erit, Adoleſcens Chriſtiane, tunc eſſe tibi excedendum è vita exiſtimes, cùm moriendum tibi eſſe minùs ſuſpicabere; cùm ſanus inprimis ac vegetus, plenus viribus atque robore longiores tibi annos pollicebecris; cùm arridebit gratior & ſuas in ſinum tuum opes fortuna congeret; cùm merſus fortè periturarum rerum curis ac ſollicitudinibus incultam jacere conſcientiam tuam ac ſordidam patieris; tunc repente mors ingruet & ſpes uno momento lætiſſimas reſecabit. *Qua hora non putatis Filius* Luc. 12.
hominis veniet. Utinam ſinguli veſtrum ſaluberrimum illud quod Imitationis Chriſti Liber impertit adverſus quaſcumque intempeſtivæ mortis inſidias conſilium æmularemini. *Cum manè fuerit*, inquit, *puta te ad veſperum non perventurum, veſpere autem facto, non audeas tibi mane polliceri.*

Vellem ergo, ut unuſquiſque veſtrum antequam decumberet, id attento ſecum verſaret animo! Ecce lectum jam peto incertus, quid de me hac nocte futurum ſit. Valens equidem mihi videor ac ſanus; at quàm multis tam affectis bene, quàm ego ſum, contigit, ut medios inter ſomnos repentina morte opprimerentur, & triſte in cubili ſuo ſepulcrum in-

invenirent! Id ſi fortè mihi hac nocte contingeret, an ſecurus aliquo pacto ſiſti poſſim ad tribunal divinæ Majeſtatis? nihilne exprobrat tacitò conſcientia, quod me lethalis culpæ reum efficiat? ah! ſi flagitii lethiferi conſcius meritò videor, an tranquillos capere ſomnos poſſim, niſi priùs peccatum illud ſincero dolore, & melioris frugis deſiderio eluerim, incertus quid de me hac nocte ſtatuendum ſit? At fortaſſe nihil eveniet ejuſmodi, quod vereor; ſed fortaſſe id ipſum, quod non verear, experiar: miſerum me & inconſultum, qui rem illam, unde tota, quàm longa eſt, pendet æternitas, tam caduco, tamque fragili patiar fundamento fulciri.

Pergamus ulteriùs, Adoleſcentes; non incerti modò vivimus quo tempore nobis ex hac vita ſit demigrandum; ſed ipſum mortis genus, quo moriendum nobis eſt, incertum penitus & obſcurum declaratur; magnum timoris & vigilantiæ ſingularis argumentum! Nam quid, amabo vos, cogitatione iſta triſtius ac luctuoſum magis? neſcio quo mortis genere moriturus ſim! Ecce adfertur ad me quotidie, hîc transfixus ferro cecidit, ille periit incendio; iſte ſuffocatus aquis, ac ſepultus eſt; alter oppreſſus ruina interiit; alter ludendo vivendi finem fecit; is obriguit manducando, ille confabulando mortuus eſt; iſte lecto in ſuo poſtridie mane repertus exanimis, cùm ſanus pridie ſerò decubuiſſet. Mihi verò quo tandem mortis genere continget mori? An ſubito ac repentino caſu præveniar? an longiore morbo confectus excedam? An erit mihi tempus ad excutiendam conſcientiam, & dolorem de peccatis excitandum? an erit tam prompta, tam improviſa mors, ut omnem pœnitendi moram ac modum adimat? An aderit præſto Chriſti Miniſter, qui delictorum excipiat confeſſionem, &, longæ peregrinationis in viaticum, ſacrum Domini Corpus porrigat? an gemino illo ſalutis præſidio privandus ſum? An vis morbi & afflictæ domus perturbatio ſalubrem æternitatis cogitationem admittent? an rapto ſtatim extra me & orbato rationis uſu conſulere nihil licebit, quod ſecuritatem pariat aut ſolatium? Hæc omnia planè incerta ſunt; nihil ſtatuere certi ſuper ea re poſſum; & tamen hac ego defixus cogitatione, his agitatus ſtimulis ita vivam, quaſi hoc eſſet in mea poteſtate poſitum, convenientiſſimum quodque moriendi genus ad arbitrium eligere! Quanto ſatius eſt eam inire vitæ rationem, quæ quocumque mortis in diſcrimine ſecurum ac tranquillum præſtet! Tunc certè parum intererit, quis demum mortis caſus eum occupet, qui paratus ſemper ad moriendum inveniatur. Verum quo non vives in metu, qui ſis affectus tam malè, ut quo verſaris in ſtatu mori pertimeſcas? quàm expaveſces ad varia vitæ pericula, qui pravitatis tuæ conſcius ſentias ſubeundum eſſe tibi damnationis æternæ judicium, ſi ante expiatam probè conſcientiam mori jubereris.

Tertium attingo obſcuritatis caput quod morti adhæreſcit ſemper, & quod incredibili quodam timore ſecuriſſimas quaſque mentes percellere graviter debet. Incertum eſt, an peccati reus, an divina inſtructus gratia moriturus ſim. Pavebat D. Bernardus, ut ipſe de ſe profitetur, & totis perhorreſcebat artubus, quoties retractabat animo terribilem illam ſententiam; *Nemo neſcit, utrum odio, an amore dignus ſit*. Quanto graviore metu concuti par eſt unumquemque noſtrum, dum revolvet apud ſe tacitus, neſcio an in ſtatu gratiæ, an in ſtatu

peccati deprehendendus ſim? Tamen ex illa affectione animæ, in qua quis in morte invenietur, vel beata, vel infelix pendet æternitas! Si acceptus Deo tunc, ſi nullius mortalis noxæ reus haberi poſſim, in portu navigo; res meæ in vado ſunt, nihil periclitabitur animæ meæ ſalus. Sin autem infectum lethali macula mors occupet, actum de me eſt; jacturam faciò nulla unquam arte reparabilem, deſperata ſalus in perpetuum. Utrum porrò amborum accidet? quam ego ſortem letho proximus experiar? an juſtorum, an peccatorum morte ſum moriturus? Hoc prorſus latet! nemo hominum, quantum eſt, qui vivunt, id novit: depoſitum apud unum Deum illud myſterium eſt. O juſtum, ò terribile perpetui timoris argumentum, quod non eos modò pungat ac ſtimulet, qui partem vitæ maximam licentiori conſuetudine traducunt, ſed & homines probos graviumque noxarum expertes nunquam conquieſcere patiatur.

Hæc revolve tecum ſeriò, Adoleſcens Chriſtiane, ſi quis eſſes ejuſmodi, qui vitioſi habitus labe jam diu depravatus perpetuo jaces flagitiorum in cœno; qui vix expiatis per Sacramentum Pœnitentiæ offenſis prioribus, in eaſdem paulò poſt graviore lapſu recidis; qui nullum facis peccandi finem aut modum. Dic mihi, quæſo, tune velles in eo ſtatu mori, in quo menſes plerumque integros, annos etiam ipſos verſari ſoles? æquone ferres animo, ſi poſt admiſſam turpitudinem obſoletam, nulla interjecta temporis mora, ad tribunal divinæ Majeſtatis judicandus ſiſterere? Tune ſecurus rerum tuarum tibi videreris, ſi in hac ipſa circumſtantia temporis, qua te alloquor, nunc cùm arcanis motibus tuas tibi ſordes conſcientia exprobrat, cùm te fortaſſe gravatum alicujus impudicitiæ pondere & oppreſſum ſentis; cùm pertinax in malitia nihilominus nec dolorem facti, nec melioris frugis deſiderium experiris? Tune, inquam, rerum tuarum ſecurus tibi viderere, ſi triſte illud nuncium portaretur, actum eſt, Adoleſcens Chriſtiane, tibi luxit extremus vitæ dies; hoc ipſo momento reddenda eſt apud omnipotentem Deum totius ante acti temporis ratio: nullus deinceps moræ; nullus tergiverſationi locus eſt. Non ego te tam parum ſtudioſum ſalutis tuæ putem, quin contra tam feralem ſententiam ſtatim reclamares: velles indulgeri priùs aliquod quantumvis breve ſpatium ad eliciendas ex cordis tui duritia teſtes doloris tui lachrymas, ad expianda ſalubri confeſſione tot delicta, quibus ultorem Deum provocaſti, ad expurgandam omni ſcelerum fæce conſcientiam, ne quid perſpicacis ac ſeveri Judicis oculos offenderet.

Vide ergo ut jam tum facias, quod tunc feciſſe voluiſſes. Nam unde futurum noſti, ut in eo ſtatu, in quo nunc es, in quo mori non velles, reverà non moriaris? quis ſpopondit tibi, redeuntem te ex illo liberiore juvenum conſortio, ubi depravari te, corrumpique ſiveris, ubi pudicitiæ gravem maculam inuſſeris, ubi motus omnes aſpirantis gratiæ & à prava libidine dehortantis repreſſeris, non eſſe te repentina ac luctuoſa morte opprimendum?

Hæc ſunt, Adoleſcentes, incertæ & obſcuræ mortis adjuncta, quæ dum ſerio ac frequente animo verſabitis, veſtri vos officii admonebunt, & Chriſtianam in re ſalutis vigilantiam erectam ſemper & attentam efficient. Ergo geminum illud habebitis in aſſidua mortis meditatione præſidium, ut terrenarum rerum, quæ mentes hominum faſcinant, & à cœleſtium amore ineluctabiliter avertunt, te-

[illegible]

dium ac faſtidium ingeneret, & in promovendo ſalutis æternæ negotio inertes vos ac ſocordes eſſe non ſinat.

Quare ut eò referatur, unde proceſſit Oratio, rogo vos atque obteſtor etiam atque etiam, ut triſtiſſimam illam mortis ſententiam, quam olim peccati vindex atque ultor Deus in parentem omnium primum totumque adeo hominum genus ſancivit, ſalubri meditatione non temperetis modò, ſed etiam utilem ac fructuoſam reddatis; *pulvis es & in pulverem reverteris.*

DE MORTE PECCATORUM.

ORATIO XI.

Mors peccatorum peſſima. Pſalm. 33.

QUàm multa paucis complexus eſt Spiritus ſanctus, Adoleſcentes Chriſtiani, cùm peſſimam peccatorum eſſe mortem affirmavit. Quid enim adjici poſſe videtur ulteriùs ad incutiendum animis mortis ejuſmodi horrorem ac metum? aut quis defungi illa morte non refugiat, quæ Spiritus ſancti teſtimonio peſſima nuncupatur? Eſto, per me licet, felix ac fortunata peccatorum vita cenſeatur, dum prætergreſſi vulgus hominum, & ſublimes tanquam cedri Libani humiles terras deſpiciunt, & nubes ipſas affectant; dum monſtrantur digito prætereuntium, & quaſi delapſa cœlo Numina ſuſpiciuntur ac coluntur, dum poſiti extra calamitates ac miſerias, quibus ſors mortalium obnoxia eſt, circumfluunt voluptatibus, & mollioribus deliciis innatant. At ſi vita illa tam florens, tam plena illecebris, tot expetenda nominibus luctuoſa morte concluditur: ſi vivere bene ac beatè cum peccatoribus nemo poſſit, niſi malè cum iiſdem & infeliciter moriatur; quis erit tam ſtultè cupidus fragilis periturique boni, ut illud funeſtiſſimo & ineluctabili malo redimere non dubitet?

Quanquam, dicamus quod res eſt, neque nobiſmetipſis in re tam ſeria turpiter illudamus. Quàm multi ſunt, qui peccatorum vitam ambiunt ac ſequuntur, ſecuri quem illa finem atque exitum habitura ſit. O improvidas fati ſui mentes hominum! ò funeſtam graviſſimis in periculis ſecuritatem! Ergone minimè miſerum eſt, obire mortis genus illud, quo peccatores moriuntur? aut latere cuiquam poteſt, quibus incommodis pateat mors illa, quam peſſimam eſſe ſacræ Literæ profitentur? Hoc ſi ita eſt; ne vobis olim malus error fucum faciat, aut fatalis ſecuritas periculoſas inſidias moliatur, ſi fortè, quod avertat Deus, peccatorum viam decurreritis; immoremur parumper, Adoleſcentes, in adumbranda mortis illius imagine, quæ peccatorum propria eſt; excutiamus diligenter quid funeſti ſecum adſportet; quas demum ob cauſas peſſima dici debeat, & revera ſit. Faciet, mihi credite, cognita probè ac perſpecta periculi, quod in morte peccatores incurrunt, gravitas ac magnitudo, ut ad deteſtandam fugiendamque eorum vitam ac conſuetudinem paratiores accedatis.

Tria ſunt omnino, Adoleſcentes, quæ peſſimam ac luctuoſam peccatorum mortem efficiunt. Primum, memoria præteriti jam elapſique temporis. Alterum præſentis ſtatus conſideratio. Tertium rerum mox eventurarum metus. Tria hæc peſſimæ mortis adjuncta ſic percurramus, ut

Digitized by Google

ut altiſſimis animis defigantur , & ad perpetuam impendentis mali cautionem præſidio ſint.

I. Pars. Ac primùm quidem fingite vobis, quod ſingulis prope diebus uſurpare liceat, fingite , inquam , vobis hominem turpiſſimis quibuſque licentioris vitæ flagitiis depravatum ea detineri lecto in ſuo ægritudine , quæ ſpem omnem producendæ ulteriùs vitæ ademerit , nihilque præter triſtiſſimam proximæ mortis cogitationem objiciat. Dico hominem ejuſmodi affligendum eſſe inprimis elapſi jam temporis recordatione. Tunc enim recurrent animo & ſe ſe turmatim objicient innumera omnis generis flagitia , quibus divinam in ſe indignationem concitaverit . Videbuntur illa omni affecta turpitudine ac fœditate , quam habebant , dum committerentur : nudabitur & in apertum proferetur impietas ſimulationum involucris & ſpecie virtutis obtenta; patebunt nefariæ libidines , & diſcuſſa caligine , cujus in umbra latuerant , perturbatam ſua multitudine ac gravitate animam obruent. In iſta mentis trepidatione quis erit miſeri peccatoris ſenſus , quàm grave deſiderium , quàm acerbus dolor! Fruſtra maledicet opibus ac divitiis, quarum amore præpoſtero perjurus, exactor, impius ac ſacrilegus evaſerit . Fruſtra voluptates deteſtabitur , quarum ineſcatus illecebris nullam pudoris ac verecundiæ rationem habendam eſſe duxerit : fruſtra ſtultam accuſabit honorum famem , quos ut aſſequeretur , ſuperbus, invidus , obtrectator alienæ famæ, divini humanique juris contemptor extiterit . Sentiet tot vitiorum monſtris nullum impertiri miſericordiæ locum : ſuimet ipſius accuſator ac teſtis irati judicis ſententiam occupabit , & crudelis jam tum ſui tortor ac carnifex acerbiſſimum ſceleratam in animam ſupplicium exercebit.

Talis olim fuit infelicis Antiochi conditio , cùm extremas inter vitæ anguſtias perturbatus ſcelerum ſuorum memoria, confectuſque luctu ac dolore contabeſcens in has triſtiſſimas voces erumperet ; *reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem* ! I. Mach. 6. ſcilicet exanimabat infortunatum Principem impia ac flagitioſa vitæ ſeries ; offerebat ſe violata ſacrorum religio , raptæ per ſummum nefas verendis ex adytis exuviæ, polluta profanis uſibus inter meretricios greges & helluonum catervas templi ſupellex ; contumeliis Sacerdotes affecti, populatæ urbes, deſolati agri, vexata ſupremi Numinis in odium, excruciata ſuppliciis, cæde exhauſta ac ſanguine Judæa gens ; neque in tanto graviſſimi luctus ac deſiderii argumento quidquam ipſi præter crudeliſſimam deſperationem ſupereſſe videbatur. Quod Antiocho, quod pluribus aliis ſacrarum Literarum teſtimonia contigiſſe teſtantur, ut contempti Numinis & traductæ ſceleribus vitæ recordatio ſpem ſalutis omnem auferret, quàm multis id ipſum evenire quotidie cernimus! Illum vides jacentem in ſtratis, pallidum, exanguem , confectum macie , vix moventem oculos, vix palpitantem etiamnum , vix ſpirantem . Circumſtant lectum affines , amici , ſocii quondam fortè libidinum inanibus perfuſi lachrymis , qui ſuſcitare jacentem, recreare perditum, afflictum conſolari aggrediuntur. Adeſt Sacerdos ad latus Crucis imaginem in oſcula porrigens, & verba noviſſima inclamans. At fruſtra jam iſta ſurdis auribus jactantur, dum intus vellicantis conſcientiæ morſus, præteritorum criminum memoria, & inexorabilis judicis timor bene ſperare prohibent . Quanquam, confide, frater, Chriſti

mi-

Digitized by Google

miniſter ſubjungit ; memento crucifixum pro te Dominum Jeſum , totoque exhauſtum ſanguine, ut ſalubre tibi lavacrum pararet . Age ; attolle deficientes oculos , & in iſthæc defige vulnera , quæ miſericordiam ſpirant , & delictorum veniam ſpondent . Quid hæres dubius? quid moraris? Silet; obmuteſcit; neque tam potens fiduciæ incitamentum veteratorem impium exſtimulat, quem luctus, mœror, curæ, anxietas, deſperatio totum jam obſident ; qui peccatorum ſuorum numero , malitia , atrocitate perterritus nihil habet quod ſentiat , aut loquatur, niſi quod impiorum ille primus ingemiſcens expoſtulabat; Gen. 4. *major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Ita quæcumque valent ad ſolatium & fiduciam in exteris excitandam, hæc eadem illi flagitiorum ſuorum recordatione perturbato luctum ac deſperationem afferunt. Areſcit ipſi divinæ bonitatis fons uberrimus; fructus Crucis, & impenſi pro ſalute mortalium ſanguinis ſterileſcit ; qui latronis preces manſueſcere patiens ultro exaudit , durum ſe jam & intractabilem exhibet , nec relinquit quidquam præter triſtiſſimam irati judicis ultionem expectandum.

Eadem tibi calamitas impendet , infelix Adoleſcens, ſi fors olim tui oblitus pariter ac Dei impiorum in ſemitam declinaveris. Cùm perveneris ad extremam illam rerum lineam, ultra quam progredi ulteriùs non licebit , tunc ſiſtentur memoriæ tuæ præteritæ delicta juventutis; tot immodeſti corporis animique leviſſimi ſignificationes , quibus templorum ſanctitatem violaveris; tot confabulationes impiæ, quibus myſteriorum noſtrorum majeſtatem illuſeris ; tot fœdæ cogitationes , quibus mentem animumque oblectaveris, tot molles voluptatum illecebræ , quibus alienæ pudicitiæ laqueos inſidiaſque tetenderis ; tot Magiſtri laſciviæ & impuritatis libelli , quibus aditum corruptelæ in penitiſſimas animæ tuæ partes aperueris ; tot obſcœnæ æterniſque obruendæ tenebris libidines , quibus effrænatam cupiditatem expleveris. Accedet Sacramentorum abuſus, incuria ſalutis , gratiarum contemptus, neglecta tam ſæpe Dei admonentis , & ad meliorem frugem revocantis amica vox . Mox perturbatam tam diverſa, tam horrenda ſcelerum imagine conſcientiam perſonabit juſtiſſima Dei ultoris objurgatio. *Vocavi & renuiſti; extendi manum meam, & non aſpexiſti;* Prov. 1. *deſpexiſti omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſti; & ego in interitu tuo ridebo & ſubſannabo te.*

Judicetur enimverò inter me & te , infortunate Adoleſcens ; *quid* Iſa. 5. *potui facere tibi & non feci*, quominus piè ſancteque viveres , & redemptum tibi tot impenſis meis ac laboribus in cœleſti patria locum aſſequereris? Tu puriſſimæ religionis ortus in ſinu; tu parentes nactus religioſos ac pios, quorum hic primus incubuit labor , ut pueritiam tuam ſalubribus documentis imbuerent ; adfuere moderatores vigiles ac ſeduli, qui adoleſcentiam tuam non ſegniùs ad innocentiam morum & amorem virtutis, quàm ad literarum ſtudia informarent. Quis fructus fuit tam liberalis, tam ſanctæ educationis? niſi ut inter validiſſima quæque probitatis incitamenta depravari te corrumpique fineres ? niſi ut tot inſtructus ad ſalutem præſidiis, eiſdem ad ruinam ac perniciem abutereris ? Age; quis fuit totius juventutis color? quis ſenſus religionis? quis cultus ſacrorum? quis licentiæ modus? quibus ſe finibus impietas , intem-

perantia, libido continuere? Ego interim miſertus tui non deſtiti urgere tacitum ad meliora; percellere identidem juniores oculos funeſtis æqualium tuorum exemplis; flagitioſam ex omni parte conſuetudinem, corruptos diſtortoſque mores coarguere. Quo demum exitu, niſi ut ad fatalia corruptelæ primordia novus vitiorum cumulus accederet? niſi ut inchoatam infeliciter vitam, infeliciùs multo conſummares? Nunc ergo quem vivens contempſiſti, ultorem ac vindicem moriens experire. *Et ego in interitu tuo ridebo & ſubſannabo te.*

II. Pars. Sed parum eſt, Adoleſcentes, quòd rerum præteritarum conſcientia ad torquendam cruciandamque in hora mortis peccatoris animam incumbat, niſi miſerrima præſentis ſtatus conditio novum doloris cumulum adjiceret. Quid enim eſt in his funeſtiſſimis rerum adjunctis, quod hominem ejuſmodi non affligat atque exanimet? Quocumque vertet oculos, plenam ubique graviſſimi luctus materiem intuebitur. Agite quantus exurget ægritudinis ſtimulus, cùm circumſpiciens adſtantes ſibi affines, liberos, familiares, domeſticos amariſſimis omnium lachrymis & acerbiſſimis gemitibus admonebitur, diſjungi ſe avellique ab eorum conſortio, & omnem ulterioris deinceps commercii expectationem abſcindi? Quibus aculeis pungi ſentiet penitiſſimas animæ partes, cùm divitem ſe rerum multarum, ampliſſimorum redituum poſſeſſorem, ſplendidiſſimis auctum ac cumulatum honoribus, numeroſæ familiæ principem eſſe ita meminerit, ut rebus iſtis omnibus valedicere ſtatim oporteat? Quo non ictus fulmine ſibi videbitur, quando coactus ingraveſcentis mali periculo vel medicus, vel ſacerdos, vel amicus triſtiſſimam illam vocem ſuſpirans ac gemens deferet, *Diſpone domui tuæ, cras enim*, aut etiam hodie *morieris*. Iſa. 38. Ergo moriendum eſt mihi, inquiet; ſpes nulla producendæ ulteriùs vitæ ſupereſt. Itane verò ſic abſumpta ſalus, ſic deſperata valetudo, nihil ut à medicis ſubſidii, nihil ſolatii ab amicis, nihil ab iis rebus, quarum ego dominus atque arbiter, præſidii expectandum ſit? Nam cur duri & immiſericordes ſpes meas tam reſecatis ad vivum? Saltem non impetrabo breves inducias, dum rebus meis providerim; dum rationes compoſuerim, dum familiæ, liberis conſuluerim? ſiletis? avertitis oculos? ſubitus vos horror circumſtetit? ah! ſentio; veſtrum me ſilentium diſertè nimis admonet actum eſſe de me penitus ac conclamatum. O ſpes breves, vota irrita! ò vitæ fallax amor! ſic miſerum illuditis? heu! quid egi, cùm exhauſtum à me tantum laboris eſt, iſthæc ut compararem omnia, quibus in præſentia deſtituor? quò pertinuerunt tot vigiles curæ, tot anxiæ ſollicitudines, tot contentiones operoſæ, ut aſſequerer hunc honoris gradum, unde excidendum mihi & in horrendam tumuli caliginem veniendum? hiccine fructus quem fero, hæc merces, hoc præmium impenſi per tot annos ſtudii, quo parta ſunt omnia quæ jam amitto?

Neque verò quis miretur talibus anguſtiis peccatores, dum moriuntur, eſſe obnoxios; qui cùm nullam felicitatem agnoverint ab ea, quæ in fruendis hujus vitæ bonis poſita ſit, eadem ſe orbari intelligunt; qui nullum ſentiunt ſibi fore deinceps cum iis rebus commercium, quas amaverunt unicè, & toto vitæ tempore tam operoſè conquiſierunt; qui tumulo proximi vident ſuam frænari ſuperbiam, coerceri ambitionem, imperium ac dominationem abrogari.

Vos

Digitized by Google

Vos verò ſtatuite, Adoleſcentes, an amanda perditè vita ſit, quam ſine graviſsimo deſiderio dimittere non liceat? an conveniat adhærere nequiter fragilibus commodis, quorum jactura dolorem acerbiſſimum paritura ſit? an invidenda videri debeat peccatorum felicitas, cujus tam luctuoſum exitum perſentitis? Nihil ego vos moror, felices ac fortunati, dum vivunt, peccatores reputentur; habeat illorum conditio illecebras quæ blandiantur ſenſibus, & amantes plus æquo ſui ineluctabilibus laqueis irretiant; at id ipſum quid juvet, ſi quanto fuerit vita felicior, tanto mors acerba magis eſſe ſoleat?

Ad hæc omnia quæ miſeram peccatoris morientis conditionem efficiunt, adjicite novum afflictationis cumulum, morbi ipſius aculeos, deficientis corporis languorem, collabantem totius hominis ruinam, quæ vix feriam aut etiam compotem rationis cogitationem patitur. Tamen quæ ſpes ſalutis affulget, niſi ponat in lucro brevem moram quæ ſupereſt, niſi totas animi vires intendat ad excutiendam ſedulò conſcientiam, ad deteſtanda ex animo tam multa, tam varia flagitiorum genera, ad exuendos rerum illarum affectus, quas amavit perperam, quas amaret etiamnum, ſi poſſet? Verùm res ejuſmodi tam difficilis operæ, cui feliciter perficiendæ longioris vitæ curſus impenſus bene cenſeatur, an peragi momento poteſt, dum gravatum corpus ægritudine animæ ipſius vim infringit & hebetat; dum rerum præſentium imagine attonita, turbata, perculſa mens nihil admittit ultro, quod augeat metum aut dolorem aſperet; dum labris errans ſpiritus domicilium ſuum jam deſerit; dum homo totus fugientis vitæ deſiderio luctamen iniquum cum morte ſuſtinet, &, ad declinandam fatalem ipſius neceſſitatem, quodcumque ſupereſt virium impendit.

In hac contentione miſerabili quæ amorem inter vitæ & mortis horrorem exurgit, quis peccatoris infortunati luctum & anguſtias ſatis exprimat? Quanto enim cupidiùs vitam ambit, quam tot illecebræ comitantur, tanto mortem reſpicit ægriùs, quæ perennem ærumnarum ſeriem intentat.

Atque hinc oritur ultimum & multo acerbiſſimum doloris argumentum. Hæc ſecuturi ſtatim à morte triſtiſſima temporis cogitatio extremam impii morientis calamitati manum apponet. Levis hic mœror, mihi credite, quem vel rerum præteritarum memoria, vel ſtatus præſentis recordatio pariet, ſi cum luctuoſiſſimæ æternitatis ipſius, quam ingreſſurus eſt, conſcientia comparetur. Neque verò exiſtimate aliam eſſe potiſſimum rationem, propter quam mors peccatorum peſſima nuncupetur. III. Pars.

Agite enim; quibus affecta coloribus peccatoris menti ſe ſe æternitas objiciet? quis erit ſenſus illius immenſitatis, quæ nullis clauditur terminis, nullis finibus circumſcribitur? quanto cum diſcrimine exhibebitur infinita ſæculorum ſeries, cum brevi annorum, quos decurrit hactenus, ſpatio collata? Mox reputans ſecum quæ ſors ſua in tanta temporum vaſtitate futura ſit; quibus ducibus atque auſpicibus novam prorſus & ignotam regionem adire oporteat; quo pacto excipiendus ſit ab eo, qui tam bonæ quàm malæ æternitatis dominus eſt atque arbiter; qui in alterutra conferenda unam meritorum rationem habet; qui precibus non flectitur, non movetur lachrymis; qui nobilitatem generis, opum amplitudinem, honorum magnificentiam, ſubtilitatem ingenii, eruditionis famam nul-

lo

Digitized by Google

lo computur in loco ; quantam ſibi curam, ſollicitudinem, anxietatem ſentiet accedere.

Ergo excedendum mihi eſt ex hac vita, dicet intra ſe tacitus, demigrandum eſt in perpetuum tempus ex hoc mundo! Sed quò ſum iturus? quæ me regio, quæ tellus, quis abeuntem ex hoc corpore locus excipiet? quis erit finis ac terminus terrenæ hujus peregrinationis? *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ*. Heu! quam mihi æternitatem occinitis, ſubjiciet ille ſuſpirans: Date mihi igitur tempus aliquod, ut me ad difficilem periculoſamque viam comparem, ut cogitem tantiſper de illa æternitate, quam mihi jam jam ſubeundam eſſe dictitatis. Nondum reputavi mecum ad hunc uſque diem, aut eſſe æternitatem aliquam, aut certè illam eſſe ejuſmodi quæ me contingeret. Moram temporis vel brevem impetrare poſſim, per quam ſalubres, quantumvis ſerò, æternitatis cogitationes verſare liceat. Sed quid audio? quale fulmen aures perſonat? quid reſpondetis mihi, crudeles, duri, immiſericordes? *Et tempus, & tempus non erit amplius*? Me miſerum! tempus non eſt amplius? ecquando igitur tractabo mente cogitationem æternitatis? Saltem quis me deſertum ab omnibus, egentem, ſpoliatum, inermem tutabitur? quis opem feret? quis conſolabitur ſolitudinem? quis greſſum reget? quis ſtipabit latus? Amici, parentes, conſanguinei, liberi, domeſtici miſero ſuccurrite. Nemo ſe offert, nemo amicam manum porrigit, nemo periculoſam æternitatis ſemitam ingredienti comes accedit. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ*.

Eccleſ. 12. · Apoc. 10.

Qualis verò mihi æternitas imminet? dicite; an felicem, an infortunatam experiar? an inveniam gratiam apud eum, cujus ex arbitrio pendet vel bonam vel malam æternitatem impertiri? Hoc inſtat porro, ſubjiciet, ſi quis aderit fortè Sacerdos, vel quivis alius occaſionem occupans conſolandi miſerum & ſuſcitandi ſpem emortuam; hoc inſtat porrò, Frater chariſſime, eum ut tibi amicum reddas, qui æternitatem utramque diſpenſat ad arbitrium. Eja; extrema bonæ diei particula ne te prætereat, quin eadem utaris ad ſalutem. Pœnitentiam age vel ſeram, dum adhuc miſericordiæ locus eſt, dum paratum habes in Chriſti Sanguine peccatorum tuorum remedium. Obteſtare bonitatem illam infinitam, quæ ſe placari ultro & exorari patitur; nec humilis unquam & contriti cordis affectum deſpexit; præveni, ſi quid ſapis, ſalubri delictorum dolore tremendum, quod Chriſtus mox facturus eſt, totius vitæ tuæ judicium. Heu! me, quid loqueris, excipiet peccator, & qualem incutis metum, dùm addere miſero fiduciam cogitas? ſcilicet veniendum mihi in conſpectum metuendæ Majeſtatis; ſtandum ante ſeveri Judicis tribunal exacti inter vivos temporis rationem reddituro? Sed quo pacto feram aſpectum & ſubibo illius oculos, quem offendi toties? cujus iram atque indignationem tot ſceleribus atque flagitiis concitavi? cujus clementiam & plenam humanitate ſumma miſericordiam ſingulari pertinacia, dum viverem, aſperavi? cujus contempſi gratias, neglexi admonitiones, conculcavi Sanguinem, ſalutiferum obitæ pro me mortis fructum nullum eſſe volui? quæ pars indulgentiæ expectanda ab eo eſt, qui ſe tam rigidum ultorem mali, quàm magnificum boni muneratorem profitetur? Ah! parcite inanibus urgere amicum ſtimulis, cui ſpes nulla ſupereſt. Jam ſentio rotam

æter-

æternitatis illius pondus, quæ me contingit: pars mea inter reprobos, hæc portio mea in ſempiternum tempus. Ulciſcere injurias tuas, ò Deus; immola devotam furori tuo victimam. Voſque, quotquot hîc adeſtis, exitii mei teſtes, adjicite diligentes oculos, & documentum ex me ſumite, quod vobis ex uſu ſit.

Diſcite enimverò, Adoleſcentes, ex hoc morientis impii ſpectaculo, quò peccatorum felicitas recidat. Num licentioris vitæ brevis uſura tam luctuoſo fine redimenda videatur? Eſt hîc aliquis veſtrum quem molles, quibus peccatores immerſi vivunt, deliciæ ſic capiant, ut cum ipſis in fatalem peſſimæ mortis ſcopulum impingere non dubitet? Sed hoc quid à vobis quæram, quos tam terribili mortis imagine video perculſos? Nemo veſtrum eſt, ſentio, qui peccatorum mortem peſſimam non abhorreat, non execretur, quovis pretio declinandam non exiſtimet. Imò, nemo veſtrum eſt qui pretioſam in conſpectu Domini Sanctorum mortem non ambiat, nemo qui non poſtulet pro ſe quiſque ardentiſſimis precibus ac votis, *moria-*
Num. 23. *tur anima mea morte juſtorum*. At animadvertite diligenter, Adoleſcentes, hoc ipſum fuiſſe, quod orabat olim Balam impius, quod turpiſſimi quique peccatores ſibi apprecantur, quod & præſtolari confidenter non dubitant. Infelices! qui vel neſciant, vel neſcire ſe ſimulent, non dari cuiquam ut Sanctorum mortem obeat, niſi Sanctorum more vixerit. Bernardum audite ejuſmodi hominum vota ſpeſque præcidentem. *Vivat anima tua vita juſtorum, ſi vis ut moriatur anima tua morte juſtorum*. Quamobrem providete omni ſtudio atque opera, ut quibus eſſe ſimiles in morte pulchrum & expetendum eſſe ducitis, eorumdem mores ſanctiſſimos & vitæ innocentiam æmulemini.

DE INFERORUM POENIS.

ORATIO XII.

Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Iſ. c. 33.

Utinam, Adoleſcentes Chriſtiani, unus eorum aliquis, qui perpetuis flammarum infernarum incendiis macerantur, ſiſteret ſe vobis hodie præſentem ex hoc loco, & ejaculans in unumquemque veſtrum ſcintillas aliquot illius ignis, quo depaſcitur, ita ſciſcitaretur à ſingulis. *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Futurum ego non dubitem, quin aſpectus ejuſmodi veſtros animos graviter commoveret, pluſque momenti ad perſuadendum hominis illius unica vox, quàm diſertiſſimi Oratoris ſermo prolixior habere poſſit. Tamen ſi qua valemus rerum æternarum fide, quid opus eſt ejuſmodi miraculis, ut nobis ab Inferorum incendiis pertimeſcendum, ut par eſt, ſentiamus? Sufficiet, mihi credite, bene præparatis animis rudior aliqua pœnarum æternarum adumbratio, ut in declinando periculo tam gravi diligentes ac cauti efficiamur.

Verùm de Inferorum ſuppliciis ego dicturus; quid primùm loquar, Adoleſcentes, aut quid potiſſimum ſectandum putem? Quocumque mentis oculos intendam, aut ſe cogitationis aſpectus circumferat, terribilis quædam & horrore plena graviſſimo rerum ſpecies ſtatim ſe offert, & volentem inchoare quidpiam multitu-

titudine ſua atque gravitate perturbat. Hinc video infelices animas ſuaviſſimo Dei omnipotentis conſpectu privatas, quem vidiſſe ſumma felicitas, quo caruiſſe ſumma damnatio eſt. Deus immortalis quàm terribile ſupplicium! Inde circumſpicio inextincta flammarum incendia ad torquendas eaſdem illas animas deſtinata: quale tormenti genus, & quanto cum horrore conjunctum! In tanta utriuſque pœnæ gravitate nullus ſe mihi objicit aut modus, aut finis, ſed immenſa quædam æternitatis unius duratio: quantus hinc deſperationis acerbiſſimæ cumulus exſurgit. Nulla pars eſt ſuppliciorum ejuſmodi, quæ ſingulari quadam conſideratione non egeat. Dicamus de ſingulis, quantum patientur conceſſi nobis temporis anguſtiæ: & faxit Deus, ut ex argumento tam lugubri intelligatis, Adoleſcentes, quàm ſit horrendum in manus Dei viventis incidiſſe.

Heb. 10.

I. Pars. Ac primò quidem, nullum videretur nobis ſupplicium tam grave, quàm illud, quod ex ſola Dei jactura oritur, ſi tales eſſemus, quales eſſe nos oporteret, & quales tandem aliquando erimus, cùm exuti penitus terrena corporis mole noſtræ naturæ atque indoli permittemur. Verùm quandiu corporeis vinculis alligatur anima; ut neque Deum, neque ſe ipſa ſatis novit, ita neque, ut par eſt, intelligit, quanti ſit Deum perdere, & ab ipſius conſpectu ſuaviſſimo in perpetuum arceri. *Animalis homo*, inquit Paulus, *non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*. Verùm enimverò veniet dies ille, cùm intelligemus qualis ac quantus ſit Deus; cùm infinitas ipſius perfectiones ac dotes cognitas ac ſpectatas habebimus; cùm neque ſupremam illius majeſtatem, neque pulchritudinem ex omni parte perfectam, neque ſapientiam incredibilem, neque bonitatem omnium amoribus digniſſimam licebit ignorare. Tum verò quàm magnificus, quàm admirabilis, quàm expetendus Deus videbitur! At neque Deum tantummodo noverit anima, ſed intelliget pariter ipſa, qualis ſit. Hoc eſt ſentiet eo ſe factam fuiſſe conſilio, ut Deo frueretur, neque ſe felicem ac beatam eſſe poſſe, niſi in ipſo tanquam in fine ſuo conquieſcat.

1. Cor. 2.

Tamen ſi eodem illo Deo carendum ſit, ſi nulla ſpes illius unquam, aut poſſidendi, aut videndi affulgeat, quod erit tam grave ſupplicii genus, quod Dei privatione mitius videri non debeat? Scilicet rapietur illa toto impetu voluntatis in Deum, extra quem nulla pax, nulla tranquillitas ſperari poſſit. Involare conabitur in tenerrimos amantiſſi Numinis amplexus, cui adhærere tam bonum eſt; verùm deprimetur in inferiores terræ partes iniquo peccatorum ſuorum pondere: arcebitur longiùs ab eadem illa bonitate, quam olim contempſerit, & perſonantes auribus terribiles illas voces audiet; *diſcede à me, diſcede*. At quò ibit infelix anima, quam à te ſic removeris, ò Deus? quò perget? quò ſe conferet? ubi bene eſſe poterit illi ſine te? &, te ſemel ſi caruerit, quis jacturam illam reſarciat? An non tu feciſti nos ad te, ò Deus, & irrequietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te? Tamen repellis in perpetuum infelicem animam, nullam vis eſſe illi tecum deinde partem: abjicis illam, execraris, exterminas, proh! *quàm horrendum eſt*, inquit Auguſtinus, *videre Deum & perdere*.

Atque hæc tam amara jacturæ illius memoria ita infelicis animæ cogitationi obverſabitur, ut ab ea nunquam abſiſtat; hoc habebit ſibi ho-

mo

mo damnatus perpetuò exprobrandum: Deum meum perdidi; & mea unius factum eſt culpa, ut perdiderim: per me ſtetit unum, ut ipſius aſpectu fruerer, & nolui! Ah! ſi voluiſſem, inter ſuaviſſimos ipſius amplexus jam verſarer! ſed ò me ſtultum ac dementem, caſtiſſimæ illi delectationi turpiſſimam prætuli voluptatem! Hac cogitatione, ſtimulis, quaſi acutiſſimis, confixus ac punctus damnati hominis animus totam mentis aciem contendet, ut omnem à ſe Dei memoriam excutiat; ut de Deo non cogitet magis, quàm ſi nullus in rerum natura Deus exiſteret. Verùm quidquid agat tandem, quantumcùmque maceret ſe ſe ac torqueat, ut importunam divini Numinis recordationem eliminet; tanto præſentior aderit ipſi Deus! Imò, imò offeret illi ſe tortoris inſtar crudeliſſimi, & præteriti temporis memoriam refricans, age, age, infelix, inquiet Deus. Judicetur inter me & te! utrius tandem noſtrum culpa contigit, ut à feliciſſima mei poſſeſſione excideris? Quid ego pro te facere potui, & non feci? quid defuit tibi ex omni parte, quominus tuam in tuto ſalutem collocares? Tu natus ipſo puriſſimæ Religionis in ſinu; tu, promovente ſedula parentum ſollicitudine, liberaliter educatus; tu nactus optimos moderatores ac magiſtros, qui dedocerent pravitatis ſemitas, virtutis viam aperirent. Tu quoties ſalutiferum mortis meæ fructum inter auguſtiſſima myſteria percepiſti? quoties refectus mei corporis epulo? quoties ſanguinis poculo recreatus? Adde tot illuſtrationes mentis, tot ſalubres cordis impulſus, quibus ego te meliorem ad frugem tentavi revocare: adde indultam tam ſæpe, poſt graves ac frequentes relapſus, peccatorum veniam. Tamen tot inter ſalutis adjumenta excidiſti mihi, & in perniciem ultrò volenſque corruiſti. *Perditio tua ex te*; tibi unicè imputa quod ſummo tuo bono, ſumma beatitudine careas. Ut erit nihil unde objurgationes tam juſtas confutet infelix anima, ita ſuum in ſe ipſam furorem exacuet. Hinc orietur deſiderium illud, & plena furore rabies, quam Vates Regius tam feliciter expreſſit. *Peccator*, inquit, *videbit & iraſcetur; dentibus ſuis fremet & tabeſcet*. Verùm *deſiderium peccatorum peribit*; inutilis dolor, inanes lachrymæ, futilis deſperatio, quæ nullam acerbiſſimo deſiderio medelam afferat. Pſal. 111.

II. Pars. Progrediamur ulteriùs, Adoleſcentes, & ad contemplandam in Inferis novam pœnarum ſeriem animos intendamus. Hìc verò fateor magis commoveri me, quàm ante: adeo varias in partes pertrahunt animum ac perturbant ſuppliciorum illorum gravitas, multitudo, diverſitas. Quanto hìc ego profitear veriùs, quàm Poeta ille veſter de fictitiis ſuis Inferis faciebat, non mihi ſi *centum linguæ ſint oraque centum, ferrea vox*, tamen omnia pœnarum nomina percurram quibus infelices Damnatorum animæ mancipantur. Agite enim; an tenebras loquar horrendamque caliginem? ignis occurrit! An ignem ipſum ſulphureum, piceum, inextinctum & ad intimas oſſium medullas penetrantem? offert ſe vermis ille qui non moritur, perpetuus crudeliſque ſtimulus, qui momentis omnibus mentem fodicet, incendet, excruciet! an triſtiſſimam mortem & vitam morte ipſa luctuoſam magis? aperient ſe ſe & explicabunt immenſa illa æternitatis ſpatia quæ nullo unquam temporum fine concludentur. Quid de loci fœtore, de immanitate ſociorum, de lachrymis, de ſtridore dentium, de

rabie

tabie ac deſperatione dicam ? dicendum tamen: at ita dicendum, ut non aſtringamur ullo ordine certo argumentorum, ſed in tanta perturbatione, quidquid obtulerit ſe primùm, hoc arripiamus tantùm, & ad veſtram utilitatem perſtringamus.

Fingite igitur vobis primùm, Adoleſcentes, in intimis terræ viſceribus depreſſum carcerem, quem lacus ingens undique circum ambit ſulphure atque igne exæſtuans. Hic jacebunt acervatim altiſſimis cumulis homines infeliciſſimi, conſtricti denſatique, vix ducentes ſpiritum, eumque non niſi ex igne ducentes ac ſulphure ſordibuſque teterrimis, quæ hunc in locum tanquam in ſentinam ac cloacam è terris omnibus derivatæ confluxerint. Eò ferentur purgamenta fæceſque corporum omnium: his odoribus, his ſuffitibus homines deliciarum amantes vaporabuntur. Adeſte animis, Adoleſcentes Chriſtiani, & quod Bernardus ſapienter monet, *deſcendite in infernum viventes, ne deſcendatis mortui*. Animadvertite quæ vobis illic ſupplicia deſtinentur, niſi diligentiùs inpoſterum, quàm fortè feciſtis hactenus, à peccato lethali caveatis. Neque enim in illo ſuppliciorum loco peccatum erit ullum, quod pœna vacabit ſua; ſed prout quiſque peccaverit, ita pares peccatis ſuis pœnas patietur.

Illic homines luxu & mollitie perditi, ſacrificuli ventris & abdominis, epulones faſtidioſi, voluptuarii potatores, pro dulcibus poculis, pro exquiſitis dapibus, picem accenſam, fluidum ſulphur, liquatum plumbum potabunt largis hauſtibus. Flagitabunt illi, ut Evangelicus epulo, aquæ guttulam ardentibus faucibus, neque illis in æternitatem omnem concedetur.

Hic Adoleſcentes laſcivi, qui ad picturas turpes, ad libros obſcænos, ad omnem impuritatis ſpeciem oculos adjiciunt; qui aures à lutulentis ſermonibus, à lubricis colloquiis, ab infacetis carminibus non temperant, dignas inverecunda curioſitate pœnas luent. Illi oculi damnabuntur perpetuis fletibus, *ibi erit fletus*, dicit Dominus; (Matt. 8.) damnabuntur ſempiternis tenebris, idem Chriſtus adjicit, *mittite eum in tenebras exteriores*; (Matt. 22.) quæ tenebræ dabunt funeſtiſſimi luminis tantum, quantùm erit ſatis ad intuendas immanes monſtrorum formas, ad infames flagitiorum comites atque auctores contemplandos. Illæ aures patebunt horrendis ululatibus ac rugitibus dæmonum, perpetuis in Deum conviciis ac maledictis, perennibus ſociorum opprobriis onerabuntur.

At tu, delicatule, effœminate Juvenis, qui cuticulam curas tam operosè; tu, ſi quis eſſes tamen ejuſmodi, qui turpiſſimum corpus in omni volutas dedecore, qui conſectaris infames delicias, qui voluptates vetitas omni ex parte cupidiùs venaris, nefariis par libidinibus ſupplicium expecta. Illam cutem, carnem illam, æternæ rotæ, æternæ cruces, æterni aculei torquebunt. Ardebunt illa membra ſempiternis ignibus, quæ jam ardentiſſimæ impuritatis facibus accendis. Nulla pars corporis illius ſpurciſſimi non cruciabitur doloribus acutiſſimis, ſæviſſimis incendiis non æſtuabit. Penetrabunt flammæ artus omnes, medullaſque ipſas atque oſſa intima pervadent. Inſtabunt inſuper flagellis ac ſcorpionibus tortores ſæviſſimi, neque momentum ullum à ſupplicio vacuum præterire patientur.

Neque ſua pariter pœna deerit ſuperbis homuncionibus, qui gloriam ventis omnibus aucupantur, qui honore quodam futili poſteriora ducunt:

Digitized by Google

pietatis ac religionis officia. Hi lacu in imo abjecti depreſſique, ab omnibus ſpreti, ab omnibus crudeliter illuſi, ſuperis inferiſque deſpectiſſimi jacebunt ſimul; in faſcem unum colligentur ſuperbi omnes, ut iiſdem deflagrent ardoribus, pœnis iiſdem torqueantur.

Quantùm verò ardebit quiſque, quæ menſura ſuppliciorum erit? Audite B. Joannem in Apocalypſi ſic loquentem; *quantùm glorificavit ſe ſe, & in deliciis fuit, tantum illi date tormentum ac luctum.* Sic eſt, Adoleſcentes; quantùm honoris quiſque veſtrum contra legem Dei quæſierit, tantum & ipſi ſuppliciorum irrogabitur; quantùm deliciarum guſtaverit perperam, tanto etiam vividiores flammas experietur. Hæc vobis ſæpe cogitatio ſubeat, cùm laxiorem ubique viam & molliorem conquiritis; cùm veſtra commoda ambitioſiùs ſectamini; cum anhelatis ad omnem voluptatis occaſionem; dicat ſibi unuſquiſque veſtrum; quid ago infelix? incendium augeo quo adurar, ſupplicia mihi nova quæro quibus excrucier. *Quantùm in deliciis fuit, tantum & illi date tormentum ac luctum.* Apoc. 18

Sed quid ego hìc cætera Inferorum ſupplicia operoſiùs perſequor, unum illud videor prætermittere, quod reliquis gravius atque intolerabilius reputandum eſt. Vermem illum intelligo, qui non moritur, & qui æternitate tota damnati hominis conſcientiam rodet. Hic erit tortor domeſticus, qui excuti non poterit, qui adhæreſcet ſemper tenax & individuus comes, qui accendet ipſe flammas, irritabit incendia, ſupplicia omnia vehementiùs aſperabit. Quoties, inquiet ille, ſacris impulſibus ad inſtitutum vitæ ſanctioris agi te ac propemodum rapi ſenſiſti? jam demum luis duritiam cordis tui, quam nulli aſpirantis gratiæ motus inflectere potuerunt. Quoties harum terrore flammarum perculſus & meliorem pollicitus frugem, ineundam à te arctam viam juraveras? das tandem pœnas, miſerrime, qui divina hæc munera tam nihili feceris. Quid defuit tibi quominus caſtus ac pudicus eſſes? Poteras hunc Deo florem integrum intactumque ſervare; pende jam pœnas pro exigua & caduca voluptate. Quid luges, qui hæc tibi tormenta paràveris? qui malorum omnium auctor unus extiteris? an nón prædixi centies hæc tibi, dum viveres? jam arde his ignibus quos tantopere amaſti; arde ſine ſpe, ſine ſolatio, ſine lenimento, ſine ulla finis expectatione.

III. Pars. Ad ultimum pertingimus calamitatis complementum, dum æternam fore in Inferis ſuppliciorum ſeriem profitemur. At quantum illud unum eſt, Adoleſcentes, etiam ſi cætera omnia levia viderentur! Imò & hoc ipſum contemnat per me licet, ſi quis eſt qui complecti cogitatione poſſit, quid ſit Æternitas. O vocabulum omni terrore gravius, igne ſævius, tormentis quibuſcumque immanius! Certè humanis in rebus nihil tam aſperum occurrit, quod non ſperetur mitigari poſſe; offerunt ſe incommoda multa, ſed nullum eſt eorum, quod exitum aliquem non habeat. Homines videmus morbis acutiſſimis conflictatos, jacturam rei familiàris honoriſque paſſos; ſed nihil eſt tam immedicabile, cui finem vel melior fortuna, vel mors ſaltem ipſa non afferat. At in Inferis nihil ſe objicit niſi infandum & exitiale, neque terminus uſpiam ullus reperitur. O ignis voraciſſime, inquient Damnati infelices, nunquamne in nihilum nos rediges? O mors nunquam ne adeſtis?

tis? aut potiùs quæ præſens es ſemper, nunquamne nos interimes? O ſempiterna mors! ò ſemper vivere, & nunquam vivere! Cogitant ſæcula, replicant ſæculorum multitudinem innumerabilem, cumque eò pervenere numerando, quod ne capere quidem ipſi poſſint, nondum, exclamabunt, nondum ingreſſi ſumus curriculum æternitatis! *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum*, inquit Joannes, *nec habebunt requiem die ac nocte*. Apoc. 15.

Quid reſtat, Adoleſcentes, niſi ut rurſum à vobis petam cum Iſaia, *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante*? quis? eſtne, qui tantum fidat viribus ſuis? qui putet intrepidè ſe atque alacriter adire flammas illas poſſe? Hujuſmodi ſi quis eſſet, eum ut convincerem, non rotas expedirem, non equuleos, non cætera tormenta inſtituerem, quæ tamen cum ſuppliciis Inferorum ſi compararentur, deliciæ cenſeri poſſint; hunc juberem tantùm ad candelæ lumen digitum admovere, immotumque tenere ad tempus breviſſimum; non faceret; aut ſi admoveretur invitus, ut exclamaret, ut refugeret! ut manum continuò retraheret! ſed nemo eſt certè, nemo tam præfracti animi; interrogantique mihi cum Iſaia, *quis habitare poterit de vobis cum igne devorante*? omnes audire mihi videor profitentes intolerabilem eſſe ignem illum; intolerabiles tenebras, vermem intolerabilem, æternitatem nullomodo tolerandam. Hoc ſi ita eſt, Adoleſcentes, cur non adhibetis omnem opem operamque; ut hos ignes, hæc ſupplicia fugiatis? ſi quis eſt qui parem ſe putet his doloribus exhauriendis, eaſque ſibi vires eſſe confidat, quibus poſſit incumbentem Dei ipſius ultoris manum facilè ferre, is quidvis audeat, per me licet: pietatem habeat ſuſdeque, pudicitiæ non parcat, quidquid blandiuntur voluptates omnes, quidquid cupiditates ſuadent, arripiat, nihilque religioni ducat; at qui fateatur ultrò timere ſe ignem devorantem, neque ea eſſe conſtantia ut habitare cum eo poſſit; is ſcelere ullo lethali ſe inquinet? is latam ſpatioſamque peccatorum viam ineat? quæ ad flammas illas rectà deducit? dementiæ eſt, furoris eſt!

Alterum à vobis cum Iſaia quæram, Adoleſcentes; *quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis*? Non jam dico quis poterit, ſed quis reipſa cum ardoribus ſempiternis habitabit? Quis veſtrum Inferorum ad flammas eſt deſtinatus? quis per æternitatem omnem ardebit? In promptu eſt, quid reſpondeam. Vultis audire, vultis deſignem intento digito, qui ſint ad æterna ſupplicia divino judicio damnati? Quidni verò hanc infamiam hìc ſubeant, qui ea ſunt aliquando in conſeſſu populorum omnium notandi? quidni eos deſignem, ut, ſi perire juvat, pereant ſaltem uni, ab iiſque tanquam à ſaxis periculoſiſſimis, quidquid integrum eſt purumque declinet? Quis ergo habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? quis? tu, flagitioſe Adoleſcens, qui licentioris vitæ conſuetudini indulges; tu inquam, niſi reſipiſcas, habitabis cum ardoribus ſempiternis; tibi hæc parata ſupplicia ſunt, niſi ſerio conſtantique ſtudio ignes illos peſtiferos, quos tuo in ſinu accendiſti, nitaris extinguere. Quis, rurſum peto, habitabit cum ardoribus ſempiternis? Tu qui alienæ pudicitiæ captioſis obſcœniſque verbis inſidiaris, tu qui exempli pravitate tam multos corrupiſti; tu qui turpi in otio & longa in deſidia conſeneſcens omnibus in animam tuam vitiis aditum recluſiſti; tu qui reci-

recidivis flagitiis conſuetudinem malam magis ac magis roboras & confirmas; tu qui nullo rerum piarum ſenſu, nulla Sacrorum reverentia divinis myſteriis aſſiſtis; tu qui vocanti Deo jam diu non pares, & à vitiorum ſemita retrahenti non obſequeris.

Quanquam ah! potiùs, quotquot eſtis, vos hortor atque obteſtor, per Jeſu-Chriſti ſanguinem, qui extinguendis Inferorum ignibus effuſus eſt totus; per ſalutem veſtram, per amorem quem habere vos decet fortunatæ æternitatis, extirpate ſedulò malas illas vitiorum fibras, quæ veſtris cordibus increverunt, ut mundi toti atque expurgati æterno Dei conſpectu in cœleſti patria frui mereamini.

DE OTIO.

ORATIO XIII.

Fili conſerva tempus. Eccleſiaſt. cap. 4.

Redeunte, uti fert mos priſtinus, ſtudiorum curriculo, quibus & diligenter excolendis, & me prudenter moderandis Deus Optimus Maximus addixit: nihil ego vel ad injuncti mihi muneris rationem melius, vel ad utilitatem veſtram accommodatius, vel ad ipſam Dei omnipotentis gloriam potius eſſe duxi, quàm ſi bene collocandi in ſtudendi exercitatione temporis auctor hodie atque adhortator accederem. Id verò dicendi argumentum arripui eo lubentiùs, Adoleſcentes Chriſtiani, quòd debellandum hoſtem aggredior ætati veſtræ tanto periculoſum magis, quanto minùs videri ſolet metuendus.

Nam quis, vel inter eos, qui ſtudiorum labores ultro ſuſcipiunt, tanti putet prodigum eſſe temporis? quis ſe, dum accedit ad abluendas in ſacramento flagitiorum ſordes, accuſet otioſum fuiſſe identidem? Quis deſidioſam ex omni parte vitam in gravioribus adoleſcentiæ piaculis numerandam arbitretur? Et tamen quis deplorare pro rei dignitate poſſit, quantam genus id vitii veſtræ labem ætati, quàm gravem moribus corruptelam, quàm exitiale ſaluti ipſi detrimentum afferat.

Sinite me igitur inſidioſiſſimum juxta & infeſtiſſimum retegere vobis ſcopulum, ne ad eum alliſis miſerabiliter triſtiſſimum facere naufragium contingat; ſinite me juratum non tam eruditionis bonæ, cujus promovendæ ſtudium experimini, quàm veſtræ integritatis hoſtem acrioribus urgere ſtimulis, & me de inertiori otio diſſerentem ſic audite, ut ad extirpandam penitus peſtem illam, ſi quem jam infeciſſet, vel ad eandem declinandam certè ſtrenuam virilemque diligentiam afferatis.

Atenim, inquies, quid eſt in Otio quod inſecteris tantum? vel quid mali tandem Otium importet, niſi fortè jacturam aliquam temporis? Nihil ergo perire tibi putas dum tempus perit? non tu malorum in numero rei omnium pretioſiſſimæ damnum reponis? Atqui id ſcito, quiſquis es, Otium, vel ſi id unum incommodi ferat; quòd pariat diſpendium temporis, hoc ipſo nomine, Adoleſcenti Chriſtiano eſſe omni ope fugiendum; quod erit Orationis pars prima. Addam & illud altera, quantumvis alienum ab opinione tua videatur, fieri omnino non poſſe, quin Otium multorum fons vitiorum & origo ſit. Utrumque quantam habere vim oportеat, ad excitandam in unoquoque ves-

veſtrum actuoſam diligentiam, breviter intelligite.

I. Pars. Quanti ſit inter res cæteras pretii tempus illud quod ducimus, ſignificavit ipſe ſatis rerum omnium artifex Deus; qui, cùm in genus hominum, quidquid cœli terræque ambitu continetur, plena ac prodiga, ut ſic loquar, manu bonus effuderit, unius parcus avaruſque temporis viſus eſt. Nam cur, amabo, tam multas diviſit illud in partes ac veluti ſecuit in portiunculas, quas alias tantùm poſt alias nobis impertiret? niſi ut intelligeremus ſummum eſſe divinæ liberalitatis munus, momenta temporis ſingula, ac, niſi per ſinceram legitimamque partis cujuslibet uſuram, ulterioris deinceps ſpatii fiduciam exhiberi.

Quantulum eſt enimverò, quod in longa illa ſerie temporum vindicare ſibi pro jure ſuo quis poſſit? Quod elapſum ſemel tempus eſt, non eſt ampliùs cujuſquam in poteſtate: quod futurum aliquando præcipitur, illud, quanquam præſtolari liceat, nullus audeat tamen ſibi certò polliceri. Unam igitur, quam habemus in præſentia, moram temporis, hoc breve ſpatium, quo ſpiramus, ſolam hanc diei bonæ particulam, quæ vix conceſſa nobis ſtatim dilabitur, noſtram dicere, uſurpare quaſi propriam, & in uſus vel bonos vel pravos conterere ad àrbitrium poſſumus. Divitias miſeras, Adoleſcentes Chriſtiani!

Quanquam quid miſeras dico, aut quid divinæ liberalitati uſque adeo videor injurius? Divitias imò fortunatas, quibus ſummum infinitumque comparati bonum poſſit! Hæc etenim, quæ nobis impertitur, copia temporis quantumvis exigua, pretium Æternitatis eſt: hac mercede redimitur felicitas nunquam ceſſatura; hoc uno pignore fruendi tempus in omne divini Numinis facultas impertitur. Ponite vobis ante oculos unumquemque ſanctiſſimorum hominum, qui vitæ hujus defuncti periculis inter immortales delicias felix ævum jam traducunt; quærite diligenter à ſingulis, quibus tandem gradibus ad cœlum aſcenderint; erit ne unus eorum aliquis, qui datas ſibi ab omnipotente Deo particulas quaſque temporis, æternitatis ipſius lucro appoſitas non oſtentet? qui beatos illos ac florentes dies, quos tranſigit, benè actis in vita momentis breviſſimis non debeat? qui pondus illud immenſum gloriæ, qua fruitur, non conflaverit, deciſis ævi fluentis ex portionibus, iiſdemque, totidem veluti margaritis, impoſitam capiti coronam non ornaverit?

Vide ergo, quiſquis vel otiaris deſidiosè, vel rebus aliis intentus, quæ ad officium non pertinent, tempus malè perdis, quanto quid majus opinione momentique majoris tibi depereat. Dum enim tempus amittis, quid aliud facis, obſecro, niſi vitam ipſam amittis, niſi beatitudinem abjicis, niſi æternitatem totam, quanta, quanta eſt, vilipendis, ac pro nihilo æſtimas? Atque hoc tempus, infortunate Adoleſcens, cujus hodie jacturam tam facilem ducis, deſiderabis olim amiſſum, cùm ad eas veneris anguſtias, quibus brevis temporis induciæ mederi poſſent. Diem aliquem ex illis, quos molli in Otio turpique deſidia contriveris, poſtulabis votis omnibus ac lachrymis, & diem illum fortè non impetrabis. Horam tibi unam impertiri ad deteſtationem peccatorum, ad expiationem ſcelerum, ad veram ſinceramque cordis mutationem optabis, & tempus, & tempus fortè non erit amplius.

O ſi intelligeretis, Adoleſcentes chariſſimi, quàm acerbo animi ſui de-

ſiderio requirant ac lamententur tempus amiſſum, quotquot ſempiternis ignibus juſtus omnipotentis Dei furor addixit! ò ſi videretis eorum lachrymas, audiretis gemitus triſtiſſimos, lamentabiles omnium querelas exciperetis! Accedite animis, amabo vos, & penetrate, quantùm fieri poteſt, cogitatione mentis veſtræ uſque ad profundas inferorum voragines, ubi miſerabiles illæ victimæ miris quidem, ſed veris cruciantur modis! ſubſiſtite paululum, adeſte cum ſilentio, date aurem. Quid doletis, infelices animæ? quid lugetis? quid lamentamini? Tempus amiſſum, inquiunt, tempus amiſſum; quid optatis? quid petitis? quid precamini? ecce unam omnium vocem audio, temporis momentum. O ſi impetrare, o ſi habere fas eſſet momentum temporis!

Educamus enimverò ex illis ſubterraneis ſpecubus, ex ergaſtulis ignitis, ex tenebris horrentibus, adducamuſque animam unius alicujus Adoleſcentis, cui molle atque iners Otium exitii cauſa extiterit ac ruinæ. Siſtamus illam ante eorum oculos, qui menſes ipſos, annos integros, totamque adeo adoleſcentiam nugis conterunt; qui abjectis pietatis Chriſtianæ officiis ſcholaſticoque penſo neglecto, à primo mane uſque ad veſperam perpetuò oſcitantur; qui libros deferunt veluti pondus quoddam Etna gravius; qui concluſi in muſæo, vel in ſchola tanquam in ergaſtulo, ſubſelliis ſuis, tanquam crucibus quibuſdam affixi, peregrinantur interim animo, vagis peregriniſque cogitationibus atque inanibus figmentis, utinam non turpiſſimis, mentem paſcunt; qui ſtudiorum omne genus quaſi crudiores cibos faſtidiunt. Siſtamus, inquam, animam illam eorum in conſpectu; qui in deſidioſo turpique veterno conſeneſcere volunt, quaſi nunquam in crimine morituri.

Illam videre mihi videor infelicem animam, emergentem de tenebris ſuis in hanc lucem, ſpirantem incendia, flammas anhelantem, & voraciſſimis undique ignibus circumſeptam: illam audire mihi videor contemplatam vos attentiùs in has triſtiſſimas voces erumpere: Ah! me infelicem, cui momentum unum temporis ſatis ad pœnitentiam eſſet, & negatur! Infeliciores vos, qui tantam temporis copiam temerè profunditis! Aderit dies, (putet unuſquiſque veſtrum nominatim ſe ab anima illa compellari) aderit dies, cum momenti hujus, quod nunc fluit, jacturam æternis mecum gemitibus lamentabere! Perit heu! tibi, quod meis, quod Damnatorum omnibus ignibus extinguendis ſufficeret! quod ſi ad pœnitentiam concederetur, nulli jam eſſent Inferi, ceſſarent incendia, diſrumperentur cruces, evaneſcerent equulei, tormenta omnia quieſcerent; cujus redimendi ſi facultas foret, longiſſimis afflictionis cujuſcumque doloribus commutatum vellem: ſed nunquam dabitur! mihi tempus effluxit omne; una æternitas tota exhaurienda ſupereſt. Tamen momentum quæro, dum annos integros perdis: da, da, Adoleſcens deſidioſe, vel momentum ex illa profluentia temporis; momentum unum ab aliquo veſtrum impetrem tot inter dies menſeſque, quorum eſtis prodigi. Sed heu! quo relabor? ò æternitas temporis indiga! ò mortalitas temporis prodiga!

Ite, ite; dividite in bonis dies veſtros, tempori ne parcite: mihi quoque olim, uti jam & vobis, levis ejus jactura viſa eſt: nunc verò amiſſum lugeo æternùmque lugebo. Amiſi, quemadmodùm nunc amittis,

tu, cui ſordent literarum ſtudia, qui ludum deperis, qui, ex quo te in Otium effudiſti, factus es in omni vitæ parte licentior, qui brevi ex illa Otii vacuitate, in teterrimas vitiorum ſordes demergeris; qui animam tuam noſtris ignibus jam oppigneras! Sed ſatis diu infelix anima aſpectu tuo diriſſimo horrendiſque vocibus exterruiſti nos. I, deteſtabilis, i temporis quondam ſtultè prodiga; repete antra illa immania, in quibus nulla unquam tibi pars temporis, nullus temporum finis impertietur.

At vos videte porro, Adoleſcentes, quem tandem ex iis fructum capiatis: penſite vobiſcum, num tam leve videri debeat diſpendium temporis, ut ſi unum id incommodi ferret Otium, tamen omni cautione fugiendum illud non æſtimetis? Heu! quàm multi hac ipſa hora, hoc ipſo momento divinum ad tribunal judicandi ſiſtuntur, qui profuſionem temporis lugere incipiunt.

Sed quid Ego diutiùs immorer in perſequendo malum illud, quod omnium eſt, quæ parere Otium ſolet, longè leviſſimum? Progrediamur ulteriùs, Adoleſcentes, & quot ex illo venenato fonte rivuli corruptiſſimi profluant, quot infelices rami ex arbore illa funeſtiſſima procreentur, videamus. Sic eſt enimverò: fieri omnino non poteſt, quin Otium multorum fons vitiorum & origo ſit: hoc porro ſupereſt altera Orationis parte demonſtrandum.

II. Pars. Agite verò, excutiamus diligentiùs vitam alicujus Adoleſcentis, qui, cùm ſtrenuam ac ſedulam ſtudio Literarum operam, quemadmodum poſtulat ejus officii ratio, navare deberet, turpi ſe Otio corrumpi ac depravari patiatur. Dic mihi, quæſo, Adoleſcens deſidioſe, ſi quis hic eſſes hujuſmodi, quid agis ſtatis illis ac deſignatis ſtudio temporibus, dum à ſtudendo abſtines? Tene meditandis ac perpendendis rerum æternarum momentis occupatum affirmabis? Tene flagitare enixis precibus divinam opem, vel pios libros curioſis pervolutare oculis cauſabere? Te-ne charitatis operibus, in viſitandis ægrotis, in conſolandis afflictis ac mœrentibus diſtentum excuſabis? Tamen, licet hoc faceres, neſcis quàm ſine fructu, quàm nullo ſalutis emolumento ejuſmodi officiis indulgeres; reprobante ſcilicet Deo iſthæc intempeſtivæ ſervitutis obſequia, quæ nec exigit à te in præſentia, nec habere accepta poteſt, dum ſtudendi laborem, quem jubet impenſiùs, negligis?

Atenim id credam te conſecrato Literis tempore ad exercendum bonum opus quodpiam abuti, dum te in iis quæ ad Deum pertinent tam remiſſum, tam ſomnolentum, quam in pertractandis ſtudiis deſidem animadverto? Quid agis igitur, iterum peto, Adoleſcens otioſe, quid agis, quando non ſtudes; ſi te cogitare prava, moliri turpia, pudendis operam dare facinoribus dixero; reclamabis continuò, innocentem te, caſtum ac pudicum affirmabis. Eſto: nihil reſecare ad vivum placet: demus hoc tibi, talem te revera eſſe, qualem profiteris; quippe nondum penetravit altius vis mali, & adhuc res tuæ in integro ſunt. Nunc ergo, ut ad eluendam, qua jam aſperſus es, deſidiæ labem alacrior accedas; intellige, quibus tandem gradibus ab inerti Otio, ad ſummum nequitiæ barathrum Adoleſcentia devolvatur.

Abalienatus à ſtudiis faſtidio quodam ac ſatietate adoleſcentis animus incipit poſtmodum & in rebus piis langueſcere, eumque ſentire

tæ-

tęporem, quem in ſtudio Literarum jam dudum expetitur. Non jam ea, qua ſolebat, attentione mentis atque reverentia preces Deo fundit, ſed oſcitanter, ſed vago nulloque animo ſecum immurmurat, vel contrahit, vel etiam omittit: hebeſcit ſenſim ac pedetentim guſtus ille ſuaviſſimus, quo in frequentandis divinis myſteriis perfundebatur ſimul; & ad implendas injuncti ſibi muneris partes accendebatur. Interim fides nutat, ſpes trepidat, charitas refrigeſcit. Nihil lætitiæ ſpiritalis ex ſacra menſa, nihil ex Pœnitentiæ Sacramento ſolatii percipit; mox ab illis divinæ gratiæ fontibus ac canalibus recedit faſtidioſus; Ipſum Mariæ nomen nihil blandum inſonat auribus, & quam omni ſtudio ac pietate demerebatur, obſequium ejuſdem tanquam jugum intolerabile refugit ac declinat. Quid multa? faſtidio poſtmodum tepor, tepori levitas, levitati immodeſtia, immodeſtiæ demum ipſe rerum divinarum contemptus ſuccedit.

Nihil hic dico, Adoleſcentes, quod terribilis quædam, & frequentior, heu! quàm par ſit, experientia non comprobet. Vos ipſos teſtes appello: repetite memoriam præteriti temporis: ſi quis viſus olim inter vos præter cæteros remiſſus ac deſes in ſtudendo, an non ille ſolebat eſſe pariter in iis, quæ ad Deum pertinent, languidus plus æquo ac tepidus? ſi quis ob negligentiam domi, ob levitatem in ſchola increpandus videretur; an non & idem propter irreverentiam in templis, immodeſtiam inter orandum difficilem ſe, moleſtum, atque importunum exhibebat? tanta eſt adeo, tam individua pietatem inter atque ſtudendi diligentiam conſenſio, ut quiſquis ab altera receſſerit, ab altera continuò eundem deficere oporteat!

Jam ubi remiſit ſemel pietatis ſenſus liquidior, & voluntaria quædam religioſæ mentis in res divinas propenſio, quæ juventutis unicum contra morum corruptelam præſidium, unicum adverſus omnes mali vel incurſus, vel inſidias propugnaculum eſt; mirum, ſi deſidioſus adoleſcens quibuslibet ætatis illius ſcopulis impingat miſerabiliter, & ad eoſdem horribilem in modum frangatur. Nam cùm ea ſit humanæ mentis indoles, ut otioſa penitus non poſſit eſſe, ſed aliqua ſemper occupatione egeat, qua, veluti pabulo quodam, reficiatur identidem ac ſuſtentetur; ſentitis, Adoleſcentes, etiam me tacente, quid occupare neceſſe ſit juvenis animum, quem tam Literarum, quàm pietatis faſtidium ceperit: perſpicitis quibus pateat incommodis, quàm multiplex vitiorum genus incurrat. Nugis perennibus, ludo, damnoſis lectionibus, ſocietatibus pernicioſis, & licentiori neceſſariò vitæ inſerviet. Ludi furor, ſcitis, quæ non in mala miſerum adoleſcentem præcipitet, ſi quando ipſius animum invaſerit: à ludo nimirum omnis fere juvenum corruptela ducit initium. Hic enim junguntur familiaritates aleatorum, quorum ingenio nihil eſt licentius & à bonis moribus alienum magis. Hic pejerare, hic impias & ſacrilegas voces fundere adoleſcens docetur: hic pecunia emunctus ſua mille excogitat & machinatur artes corrogandi aliam per fas & nefas, quam temere rurſus effundat ac diſſipet.

At quoniam nec ludere perpetuò, ut multum velit, nec declinare licet quædam tempora, quibus, quantumvis ſtudendi voluntate careat, habitare ſecum in muſæo ſolitarium oporteat: quid faciat in his anguſtiis adoleſcens otioſus, qui nec ſtudendi laborem ferre poteſt, nec vagandi

foris aut confabulandi licentiam habet? quo demum pacto longiorem & nimis importunam temporis moram fallat? Librum evolvet aliquem, quod unum in promptu eſt, ad ſublevandum moleſtioris tædii faſtidium. At quale par eſt amari ab eo librorum genus, qui tam pietatis oſor, quàm eruditionis bonæ factus fuerit? vel quid titillare poſſit curioſitatem adoleſcentis ejuſmodi, niſi quod pravum, turpe & obſcænum ſit? Igitur miretur nemo, ſi juvenis otioſus nulla ferat manibus volumina, niſi quæ pudorem violent, & bonis moribus labem illinant; ſi amatoria opuſcula, laſcivas fabellas, liberiores jocos, mimicos & obſoletos ſales rimetur cupidiùs, & ſuaviùs deguſtet; ſi nunquam vincere laboris Odium videatur, niſi cùm lutulentus & inficetus liber objicitur.

Hinc verò quanta pernicies integritati atque innocentiæ! ut tenera mens, quæ natura ſua in vitium flecti cerea eſt, maximè ſi nullo timoris divini repagulo coerceatur, impuras obſcœnitatum omnium impreſſiones altè imbibit! ut curioſè multorum ſcelerum, quorum vel nomen hactenus ignorarat, notitiam ambit ac perquirit! ut brevi turpiſſima quæque non refugit admittere, quæ legerit ab aliis factitata! Fruſtra reclamaret interim conſcientia, & periculi magnitudinem objiceret: jam obduruit dudum arcanis illis motibus, quæ revocare adoleſcentem poſſent ad meliorem frugem. Otium nempe, quo diffluit totus, omnem bonis deſideriis obſtruit aditum; aut, ſi qua ſuboriantur identidem, ſtatim enata ſuffocat. Tum quaſi ſibi ipſe non ſufficeret ad ruinam ſolus, alios adjungit ſibi nequitiæ comites, qui currentem ultro incitent & ad perniciem feſtinanti ſtimulos adjiciant. Videas ingerere ſe ſe in eorum ſocietatem ac familiaritatem, quibuſcum vivere liberiùs putet, & parum caſtos agitare poſſe ſermones; quibus & vitiatos concredere cordis infecti ſenſus nihil metuat.

In hoc perditorum Juvenum conſortio, qui nihil præter impietatem ac libidinem ſpirant, quas non ad artes malè fingitur miſerrimus adoleſcens? qualem ex tali diſciplina ſcientiam reportat? Hunc verò gradum ubi ſemel attigit, jam ductore non eget: ruit ipſe per omne facinus impellente nemine, & longa feriandi nequiter peccandique conſuetudine factus in dies deterior, nihil eſt tam alienum à bonis moribus, ad quod facilè non deſcendat, atque adeo feciſſe glorietur.

Obſtupeſcitis, ſentio, ad tantam tamque immanem adoleſcentiæ corruptelam; vixque adeo fieri poſſe creditis, ut quis ex Otio tam perditus, tam depravatus evadat. Hoc tamen exiſtimate verum eſſe quod dico; atque illud retinete memoria ſapientiſſimi juxta ac ſanctiſſimi viri effatum; Portentum eſt, Adoleſcens deſidioſus ac caſtus!

Videte igitur, Adoleſcentes optimi, quo tandem eſſe vos animo in ſtudia Literarum oporteat! quàm meritò moderatores veſtri ſtudendi naviter neceſſitatem tam ſæpe vobis inculcent: quàm prudenter in iſtud evigilent, ne quid mali & inertis Otii veſtros in labores irrepat. Norunt illi nimirum non agi modò eruditionis ac doctrinæ rationem, quam vanam & inanem Otium efficit, ſed conſcientiæ integritatem, morum innocentiam, ipſam animæ veſtræ ſalutem in apertum diſcrimen adduci.

Quamobrem oro vos etiam atque etiam, per eum quem habere debent Adoleſcentes ingenui, ac piè liberaliterque inſtituti, quales eſtis vos, cujuſ-

cujuſcumque pravitatis horrorem; per ſtudium tuendæ pietatis atque innocentiæ, per ſalutem veſtram, qua nihil debet vobis eſſe antiquius, fugite diligenter ab Otio. Hoſtem illum perditoremque temporis, infamem virtutum omnium ſcopulum prudenter declinate: ac ſi quid fortè illius veternæ labis veſtrum cuipiam inuſtum eſſet, totum illud ſic expurgate; ut, quem Deus à vobis repetit, ſtrenuum deinceps diligentemque in Litteras animum afferatis.

DE PROMOVENDIS diligenter Studiorum laboribus.

ORATIO XIV.

Erudire, ne fortè recedat à te anima mea. Jerem. 6.

Etſi quæ diximus nuper de otio effectiſque illius triſtiſſimis eam habere vim debent apud animos uniuſcujuſque veſtrum, ut bene collocandi in Literarum ſtudio temporis neceſſitatem demonſtrent; tamen non poſſum mihi hodieque temperare, Adoleſcentes Chriſtiani, quin eidem argumento novum aliquod pondus adjicere, novam afferre lucem aggrediar. Neque verò pertimeſcendum putem, ne, dum ſingularem inter ſtudendum diligentiam vobis rurſum inculco, id vel alieno tempore facere videar, vel conſecratam rebus piis bonæ diei particulam defraudare. Adeo non alia re magis promoveri puto in vobis poſſe pietatis atque innocentiæ ſtudium, quàm ſi incredibilem quandam diſcendi, proficiendique in Literis cupiditatem ſingulorum animis ingeneraverim.

Atque utinam, quod longiori rerum uſu habeo comprobatum, perſuadere id vobis poſſim, tantam eſſe hac ætate veſtra pietatis atque innocentiæ, cum ſtudio Literarum conſenſionem, ut quantum de ſtudendi diligentia detrahitur, tantum de fervore pietatis morumque integritate depereat. Verum quia id ipſum tractavimus jam fuſiùs, aliam hodie inire viam ſtatui, ad ſuſcitandam in vobis actuoſam diligentiam, & novam inter ſtudiorum labores alacritatem ſtimulandam. Geminum propono vobis diligentiæ incitamentum, ſingularis utrumque efficaciæ, ſi qua divini obſequii, ſi qua utilitatis veſtræ ratio vos moveat. Poſtulat hoc à vobis Deus, cui nihil gratum magis & acceptum ſit, quàm ſi ſtrenuum ad Literas animum afferatis; hoc primum. Id ipſum veſtra ſalus exigit, cui promovendæ nihil eſſe poſſit utilius, quàm ſi adoleſcentiæ veſtræ tempus in ſtudio feliciter conteratis, hoc alterum. Utrumque breviter expendamus.

Ac primùm quidem ſtatuo, nihil præſtare vos poſſe, quod gratum & acceptum magis Deo ſit, quàm ſi diligenter ſtudueritis; quamobrem id dicam, intelligite. Atque ut ne vos moter, quæro à vobis, Adoleſcentes; quam putatis propoſitam eſſe ſingulis hominum optimam placendi Deo rationem? Illam, opinor, ſi obſequentes ſe in omnibus divinæ voluntati, & in iis præſertim, quæ ab unoquoque potiſſimùm exigit, obtemperantes exhibeant. Nempe ea re tota perfectionis ac ſanctitatis humanæ ratio continetur, ut hominis voluntas cum voluntate Dei planè conſentiat, eoque ſolet eſſe illa illuſtrior, quo firmius atque arctius fuerit divinam inter & humanam voluntatem neceſſitudinis vinculum. Tanto igitur placebitis Deo magis, Adoleſcentes, quanto promptiores ad obſe- I Pars.

obſequendum Deus vos inveniet ; quanto præſtabitis illud accuratiùs , quod in præſentibus temporum rerumque adjunctis à vobis maximè ac ſingulariter exigit.

At quod eſt illud obſequii genus , quo vos commendare magis apud Deum liceat , niſi ut conſtanti & aſſidua animi contentione in ſtudia veſtra incumbatis ? Quid jam à vobis Deus ſingulariter poſtulat , niſi ut abjectis rebus cæteris ſtrenui ac diligentis Scholaſtici partes omnes alacriter obeatis ? Quæ ſunt porro Scholaſtici partes, & quibus officiis Scholaſtici nomen conditioque deſignatur ? Scholaſticum intelligimus , qui ſecluſus à reliquis vitæ hujus occupationibus uni rei literariæ operam impertit : cujus conſilia , contentiones , ſtudia , labores, tota denique ſedulitas ad eum finem dirigitur, ut in Literis proficiat ; cui nihil tantam laudem ac gloriam afferre poſſit , quàm ſi doctrinæ & eruditionis fama floreat.

Hæ ſunt omnino partes ætatis conditioniſque veſtræ, Adoleſcentes ; his limitibus atque terminis circumſcribitur , quidquid Deus pro jure in vos ſuo exigendum habet . Veniet tempus, cùm pro varietate ſortis & inſtituti , cui veſtrum quemque Deus idem applicuerit, alia ab aliis obſequia repetet . Hunc in ferendis judiciis æquitas , illum in defendenda patria animi magnitudo , iſtum in faciundis mercaturis probitas , alium tuendæ religionis ſtudium , alium ſtrictioris vitæ obſervantia , alios aliæ virtutes diverſum ſecutos vivendi genus apud Deum commendabunt.

Jam verò dicite , amabo vos , quid inſtat , quid incumbit vobis omnibus ac ſingulis præter ſolitos ſtudiorum labores ? Nulla vos rei domeſticæ cura , nulla colligendarum opum anxietas , nulla ambiendi muneris ſollicitudo , nullæ negotiorum moles detinent vel remorantur . Liberi omnino rerum iſtarum moleſtiis hoc unum habetis cogitandum , ut diligentem in Literarum ſtudio operam ponatis . Hoc parentes domi , moderatores in ſcholis, hoc etiam multo efficaciùs veſtris animis inculcat Deus , cujus plena ſummæ benignitatis providentia tam abunde , tam amanter vos inſtruxit ab iis omnibus , quæ ſtudendi deſiderium promovere atque incitare poſſent . Quid enim eſt hìc , Adoleſcentes , quod ſtudium non ſuadeat , quod ſtudium non inſpiret ? quid loquar quotidianas exercitationes , magiſtrorum vigilantiam , ſociorum exempla , concertationes eruditas , palmares laureas doctarum frontium præmia ? Parietes ipſi, ita me Deus adjuvet , eruditionem , doctrinam , laborem perſonant . Hæc ſcilicet adjumenta Deus Optimus Maximus ætati veſtræ ſuppeditat , cùm ut acriori animo ad exhantlandos ſtudiorum labores accedatis , tum ut impoſitam vobis diligenter ſtudendi gravem neceſſitatem intelligatis.

Quàm ſeverè ergo animadvertendum eſſe putatis aliquando in eum adoleſcentem , qui , cùm ſenſerit , hunc eſſe divinæ voluntatis ordinem , ut adoleſcentia tota ſtudiis traducatur , non cavendum ſibi putaverit præter cætera , ut in excolendis aſſiduè conſtanterque ſtudiis illam vitæ partem exerceret . Qui tam pretioſum tempus otio , nugis , ludo contriverit : qui oblata proficiendi in Literis facultate abuſus fuerit ; qui moderatorum ſollicitudinem , vigilantiam , ſedulitatem ſupervacaneam & inutilem reddiderit ; qui parentum impenſas , vota , ſpem , expectationemque fruſtratus fuerit ? Nam quis exiſtimet Juvenem ita comparatum

Digitized by Google

vacare culpis gravioribus, quæ lethalem inferunt animæ plagam & ſempiterni exitii periculum accerſunt? Tu nimirum tibi conſcius dictam hanc legem ætati conditionique tuæ, ut mancipata Literarum ſtudio tota ſit, nullo pones in loco ſingulis prope momentis voluntati divinæ refragari? tu docilitatis oblitus & obſequii præſcriptam à Magiſtris vivendi normam ac regulam prætergrediere? tu conſecratam laboribus juventutem agendo nihil, aut etiam corruptela depravando tranſiges; nec tibi gravioris flagitii reus videbere? Ah! ſi capitalem noxam pœniſque expiandam perennibus cenſetur admittere, qui præceptum quodlibet tranſgreditur vel ſemel; quanto nocentior ille majorique ſupplicio dignus apud Deum audiet, qui toto adoleſcentiæ curriculo nullum detrectandi imperii finem fecerit? Scilicet iſtud peccati genus cenſebitur inter illa piacula, quibus in ipſa ætatis levitate & inconſiderantia excuſatio ſit; quæ perſtringere leviter ſufficiat, cum expurganda in tribunali Pœnitentiæ conſcientia eſt? quorum gravitas negligentiam aliquam facilè condonandam non excedat? veſtrum ipſorum judicium, Adoleſcentes, veſtra exiſtimatio ſit. Putaſtis eſſe quid momenti tam infiniti, ſi quis ſtudiorum tempus deperderet? ſi Scholaſticum penſum multos per menſes negligeret? ſi nullum ex bona ſanctaque inſtitutione vel pietatis vel doctrinæ fructum colligeret? An cùm ad deponenda peccata acceditis, diligenter excutitis ſtudiorum veſtrorum rationem? an longam ſupinamque deſidiam lethalium criminum habetis in numero? an defletis, ut par eſt, gravem jacturam temporis? an ſincerum emendationis propoſitum elicitis? Proh! Deum immortalem! quàm multa ſibi quiſque veſtrum exprobret in hac parte, ſi perſcrutari arcanos conſcientiæ ſinus voluerit! quot prætermiſſa fortè reperiat inter confitendum, tanquam delicta levioris notæ, peccata, quæ maturam ac ſeriam attentionem requirebant! ſaltem ah! quod erratum eſt ignoratione magis, ut ego lubenter crediderim, quàm animi perverſitate, ſic corrigite, Adoleſcentes, ut ante omnia defigatis animo penitiùs, nihil eſſe quod iniquiùs ferat Deus, quàm negligi à vobis ſtudia Literarum, quibus addictam eſſe ætatem veſtram voluit; nihil, cujus tam ſeveram, quàm exactæ ſegni in otio adoleſcentiæ rationem ſit petiturus.

Id porro adeo verum eſt, ut reliqua, quæcumque illa ſint pietatis ac Religionis officia, placere Deo non valeant, ſi ſtudendi voluntas atque diligentia defuerint. Non ſi dies integros orando meditandoque conſumatis; ſi vinctos in carcere, infirmos in noſocomiis viſitetis; ſi deſtinatam oblectando genio pecuniam in pauperes erogetis; ſi quas etiam corporis afflictiones ultrò exerceatis, iſthæc omnia quidquam vobis coram Deo profuerint, niſi ſingularis quadam inter ſtudendum ſedulitas piis alioquin operibus quaſi facem prætulerit. Quæ porro cauſa eſt? quia nimirùm, ut jam innui, cùm tota rei cujuſcumque perfectio ex ea, quam habet cum voluntate divina, conſenſione dependeat; neceſſe eſt, ut, quidquid ad illam rectitudinis regulam exactum non fuerit, laude omni careat ac ſpolietur.

Hinc porro quanta conſolationis ſeges exſurgit adoleſcenti, quem unus officii ſui amor ſollicitat, & ſincerum Deo placendi deſiderium incendit; cùm affixus libris ſuis, obluctante nequicquam ac dehortante ſtu-

ſtudiorum faſtidio, hac ſe cogitatione paſcit ac recreat. Felicem me, quem Deus imperio docilem & obſequentem habet! qui nihil facere poſſim in præſentia Deo gratum & acceptum magis, quàm id ipſum quod ago. Si quid durum occurrit identidem, ſi vis indoli facienda, ſi certandum mihi improbo cum labore & intricatis ſtudiorum ſalebris; teſtis eſt Deus illius certaminis, idemque reportandæ mox victoriæ magnificus munerator futurus eſt! Nam quid ego facere cupidiùs amſiam, quàm quod mihi nunc faciendum incumbit; quando nullum aliud obſequii mei ſpecimen Deus expectat? Magnum quiddam eſt, & dignum Chriſtiana æmulatione facinus apud barbaras gentes prædicare Chriſti fidem, & editis palàm miraculis Evangelium approbare. At, nec ſi ego jam id facerem, tam placerem Deo, quàm placere mihi gratulor, cùm lectito vel ſcribo, quod mihi à Magiſtris præſcriptum eſt; quoniam divina voluntas, fons & origo totius ſanctitatis, laboribus meis vel exiguis pretium accerſit; quo valere nequeant cætera quantivis momenti facinora, quæ nullà divinæ voluntatis nota ſignarentur. Quantum enimverò in hac cogitatione præſidium, Adoleſcentes, ad ſuſcitandam in vobis actuoſam diligentiam! Ergo cùm ad ſtudendum acceditis, cùm laboris ardor & alacritas refrigeſcit, cùm ipſa parandæ ſcientiæ difficultas tædium parit atque faſtidium; meminerit unuſquiſque veſtrum hanc eſſe optimam placendi Deo rationem, ſi magno fervore animi in ſtudia Literarum incumbat. Tum, mihi credite, novum robur accreſcere, mitigari moleſtias, vaneſcere faſtidia ſentietis. Hactenus de priori parte: nunc in poſteriori demonſtrandum, nihil præſtare vos poſſe ad ſalutem utilius, quàm ſi ſtrenuè ac viriliter ad ſtudendum accedatis.

Hic verò proſequi operoſiùs non velim, quàm multa ſalutis impedimenta removeat ſedulus in ſtudendo labor, quàm pernicioſos præcludat vitiorum fontes, quæ adoleſcentum mores corrumpunt plerumque ac labefactant. Nam quis alienus magis vivit ab omni ætatis illius corruptela, quam qui diligentem & accuratam Literarum ſtudiis operam impendit? Date mihi aliquem tam ſecurum ab inertiori otio, tam munitum ab inſana ludi prurigine, tam feliciter adverſus ſocietatis malæ contagia comparatum: ex hoc enim triplici fonte ſcaturiunt præſertim & ubertim profluunt cæteræ labes animi, quæ Juventutis innocentiam vitiant ac dedecorant. Unde mihi quiſquam contrà, qui pudorem ac caſtimoniam colat impenſiùs? qui ſe docilem magis ac manſuetum exhibeat? qui promptior ad ſingula pietatis officia atque alacrior inveniatur, quàm qui abditus in muſæo laborioſis ſtudiorum curis ſolidos dies conterit ac traducit? adeo Literarum amore quiſquis incenditur, ab infeſtis corruptelæ illecebris tutus, & in virtutem flecti cereus eſt! Verùm dicamus aliquid, Adoleſcentes, unde liquidiùs etiam, ſi fieri poteſt, intelligatis, quantam aſſidua ſtudiorum contentio cum re ſalutis veſtræ neceſſitudinem habeat. II. Pars.

Cùm momenti eſt ad ſalutem æternam maximi eam ingredi vitæ conditionem, quàm ſingulis hominum divina providentia deſignavit, & in ea ſuis accuratè defungi officiis, tum profectò ſic utrumque ab illa, quam quis adoleſcentiæ tempore ſtudiis navaverit, opera vulgò dependet, ut qui fuerit in ſtudendo remiſſus ac negligens, neutrum aſſequi poſſe videatur. Quid enim facit multorum im-

pre-

perdiſcendis Litteris ſocordia, niſi ut vocantis ipſos Dei & ad certum aliquod vitæ genus invitantis conſilia ſuo plerumque effectu careant? niſi ut perturbetur ratio ordinis, quem ſupremi Numinis æterna lex in aſſignandis ſuis cuique partibus ſtatuerat? niſi ut doctrinæ atque eruditionis vitio Adoleſcentum bona pars aut recedat à præſcripta ſibi ſorte, aut eadem ſuum ad dedecus & exitium abutatur? Age enim, quiſquis ſtudia tua negligis, qui ſcientiam nullo ponis in loco, qui turpis ignorantiæ nomine etiam gloriaris; qui ſcis, num te rerum omnium moderator Deus ad eum vocaverit vitæ ſtatum, qui hominem peritum Literarum & in aliquo doctrinæ genere verſatum requirat? Si res ita ſe habet, quemadmodum licet facere conjecturam de multis, jam à te peto, quid ſtatuendum de te putes in his rerum adjunctis? Vel enim amplecteris eam vitæ conditionem, quam Deus tuam eſſe ab æterno voluit, vel ab ea certè recedes; ſi ab illa receſſeris, ut par eſt, ignorantiæ tuæ conſcius, vide quàm meritò pertimeſcendum habeas, ne & à cœleſti gloria aliquando excludaris; ad quam rarò quis unquam perveniat, niſi per apertam ſibi à Deo ſemitam perrexerit. Sin autem rudis quantumvis & imperitus illi te applicueris, vel parentum, ut vulgo fit, impulſu, vel propria voluntatis inclinatione, quia ſcilicet habet illa quidpiam quod percellat oculos & æſtimationem apud homines conciliet; attende, quæſo, mecum, quibus te periculis exponas, quàm impar viribus tuis ferendum onus aggrediare. Tu nimirum nullis doctrinæ præſidiis inſtructus indues magiſtratum & de capite fortuniſque hominum ſententiam feres? Tu vix leviter tinctus literis Sacerdotio defungere, & pretioſiſſimum Christi Sanguinem in Sacramentorum adminiſtratione temerè diſpenſabis! tu craſſiore notus ignorantia interponere te difficillimis in rebus arbitrum ac judicem ſuſtinebis? At quantis, amabo, conſcientiam tuam criminibus oneras? quot ſcelerum, quot flagitiorum in partem accedis? quàm multis pro delictis, à quibus te credis alienum, animæ tuæ ſalutem oppigneras?

Quanquam video quò te proripias, audio quid reſpondeas, & quam temeritati tuæ cauſam obtendas, intelligo. Aderit tempus, inquies, cùm emerſus tandem è ſcholarum tenebris animum ſeriò ad ſtudium adjungam, cùm perdiſcam illa diligenter, quæ muneris mei ratio poſtulabit; cùm explendis officii mei partibus accuratum me atque attentum exhibebo. Erras, Adoleſcens Christiane, ſi futurum confidis, ut matura tandem ætate pravum negligentiæ habitum corrigas, quem adoleſcentiæ tempore contraxeris. Creſcunt, mihi crede, confirmanturque progreſſu temporis juventutis vitia, & ægro in corde conſeneſcunt. Scilicet olim jam grandior tuique juris arbiter hærebis ſolidos dies concluſus in muſæo, qui nunc vix depulſus à lacte, & quotidiano penſo adſtrictus unius horæ ſpatio cubiculi tui faſtidium non ſuſtines? Tu poſt aliquot annos provocatus blandiſſima coætaneorum ſocietate, mille voluptatum illecebris laceſſitus, gratiſſimis hinc atque inde omnis generis oblectamentis irritatus, interim inter latebras moroſus ac tetricus chartis impalleſces, qui jam ſeclusus ab illis Literarum impedimentis tot inter Sociorum exempla ſingulari animi alacritate ad ſtudia incumbentium otiaris turpiter ac conſeneſcis? Tu barbatus aliquando difficiliores reconditioris doctrinæ moleſtias devorabis; qui jam tam opportunior-

por-

portuna tam accommodata ſtudiis ætate facillima Litterarum rudimenta faſtidis? Erras, inquam, iterum repeto, erras, vel ſi mihi affirmanti non credis, habe Spiritui ſancto fidem ſapientis ore teſtanti quoniam *Adoleſcens juxta viam ſuam etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Otioſus es id temporis, deſes, laboris impatiens; neque tu cùm exceſſeris ex Ephebis otium exues, deſidiam ejurabis, aut ſtudiorum pondus æquiùs patiere.

Prov. 22.

Ergo niſi torporem, ac veternum jam deponis, contractam adoleſcentiæ tempore otiandi conſuetudinem per omnes ætatis gradus circumferes; quodcumque ſequeris olim inſtituti genus, adhæreſcet uſque labes illa, teque mancum & inutilem ad ſingulas officiorum tuorum partes exhibebit. Non te vel æmulatio gloriæ, vel nominis exiſtimatio, vel rei ipſius amplianda cupiditas ſtimulabit ad laborem, adeo nihil ſectabere penitus aut amabis præter inertiſſimum otium & molliſſimam voluptatem. Interim quis erit æternæ vitæ guſtus ac ſenſus, quæ laboris unius fructus eſt? quam ad comparandam perpetua tum corporis, tum animi contentio requiritur; cujus potiundæ fovere nemo ſpem debet, niſi qui teſte Apoſtolo legitimè, hoc eſt viriliter conſtanterque certaverit; Illius, credo, veniet in partem, qui perenni diffluens otio vitam agendo nihil totam contriverit?

2. Tim. 2.

Atquì ſors erit hæc tua, Adoleſcens deſidioſe, qui jam incipis inter ſtudendum torpeſcere, qui Scholaſtici penſi onus ferre non vales, qui laboris faſtidio capeſsendæ eruditionis facultatem, quam nactus es, temerè negligis; hæc, inquam, erit ſors tua, ut quamcumque ineas olim vitæ rationem, tui ſemper ſimilis nec ſegnitiem unquam exuas, nec agere quidquam ſtrenuum ac laudabile inducaris.

Ah! ne tam funeſtam tibi ſtruas ipſe perniciem; ſed medere malo potiùs, dum res tuæ adhuc in integro ſunt; exere vim inſitam actuoſæ mentis, quam tibi Deus impertiit, ad extirpandam penitus ſegnitiem malam, quæ tuos in mores graſſari jam cœpit; reſume alacriter intermiſſos ſtudiorum labores, & quoniam tantam habent illi cum re ſalutis ipſius neceſſitudinem, cave diligenter, ne, dum laborem defugis vel tædio, vel difficultatum metu, inſiſtendam ſalutis ſemitam pariter declines. Cogita, amabo, niſi te ad acquirendam ſcientiam accinxeris viriliter, quid reſponſurus Deo ſis, cùm perditum malè adoleſcentiæ tuæ tempus exprobrabit; cùm graves lapſus, quos rerum inſcitia atque ignoratione feceris, palam objiciet; cùm turpiſſimam morum corruptelam, in quam famulante otio atque deſidia deveneris, in ipſo totius univerſitatis conſpectu revelabit.

Miſerrime Adoleſcens, inquiet Chriſtus Dominus, meminiſti, quibus ego te præſidiis inſtruxeram, ut peritum in virum olim evaderes? Parentes habuiſti cupidos inprimis ac ſollicitos inſtitutionis tuæ, qui nullis pepercere ſumptibus, ut te liberaliter educarent; nactus eras facilitatem ingenii, vim, perſpicaciam, quibus abſtruſiores diſciplinarum latebras nullo negotio pervaderes. Dederam tibi ſapientiſſimos ſtudiorum tuorum moderatores, quorum opera ſummum quemque doctrinæ cujuſvis apicem feliciter pertingeres: in eo te conſtitueram florentiſſimæ Juventutis Lycæo, ubi quotidiana accuratioris diligentiæ exempla ſuppeterent: Socios tibi adjun-

Junxeram patientes laboris, tamque ſtudioſos eruditionis bonæ, quàm cupidos pietatis & innocentiæ cultores. Tot inter adjumenta atque incitamenta diligentiæ non puduit eſſe te otioſum ac deſidem? Vide, infelix Adoleſcens, vide, quid feceris, unde excideris, & quò tandem deveneris. Si te liberalibus diſciplinis diligenter excoluiſſes, ſi perfunctus ultro ſtrenui Scholaſtici officiis aliquam doctrinæ laudem meruiſſes, id tibi præparabam vitæ genus, quod ingreſſus ſemel gratiſſimam mihi exhibuiſſes ſervitutem, & certum contra vitiorum illecebras ſalutis præſidium inveniſſes. Nunc verò fecit tua in ſtudendo ſocordia, ut de curriculo deflexeris, illudque amplexus fueris inſtitutum, cui nec eras deſtinatus à me, nec propter inſcitiam & longam pigritiæ conſuetudinem ſatis aptus, nihil mirum, ſi tot impegeris vitiorum in ſcopulos, & irreparabilem animæ tuæ jacturam feceris.

Prævertite cautione ſalutari tam juſtas omnipotentis Dei querelas, Adoleſcentes, petite cum dolore veniam traductæ infeliciter juventutis; reſarcite, quantum erit in vobis, veteres ſtudiorum veſtrorum ruinas, &, quod ſupereſt ultra tempus, Literis ſic impendite, ut beatam ipſius pretio æternitatem promereri poſſitis.

DE PERSEVERANTIA
Chriſtiana.

ORATIO XV.

Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Matth. cap. 10.

NUllus ego dubitem, Adoleſcentes Chriſtiani, quin, per iſthæc ſacrorum dierum ſolemnia, divinis, quotquot eſtis omnes, refecti inſtauratique myſteriis vel amiſſam peccato gratiam recuperaveritis, vel ſi, quod multo lubentiùs crediderim, ab ea excidere non contigiſſet, veteres gratiarum theſauros novis amplioribuſque cœleſtium donorum opibus cumulaveritis. Fecit enim ſingularis illa pietas, cujus ipſi teſtes magno animi gaudio extitimus, ut de vobis aliter æſtimare non liceat. Qua in re cùm & mihi, pro ea qua unumquemque veſtrum in Chriſto proſequor, ſincero charitatis affectu, vobiſque omnibus non mediocriter gratulor, tum diligenter commonendos atque exhortandos puto, ut in ea, quam accepiſtis, gratia fideles atque conſtantes ſitis. Nam quid, amabo, cum Chriſto reſurrexiſſe vobis profuiſſet, niſi cum eo nunquam deinceps morituri pariter reſurrexiſſetis? Quò pertinuiſſent tot amari fletus, quibus licentioris vitæ flagitia abluiſtis, ſi in eadem poſtmodum relaberemini? Quid juvaret tam enixis precibus, tam aperta animi verè contriti ſignificatione promeruiſſe reconciliationis beneficium, ſi ab eodem poſt aliquot dies excideretis? ſatius ah! multo fuerit, parcite, ſi dico, Adoleſcentes, non rediiſſe cum Deo in gratiam, quàm ea rurſum committere, unde iraſci-

vobis denuò, & veteres renovare inimicitias poſſit.

Quod malum ut à veſtris cervicibus avertam, operæ pretium eſſe exiſtimo, ſi vos ad tuendam conſervandamque omni ſtudio, quam ex piis Sacramentorum fontibus hauſiſtis gratiam, animos veſtros accendam. Attendite igitur, &, quam inii viam ingenerandi vobis perſeverantiæ Chriſtianæ deſiderium, intelligite. Geminum erit hodiernæ Orationis caput: Dicam primùm de neceſſitate Chriſtianæ Perſeverantiæ; deinde, quibus rationibus pervenire ad illam poſſitis, explicabo.

I. Pars. Ac primum quidem talis eſt illius Perſeverantiæ neceſſitas, cujus in vobis ſtudium incendere velim, ut niſi ad aſſequendam illa totis viribus contendatis, nec promiſſam Deo fidem exſolvere, nec ſaluti veſtræ providere poſſitis. Revocate enimverò in memoriam, Adoleſcentes, quo ſenſu, quo affectu animi ad ſacra myſteria nuperrimis diebus acceſſeritis. Quibus, amabo vos, conditionibus impertiri vobis divinæ reconciliationis gratiam poſtulaſtis? qua lege ſacris advoluti altaribus delictorum veniam efflagitaſtis; quo pignore pacti toties cum Deo fœderis turpiſſimi contemptores exoraſtis, ut in ipſius benevolentiam rurſus admitteremini? Doluiſtis, ingemuiſtis, neque lachrymis etiam pepercistis. Exhorruiſtis illa flagitia, propter quæ offenſus meritò Deus vos abjecerat: maledixiſtis habitibus pravis, quibus vitiorum in ſemitam abrepti in perniciem ruebatis: cautiores vos deinceps & attentiores rebus veſtris, in declinandis periculis prudentiores, in coercendis cupiditatibus effrenis fortiores, in tuendis cœleſtibus donis diligentiores vos fore promiſiſtis, voviſtis, juraſtis. Nunc ergo, niſi perfidum dixiſtis Sacramentum, quo pacto affectos eſſe vos neceſſe eſt erga illam gratiam, quam tot inpenſis veſtris, tam enixis redimendam precibus judicaſtis? quid non aggredi vos, quid non perpeti, quibus non rebus carere priùs vos oportet, quàm ut pretioſum illud munus, quo jam per ſummam Dei miſericordiam fruimini, in poſterum amittatis?

Age enim, Adoleſcens Chriſtiane, quiſquis es; ſi fatali, quam feciſti ipſe ſæpiùs, experientia didiciſti, quàm parum profuerint adverſus cupiditatum tuarum incitationes quæcumque elicuiſti hactenus melioris vitæ deſideria, tene liberandæ, quam dediſti Deo, fidei cupidum perſuadebis, niſi diligentem in reprimendis violentis animi tui motibus navabis operam? ſi conſcius ipſe infirmitatis tuæ non experiris in te ſatis roboris ad perfringendam impiorum ac licentiorum adoleſcentum audaciam, ſi quando illi innocentiæ tuæ molientur inſidias, tene recuperandæ gratiæ ſtudio ad Sacramenta acceſſiſſe arbitrabor, dum impellente nemine, nemine incitante periculoſos flagitioſorum Juvenum cœtus conſectabere, dum eorum delectabere colloquiis, dum te in ipſorum familiaritatem per fas ac nefas intrudes? Denique niſi obviam iveris ſedulò, & promptum iis omnino rebus remedium, unde jacturam divinæ benevolentiæ pati poſſes, attuleris, quis te ſenſatus ejuſdem retinendæ ſtudioſum credat, vel quis te potiùs diſſimulatorem, mendacem, proditorem non pronunciet?

Jam verò expendite, quæſo, mecum, quo tandem fine, Deus ipſe debitas ſceleribus veſtris pœnas tam liberaliter remiſerit: quo vos conſilio ſempiternis ignibus toties mancipatos in ſpem beatæ immortalitatis reſtituerit: quorſum ſuam vobis gra-

tiam

Digitized by Google

tiam tot laborum, quos pertulit, fructum, effuſi per mille plagas ſanguinis mercedem, obitæ cruciatus inter acerbiſſimos mortis pretium indulſerit? An ut tantæ bonitatis obliti novis ipſum flagitiis poſt aliquot dies provocaretis? an ut deſpecta, quam vobis promeruit, gloria veſtram ad perniciem animum obſtinaretis? an ut pretioſiſſimum, quod largiti poterat, ſui in vos amoris monimentum quoquo ſtatim tempore, qualibet occaſione data proſtitueretis. Revocate, etiam atque etiam precor, memoriam verborum illorum quibus vos Chriſtus ad communionem ſui corporis admiſit. Nunquam fortaſſe vobis venit in mentem cogitare quanta vis eſſet in iis vocibus, quàm grande myſterium celaretur. Dum enim ad ſacram menſam accederetis, dum Sacerdos vobis divinam hoſtiam porrigeret, ſic admonuit ſingillatim unumquemque veſtrum, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam*. Quod dum diceret, quid aliud innuebat, niſi benigniſſimum Dominum ſuum vobis corpus in cibum, ſuum ſanguinem in potum ea mente tradidiſſe, ut certiſſimum in eo Sacramento præſidium ad conſervandam in perpetuum tempus gratiam, quæ ſpiritalis vitæ anima eſt, haberetis. Nam ſi in aliquot tantùm vel dies, vel hebdomadas, vel menſes producendam in vobis cœleſtem vitam Chriſtus cenſuiſſet, fruſtra edendum obtuliſſet divinum illum panem, quem ipſe ad eum finem lapſum de cœlo profitetur, ut qui ex eo refectus fuerit, vitam in ſe perpetuò manentem poſſideat. *Hic eſt panis*, inquit Chriſtus conceptis verbis, *qui de Cœlo deſcendit, qui manducat hunc panem vivet in æternum*. *Joan. 6.*

Si quem tamen minus moveret perſolvendæ, quam juravit Deo, & quam Deus ipſe repetit, fidei neceſſitas, cogitet ille ſecum quanto verſetur in periculo ſuæ ſalutis, niſi omni ſtudio ac diligentia, in ea, quam accepit, gratia conſtanter perſeveret. Hæc enim unica fermè via eſt, Adoleſcentes, qua ad Perſeverantiam finalem ipſamque adeo immortalitatem pervenitur. Eſt enim divina prædeſtinatio, ſi Theologos ſanctoſque Patres audimus, inſtar catenæ cujuſdam aureæ, quæ multis ex parte Dei gratiæ cœleſtis auxiliis, multis itidem actibus ex parte hominis gratiæ obſequentis, quaſi totidem annulis connectitur ac continuatur. Porro actus illi omnes, quotquot ſunt, ad Perſeverantiam Chriſtianam pertinent, cujus eſt per varios illos actus ſic hominem circumducere, ut ad extremum denique perveniat, quem perſeverantiæ finalis actum appellamus. Eſt autem inter perſeverantiam vitæ, mortiſque perſeverantiam ſimilitudo tanta, tanta connexio, ut ad hanc niſi per illam pervenire non poſſis. Fruſtra te in ſtatu gratiæ moriturum confidis, niſi, dum vives, in eadem gratia perſtiteris. Nam licet gratiam illam finalem, per quam beatæ felicitatis reſeratur aditus, nemo hominum promereri ex juſtitia poſſit, ſed ex unius Dei miſerentis cujus vult, voluntate tota dependeat: tamen hæc eſt ſumma ejuſdem Dei benignitas, ut illam in Perſeverantiæ Chriſtianæ præmium nobis promiſerit; *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*, *Matt. 10.* inquit Chriſtus. Quæ verba ſubjicit Auguſtinus, quòd non de gratia ipſa Perſeverantiæ, ſed de virtute Perſeverantiæ Chriſtianæ accipienda ſint, vel ex eo patet, quia perſeverantiam illam, ad quam Chriſtus nos incitat atque accendit, & in uniuſcujuſque noſtrum arbitrio poſitam

tam innuit, & æterna gloria remunerandam aliquando profitetur. Hinc eſt quòd Spiritus ſanctus in Apocalypſi eodem planè ſenſu nos admo-
Apoc. 10. net atque adhortatur, *Eſto fidelis uſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ*. Quare non miror ſi B. Paulus, peracto feliciter ſecundùm Dei leges vitæ tramite, vicinus morti plenus confidentia exclamaret, *bo-*
2. Tim. 4. *num certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus judex*.

Quotuſquiſque veſtrum eſt, Adoleſcentes, qui ad gratiam Perſeverantiæ finalis non adſpiret? quis eſt qui votis omnibus certiſſimum illud æternæ gloriæ pignus non ambiat? ſed quid vos interrogo? Ipſos etiam interrogemus, qui ſunt in re ſalutis maximè incurii ac negligentes, homines impios, nefarios, perditos percunctemur; numquis erit unus eorum aliquis qui cum ſcelerato Ba-
Num. 23. laam non exclamet, *moriatur anima mea morte juſtorum!* verum audite, quid Bernardus hujuſmodi hominum votis reſpondeat. *Vivat anima tua vita juſtorum, ſi vis ut moriatur anima tua morte juſtorum*. Sic eſt, Adoleſcentes, nolite ſeduci inani con-
2. Tim. 2. fidentia, *nemo coronabitur niſi qui legitimè certaverit*. Hoc eſt: nemo Perſeverantiæ finalis gratiam obtinebit, niſi qui in tuenda ac conſervanda gratia fidelis uſque ad mortem extiterit. Parum enimverò aut etiam nihil homini Chriſtiano proſit feliciter vitam inchoaſſe, niſi fauſtis initiis par quoque finis reſponderit. Judas Chriſti diſcipulus inceptam piè ſanctèque vitam miſerabili fine concluſit; Paulus contra Eccleſiæ Chriſti primùm vexator ejuſdem defenſor ac propagator occubuit. In hoc igitur rerum ſummam exiſtimate poſitam, ut ad extremum vitæ terminum in ſanctitate perſeveretis; adeo nihil juvat ad ſalutem, ſi traducta ac contrita virtutum exercitatione vita lethalis noxæ conſcios mori contingeret. Neque enim, inquit Hieronymus, *in Chriſtianis queruntur initia, ſed finis*. Verum non ſatis eſt demonſtraſſe vobis, quanta ſit Perſeverantiæ Chriſtianæ neceſſitas; jam quibus præſidiis illam aſſequi liceat breviter videamus.

Infinitus ego ſim, ſi velim ſingulis inſiſtere momentis, quæ promovere in vobis Chriſtianæ Perſeverantiæ deſiderium poſſunt. Quare ſit mihi ſatis unicum hodie vobis proponere, quod inter cætera potentiſſimum eſſe ſemper duxi. Atque illud tale eſt, Adoleſcentes chariſſimi, ut frequenter revocetis animo & quaſi reguſtetis illos pietatis ſenſus, quibus incitari vos ad colendam virtutem, Deoque totis viribus obſequendum aliquando experti eſtis. Nemo veſtrum eſt, neque vereor, ne mea me fallat opinio, dum ſic auguror de vobis, nemo, inquam, veſtrum eſt, qui cùm ad ſacrorum myſteriorum communionem accederet, non ſenſerit ſe identidem uberiore quodam cœleſtis gratiæ lumine illuſtrari, & vehementioribus præter ſolitum divinæ charitatis ignibus ſuccendi. Quàm magnificè, quàm ſapienter, quàm piè de virtute, de Religione, de Deo, de veſtris officiis ſentire tunc vobis contigit! Quid non in iis temporum articulis Deo promiſiſtis? quo non in peccatum odio concitati, quid non parati fuiſtis aggredi vel perpeti, ne quid admitteretis, quod inurere animæ veſtræ labem poſſet? Nunc ergo veteres illos pioſque ſenſus, motus pietatis tenerrimos, ſanctiſſimos affectus revocet in memoriam unuſquiſque veſtrum, dum loquor, di- *II. Pars.*

catque ſibi ipſe tacitus. Agedum, anime; illa melioris vitæ incitamenta, quibus parendum eſſe quoquo pretio nuper æſtimabam, cur me jam vel impoſterum fidelem minùs aut minùs obſequentem inveniant? Illa Chriſtianæ religionis principia, quibus quaſi totidem rationibus neceſſariis adductus alium inire vitæ morem proponebam, quidquam ne auctoritatis illius atque ponderis, quod habebant, paucos poſt dies remiſiſſent? Tunc repetens ſpatium præteriti temporis, & memoriam pueritiæ recordatus ultimam judicabam, valedicendum mihi eſſe pravorum adoleſcentum cœtibus, abſtinendum ab impurorum librorum lectione, temperandum à flagitioſis colloquiis, aut ſpem ſalutis omnem eſſe abdicandam. An mea me ratio fefelliſſet? an inanibus deluſus terriculis credulus plus æquo aut meticuloſus extitiſſem? Tunc conſcius tenuitatis atque infirmitatis propriæ declinandas ſedulò quaſcumque peccandi occaſiones arbitrabar: nunc verò factuſne ſum aut robuſtior, aut valentior, aut contra difficultates ſalutis comparatior, ut quælibet adire pericula erecto atque aperto capite non pertimeſcam? Chriſtus, pro me paſſus, pro me crucifixus, pro me mortuus, ah! memini nullum ſatis grande videbatur animi grati monimentum repoſcere; num hodie Chriſtus deſit, aut aliquando deſinet eſſe mihi quod erat, an non potius idem ſemper Chriſtus eſt & heri & hodie & in ſæcula? Cur igitur alia nunc vel deinceps aut cogitem, aut ſentiam, aut velim, aut agam, quàm quæ tum & cogitabam, & ſentiebam, & volebam, & agebam? Idem erit ſemper Deus qui fuit, fides eadem, vis eadem legis, eadem officii mei neceſſitas. Cur ego mutetur animus in contraria, cur voluntas in pejorem inclinata partem deficiat?

Præclara enimverò, Adoleſcentes, atque efficax mirum in modum iſthæc excitandi ſe ſe ad Chriſtianam Perſeverantiam ratio! Vidi nuper aſpirante benigniùs divina gratia, vidi, quaſi oculis cernerem, rem ſalutis rerum eſſe omnium unam neceſſariam; atque huic veritati Evangelicæ, *quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, ſic acquievi totus, ut cætera omnia negotio ſalutis poſtponenda ducerem. Matt. 16 Sanuſne jam ego ſim, ſi breviſſimæ fœdiſſimæque voluptatis gratia æternæ damnationis periculum adeam? Nuper inter æſtus feriæ meditationis ferventiſſimos ſenſi nihil eſſe fragilius vita, quam ducimus; mori me poſſe quocumque momento temporis, conclamatam ſalutem fore, ſi me lethalis culpæ conſcium improviſus caſus opprimeret. Dixi, cavebo inprimis diem vel unum, noctemve breviſſimam in eo ſtatu vivere, in quo mori non velim. Miſerum me! ſi jam ſecurus inopinatæ mortis peccatorum in ſordibus ſtertere menſes integros non verear! Nuper, dum ad vivum repræſentarentur flammarum infernarum incendia, quas divinæ juſtitiæ furor caſtigandis æternitate tota hominum flagitiis ſuccendit, exhortui miſerabilem in modum, &, quod non perceperam adhuc ſatis, intellexi penitus, horrendum eſſe in manus Dei viventis incidere. An falſus ego ſim; an me vanus luſiſſet error meticuloſum nimis? aut ſi refigendum hinc nihil, neque timendus ſatis videri poſſit æternus ſceleris ultor Deus, cur ejuſdem iras in me ſuſcitem? cur æternæ damnationis adire diſcrimen non pertimeſcam?

Atenim non affulget jam menti lux

lux eadem, quæ nuper: refriguit penitus ille pietatis ardor, quo priùs animus incaleſcebat: prævaluit impetus pravæ cupiditatis ad vetera flagitia retrahentis. Ut ut eſt; quoquo deinceps modo afficiar, verum ſemper id erit, unum eſſe porro homini Chriſtiano neceſſarium; nullum eſſe ſocordiæ & inertiæ locum, ubi dies & hora mortis incerta ſit; nihil eſſe peccato lethali deteſtabilius, cui expiando æterna in Inferis ſupplicia deſtinata ſint. Nulla nec temporum injuria, nec voluntatum mutabilitas, nec perverſitas motum quidquam ex illis Chriſti oraculis detrahet: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem* ipſius *non tranſibunt.* Marc.13.

Iſthæc, amabo vos, Adoleſcentes, reputare vobiſcum frequenter, & attentis animis meditamini, ſi quando ſalutis veſtræ hoſtis infenſiſſimus ad oppugnandam innocentiam veſtram accedet. Si vos vel humanarum rationum momentis, vel exempli pravi ac pernicioſæ conſuetudinis obtentu, vel illicitæ voluptatis illecebra ad peccandum inclinabit; repellite illum viriliter ac dicite. Vade retro, Satana, memini me nuper iſtis omnibus, quibus me provocas ac laceſſis, nuntium remittere, cùm inter liquidiſſimos pietatis affectus ſacratiſſimo Domini mei Corpore paſcerer. Non habebis in me deinceps partem ullam, ſed Jeſus mecum erit in perpetuum tanquam bellator fortis, te verò inter perennes rogos, & nequiſſimos tuæ ſuperbiæ ac rebellionis comites ardere ac plorare æternùm jubeo. Quod utinam fortiter atque conſtanter præſtetis, Adoleſcentes, Deum Optimum, Maximum etiam atque etiam precor.

DE RELAPSU IN PECCATUM.

ORATIO XVI.

Cùm immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inveniens dicit, revertar in domum meam unde exivi; &, cùm venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Luc.c.11.

Satis opinor intelligitis, Adoleſcentes, ex illis vocibus, quas huic Orationi præfigo, futurum hoc mihi hodiernæ cohortationis argumentum; quàm metuendum ſit, poſt recuperatam ſacris in myſteriis Dei gratiam & abjurata crimina, iiſdem rurſum immergi, & tam ſolemnia Sacramenta novo perduellionis flagitio polluere. Cujus utinam ſceleris atrocitatem ſic explicare vobis poſſim, ut ſi, quæ diximus nuper de Perſeverantiæ Chriſtianæ neceſſitate, minùs apud animos veſtros ponderis habuiſſent, quæ dicturus ſum hodie de iteratis relapſibus vos à peccando deinceps deterreant.

Mihi igitur nunc ſermo eſt cum iis Adoleſcentibus, faxit Deus nemo hìc ſit; ad quem talis Oratio pertineat; mihi, inquam, nunc ſermo eſt cum iis qui repetitis flagitiis implicant ſe ſe, & perpetuas ſurgendi relabendique vices exercent. Quibus ego Theologorum omnium unanimi ſententia fretus, ſanctorum Patrum terribilibus anathematis munitus, ipſis Spiritus ſancti oraculis confirmatus ſupremum illud decretoriumque judicium pronuncio, aditum pœne omnem ad pœnitentiam ſalutemque ipſis præcludi.

Quæ-

Digitized by Google

Quærit Chryſoſtomus difficiliuſne ſit illæſam intactamque ab omni lethiſera labe integritatem toto vitæ tempore conſervare, quàm inflicto ſemel per peccatum vulneri facere medicinam. Facilem habet quæſtio illa primo aſpectu explicationem. Quid enim magis obvium, quid magis in promptu eſt, quàm ad Pœnitentiæ Sacramentum recurrere, ſi quando peccare contigerit; at verò quantæ molis eſt ita ſe tueri adverſus eas, quibus hæc vita obnoxia eſt, peccandi illecebras atque incitationes, nunquam ut, dum vives, tentationi ſuccumbas? Res aliter tamen ſe habet, ſubjicit Chryſoſtomus; neque ſatis dici poteſt, quàm turpiter hallucinentur illi, qui poſt graves iteratoſque lapſus facilem ſibi ad veram pœnitentiam aditum fore confidunt. Imò perſuadeant illi ſibi, nihil eſſe tam operoſum, quàm ut verè ac ſincerè, quemadmodum neceſſe eſt ad impetrandam ejuſmodi peccatorum veniam, ipſos pœniteat. Hujus porro difficultatis, triplicem, quam ſubjicio, rationem accipite. Primum difficultatis caput à Dæmone, alterum ab ipſo peccante, tertium à Deo ipſo proficiſcitur.

I Pars. Ajo Dæmonem poſt iteratos lapſus graviſſimum eſſe ad veram pœnitentiam obicem. Quamobrem id dicam, non ex hominum teſtimoniis, ſed ex ipſius Chriſti oraculis intelligite. Ille, ille vos doceat, quàm ſit miſera, quàm funeſta, quàm deſperata relapſi peccatoris conditio. Cùm eſt ejectus ab homine Spiritus immundus, inquit Chriſtus, ſi redit in idem hoſpitium, *aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, ibique ſimul omnes habitant, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Cùm peccaſti primùm, Adoleſcens Chriſtiane; cùm tentationis turpiſſimæ victus illecebris, vel nequioris ſocii colloquio aut exemplo ad flagitium illectus admiſiſti fœdam illam libidinem, qua vitiata cordis tui integritas eſt, unus in te Spiritus immundus erat; at cùm poſt ejectum ſævum illum hoſpitem eadem te macula contaminaſti, rediit idem immundus Spiritus cum ſeptem aliis nequioribus, & facta ſunt noviſſima tua pejora prioribus: facta eſt poſterior conditio tua priore longè deterior. Irrumpunt enim in animam tuam peſſimi Spiritus, illam ſpoliant, prædantur, expilant. Cur autem ille ſeptem nequiores adducit Spiritus? Nimirum ut ulciſcatur fugam. Ulciſcitur autem quot modis, Deus immortalis! furorum omnium facibus, quas accendit, omnium libidinum ſordibus quas allinit, omnium maculis & inquinamentis ſcelerum quæ coacervat, ſæviſſima & turpiſſima ſervitute cui mancipat. *In ejuſmodi hominibus*, inquit Auguſtinus, *Diabolus tanquam in mancipiis ſuis operatur*; regit eos ad arbitrium, & novo illo auctus ſatellitio jam validior robuſtiorque factus tyrannidem exercet duriſſimam: nihil niſi ex ejus imperio inſtinctuque geritur. Quidquid agis, miſerrime Adoleſcens, quidquid cogitas, quidquid loqueris, hoc dictante ac præſcribente Satana cogitas, loqueris, agis: te ductor infeliciſſimus ad modum ſegniſſimæ cujuſdam pecudis aurigatur.

Quàm procul ab iis, qui aguntur à Dei Spiritu, neque niſi ex ejus præſcripto quidquam aggrediuntur. *Vivo ego jam non ego*, inquiebat olim Paulus, *vivit vero in me Chriſtus*. Gal. 2. Tu verò qui novis recentibuſque flagitiis immane Dæmonum ſatellitium in pectus tuum admiſiſti; dic Adoleſcens infeliciſſime, ſi quis eſſes ejuſmodi, vivo ego jam non ego, vivit verò in me Dæmon: quidquid ſpiro, quidquid meditor, Dæmonis opus eſt, hoc agor Spiritu. Vivebat quidem in te

te Dæmon, cùm prima peccata commiſiſſes, ſed languidior quodammodo, ſed infirmior; ſed qui ejici facilè poſſet: jam adjuncto ſibi nequiorum Spirituum comitatu, robuſtior vividiorque vivit in te, ciet motus omnes, torquet oculos, linguam movet, auribus inſidet, membra omnia moderatur. Præeſt mentis tuæ imaginibus; has recondit, illas explicat, perturbat alias: illius judicio æſtimas omnia, illius nutu optas & eligis. Illa cogitatio prava, qua tantopere delectaris, non tua, ſed Satanæ cogitatio eſt; verba illa obſcœna, quæ profundis, verba ſunt Satanæ; illi contuitus, illæ cupiditates Satanæ ſunt. Hoc ſi crederes, iis certè non tam jucundè paſcereris, contremiſceres ad earum occaſiones leviſſimas, in te vivit Dæmon, & neſcis, te obſidet, te regit, te poſſidet, & ignoras?

Miraris, Adoleſcens miſerrime, ſi, ſubortis quandoque melioris vitæ deſideriis, medios inter niſus langues ac deficis; ſi, quibus olim adverſus peccatum concitabare ſtimulis, iiſdem jam penitus obdureſcis, ſi, quæ olim teneram mentem, neque dum flagitiis gravioribus per viam percellebant metuenda Dei omnipotentis judicia, eadem nullum apud te pondus, nullum momentum obtinent. An igitur ignoras, quia durus ille moderator, cujus ad arbitrium nutumque circumduceris, prohibet, ne bene monentis & à peccato dehortatis gratiæ motibus obſequaris; ne turpiſſimæ illius ſervitutis, cujus te jugo mancipavit, pœniteat; ne perniciosæ ſemitæ, quam decurris, miſerabilem exitum pervideas; vivit nimirum in te Dæmon, & cum eo vivunt ſeptem Spiritus nequiſſimi. Dominantur illi tibi, & arcem cordis tui, quæ priùs à Deo expugnata fuerat, tam validis, tamque firmis aggeribus muniunt, aditus omnes tam diligenter cuſtodiunt, ut jam invicta & inacceſſa ſit: aures, oculos ita obſtruunt, ut ea ferire neque ſacrorum luminum fulgura, neque concionum tonitrua poſſint, nullus ſalutis, nullus æternitatis ſenſus ſupereſt; projecta perditaque omnia.

Videte igitur, Adoleſcentes, ne vos duriſſimo tot tyrannorum imperio permittatis. Si ſummo Dei omnipotentis beneficio in Chriſtianam libertatem aſſerti eſtis, ſi vincula veſtra dirupiſtis, ſi turpiſſimum jugum excuſſiſtis, cavete, ne iteratis iiſdem criminibus in turpiorem ſervitutem incidatis. Dæmonem abjeciſtis, expuliſtis, ejeciſtis; at ſcitote futurum, niſi eadem perpetrandi flagitia finem faciatis, ut non eundem tantùm Dæmonem, ſed ſeptem alios ipſo nequiores vincendos ac ſuperandos habeatis.

Jam alterum proſequamur difficultatis caput, Adoleſcentes, quod ab iis ipſis oritur, qui perpetuis ſurgendi relabendique vicibus ævum exigunt. Quod uſu venire quotidie videmus, ut earum rerum, quæ ſæpiùs exercentur, ſenſim contrahantur habitus, quibus ad res eaſdem deinceps agitandas non faciliùs modò, ſed naturali quodam impetu animi inclinantur; id ſanè multo frequentiùs accidere ſolet iis, qui ſe repetitis flagitiis contaminant, eoque procliviùs pravos contrahunt habitus ipſa conſuetudine peccandi, quo incitatioribus vulgò motibus hominum indoles ad malum incitatur. Quantum ſit porro, quàm grave ad veram pœnitentiam ſinceramque ad Deum converſionem impedimentum prava quælibet conſuetudo, nemo ſatis intelligat, aut explicare poſſit, niſi qui vim illius propè inſuperabilem ſit expertus. Faxit Deus, Adoleſcentes chariſſimi, ut ve- II. Pars.

veſtro ipſi periculo nullius unquam cupiditatis tyrannidem comprobe.is. Hæc enim ubi ſemel diuturnitate temporis confirmata altiſſimas in corde radices egit, vix ac ne vix quidem illius extirpandæ libera facultas relinquitur. Nam ſic illa vires mentis corporiſque debilitat, ſic enervat animos, ſic totum hominem peſſumdat ac labefactat; ut, quantumcumque duriſſimum ſervitutis jugum excutere velle videatur, mediis in conatibus æger deficiat, neque ſe ab aſſuetis lapſibus continere poſſit. Fruſtra ſis ipſe, nam quoties ſacris in Literis inutilem ac ſupervacaneam apud homines ejuſmodi fuiſſe benevolentiæ tuæ vim conqueſtus es, ò Deus, fruſtraſſis, inquam, ſi blandiſſimis gratiæ tuæ illecebris animam turpiſſimæ ſervituti mancipatam revocare ad obſequium volueris. Quanta, quanta ſit cœleſtis luminis efficacia ad denſiſſimas quaſque tenebras diſſipandas, non diſcutiunt tamen caliginem illam opacæ noctis, quam peccandi conſuetudo obduxit: vel ſi perſtricti nonnunquam oculi ſplendore divinæ claritatis deformatam peccatorum multitudine animæ faciem reſpicere incipiunt, mox offuſi denuò falſis cupiditatis pravæ fulgoribus in priſtinam cœcitatem relabuntur.

Auguſtinum audite, Adoleſcentes, & ab ipſo perdiſcite quantæ ſit molis conſuetudinem multiplici lapſu confirmatam aliquando deponere. *Jam dudum erat, cum inſtante internis gratia ſua motibus Deo, & ingeminante pudoris ac timoris flagella, ſuis ſe* Auguſtinus, ut ipſius verbis utar, *volutabat in vinculis donec abrumperentur*. At quàm irrito niſu! exitu quàm infelici, quàm nullo! Vix aliqua melioris vitæ deſideria conceperat, cùm primo in ortu ſuffocabantur illa; & ipſe prioris vitæ captus illecebris priſtinæ conſuetudini gerere morem cogebatur. *Retinebant me nugæ nugarum*, inquit Auguſtinus, fatalem habitus pravi neceſſitatem expoſtulans, *Retinebant me nugæ nugarum & vanitates vanitatum & ſuccutiebant veſtem meam carnem & ſubmurmurabant, dimittis ne nos? & à momento iſto non erimus tecum ultra in æternum, & à momento iſto non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum?* Nitebatur ille quidem ſtimulantibus ad ſaniora aſpirantis gratiæ aculeis evellere plantam flagitiorum è cœno, ſed mediis in conatibus deficiens eodem revolvebatur, prævalente, ut ipſe ſubjicit, pravæ cupiditatis pondere. *Retardabant me cunctantem abripere atque excutere me ab eis, & tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta, ſine iſtis vivere poteris?. Sentiebam me ab iis teneri, & jactabam voces miſerabiles, quandiu, quandiu? cras, cras: & non erat cras. Ligatus enim eram non ferro alieno, ſed ferrea mea voluntate, & ex conſuetudine peccandi facta erat mihi quædam quaſi peccandi neceſſitas.* Ita de ſe loquitur Auguſtinus, &, quam expertus erat in diſrumpendis ſuis vinculis difficultatem, nativis, ut videtis, coloribus ac ſine fuco expreſſit. Idem vos labor manet, Adoleſcentes, eoſdem in diſſolvendis illis nexibus, quibus vos voluptatum illecebræ implicuerint, obices experiemini. At longè diſſimili exitu, mihi credite: quod enim Auguſtino præter conſuetas providentiæ ſuæ leges Deus liberaliter indulſit, temeritatis inconſultæ ſit, id vobis polliceri.

Agite igitur, Adoleſcentes, nunc exiſtimate aut ſtandum vobis in ea, quam accepiſtis, gratia, aut nunquam; nunc à peccando vobis temperandum eſſe, aut in peccatis veſtris moriendum. Atenim non poſ-

ſum, inquies: non potes? an conatum & niſum omnem aliquando exeruiſti? an medicinam morbo tuo idoneam attuliſti? an noviſſimorum memoriam frequenter animo retractaſti? Non feciſti; alioqui fluctuantem jamdudum virtutum inter & vitia voluntatem confirmaſſes. Æternum illud & non violabile ſancti Spiritus
Eccli. 7. oraculum, *memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. An id unquam ſeriò & enixè in nomine Jeſu
Joan. 16. poſtulaſti? at ille, *Amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*. Vocare has voces in dubium non potes, quin Evangelium omne convellas. Et qui ne conatus quidem es; qui hæc tam prompta tamque parabilia remedia non adhibuiſti, etiam te minimè poſſe cauſaberis? Deinde præſtitiſti cætera quæ tuæ poteſtatis erant? fugiſti improborum ſocietatem? oculos à laſcivis conruitibus, ab impuris imaginibus, à voluminibus obſcœnis, aures à flagitioſis ſermonibus, linguam à verbis petulantibus, à turpibus cantilenis abſtinuiſti? hæc qui non feceris, qui mediis in occaſionibus criminum immerſus vivas, miraris unde tot ad malum illices, unde tanta naturæ propenſio? & dum hæc non amputas, meritò luges imbecilliores eſſe vires tuas, quàm ut à peccando temperare poſſis. Ut ut eſt, reponis, non poſſum: non potes? Ergo æternùm periiſti. Quid videtur hæc mea ſententia durior? arbitrum te volo? cur non potes? quia difficile eſt nimirum: at quo peccabis frequentiùs, hoc difficiliùs erit à peccando abſtinere. Firmabitur conſuetudo mala, teque ſuis illigatum nexibus ſtringet arctiùs: quo progredieris magis, hoc magis difficultas creſcet; &, qui difficultate jam impediris, fruſtra eandem, cùm creverit, ſuperandam eſſe exiſtimes. Nunquam poteris, mihi crede, ſi jam non potes. Alterum igitur amborum ſtatue: vel ceſſa conqueri te non poſſe, vel fatere hoc ipſo omnem à te ſalutis fiduciam exui abjicique. Quanquam ſpes eſt adfutura quædam uberiora divinæ gratiæ ſubſidia, quibus adjutus inveteratum malum faciliùs corrigas. Hæc porro ſpes, quàm inanis, quàm irrita ſit, operæ pretium eſt expendere.

III. Pars. Eſt hoc miſerabile conditionis humanæ fatum, ut, cùm propria quiſque voluntate facere peccatum poſſit, idem emendare, ut par eſt, niſi Deus adjuvet, minimè valeat. Devolvimur vitiorum in cœnum innato quodam infirmitatis acti pondere; at emergere inde feliciter, niſi Deus auxiliatricem tetenderit manum, non ſufficimus. Ruimus ipſi præcipites pravitatis in ſemitam, at revocare ex ea gradum, & meliorem ſectari viam, niſi ſe viæ comitem ac ducem Deus præbuerit, non licet. Denique quantacumque ſit amabilitas in Deo, quantaſcumque ad rapiendas noſtras ad ſe voluntates habeat illecebras, ab eo tamen mentis oculos affectuſque cordis, pro malæ libertatis arbitrio, plerumque avertimus: eundem verò mutata in meliùs inclinatione voluntatis requirere, & totis animi noſtri viribus amantem redamare, non eſt ſic poſitum in noſtra poteſtate, ut prævenire motum aſpirantis gratiæ valeamus. Hæc cùm vera ſint, dico homini relapſo ſæpius in eadem peccata vix ullum relinqui ſperandi locum, fore ut emergendi aliquando à peccatis gratiam à Deo conſequatur.

Verùm, inquies, cur peccatori poſt relapſus etiam multiplices impetrandæ olim veniæ ſpem adimis? cur infinitam Dei omnipotentis miſericordiam limitibus circumſcribis? cur Chriſti ſanguinem non unius tantum mundi, ſed plurium flagitiis

ab-

Digitized by Google

abluendis parem ita deprimis atque elevas? Audi, audi, quiſquis receptam Dei gratiam tam nihili pendis, ut eandem novorum ſcelerum monſtris proſtituas; intellige nunc demum, quamobrem incircumſcriptam ex ſe ſe divinæ bonitatis amplitudinem reſtringas. Gemina ſcilicet iteratis lapſibus adhæreſcit labes, quam odit ex æquo Deus, ingrati ac perfidi animi vitium dico. Ingratum te, perfidum te exhibes, quoties expiatis Pœnitentiæ Sacramento flagitiis, eadem rurſum admittere non dubitas.

Age: quàm ingrati eſt animi, eum, à quo veniam obtinueras, novis injuriis laceſſere, eum, qui, cùm perdere te æternum poſſet, cùm reum Majeſtatis teneret, cùm ſupplicium tuum divina urgeret juſtitia, & libens indulſit, & injuriis tuis non ſupplicia, ſed beneficia rependit. Hunc qui offenderit, nonne in ipſam Dei clementiam ac pietatem injurioſum eſſe neceſſe eſt? Vide enimverò, miſerrime Adoleſcens, quo uſque proceſſerit ingrati cordis tui perverſitas. Tu pectus illud, quod Deus infuſa gratia dedicaverat, ſuumque ſacrarium voluerat eſſe, Dæmoni conſecraſti. Tu Dei templum in teterrimæ belluæ ſpelæum ac cubile commutaſti; tu opes illius omnes, quibus animam tuam ornaverat, ſæviſſimi prædonis furori permiſiſti: tu Dei Dæmoniſque conſuetudinem priùs expertus, quaſi æſtimatis utrinque rationibus, Deo remiſiſti nuntium, ut Satanam ſectarere.

Jam verò quantæ id ipſum perfidiæ eſt? Promiſeras enim, certè promiſeras, ſacramentique religione ſanctiſſima Sacerdotis ad pedes confirmaveras, nihil tale deinceps à te perpetrandum: æternam Deo fidem juraveras, quam ſi obſtrinxiſſes homini, minimè violabilem credidiſſes. Verùm heu! quàm levi occaſione, quàm tenui flatu & anhelitu diſſoluta ac diſſipata omnia illa ſunt! ſi Dei pietatem indulgentiamque ſperneres, ſi pœniteret te acceptæ veniæ, ſi promiſſæ illi ac juratæ clientelæ pigeret; quid ageres? hoc unum quod agis modò; veniam illam flocci faceres, abjiceres, fragili voluptatis pretio commutares! pœnitet te pœnitentiæ tuæ, pœnitet te juratæ Deo fidelitatis.

An non æquum eſt viciſſim, ut Deum condonatæ tibi veniæ pœniteat, & ita pœniteat, ut eandem in poſterum non ſit conceſſurus? Tum enimverò animam ejuſmodi Deus deſerit, veluti ſedem omnium maximè inviſam, & nullo deinceps tempore reviſendam. Hinc ſcelera ſceleribus cumulari, occœcari mens, animus obdureſcere, & ad terribilium quarumque rerum mentionem rigeſcere. Neque verò mirum adeo videatur, ſi tam graves à relapſis peccatoribus Deus repetat pœnas. *Nam* Heb. 10.
ſi quis irritam faciens legem Moyſi, inquit Paulus, *ſine ulla commiſeratione moritur; quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit*. Quis ad iſthæc verborum fulmina non perhorreſcat? Expende voces illas diligenti attentoque animo, Adoleſcens, quiſquis es, qui in eadem vitia relaberis. Nonne tu in gratiam receptus fueras? hanc habuiſti pro nihilo: contumeliam feciſti Spiritui gratiæ, eumque turpiter abdicaſti? Nonne tu in illo teſtamenti ſanguine ſanctificatus per pœnitentiam fueras? hunc ſanguinem recenti illo crimine polluiſti. Nonne ſe tibi totum dederat impenderatque Dei Filius? Hunc è pe-

ctore tuo tanquam è ſolio dejectum conculcaſti, ut in ejus locum Dæmonem attolleres. Quanto, ut eaſdem Apoſtoli voces retexam, deteriora mereris ſupplicia, qui toties divinam in gratiam reſtitutus finem nullum facis eadem crimina iterandi; quæ pars tibi pœnitentiæ, quæ ſpes veniæ impetrandæ ſupereſt?

Animos advertite ad aliam Apoſtoli ſententiam, Adoleſcentes, & vim illius totam intelligite: *Voluntariè peccantibus*, inquit Paulus, *poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſed terribilis expectatio judicii & ignis æmulatio*. Terribiles minæ, Adoleſcentes! *Iis non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Hoc eſt, Chriſtus victima illa, qua hominum generi placatur Deus, hoſtia illa, in qua ſalutis noſtræ ſumma eſt, iis non proderit. Itaque, ſi Apoſtolo credimus, purgari non poteſt iteratum ſcelus, neque ullo ſacrificio expiari. Magna, infinita, immenſa ſunt Chriſti merita, ſed hominibus illis non proderunt. Quid ergo illos manet? *terribilis quædam expectatio judicii & ignis æmulatio*. Hæc una illorum pars eſt. Quod ne auſterè magis quàm verè dictum ab Apoſtolo putetis, ecce id plenioribus magiſque diſertis verbis confirmat. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, & guſtaverunt donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam*.

Ibid.

Hebr. 6.

Expendamus verba ſingula. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt*. Illuminatus fueras; tenebras illas obſcuramque caliginem, quam peccatum offuderat menti tuæ, lux divinæ gratiæ diſcuſſerat. *Et guſtaverunt donum cæleſte*, guſtaveras, totum ſe tibi Chriſtus impenderat, ejus corpore refectus, ejus ſanguine potus fueras. *Et participes facti ſunt Spiritus ſancti*, particeps factus fueras Spiritus ſancti, ſedem in te ſuam, ſolium ſacrariumque delegerat. *Et prolapſi ſunt*; Prolapſus es miſer; tu lucem illam ſciens volenſque repetitis flagitiis extinxiſti, te iterum fœdiſſimis libidinum inquinamentis infeciſti. *Impoſſibile eſt rurſum renovari ad pœnitentiam*; actum eſt, conclamatum eſt, illuminari denuo, guſtare donum cœleſte, Spiritus ſancti particeps fieri non poteris; periiſti.

Adde & fulmineam illam, qua B. Petrus percellit recidivos peccatores, comminationem. *Melius*, inquit, *erat iis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato*. Ita res ſe habet, infelix Adoleſcens; melius tibi fuiſſet non emerſiſſe unquam ex illis ſordibus, quibus implicitus adhærebas, quàm ablutum aquis Sacramentorum luſtralibus ad eaſdem fæces remeaſſe. Satius fuiſſet non excepiſſe præcordiis Dominum Jeſum, quàm expulſum turpiter abjeciſſe: non tam apertum adiiſſes ſalutis periculum, ſi nunquam fuiſſes conſecutus reconciliationis gratiam, quàm acceptam toties contempſiſſe, proſtituiſſe. Hæc attende ſeriò & meditare diligenter, qui graviores noxas confeſſus centies, in eaſdem tam ſæpe, tam graviter, tam ſine emendatione ulla prolaberis; qui per menſes ſingulos ſacratiſſimo Chriſti Corpore ac Sanguine paſceris, nec ſpiritalem hactenus vitam, quam cœleſtis ille panis communicat, haurire potuiſti; qui totius puritatis ac ſanctitatis largitorem tot jam ab hinc annis hoſpitio excipis, nec ullam adhuc ex ipſius præſentia atque familiaritate caſtimoniæ atque integritatis

2. Petr. 2.

par-

partem retuliſti. Iterum repeto, infelix Adoleſcens, ſi quis es, ad quem iſthæc Oratio pertineat, melius foret nunquam impetraſſe te delictorum veniam, ad Sacramenta nunquam acceſſiſſe, quàm nullum ex impertita toties miſericordia emolumentum, nullam utilitatem percepiſſe.

Quid ſi Spiritus ſancti oraculis Patrum quoque teſtimonia adjiciamus? *Eorum*, inquit Bernardus, *qui peccant, antequam Deum noverint, antequam miſerationes ejus experti ſint, copioſa eſt redemptio; aſt eorum qui poſt converſionem ſuam peccatis & vitiis implicantur, ingrati accepta gratia & carnales facti, utique perpaucos invenias, qui poſt hæc redeant in gradum priſtinum, ſed magis in ſordibus poſiti ſordeſcunt adhuc. Indulgentia indignus eſt*, ait Chryſoſtomus, *qui poſt veniam peccat; ſanitate indignus eſt, qui poſt curam ſe vulnerat. Ubi emendatio nulla eſt*, inquit Auguſtinus, *nullam eſſe pœnitentiam neceſſe eſt.* Infinitus ſim, ſi ſingula quæ ſancti Patres in peccatores recidivos torquent fulmina recenſeam. Fuit hæc communis eorum ſententia vix ullam ſpem ſalutis illis ſupereſſe, qui intermiſſam peccandi conſuetudinem repeterent; adeo divinam exhauſiſſe miſericordiam videbantur!

Tamen itane verò ſic conclamatam eſſe illius ſalutem, qui iteratæ prolapſionis ſit reus, ut nullam divinæ miſericordiæ partem ſperare debeat. Adeòne rigidè ac ſeverè ſumenda ſunt ſancti Spiritus Patrumque oracula, ut molliori interpretatione temperari non debeant? hoccine credibile eſt, ſic abjectos à Deo homines ejuſmodi, ut impoſſibile ſit eos veniam rurſum impetrare? Equidem ſcio, Adoleſcentes, non ſic accipiendas eſſe voces illas, quaſi iterata peccata nulla ratione expientur. Error hic foret Eccleſiaſticis Cenſuris jam pridem damnatus. Fateor cum Eccleſiæ Doctoribus locutum eſſe Paulum cæteroſque omnes hominum more, quibus, ſi quid operoſum & valde difficile eſt, id fieri non poſſe dicitur. Idem eſt itaque ac ſi dixiſſent; tantæ molis eſt in integrum reſtitui homines eos, qui poſt receptam Dei gratiam ab ea exciderint, ut ſine peculiari ope, ut ſine miraculo ac prodigio criminum ſuorum vinculis exolvi nequeant.

Igitur eo recident res tuæ, te potiſſimum alloquor, qui in eadem peccata quotidie relaberis, qui à Chriſti caſtris in caſtra Satanæ perpetuò transfugis; ſervari poteris, reconciliari cum Deo, reſtitui in Dei gratiam poteris, ſed ſine miraculo, ſine prodigio non poteris. Nimirum ad diſcutiendas diſſipandaſque mentis tuæ tenebras opus foret abundantiori quodam lumine: Deus illud non impertiet. Ad vincendam molliendamque cordis tui duritiem ſpeciale gratiæ genus accommodatum indoli animique diſpoſitionibus attemperatum requireres, illo carebis. Convertereris fortaſſe à prava, quam ingreſſus es, vitiorum ſemita, ſi uberius adeſſet divinæ opis ſubſidium; ſubſidio illo privaberis. Imò tam parcè opes illas Deus aſperget ſcelerum tuorum diuturnæque perfidiæ vindex, ut vix ullo divinarum rerum, vix ſalutis tuæ ſenſu movendus ſis.

Vos verò, Adoleſcentes, tam funeſtam à veſtris cervicibus perniciem avertite; ſi jam, uti confido, divinæ gratiæ facti eſtis participes, ſtate porrò, neque pia conſilia, aut irritamenta cupiditatis, aut voluptatis blanditiæ, aut ſanctioris vitæ

tæ difficultates intervertant. Ita ſtringite divinam bonitatem, nunquam ut ab æternis ejus amplexibus avelli poſſitis.

DE NECESSITATE
bene traducendæ Juventutis.

ORATIO XVII.

Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.
Jerem. cap. 3.

EST hic graviſſimus multorum error, ut ad capeſſendam virtutem minus idoneam eſſe Adoleſcentiam putent. Nam quis neſciat, inquiunt, hanc eſſe ætatis illius indolem, ut neque ad pervidendos vitioſos animi motus attenta ſatis, neque ad eoſdem viriliter coercendos ſatis inſtructa, quod utrumque poſtulat virtutis ratio, eſſe videatur? Quis neget adhæreſcere quandam Juventuti ferocitatem, quam irrites potiùs, quàm expugnes? Permitti multa adoleſcentum cupiditatibus, quæ ſi non erumpant in graviora ſcelera, faciles ac tolerabiles haberi ſolent? accreſcere ſenſim ac pedetentim annis procedentibus maturitatem ingenio, rationi conſilium, toti denique homini vim ac robur, quibus adverſus difficultates egregiè comparatus, virtutis pondus, quantum, quantum eſt, æquiùs ferat? Non eſſe Juvenibus imponendas ante tempus auſterioris vitæ leges; ne, dum rudi adhuc & inerudito palato ad guſtandas virtutis delicias præpoſtera feſtinatione accedunt, æternum illius capiant tædium atque faſtidium.

Hæc ſunt, Adoleſcentes Chriſtiani, quæ ætatis veſtræ in gratiam, melius in perniciem dixerim, vulgò jactantur. Quodque in ea re deplorandum eſt magis, qui pro conditionis munerisque ſui ratione, tam pravas opiniones Juventutem dedocere præter cæteros deberent, illi vel indulgentiæ ſervientes molliùs, vel cæco inſanientes amore, currentem ultro in abrupta quæque vehementiùs incitant, & ad ruinam feſtinanti etiam ſtimulos adjiciunt. Et miretur poſtea quiſpiam, ſi Juvenum bona pars, ut ſunt natura præfervidi, & amantes plus æquo libertatis, iſthæc opinionum commenta, quia ſibi adulantur impenſiùs, totis amplexentur animis, vixque ſibi perſuaderi patiantur, ut ab ipſa adoleſcentia jugum Domini portare aſſueſcant. At quoniam difficultatum moleſtiis plerique deterriti ab ingredienda virtutis via refugiunt, Orationem hanc ſic inſtituam, Adoleſcentes, ut intelligatis nunquam difficilem minùs, quàm nunc eſt, vobis fore virtutis exercendæ rationem, adeoque vel carendum ea in perpetuum eſſe, vel in eandem viriliter ætate veſtra incumbendum.

Quæ moram & impedimentum afferre virtuti ſolent, illa ſunt ejuſmodi, ut partim ab ipſo petantur homine, partim ab exteris cauſis proficiſcantur. Eſt enim conditionis humanæ miſerabile fatum, ut, dum ad excolendam virtutem accedimus, multa ex nobis ipſis, plura etiam extrinſecus occurrant, quibus virtutis amor retardetur. Tamen quod cæteris ætatibus meritò fortè dolendum eſt, quæ graviſſima ex utroque illo capite virtutis incommoda experiuntur, hoc ipſum non dubitem vobis gratulari, Adoleſcentes, quorum ætas ſic eſt ad virtutem comparata, ut, cùm ab internis, tum ab exteris cauſis vel nullas, vel faci-

faci-

facilè ſuperandas difficultates habeat; quæ duo gemina Orationis parte dum demonſtro, quæſo, ut faciatis, diligenter attendite.

I. Pars. Ac de prioribus quidem virtutis incommodis, quæ infortunati homines in ſemetipſis experiuntur, cùm loquor, intelligo innatam vitioſi cordis pravitatem, quæ ab ipſa primi parentis culpa ad univerſos hereditaria quaſi contage pervenit: intelligo fatalem nec deplorandam ſatis propenſionem, qua nolentes etiam atque inviti inclinamur ad malum: intelligo dominatrices animorum cupiditates, quæ vix bene natis ſuboriuntur, & in abrupta ſcelera miſeros pertrahunt: intelligo legem illam carnis, quæ teſte Paulo

Rom. 7. legi mentis perpetuò contradicit; denique ut uno verbo complectar omnia, inteſtinas diſſenſiones atque diſcordias intelligo, quas à domeſticis nobiſque commorantibus, ut loquitur ipſe Chriſtus, inimicis ſin-

Matt.10. gulis prope momentis patimur. *Inimici hominis domeſtici ejus.*

Hinc verò primum exurgit ætatis veſtræ beneficium, Adoleſcentes, quæ vos à domeſticis illis hoſtibus tutos atque incolumes præſtat. Agite enim, ſi quis veſtrum in hoc tenerrimo juventutis flore, minùs amans virtutis, ſi quis in retinenda morum integritate negligentior videretur; is ne cupiditatum ſuarum vim ineluctabilem accuſet? Non eſt, mihi credite, ætatis veſtræ, ut tam formidoloſis hoſtibus obnoxia ſit; non poteſt eſſe cupiditatis vis tanta, ut ingenuum juvenum animis candorem obſcurarit; ut impreſſa recens ſacro puriſſimi agni ſanguine veſtigia obliterarit; ut prævaluerit contra inſtitutionem bonam, quam nacti eſtis; ut pietatis ac Religionis vim omnem, quam inter aſſiduos ſtudiorum labores hauſiſtis, penitus oppreſſerit; vel ſi bono ſemini, quod larga manu veſtris cordibus ſparſum ac diſſeminatum eſt, aliquid infelicis lolii accreviſſet, non habet malum radices tam altas, ut extirpari feliciter aliqua contentione non poſſit.

Jam verò quam ſingulare vobis adverſus cupiditatis pravæ incitationes præſidium, quantum virtutis adjumentum accedit ab ea providentia, qua rerum omnium moderator Deus ætatis veſtræ ſecuritati atque innocentiæ conſulit! Nempe elanguiſſet nunc primùm plena ſuaviſſimæ ſollicitudinis æmulatio, qua Chriſtus olim primigenios juventutis amores ſibi tam ambitioſè vindicabat; remiſiſſet ſeculis procedentibus tenerrimus pietatis affectus, quem præ ſe ferre viſus eſt in terris, cùm inter confertiſſimam properantium ad ſe ætatis cujuſcumque multitudinem, ipſos potiſſimùm parvulos ſecernebat! cùm ad excipiendos ſacros amplexus amanter invitabat? cùm paterno fovebat in ſinu? cùm eoſdem ad exemplum imitationemque proponebat; cùm talium eſſe regnum cœlorum affirmabat, cùm ab ipſorum oculis offenſionem quamlibet, quodlibet ſcandalum, interpoſitis etiam gravibus minis, removebat; Tot inter tamque illuſtria divinæ erga juventutem providentiæ, pietatis, benevolentiæ teſtimonia, quàm facile eſt ætati veſtræ perturbatis mederi animi motibus, ſi qui fortè orirentur, & omnem virtutis exercendæ moram amputare?

Atenim reclamantem audio quempiam: utinam ita nobiſcum ageretur! utinam, quemadmodum ſentis de nobis, ſic animus affectus foret! Verùm ut parum noſti juventutis indolem, quam nullis vel leviſſimis agitari cupiditatum fluctibus æſtimaſti. Neſcis, heu! neſcis, quantis hæc ætas jactetur procellis, quàm peri-

periculoſis ſyrtibus objecta ſit. Ah! ſi penitiſſimas cordis adire latebras & arcanos animi receſſus ſubire contigiſſet, ſentires oppreſſum jam diu pravæ cupiditatis jugo, & iniquo ſub pondere fatiſcentem miſerareris! Adeſt importuna, quocumque me vertam; non ego vel ſubterfugere poſſum inſequentem, vel laceſſentem declinare, vel coercere oppugnantem! Nunc hæret pectori accenſa face, & exitiales flammas excitat, mox carnem fodit ac pungit ſtimulis acrioribus: non illam moratur locorum ratio vel temporum, quin in ſecreto virtutis ſacrario, in ipſo domicilio ſanctitatis, inter auguſtiſſima Religionis myſteria funeſtiſſimas inſidias paret, atque vix evitabilem corruptelam moliatur.

Hoccine verum, quod quereris, Adoleſcens infortunate? Ten' ego putem tam duræ ſervituti mancipatum? Nam quibus gradibus eò deveniſſe te oportet, ut, quod habet cupiditas prava funeſtiſſimum, experiare? Fructus eſt ille ſcilicet initæ jam pridem cum ipſa cupiditate conſuetudinis, cui dum ſervis imprudens, dum indulges molliùs, dum cupidiùs blandiris, dum eandem affatim exples & exſatias, ſic te ipſius arbitrio totum permiſiſti, ut duriſſimum exerceat dominium, neque liberam aut excutiendi aut detrectandi imperii facultatem relinquat. O ſi, cùm ſuboriri viſa eſt peſtis teterrima, naſcentem adhortus eſſes, ſi nondum adultam, neque diuturnitate temporis roboratam oppugnaſſes, quantulæ fuiſſet operæ amoliri labem illam, aut damnum, ſi quod intuliſſet, reſarcire!

Quanquam quid deſpondes animum, Adoleſcens Chriſtiane, ſi quis eſſes, in hoc ætatis flore tam tenero, qui ſævientis affectus mali imperium ſentires? quid juvat exaggerare verbis importunum quo premeris ſervitutis jugum, quaſi nulla ratione dejici à cervicibus poſſet? Non eſt, mihi crede, tam metuendus hoſtis ille, quem objicis, ut ipſum aggredi refugias, vel vincere etiam deſperes. Age ergo, animum erige, dum per ætatem licet, accinge te: omne periculum in mora eſt; quid hæres dubius? quid refugis? Heu me! jam invaſit penitiores animi partes ignis edaciſſimus, qui me conficit ac conſumit! Falleris, dic leves ſcintillulas, quas diſſipabis quamprimùm ac reſtingues. Pullulavit in uberiore cordis ſolo ſemen peſtiferum, quod vim bonæ frugis omnem oppreſſit ac ſuffocavit! At quantulum eſt, dum crevit! manum admove, non luxuriantem modò ſegetem amputabis, ſed ipſas etiam radicum fibras evelles. Eſto: ſed unde me tandem expediam ex illis vinculis, quæ mala peccandi conſuetudo induxit? hæc me coercent etiam invitum & repugnantem, vixque liberam deinceps temperandi à flagitiis moram relinquunt. Neſcis, Chriſtiane Adoleſcens, quid valeas: experire tu tantum; non ſunt illa ferrea vincula, his te, cùm volueris, tam feliciter, quàm alter Sanſon, expedies, & in ipſos etiam, qui nexuerunt illa, inſultabis. Ah! ſi cum alio foret hoſte depugnandum, verumenimverò res eſt mihi cum immundo ſpiritu; qualis, heu, & quantus hoſtis! At ſolus eſt; & habes tot comparata ad ſubmovendum hoſtem propugnacula, tot arma ad conficiendum eundem expedita. Quantum enim & quàm efficax offertur tibi præſidium à frequenti Sacramentorum uſu, ab aſſidua piorum librorum lectione, à quotidianis Moderatorum adhortationibus, à ſuaviſſima omnipotentis Dei benignitate, quæ te inter ipſam liberioris vitæ licen-

tiam

tiam amanter, perſequitur; & arcanis uſque motibus ad meliorem frugem inſtigat.

Quoties enimverò, ſi fateri verum volueris, uberioris cujuſdam luminis beneficio contemplatus ipſe internam animæ tuæ faciem ingemuiſti dierum illorum deſiderio, quibus integram ab omni morum corruptela vitam exigebas? Unde mutatus ego tantùm, inquiebas, quàm diſpar meimet, quàm diſſimilis ipſe ſum! Fuit tempus, cùm divino timore pariter & amore plenus, vel ad ipſam ſceleris umbram perhorruiſſem; cùm leviſſimam deliberata voluntate noxam non admiſiſſem; fuit tempus, cùm incredibili mentis alacritate ſingulas officii mei partes conſtanter explebam; cùm tenerrimo pietatis ſenſu ad res divinas convolabam, cùm inter caſtas Agni cœleſtis epulas liquidiſſima voluptate perfundebar. Proh! quantam experior hodie affectuum, voluntatum-
Job 19. que converſionem! *Quis mihi det ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus cuſtodiebat me Dominus?* Felices ſcilicet fortunatique menſes, cùm in amantiſſimo divinæ bonitatis ſinu conquieſcens, neque paratos innocentiæ meæ laqueos, neque adverſariorum meorum furorem metuebam. *Sicut fui in diebus*
Job 24. *adoleſcentiæ meæ, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo.* O beata pax, gaudium inexplicabile, felicitas ipſis invidenda Cœlitibus, cùm tu, dulciſſime Jeſu, bonorum omnium fons uberrimus in intimis cordis mei penetralibus, hoſpitis, amici, parentis amantiſſimi vice fungebaris!

Hæc tu dum revolveres animo attentiùs, Adoleſcens Chriſtiane, dum incaleſcente ad ſacros cœleſtis ignis acceſſus voluntate pudebat te tui, qui benignum Domini mitiſſimi imperium duriſſimo cupiditatis effrenatæ jugo commutaſſes; ſi ſincera ante actæ vitæ confeſſione flagitia tua expiaſſes; ſi ad ſacrum Chriſti Corporis epulum ea, qua par eſt, pietate acceſſiſſes; ſi arcanos animi tui receſſus moderatori conſcientiæ aperuiſſes; ſi firmus in deſpiciendis peccandi illecebris conſtanſque extitiſſes; jam extirpata foret magna ex parte conſuetudinis illius pravitas, neque tam grave ſalutis tuæ periculum adiiſſes. At tu, cùm operi admovere manum ſedulo oporteret, ſi interim otiaris turpiter; ſi cùm opus eſſet animo forti ad reſecandas ad vivum lethiferas mali fibras, vulnus alis & palpas molliter; miraris non potuiſſe te ad hunc uſque diem, inſanum ſolutioris vitæ amorem compeſcere; imò inflammari eundem quotidie magis ac magis, & ſpem extinguendi illius pœne conclamatam videri.

Adeamùs ipſum corruptelæ caput: quid te perdidit, infelix Adoleſcens? quid te perditum prohibet, quominus de reſarciendis, quæ feciſti, damnis cogites? Vis dicam quod verum eſt? Te perdidit atque etiamnum perdit Literarum faſtidium, & tua in ſtudendo ſocordia: hinc prima totius mali labes, hinc ille quem experiris in rebus divinis tepor, hinc illa morum prolapſio, in quam deferveſcente ſenſim pietatis ardore miſerè deveniſti. Quin ergo deponis otium, quin ſeriò refers animum ad ſtudia, ſi ſuſcitare pietatem langueſcentem, & alto vitiorum è cœno volueris emergere. Atenim malum invexit liber exitioſus; ex illo corruptiſſimo fonte hauſiſti ſcelerum illorum notitiam, quæ utinam æternùm ignoraſſes! Age ergo; flammis piacularibus abole fatale illud corruptelæ inſtrumentum, & nunquam violandum cum oculis tuis fœdus paciſcere, ne

quid

quid lectitare deinceps ſuſtineant, quod ab ingenuo pudore abhorreat. Quid ſi liberioribus inverecundiſque colloquiis tanquam infecto halitu emarcuiſſet flos ille caſtitatis, cujus odor quolibet aromate ſuavior ad ſolium omnipotentis Dei erumpebat; tamen vireſcet ille denuò, ne dubita, ſi modò ab eorum familiaritate atque conſortio abſtinueris, quorum venenatis afflatibus primùm contabuit.

An te nequior ſocius fortè depravaſſet pernicioſis illecebris, & ſuis implicitum laqueis etiamnum detineret, ne redeas ad meliorem frugem. Equidem ſcio quantam neceſſitudo prava labem importet? quàm gravem, ad diſſolvendos fatales nexus, moram afferat. Tamen per te ſtabit unum, ut malo medeare, & vetera, quæ te illaqueant, vincula quamprimum abrumpas. Abjice amicum illum, ſeu potiùs conjuratum tuæ ſalutis hoſtem: ejice peſtem illam, quæ te contagio ſuo infecit: nihil te blanditiæ, nihil placitæ familiaritatis uſus, nihil humanarum rationum momenta moveant, quominus monſtrum illud in tuam perniciem natum opprimas, & ipſius etiam memoriam, ſi potes, oblivione deleas ſempiterna.

Id pugnæ genus adverſum perturbatos animi motus, quales ætas veſtra ferre poteſt, quiſquis adhibuerit, Adoleſcentes, is certam ſibi de ſalutis hoſtibus victoriam adpromittat. Nulla tam vitioſa cupiditas, tam impotens, tam altis defixa radicibus, quæ non coerceri facilè, dum juventus patitur, atque etiam evelli poſſit, ſi modò, quibus alitur ac fovetur, pabulis ac fomentis caruerit.

Quanquam reclamabit adhuc aliquis, ſic increvit malum, ut medelam non admittat, nec eſt habitus pravi, qui me obſidet, ea deinceps conditio, ut vinci poſſit. Nam quis fuit ad hunc uſque diem fructus tot laborum, dum oppugnare hoſtem aggredior, & conſerere cum ipſo manus confido; quoties victus concidi, cùm viciſſe mihi gratularer? vel quid decertaſſe cum ipſo profuit, niſi ut me tam impugnando quàm reſiſtendo imparem agnoſcerem? Ut tua te ratio fallit, quiſquis hæc objicis! Sed eſto: tam operoſa habeatur res illa, quàm exiſtimas! ſit ejuſmodi quod impoſuit jugum conſuetudo mala, ut excutere illud non valeas. Tamen niſi id feceris, quæ ſpes tibi ſalutis reſtat, dum fovebis in ſinu labem illam, quam cœleſte regnum non capit; niſi mundus à ſordibus puruſque totus inveniare, quis declinandæ calamitatis æternæ modus objicitur? Nam quod in hoc ætatis flexu aggredi non ſuſtines, aut perficere etiam deſperas, ecquando vel moliere confidentiùs, vel feliciùs conſummabis? Poſtquam ætas creverit ſcilicet, & anni pleniores acceſſerint? hoc enim video unum eſſe perfugium, quò te recipias, ſi nondum omne ſalutis deſiderium exuiſti. At quid juvabit, amabo te, annorum acceſſio, ſi aſſidua peccandi conſuetudine novum habitui pravo pondus acceſſerit? ſi vox conſcientiæ revocantis ad bonam frugem reclamare deſierit? ſi ſpretus inſigniter & illuſus per tot annos Deus opem ad pœnitendum aut impertiet parciùs, aut etiam juſtus ſceleris ultor ſubtraxerit? Tunc enimverò converſis in melius animis pugnabis viriliter contra cupiditatem malam, cùm illa blandietur ſuaviùs; cùm molles illecebras magnificentiùs explicabit; cùm occurret nihil, quod luxum & voluptatem non ſuadeat, non irritet, non incendat, cùm magnis auctoribus erumpet in apertum libido & reluctantem nequicquam exempli neceſſitate in exitium trahet.

hetæ

het? Commodum, ita me Superi ament, & idoneum mutandis corrigendiſque moribus tempus ac locum, quando fovebunt & acuent depravationem omnia, nec erit quidquam quod favere emendationi poſſit! Erras, mihi crede, erras, quiſquis juventutis corruptelam differs maturiorem in ætatem emendandam. Noli ſpem inanem paſcere: adoleſcentiæ vitiis uſque ſervies; tua tibi placebit ſervitus, dura quantumvis ac moleſta ſit: ſenties vim & acerbitatem vinculorum, nec tamen abrumpes illa, pudebit te tuæ turpitudinis, nec amare ſordes tuas nihilominus deſines; aut ſi indulgens ac miſericors Deus tentanti emergere vitiorum è cœno amicam tetenderit manum, mediis in conatibus deficies æger, & eodem poſtmodum relaberis; adeoque, quod jam te poſſe fruſtra diſſimulas, tunc id ipſum vix ac ne vix quidem te poſſe revera experieris.

In illud igitur animis incumbite, Adoleſcentes, ut pravos habitus, ſi qui ſunt, qui retardare ſtudium virtutis poſſent, diligenter reprimatis. Sit ille fructus ætatis veſtræ, quæ non modò nullas ab internis hoſtibus niſi faciles vinci moras habet, quod vidiſtis hactenus, ſed externos etiam hoſtes ita removet à vobis, ut altero virtutis exercendæ obice careatis.

II. Pars. Quantumvis dominentur animis hominum cupiditates effrenatæ, eſſet tamen unde comprimi ac coerceri earum impetus non infeliciter poſſent, niſi vim omnem, qua impugnare illas liceat, variæ voluptatum illecebræ, multa peccandi incitamenta infringerent. Fit enim luctuoſo quodam eorum fato, qui civilibus, ut ſic loquar, undis merſantur, ut tam aliunde, quàm ex ſe ſe habeant moras & impedimenta virtutis, neque minùs ab externis, quàm à domeſticis hoſtibus fatigentur.

Agite enim, quod mare tam famoſum naufragiis, tot æſtus, tam varios habere putatis, tamque metuendos ſcopulos, quantas tempeſtates, & quanta pericula mundus habet ille quem incolimus; ubi nulla virtus conquieſcit unquam, ſed novis quotidie inſidiis appetitur, novos ſemper in laqueos incurrit? Nunc palam & aperto marte laceſſit hoſtis, nunc clam & ex improviſo adoritur. Sæpe vim & flammas adhibet; ſæpe ad illecebras converſus demulcet ac palpat. Hinc impietas fucata virtutis ſpecie & artificio ſimulationis erudita, per latebras ac cuniculos molitur exitium; illic poſita larva vexillum audacter erigit, & ad defectionem excitat. Hinc argenti nitor ac ſplendor auri percellunt oculos, inde voluptas ſenſibus ſuaviter blanditur. Jam imbellis timor & humanarum rationum momenta à recto bonoque ſevocant; mox æſtus conſuetudinis & exempli vis pernicioſa in exitium trahunt. Tot inter tamque diverſa dimicationum genera, quæ tandem virtus eſt, non teneram dico & imbecillam, ſed tam actuoſa, tam nova, tam exercitata, quæ non fatiſcat aliquando atque etiam ſuccumbat? Quare optimo cuique optandum merito ſit; ut ſejunctus ab ejuſmodi periculis non tam operoſam virtutis viam decurrat!

At, quod optare fortaſſe multis, quod aſſequi paucis liceat; idipſum, Adoleſcentes Chriſtiani, cùm ætatis veſtræ beneficio, tum ipſa vitæ conditione poteſtis vobis gratulari. Qui enim ad integritatis veſtræ cuſtodiam potiſſimum advigilat Deus Optimus, Maximus, ſingulari ſuæ charitatis affectu ita diſpoſuit omnia,

nihil

nihil ut veſtris moribus labem ac corruptelam inferret. Quàm multis quaſi ſepimentis atque aggeribus munivit vos ac vallavit, ne qua pars veſtri ruinæ hoſtium atque incurſionibus pateret? Addidit hoſpitales genios eoſque aſpectabiles, qui, quaſi ſtipatores corporis, à latere veſtro non diſcederent, qui noctes dieſque excubarent vigilarentque pro vobis, qui aditus omnes, per quos irrepere malum poſſet, diligenter occluderent.

Gratulamini amantiſſimæ Dei erga vos benignitati, Adoleſcentes, ſi in hoc lætiſſimo florentiſſimæ juventutis domicilio, nihil objicitur oculis, quod teneras mentes offendat; ſi exulant à vobis illa vitiorum exempla, quæ vix extra ſepta domus hujuſce prodeuntibus, tam multa, tam varia paſſim occurrunt: ſi quantùm fervet apud vos licentiæ ac pravitatis odium, tantum viget amor virtutis ac diſciplinæ: ſi denique vel leviſſima diſſolutioris vitæ ſuſpicio turpiſſimam eorum nomini, in quos caderet, labem inurit.

Quod ſi luctuoſo nec ſatis deplorando fato, quo nec ipſi religioſiſſimi cœtus carere poſſunt, integritatis atque innocentiæ hoſtis in hæc penetralia ſe ſo inſinuaret; ut obreperet ille tacitus & quaſi ſuſpenſo gradu! ut tectus ſimulationum involucris & quaſi velis obtentis, ut ipſa virtutis larva fucatus accederet! Novit ille nimirùm quàm metuendos, quàm acres adverſarios habeat; novit rem eſſe ſibi cum ſagacibus oculis, qui in ſpeculis aſſidui ex occultis inſidiis tutiſſimiſque latebris eruerent ſcelus, & in apertum conjicerent. Hinc intelligite, Adoleſcentes, nullius eſſe propemodum operæ, dum nihil admodum eſt, quod vos ad peccandum invitet, adoleſcentiam veſtram à prolapſione morum tueri. Imò ſcitote laborioſum vobis plerumque moleſtiis negotium fore, ſi religioſè minùs ac minùs caſtè vivendum eſſet. Namque ut taceam, quo illi metu, quo pavore angi ſoleant, quibus improbos eſſe, ſi tales innotuerint, impunè non licet; agite, quàm durus labor, quàm grave ſupplicium eſt perverſos corruptoſque mores cum recta ac bene morata in ſpeciem vita componere? In has quippe anguſtias veniat neceſſe eſt, quiſquis in iſta probitatis ſchola, alienam ab hujus loci ſanctitate vitam inſtitueret.

Fingite enim, Adoleſcentes, quod ut à vobis æternùm abſit, etiam atque etiam precor! Fingite, inquam, aliquem minus affectum bene erga res pias, aut mala corruptela depravatum in veſtrum contubernium irrepere. An putatis integrum illi fore, talis ut videatur foris, qualis intus eſt? ſcilicet medius tot inter pios, caſtos ac pudicos adoleſcentes impietatis aut libidinis facem efferet? verenda Religionis myſteria cavillabitur? noxios obſcœnoſque ſermones palam diſſipabit? At quo tandem animo id ferret unuſquiſque veſtrum? Ut incenſi, quotquot eſtis, pietatis ac caſtimoniæ ſtudio in impium ſcurram inſurgerent! ut obtrectatorem importunum exagitarent! ut ab ejus conſortio, tanquam à peſte teterrima refugerent! Jam verò quàm gravis in ipſius caput tempeſtas extemplo detonet ab iis, quorum eſt arcere vitium, fovere pietatem, & illatam divinæ legi contumeliam vindicare.

Si quis eſſet ergo tam infeliciter comparatus, ſentitis, etiam me tacente, quàm ſedula cautio habenda ſit illi, ne qua in ipſum vitiatæ indolis ſuſpicio incidat. Igitur torqueat ſe ſe neceſſe eſt mirum in modum, ſenſus ut diſſimulet; petulantem linguam

guam

Digitized by Google

quam ut coerceat; ut quoties gerere morem cupiditati placuerit, ſcrutetur latebras, & flagitia ſua moderatorum oculis ſubtrahat; ut averſos licet à pietatis officiis, pius tamen ac religioſus habeatur. Adeſit divinis myſteriis, perget cum aliis ad orandum, invitus quidem ac reluctans, qui nullo rerum iſtarum guſtu afficiatur; at vincet faſtidium neceſſitas, & quoniam ſerviet unicè oculis hominum, quibus facere fucum oportet, plus interdum commoveri videbitur, quàm qui ex animo ad obeundas officiorum ſuorum partes accedunt. Id ipſum porro quale tormentum eſt, vim facere indoli perpetuam, nulla ſpe, nullo fructu! virtutis omnes ferre moleſtias, & omni virtutis ſolatio ac præmio fruſtrari! Mitto quales inter perturbationes ac metus vivendum ſit illi, ſi, recurrente dierum illorum ſolemnitate, quibus Adoleſcenti Chriſtiano puriſſimi Sacramentorum fontes adeundi ſunt, innocentiam cum ſcelere, hoſpitis ſanctitatem cum hoſpitii ſordibus, protervus uſque diſſimulator componere ſuſtinuerit. Deus immortalis! taleſne patitur rigida quamtumvis exercitatio virtutis acerbitates?

Vos atteſtor, quotquot hìc adeſtis, Adoleſcentes, qui tutiſſimo, quod habet veſtra hæc ætas adverſus corruptionis contagia præſidio freti integram ab omni labe juventutem ad hunc uſque diem produxiſtis; vos, inquam, atteſtor, agite, dum ſeveriores pietatis, modeſtiæ, ſtrictioris etiam diſciplinæ leges tam diligenter obſervaſtis, quidquamne tam durum, tam grave, tam aſperum unquam occurrit, quod cum neceſſariis & nuſquam evitandis diſſolutioris vitæ moleſtiis comparari poſſit?

Agite immortali Deo gratias, Adoleſcentes, quibus in hac conditione vitæ poſitis per virtutis ſemitam inoffenſo pede currere liceat. Ponite in lucro illa commoda quæ nacti eſtis ad vitæ innocentiam, integritatem morum, pietatis æmulationem promovendam: æſtimate, ut par eſt, ætatis veſtræ conditionem, quam divina Providentia à vitiorum illecebris, exempli pravitate, peccandi incitamentis incolumem præſtitit: plaudite vobis & exultate, quibus felix quædam probitatis ac ſanctitatis neceſſitas incumbat.

Si tamen in incorrupto tot probatorum adoleſcentum grege inveniretur aliquis, qui vitæ nequioris difficultatem & ægritudinem virtutis facilitate ac jucunditate potiorem duceret, intelligat quàm ſiniſtrum ſui in poſterum tempus conditionis omen excitet. Nam ſinite me, Adoleſcentem hujuſmodi, qualem eſſe reor inter vos neminem, compellare hìc confidentiùs, & quod capiti ſuo malum accerſat, ſalubriter admonere. Hunc ſaltem fructum vos omnes habebitis, ut intellecta periculi, quod imminet ipſi, magnitudine, ſitis in declinanda morum pravitate cautiores, quàm hactenus extitiſtis.

Vide enimverò, Adoleſcens infelix, ſi quis eſſes, qui tam feliciter instructus ad virtutem, tam bene munitus contra vitiorum irritamenta, vitam agis corruptam ac depravatam, attende, quæſo, mecum, quàm terribilem facias expectationem tui. Si id temporis, cùm ne ipſam turpitudinis appellationem noſſe te oporteret, verbis atque exemplis funeſtum inter ſocios nequioris corruptelæ præbes documentum, quid non audebis, cùm perfecto longiori ſceleris tyrocinio peritiſſimus artis peſtiferæ magiſter evaſeris? ſi concluſus intra cancellos illius receptaculi, quod vigilantia ſingularis & recta vivendi forma ab irritamentis peccandi ſecurum præſtant,

pravos animi motus coercere non ſuſtines; quò non erumpet libido, cùm, ruptis ſemel repagulis, in eo ſtadio liberiùs decurres, ubi nihil occurret, quod non offendat oculos, cupiditates non irritet, ſenſus non moveat, voluptatem non inſpiret, & hominem totum inſidioſa ſuavitate non permulceat? Obſervatus ac cuſtoditus tot ſpeculatoribus oculis, ſi te proripis tamen, ut ſuadenti pravæ libidini liberiùs indulgeas; quem demum facies illicitis deſideriis modum, cùm nullius teſtis aſpectum evereberé? Nunc cùm nemini licet inverecundum impunè eſſe, ſi non dubitas ſubire periculi aleam, & infamem inurere nomini tuo labem; quibus te flagitiis olim implicabis, cùm ſolutus ab animadverſione cenſoria, obſcœnitatis etiam turpiſſimæ habebis approbatores?

Erras, erras, Adoleſcens Chriſtiane, ſi futurum confidis, ut matura tandem ætate pravos habitus corrigas, quos fervore juventutis contraxeris. Creſcunt in dies confirmanturque progreſſu temporis adoleſcentiæ cupiditates & ægro in corde conſeneſcunt. Niſi reſipiſcis quantociùs, vix olim erit integrum ab iis temperare, quibus nunc aſſueveris, & quas in reprimendis cupiditatibus difficultates Adoleſcens pertimeſcis, eaſdem ſenties, cùm ætas acceſſerit, multo graviores.

Agite ergo, Adoleſcentes Chriſtiani, dum ſunt tranquilli appetitus & animus perturbatione caret; dum incitamenta peccandi & leviora ſunt & pauca; dum beata pax ac ſecura quies aſpirat; totis animis ad virtutem incumbite. Venient illa, venient & fortaſſe citiùs, quàm par eſſet, pleniſſima tempeſtatibus ac procellis tempora, quibus jactati cupiditatum æſtibus, & tentationum fluctibus abrepti vix ac ne vix quidem poteritis conſiſtere. Quare date operam dum commodum eſt, ut aſſiduis laboribus eam vobis virtutem comparetis, quam neque perturbationum vis, neque temporum injuria labefactet.

DE PRÆSENTIA DIVINA ORATIO XVIII.

Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear. Pſalm. 15.

HOc erat, quod à ſe tam ſedulò, dum viveret, fieri ſolitum Regius Vates profitebatur, ut, ſi quid credimus ipſius teſtimonio, nihil videatur habuiſſe quidquam antiquius, quàm perpetuam præſentis Dei memoriam uſurpare. Movit me, ne quid diſſimulem, ſapientiſſimi Regis exemplum, idque, ut ante omnia, tanquam præcipuam pie ac ſapienter inſtituendæ vitæ normam ac regulam, vobis ad æmulandum proponerem, operæ pretium eſſe exiſtimavi.

Verùm quam putatis ob cauſam Virum illum, quem ab ipſo Deo eruditum novimus, id curaſſe tam diligenter, ut præſentis ſibique quodammodo aſtantis Dei ſemper meminiſſet, niſi quòd, in ea præſertim cogitatione, certum contra innatam cordis humani inconſtantiam atque infirmitatem præſidium experiretur? *Providebam*, inquit, *Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.*

Vultis & ipſi, Adoleſcentes, non commoveri ab ea ſalutis ſemita, quam feliciter ingreſſi eſtis? vultis non concuti variis tentationum procellis, quibus hæc vita obnoxia eſt? vultis in aſſidua virtutum omnium exercitatione

tione ſtabiles ac conſtantes permanere? Imitamini piam ſancti Principis conſuetudinem, & in conſpectu veſtro Dominum ſemper providete.

Atque utinam id exorare à vobis poſſem, ut, ſin minus aſſiduam, frequentiſſimam ſaltem præſentis Dei memoriam revocaretis! hac me fiducia conſolarer veſtræ in perpetuum incolumitati fuiſſe à me conſultum, qui ſalutis impedimentum omne removiſſem longiùs, & ejuſdem promovendæ rationes ac momenta ſubjeciſſem.

Ita profecto ſe res habet: hæc eſt in aſſidua divinæ præſentiæ cogitatione vis, cùm ut arceat id omne, quod afferre moram ſalutis poſſit, tum ut ad eandem conſequendam certum ſubſidium paret. Salutis impedimenta Dei præſentis memoria ſubmovet, quia peccandi ſtimulos atque illecebras refringit ac debilitat; hoc Primum. Eadem ſalutis promovendæ rationes ac momenta ſufficit; quia ſingulare ad arduas quaſque virtutes exercendas incitamentum eſt; hoc Alterum. Ex utroque capite, quàm ſit efficax divinæ præſentiæ cogitatio, cognoſcite.

I. Pars. Deum eſſe præſentem ubicumque terrarum, circumſpicere omnia & intueri penitus, ſingula item audire atque intelligere; & earum rerum, quas aut viderit, aut audierit, aut intellexerit, diligentem & accuratam tenere rationem, tam teſtatum ſupremæ veritatis oraculum eſt, Adoleſcentes Chriſtiani; nihil ut vel frequentioribus, vel illuſtrioribus ſacrarum Literarum teſtimoniis probatum confirmatumque habeamus. Atque infinitus ego ſim, ſi loca percenſere omnia, imò perſtringere tantùm aggrediar, in quibus, ad defigendam mortalium animis Numinis ſui præſentiam, Deus ipſe laborare viſus eſt. Hic *inſpector cordium*, ille Prov. 24. penitioris animæ *ſcrutator*, ibi *ſpirituum ipſorum ponderator* amat nuncupari. Sap. 1. Prov. 16. Prov. 5. Jam profitetur palam ac prædicat *reſpicere ſe vias hominum*, Job 13. nunc conſiderandis eorum veſtigiis intentos habere oculos; modo vivere ſe in medio cujuſque noſtrum, ut, quid agatur illic, meliùs introſpiciat. Mox confugientes ad latebras, quaſi divino conſpectui ſubtrahere ſe niterentur, objurgans graviter atque increpans, *Vir*, inquit, *in abſcondito occultabitur, & ego Dominus non videbo?* Jerem. 23. Atque ut ne quis revocet in dubium, cujus tandem generis ſit illud, quod ad prævidendum, quidquid à nobis agitur, & quod dicitur audiendum, jus habet; rationem ipſe ſtatim ſubjicit. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Pſal. 93.

Neque verò miremur tam ſingularem in aſtruenda præſentia ſua operam Deum poſuiſſe. Noverat ille nimirum peritus humani cordis artifex, quale momentum ac pondus eſſet habitura divinæ præſentiæ fides; cùm ut incredibilem mortalium animis imprimeret ſupremi Numinis reverentiam, tum ut eoſdem religionis metu in officio contineret.

Atque hinc profecto viros illos ſua in Deum pietate ac fide olim tam conſpicuos ſacer quidam horror invadebat, quoties præſentem ubique Deum, in abditiſſimas quaſque latebras intuentem cogitarent. Hac plenus religione beatus Job, cùm hinc acutiſſimis doloribus, inde maledicentium injuriis premeretur, omnem obſtruebat querelis aditum, cùm diceret; *nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* Job 31. His incitatus ſtimulis Vates Regius cavebat admittere quidquam indignum illa Majeſtate, quam adhærentem lateri ſuo perpetuò meminerat. Imò ineluctabilem inde vitandi peccati

 ne-

neceſſitatem, accerſebat, cùm nullum in toto univerſitatis corpore locum à divino Numine vacuum deprehenderet. *Quò ibo*, inquiebat; *à ſpiritu tuo, aut quò fugiam à facie tua?* Pſal. 138. *ſi aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades*. Hinc illa, quam ſibi affirmanti quidpiam aut juranti religioſiſſimus quiſque vir apud populos concilibat, auctoritas; poſtquam ſtare ſe in conſpectu Domini admonuiſſet. 3. Reg. 17. *Vivit Dominus in cujus conſpectu ſto*; quaſi mentiri in præſentia tanti Numinis non licuiſſet.

In hac veritatis illius luce, quæ nullius hodieque fugiat oculos, quid eſſe dicam, vel quo temporum noſtrorum fato fieri putem, Adoleſcentes, ut ad diſcutiendam vitiorum caliginem, nullius prope modum efficaciæ eſſe videatur. Præſentem ubique Deum eſſe profitemur omnes, quotquot ſumus: nemini venit in mentem ſuſpicari, ab eo ignorari poſſe, quodcumque geritur à nobis; aut ipſos cordis humani receſſus abditiſſimos ejus oculis non patere. Tamen ita vivimus plerique, quaſi captum oculis Deum, aut otiantem in cœlo, aut peregrinantem longiùs, haberemus! Unde illa fidei noſtræ morumque noſtrorum diſcrepantia? unde hic ſtupor, & quædam quaſi faſcinatio cauſam habent?

Quanquam quid miremur hic tantùm, ubi cauſa palam & in promptu eſt? Deum quidem præſentem, oculatum, rerum omnium ſpeculatorem credimus; at, quod totius mali fons & caput eſt, rem eſſe nobis cum tali Deo rarò admodum vixque ac ne vix quidem cogitamus! Imò oculos perſæpe noſtros avertimus, ne qua præſentis Dei ſubeat animis cogitatio, quæ meditantibus prava moras injiciat, molientes turpia perturbet, & ad flagitia toto cupiditatum impetu proruentes refrænet ac coerceat.

Nam quem mortalium, ſi modò non exuit omnem de Deo fidem, peccare non pudeat, dum ſe divinæ Majeſtatis in conſpectu & ſub oculis ejus poſitum meminerit? Date mihi hominem tam ferocem, tam oblitum ſui, tam fortibus ad peccandum illecebris incitatum, tam prava vitiorum conſuetudine corruptum, ut liberam temperandi à peccato moram habere non videatur? Tamen putatis futurum, ut non remittat cupiditatis furor, viſque oppugnationis elangueſcat, ſi maturo ſecum animo perpenderit, eum, quem laceſſere atque irritare peccato parat, adeſſe flagitii ſui teſtem, eundemque ſeverum aliquando judicem atque ultorem extiturum.

Veſtram ipſorum fidem poſtulo, Adoleſcentes: agite: ſi quem è vobis vel propenſior ad voluptatem indoles, vel tentationis illecebra, vel pernicioſa ſocii improbuli conſuetudo, vel exempli pravi pondus atque auctoritas ad lethale facinus aliquando rapuerunt; fateatur ille, quod verum eſt: an præſentis Dei & ad flagitium ſuum attenti memoriam uſurpavit? an ſe inexpugnabili divinæ præſentiæ clypeo contra ignea nequiſſimi ſpiritus tela tuitus eſt? an oblatum ſibi in tam ſalubri cogitatione robur ſuæ infirmitatis in ſubſidium adhibuit? Ah! ſi tum maximè, cùm urgeret tentatio vehementior, cùm in ipſa metuendæ voraginis crepidine periclitanti terribilis lapſus immineret; ſi tunc, inquam, cogitare ſubiiſſet præſentem Deum, audeo dicere, Infortunate adoleſcens, quiſquis es, non peccaſſes; cupiditatis incitatæ motus repreſſiſſes; ſocii nequioris audaciæ ac libidini obſtitiſſes; contra torrentem exempli pravi animum obfirmaſſes; neque puriſſimos

Dei

Digitized by Google

Dei omnipotentis oculos triſtiſſimo ſceleris tui ſpectaculo offendiſſes.

Num qualem ego te putem, qui quoties animum adjicis ad peccandum, tam ſedulò mortalium aſpectum ſubterfugis; tam diligenter recurris ad latebras & ſecretiores angulos; tam ſolerter provides, ne quis, præter conſortes ejuſdem pravitatis, perpetrandi mox ſceleris conſcius eſſe poſſit? Tu ſcilicet tam cautus, tam prudens, tam ſollicitus in declinando homuncionis etiam cujuslibet aſpectu, Dei omnia intuentis oculos & ora non erubeſceres? nullam duceres habendam divinæ Majeſtati reverentiam? faciem illam, quam cervicibus pronis beati Spiritus adorant ac reverentur, turpibus & obſcœnis facinoribus coram illuderes? Non ego te, quidquid in contrarium objectes, tam præfractæ frontis æſtimem; aliam de tua verecundia opinionem bonitas indolis, liberalis educatio, inſitus animo juvenili pudor injiciunt. Dicamus, quod res eſt, Adoleſcentes, ſi quando divinam violare legem etiam in re gravi vobis contigit, plus in ſingulis veſtrum cœcitatis aut imprudentiæ fuit, quàm malitiæ atque pravitatis; &, quod de unoquoque peccante jactari ſolet, id in ætatem veſtram præſertim cadit, ut rerum æternarum ignorantia potiùs, quàm nequitia cordis ad peccandum inducatur.

Idque adeo verum eſſe putatote, nihil ut tantopere præcavere ſoleat generis humani juratus hoſtis, quoties ad peccandum quempiam impellit, quàm ne illecebroſis vitiórum lenociniis irretita mens præſentis ubique Dei & ad mortalium flagitia ſemper erecti recordetur. Hinc ille apud Danielem, cùm duobus nequiſſimis ſenibus turpiſſimos obſcenæ libidinis ſenſus afflaſſet, impuliſſetque eos, ut caſtiſſimæ Suſannæ pudicitiam attentarent, legitur providiſſe ante omnia, ne, quos incitabat ad fœdiſſimas voluptates, iis præſentis Dei cogitatio ſuboriretur. *Everterunt*, inquit Scriptura, *ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ne viderent cœlum, & judiciorum rectorum recordarentur*. Quaſi verò laxare frena illicitis pudendiſque deſideriis non potuiſſent, niſi priùs Dei præſentis cogitationem importunam penitùs excuſſiſſent. Dan. 13.

At Suſanna contra, mulier illa tam pudica quid fecit, ut titillantis cupiditatis illecebras comprimeret? quo ſe adverſus iniquitatem atque malitiam præſidio tuta eſt? quod armorum genus ad propellendos impuri hoſtis impetus adhibuit? Cogitate quæſo mecum, Adoleſcentes, quales inter anguſtias infortunata mulier verſaretur. Inſilierant in eam viri duo totius civitatis Principes, ambo Judices populi hoc anno conſtituti; quibus ſpectata nobilitas, canities veneranda, & ampliſſimi, quo fungebantur, muneris amplitudo auctoritatem quandam ac fidem nemini inficiandam conciliabat. Inſtabant gemini prædones, & blanditiis primùm ac promiſſis illam adorti, mox interjecto judiciorum metu, quæ laturi erant tanquam in adulteram, niſi ſe eorum libidini permitteret, miſeram territabant. Erat Suſanna ſola, indefenſa, omni ope auxilioque deſtituta. Aderat nemo, qui ſuppetias ferret, qui veteratorum ſenum injuriam repelleret, qui teſtimonium afflictæ innocentiæ redderet. Quid agat illa? quid ſtatuat? quid in arctiſſimis difficillimiſque rerum anguſtiis conſilii capiat? Audite Suſannam ipſam, Adoleſcentes, & ex ipſius querelis plenam graviſſimo periculo ſollicitudinem intelligite. *Anguſtiæ mihi undique*, inquit Suſanna ingemiſcens! *ſi enim hoc egero, mors mihi eſt, ſi autem non egero,* Dan. 13.

non effugiam manus veſtras. At quis erit tandem ancipitis pugnæ exitus? quis præcipiti ruinæ proximam eripiet? quis è tanto diſcrimine tutam & incolumem præſtabit? Ecce ſuccurrit Dei præſentis, & ab alto intuentis omnia recordatio. Illa, illa fluctuantem animum ſuſtinet, ſpes erigit, & adverſus terribiles pudendæ mortis minas periclitantem innocentiam confirmat. Audite rurſus Suſanam loquentem, Adoleſcentes; excipite dignum caſtiſſima muliere conſilium, & auream vocem altiſſimis animis defigite. *Melius eſt mihi*, exclamat Suſanna, ſenum impudicorum injuriam, quantùm erat in ſe, propulſans, *Melius eſt mihi abſque opere cadere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.*

Ibid.

Quid prohibet, Adoleſcentes, quominus eodem vos contra paratas integritati veſtræ inſidias præſidio tueamini? Neque enim vel huic ætatulæ, quam exigitis; dimicationes ſuæ deſunt, in quibus ſtrenuos eſſe vos atque conſtantes oporteat; niſi cedere turpiter hoſti teterrimo, & amiſſa libertate filiorum Dei, triſtiſſimum ſervitutis jugum ſubire volueritis. Sua ſunt in hoc, quod decurritis, lubrico & ancipiti vitæ ſtadio diverſi generis diſcrimina, quæ incuriis plus æquo minùſque diligentibus funeſtiſſimam non modò tranquillitatis ac pacis, ſed ſalutis ipſius jacturam afferant. Experimini quotidiè periculoſas non uniuſmodi tentationes, quarum in coercenda ac refringenda vi plerumque deficitis. Cur igitur oblatum vobis in divina præſentia ſingulare ſubſidium negligitis? cur quoties invitant & impellunt ad peccandum vel illecebræ voluptatis, vel immundi Spiritus oppugnationes, vel deteriora ſociorum exempla, cur, inquam, non penſatis iſtud ſeriò? Deus me videt, Deus perſcrutatur intima cordis illius, quod impuris cogitationibus & illicitis deſideriis depaſcitur! Deus aderit ſpectator ac teſtis facinoris illius turpiſſimi, quod perpetrare meditor, idemque perpetratum accuratè excutiet ac ſeverè vindicabit. An ego tam parum verear præſentem Dei omnipotentis majeſtatem? an puriſſimos ipſius oculos offendere ſuſtineam? an ſeveriſſimi judicii ſubire non reformidem aleam? Imprudentem me profectò, inverecundum nimis, & rerum mearum parum amantem, ſi id admittere in præſentia divini Numinis non erubeſcam, quod in conſpectu graviſſimi cujuſpiam viri feciſſe me pigeret! Hos vobis ſenſus, ne dubitate, Adoleſcentes, divinæ præſentiæ memoria injiciet; hoc impertiet contra incitamenta quæque peccandi grave propoſitum; neque in iis tantùm temporum articulis, quandiu contigerit nobiſcum verſari ſanctos ſceleriſque puros præſtabit; ſed tunc maximè, cùm ætatis conditio noſtris ab ulnis, inter quas ab infantia adoleviſtis, vos abſtrahet, divini timoris pariter & amoris ſtudioſos ultores in perpetuum tempus conſervabit.

Nam quid ego diſſimulem, quod ſentio, & juſtiſſimos, qui me angunt; pro ſalute veſtra metus dubitem aperire? Ecce veſtrum bona pars, ex iſto pietatis domicilio & Lycæo virtutis, in apertum ac patentem liberioris vitæ campum non ita multo poſt excedet. Ecce non planam deinceps ac ſecuram, ſed plenam pedicis ac laqueis viam decurretis. Non deerunt, mihi credite, in medio nationis pravæ poſitis hoſtes tam numero, quàm robore ſuo metuendi, qui partam tanto tempore tanquam multis impenſis virtutis ſupellectilem vobis invidebunt, & ſuas vos pertrahere in partes contendent. Alii ventilabunt

labunt illam, quam imbuiſtis jam dudum, orandi, confitendi, & ad ſacra myſteria ſtatis temporibus accedendi piam laudabilemque conſuetudinem. Alii pudorem ingenuæ mentis, quo nituiſtis per tot annos in hoc florentiſſimæ juventutis contubernio, labefactare aggredientur. Alii pudicas ac religioſas aures obſcœnis ſermonibus & impuris cantilenis violabunt. Alii verecundis oculis parum modeſtas imagines, aut peſtiferos nequitiæ magiſtros pernicioſa volumina obtrudent. Alii mollibus illecebris & compoſitis ad infamem corruptelam blanditiis juratum toties ante Aras Deo virginique Deiparæ pudicitiæ propoſitum oppugnabunt. Alii, quod blanditiarum via non aſſequentur, id aperta vi, palam & audacter tentabunt. Horum ſibila, illorum jocos, iſtorum convicia ferenda plerumque habebitis. Hærebitis nonnunquam inter ejuſmodi deprehenſi anguſtias, virtutem inter & vitium, Deum inter & Dæmonem incerti fluctuabitis. At, ſi firmum invictumque contra mundi, carnis ac Dæmonum inſidias robur habere volueritis, cogitate in his rerum adjunctis præſentem Deum: repræſentate vobis illum, quaſi ſpectatorem illius certaminis quod ſuſtinendum vobis cum veſtræ innocentiæ hoſtibus incumbet. Veniat vobis in mentem, ipſum adeſſe vel magnificum muneratorem, ſi firmiter ſteteritis inter adverſantes procellas ac tempeſtates, vel ſeverum ultorem, ſi ignavo fracti metu cupiditatum fluctibus ceſſeritis. Hac cogitatione fretos pudebit quidquam admittere, quod mundiſſimos divini Numinis oculos offendat; aut certè implacabilis juſtitiæ ejuſdem ſeveritas quantumvis ad flagitium pronos in officio continebit.

Sentio urgeri me nimium brevibus properantis horæ anguſtiis, Adoleſcentes, neque fas eſſe mihi perſequi fuſiùs, quod ſecundo loco demonſtrandum propoſueram: eam eſſe nimirum in divinæ præſentiæ cogitatione vim, non ſolùm ut in peccati fuga fortes ac conſtantes præſtet, quod hactenus confectum eſt, ſed in virtutum etiam difficillimarum exercitatione firmos atque invictos efficiat. Quare hoc habebo ſatis admonere vos, hanc eſſe præſentis ubique Dei memoriam, quæ, cùm ſanctiſſimis quibuſque viris duriſſimos auſterioris vitæ labores mitigarit ſemper, tum martyribus præſertim inſuperabilem media inter ſupplicia animum addiderit.

Agite enim verò; unde vis illa Chriſtianis in heroibus, quam nullus tormentorum apparatus infringeret? unde in ipſis firmitatis tantum ac conſtantiæ, ut graviſſimis in cruciatibus ſuos tortores illuderent, nedum ab iis vincerentur? Quid naturam fragilem ex ſe ſe minuſque patientem doloris ita confirmabat, ut ad omnem pœnarum ſenſum videretur obduruiſſe? II. Pars.

Ecce inter horrendos conjuratæ multitudinis clamores & ululatus imperterritus Stephanus, inter lethiferos depluentium undique lapidum acervos conſtans & erectus etiam pro crudelibus parricidis veniam orat & precatur. Cauſam inquiro tam inauditæ fortitudinis. *Video*, inquit Stephanus, *Cælos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris virtutis Dei*. Act. 7. Ecce ardenti craticulæ ſuperpoſitus Laurentius impotentis tyranni furias ridet & cogitatione mentis defixus in Deum totus verſari corpus jubet partem in omnem, quaſi flammarum vim non ſentiret. Ecce contumelias & probra, fuſtes, verbera, conciſiones artuum Apoſtoli, quot quot ſunt, omnes in lucro ponunt, quia dignum Deo totique cœleſti curiæ ſpectaculum exhibe-

hibere ſe intelligunt. *Spectaculum*
1. Cor. 4. *facti ſumus Deo & Angelis & hominibus*. Ecce quæritur novum ſuppliciorum genus, exercet ſe ſe crudelis carnificum induſtria ad labefactandam eorum conſtantiam, quibus flamma ferrumque pepercerat: at illi lætantur interea ac triumphant, dum
Heb. 12 reſpiciunt *in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum*, quem ſpectatorem ſui certaminis, & ad graviſſimos labores exanthlandos potentiſſimum adjutorem intuentur.

Hac eadem incenſus divinæ præſentiæ memoria ſeptennis puer Machabæus tantum in ſe roboris ſenſit accreſcere, ut immanibus ſuppliciis neutiquam impar perferendis exiſteret. Reſtabat ille ſuperſtes unus ſeptem è fratribus, qui ſuum pro tuenda lege Dei ſanctiſſima caput devoverant. Illum pia mater conſpicata, dum ætatulæ imbecillitati metuit, vehementer cœpit adhortari, dolori ne cederet; atque ut infantilem confirmaret animum, & contra ſuppliciorum acerbitatem ipſumque adeo mortis metum roboraret, hoc unum
2. Mach. 7. precabatur; *Peto, nate, ut aſpicias cœlum*: tantam ex præſentis illic Dei cogitatione firmitatem animi adfuturam confiſa, quanta ad vincendas Tyranni furias ſufficeret. Non fefellit parentem amantiſſimam ſpes ſua, talem in puero fortitudinem experta eſt, qualem in filiorum ſingulis ſuſpexerat.

Sinite, Adoleſcentes, ut eodem pariter modo unumquemque veſtrum hodie compellem, & ad ſuperandum, ſi quid eſt in via ſalutis durius, intuentis vos ab alto Dei conſideratione ſpes veſtras ſuſcitem, & reſides animos accendam. Tibi durum videtur atque arduum, Adoleſcens Chriſtiane, præferocem illam ac moroſam indolem, quam nactus es, moderari; grave quiddam eſt atque intolerabile obtemperare moderatoribus, ſodalibus identidem cedere, & iis ſubeſſe nonnunquam, quos inferiores tibi vel natalium ſorte, vel ingenio, vel conditione vitæ reputaſti. Vis coercere naſcentem ſuperbiam, modeſtiam perdoceri, informari ad manſuetudinem? Peto, nate, ut aſpicias cœlum; ut adeſſe illic cogites præſentem Deum victoriarum, quas de te ipſe retuleris, ſedulum attentumque ſpectatorem. Tu quem innata quædam animi mollities & deſes ſocordia deperit totum ac depravat; noſti, quam multorum vitiorum fons & origo ſit ſegnis ille languor atque iners otium, quo diffluis: quam aſperum operoſumque promovendis ſtudiorum laboribus, tuendæ morum integritati, beatitudini comparandæ obicem importet: at te ſcientiarum moleſtiæ miſerum exanimant; tibi librorum ſarcina pondus quoddam Ætna ipſo gravius eſt; ipſum vel Literarum nomen faſtidium parit. Vis torporem deponere, excutere veternum, acres ad abolendam peſtem illam animos reſumere? Peto, Nate, ut aſpicias cœlum. Te ſi levitatis atque inconſtantiæ nunc demum piget, nam cur illius non pigeat, quam innocentiæ tuæ, moribus tam fatalem expertus es? Hinc enim ille divinis in rebus ſopor, hinc in verbis petulantia, ſcurrilitas in colloquiis, in factis procacitas, in templis inverecunda frons, in obeundis officii partibus negligentia, & totius hominis corruptela quædam promanat. His ſi mederi incommodis melioris vitæ cupidus ſtatuiſti, peto, Nate, ut aſpicias cœlum; hinc te præſens Deus modeſtiæ, pudoris, verecundiæ admonebit, & novum ad emendandam levitatem robur ſufficiet. Te vero, quem Deus peculiari quodam amore complexus è corrupto mundi tractu in puriore cœli plaga

collo-

collocatum velit; quem ad perfectius ſanctiuſque vivendi inſtitutum jam pridem inclinat; ſi viarum anguſtiæ, locorum aſperitates, difficultatum metus, commoditatum amor, ſplendidioris cujuſdam fortunæ expectatio detinent, uti ſatis proclive eſt, & inanes cauſarum umbras obtendunt, quibus vocantem Deum eludas, peto, Nate, ut aſpicias cœlum; ut Chriſtum cogites pugnæ illius teſtem ac contemplatorem, quam cum mundo ipſiuſque illecebris ſuſtinendam habes; ut intuearis in manibus ejus laureas, quibus victorem te cingere ac triumphantem parat; tunc evaneſcent, mihi crede, omnes difficultatum umbræ; &, quæ graviſſimos metus incutiunt diſciplinæ ſeverioris inſtituta, facilia prorſus & expedita videbuntur.

Denique præſentiam Dei, Adoleſcentes, quot quot eſtis, fortiſſimam veluti armaturam & nulli uſquam telo penetrabilem aſſumite. Sit illa vobis præſentiſſimum ubique adverſus quaſcumque vitiorum illecebras & contra virtutis aſperitates atque moleſtias præſidium. Hæc adſit cogitatio animo frequens, dum decumbitis, dum ſurgitis, dum oratis, dum ſtudetis, dum comeditis, dum luditis. Noctu, de die, in ſolitudine, in hominum cœtibus mentem occupet. Verſetur illa vobiſcum domi, comitetur foris, peregrinetur, ruſticetur. Olim cum adoleveritis, inter armorum tumultus, perturbationes fori, negotiorum commercia, in quacumque demum vitæ ſorte fidelis uſque comes adſiſtat. Erit, hæc erit, ne dubitate, divinæ præſentiæ vis atque efficacia, ut ab omni vitiorum labe puros in hac vita præſtet, ſanctos in conſpectu tremendæ majeſtatis aliquando exhibeat; univerſos denique in cœlo collocet nunquam æternitate tota à mutuis invicem complexibus divellendos.

DE STATU VITÆ

ritè eligendo.

ORATIO XIX.

Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam . . . . ut ſciam quid acceptum ſit apud te. Sap. 9.

ITa orabat olim ſapientiſſimus poſt hominum memoriam Salomon, qui populi Iſraelitici Rex conſtitutus, cùm impetrandi, quæcumque vellet, fidem accepiſſet ab ipſo Deo, cogitationes omnes ſuas ac vota eò concluſit ac terminavit, ut uberiore cœleſtis Sapientiæ lumine illuſtratus, & divinam voluntatem intelligeret, & intellectam ſemel viriliter ac conſtanter ſequeretur. Hujus porro precationis geminum fructum tulit Rex ſapientiſſimus, ut & ſpiritum Sapientiæ, quem tam ardenter concupierat, obtineret, nec cæteris adeo rebus, quas contempſerat, privaretur. *Optavi*, inquit ipſe, *& datus eſt mihi ſenſus; invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ.* Sap. 7. Mox uberrimos ejuſdem Sapientiæ fructus reſpiciens, ſubjicit, *& venerunt mihi omnia pariter bona cum illa.* Tantæ nimirum fuerunt Principis illius opes, potentia tanta, tanta gloria, ut reliquis toto orbe Regibus longè præcelleret.

Atque utinam, Adoleſcentes Chriſtiani, ſapientiſſimi Regis exemplo induceretis animum, nihil eſſe unicuique veſtrum in vita optandum magis, quàm ut ejuſdem Sapientiæ beneficio dignoſcere vobis liceat peculiarem illam divinæ voluntatis rationem,

nem, quæ ſingulos veſtrûm attinet, & certæ cuipiam vitæ conditioni, dum vos conderet, addixit. Utinam ſuperni illius luminis adipiſcendi deſiderio frequenter cum Salomone precatemini; *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, ut ſciam quid ſit acceptum apud te.*

Verùm quotuſquiſque veſtrum eſt, Adoleſcentes chariſſimi, qui in perſcrutando divinam in ea re voluntatem, aut laboraverit hactenus, aut laborandum ſibi eſſe etiam duxerit? Alii innata quadam levitate mentis abducti nec cogitarunt unquam fortaſſe, rem illam eſſe operum ſuorum; alii cùm ſatis intelligant, in eligendo vitæ ſtatu momentum eſſe ad ſalutem æternam plurimum; tamen, quaſi res ejuſmodi maturiorem ætatem requireret, illam ab adoleſcentia ſollicitudinem in aliud vitæ tempus rejiciendam putant. Alii veriti, ne plura Deus ab ipſis poſtulet, quàm præſtare velint, ſatius eſſe æſtimant divinam penitus neſcire voluntatem, quam in eadem exequenda, ubi illa innotuerit, minus obſequentes videri.

Hæc & alia, quæ ætatis veſtræ vel ignorantia, vel ſocordia, vel incuria certè prætexere ſolet, ut ſtatim præcidam omnia, operæ pretium eſſe duxi, Adoleſcentes, de eligendo ritè, & ſecundùm Chriſtianæ Sapientiæ leges vitæ ſtatu verba facere, ratus nullum eſſe dicendi argumentum, quod, aut veſtræ magis conveniret ætati, aut plus ad ſalutis veſtræ rationem pertineret. Atque ut uno quaſi intuitu pervideatis, quæ futura ſit Oratione gemina ſeries & ordo rerum quem ſequar; duo aggrediar probare. Alterum quanti ſit ad ſalutem veſtram æternam momenti deſtinatam vobis à divina Providentia ingredi vitæ conditionem. Alterum quam inire rationem oporteat, ad cognoſcendam peculiarem illam vitæ ſortem, quam vobis Deus amplectendam præſcripſit. Intelligetis ergo primùm, providendum vobis ante omnia, ſi veſtræ in perpetuum tempus felicitati conſulere volueritis, ut in vitæ ſtatu eligendo divinam voluntatem, tanquam certiſſimam atque unicam bonæ electionis regulam ac normam, ſequamini. Deinde multiplicem ac variam ſubjiciam vobis divinæ voluntatis indagandæ viam. Quæ duo pro virili parte dum exequor, oro vos atque obteſtor, Adoleſcentes, ne quis exiſtimet hæc dici à me, quaſi quempiam è vobis vel ad religioſum inſtitutum, vel ad Eccleſiaſticam diſciplinam velim allicere; cùm eò tantùm ſpectat Oratio mea, nihil ut temerè, nihil, niſi conſulto priùs Deo, in eo genere ſuſcipiatis.

Eſt hæc omnipotentis Dei in univerſum genus humanum tam bene affecta voluntas, neminem ut ab æterna beatitudine excluſum velit, ſed omnes ad eandem gloriam invitet, ac, quantum eſt in ſe, quotquot ſunt homines, promoveat. *Deus*, inquit Apoſtolus, *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hoc tenerrimo in unumquemque noſtrum affectu, ſic Deus Pater dilexit mundum, ut cùm æternæ ſervituti eundem mancipatum cerneret, Filium ſuum unigenitum liberandis omnibus tradere non dubitaverit. Hâc eadem impulſus charitate Dei Filius, *qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, Philip. 2. ita ſe communem in ara crucis victimam expiandis totius mundi flagitiis obtulit, ut effuſione puriſſimi ſanguinis iratum nobis divinum Numen placaret; & morte ſua æternæ felicitatis aditum reſeraret.

Hæc cùm vera ſint, & ipſo ve-

rita-

Digitized by Google

ritatis ſignaculo confirmata; tum illud certè veriſſimum multas eſſe ac varias ab omnipotente Deo præſignatas vitæ ſemitas, per quas genus hominum ad eundem cœleſtis patriæ terminum perducere ſtatuerit. Hinc illa tanta conditionum, ordinum officiorumque diverſitas, militarem dico vitam, forenſem, aulicam, ſervilem, liberam, religioſam, Eccleſiaſticam, mercimoniis deditam, quas non tam ad hujus aſpectabilis mundi pulchritudinem atque ornatum divina Providentia conſtituit, quàm ut mortalium ſalutem ſpectaret, nobiſque faceret palam, nullam eſſe ex iis omnibus viam, quæ ad cœlum denique non pertineret. Quod ut perſuaſiſſimum eſſe nemini non debet, ita & illud citra controverſiam poſitum, non omnia pariter omnibus expedire, nec eundem ſingulis viæ tramitem aperiri: aliam alia convenientiorem quibuſdam eſſe ſortem, militare alteri, alteri religioſum, forenſe alteri vitæ genus à Deo deſtinatum ad ſalutem, à quo non poſſit ſine maximo rerum æternarum periculo deflectere. Hic ſecretus ab omni terrenarum occupationum commercio optatum beatæ felicitatis portum attinget, qui, ſi rerum civilium undis ſe immerſerit, tempeſtatum fluctibus abſumptus miſerabile naufragium patietur. Ille Eccleſiaſticæ diſciplinæ mancipatus, tutiſſimumque adverſus morum corruptelam nactus præſidium, cœlum merebitur; qui profanæ militiæ adſcriptus, armorumque licentia depravatus in ſempiternum exitium corruet: alter moleſtas rei domeſticæ curas atque ſollicitudines cum ipſo ſalutis negotio feliciter componet, qui ſemotus idem à ſtrepitu hominumque conſortio, dulciſſimum, quod optare virtus poſſit, perfugium certam in ruinam converteret.

In eo igitur totius rei cardo vertitur, ut, quod cuique Deus præfinierit vivendi inſtitutum, illud, ſi ſervare animam ſuam velit, omni ſtudio amplectendum putet. Neque enim veſtrum eſt quaſcumque pro arbitrio ac libidine arripere vitæ partes, & per omnem promiſcuè ſemitam ad cœleſtem patriam contendere. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Joan. 6. Verba ſunt ipſius Chriſti, Adoleſcentes, quibus derogare fidem nullus audeat. Religioſo te jugo mancipaſti, militaribus inſtitutis nomen dediſti, forenſibus te rebus applicuiſti, mercimoniis operam dediſti: quo duce? quo auſpice? quo auctore? Tui te nimirum parentes illuc impulerunt; iis te ipſe ſtudiis applicuiſti? miſerum te, qui tuum ipſius arbitrium, qui parentum in ea re libidinem ſecutus ſis; peſſimè ſaluti tuæ conſuluiſti. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum:* non tractus à Deo, non vocatus, ſed intruſus ab aliis, ſed per te imprudenter inductus es.

Nolite itaque efferre magnificentiùs, Adoleſcentes, quod à multis jactari ſolet; nihil aut parum intereſſe, quam quiſque ſortem adeat, multas ſuppetere ad eundem beatitudinis terminum perveniendi vias, nullam eſſe vitæ ſtatum, ſi modò divinæ legi non repugnet, quem Deus ipſe non inſtituerit ac conſecrarit; plurimos in unoquoque vivendi inſtituto extitiſſe viros probatiſſimos, qui illud morum innocentia, virtutum exemplis, vitæ ſanctitate illuſtrarunt. Nam cùm hæc vera eſſe ultro fatear, non ita pariter conceſſerim veſtro cujuſque permitti arbitrio, ut, qui maximè arriſerit vitæ ſtatus, hunc ſine diſcrimine, ſine delectu ſtatim ambiat. Fruſtra enimverò exiſtimes, Adoleſcens Chriſtiane, quamcumque tu inieris vitæ rationem, eo-

Digitized by Google

dem tibi ad ſalutem æternam adjumento fore, tibi, inquam, quem ad peculiarem vivendi formam Deus vocavit. Fruſtra te per latam ac ſpatioſam viam ad beatam immortalitatem perventurum eſſe confidas, ſi per arctum & anguſtum tramitem tibi ſit, ita valente Deo, incedendum. Videte ergo ne vos malus error illudat & inanibus ratiunculis feciſſe vobis fucum videatur. Nullum eſt enim inſidiarum genus, quo humani generis hoſtis feliciùs abutatur juventutis in perniciem, quàm ſi diverſa vivendi inſtituta eodem penitus modo ad ſalutis negotium conferre perſuaſerit. Hoc enim ſemel aſſecutus, adoleſcentem quemvis in requirenda divina voluntate indiligentem & incurium efficiet; exorta ſæpe ſtrictioris ac religioſioris vitæ deſideria ſuffocabit, & vim divinæ vocationis tanto neceſſitudinis vinculo cum ipſa ſalute connexam, inanem prorſus atque irritam dabit.

Quotuſquiſque enim juvenum eſt, ſi modò ſit amans plus æquo ſui, & ad liberioris vitæ formam propenſior, quem iſthæc rationum momenta non inclinent, dum Spiritus nequam paſſim obtrudet, eam eſſe divinæ diſpoſitionis legem, ut non eandem ab omnibus omnino hominibus ſanctitatis perfectionem exigat: manſiones in domo Dei, teſte ipſo Chriſto, eſſe multas ac varias: fruſtra inſtitutos fuiſſe à Deo tam diverſos in humana vita officiorum ordines, niſi ad eos profitendos ac conſectandos idem Deus non paucos invitaſſet; non eſſe tantam hujus ſeculi pravitatem, ut non reperire ſit plurimos, qui ſe vel in medio nationis pravæ ab omni contage tutos præſtent atque incolumes.

Joan. 14.

Neque hìc porro conquieſcit veterator ille callidus, quin prætenta majoris etiam boni expectatione vocantis intus ad meliora Dei ſtimulos omnes hebetet ac retundat. Fingite enimverò quempiam arcanis à Deo motibus incitati ad religioſum inſtitutum, ſi ſpecioſis, quas modò ſubjici, rationibus divinam vocationem labefactare non valuerit, tum Spiritus boni ingenium, ut ſolet, ac morem aſſimulans, mundum ipſum tanquam ampliſſimum cujuſcumque virtutis exercendæ theatrum adoleſcentis animo exhibebit. Hic demum, inquiet, ſinceræ pietati profitendæ locus eſt, ubi Religio impugnatur apertiùs: hic eſſloreſcit tanto magis caſtimoniæ ſtudium, quanto minùs illa colitur & amatur: nuſquam ſe prodit tam opportunè charitas, quàm ubi opitulandi miſeris frequens occaſio ac perpetua quædam neceſſitas occurrit; uno verbo quiſquis volet rigidum ſe virtutis defenſorem ac ſatellitem profiteri, id ubi præſtet illuſtriùs, quàm apud eos, qui tam antiquas cum ipſa virtute inimicitias exercent?

His atque aliis præventus adoleſcentis animus, quàm pronum eſt, ſibi ut perſuadeat, nihil eſſe revera, quòd rigidius ineat vivendi inſtitutum, cùm nullum immineat periculum, ſi paulò commodius vitæ genus ſectetur; at licet non deſiſtat Deus urgere ceſſantem, & admonere tacitum diſcriminis, quod in procelloſo mundi pelago decurritur; confiſus plus æquo viribus, ac certus obluctari fortiter contra torrentem corruptelæ, obdureſcere non dubitat vocantis Dei ſtimulis; demens, qui non intelligat, quanta ſit humanæ voluntatis imbecillitas, quam divina non fulciat ac ſuſtentet.

Atenim ſi res ita ſe habet, inquies, quid demum reſtat, niſi ut omnes, quotquot ſunt, homines, abdicata rerum terrenarum ſollicitudine, religioſis ſe inſtitutis mancipent, quo

quid

quid alienum magis ab eo rerum ordine, quem ab omni ævo divina Providentia conſtituit. Ut me ignoras, Adoleſcens Chriſtiane, quiſquis hæc objicis. Abſit enimverò, ut ego velim, vel ad eundem omnes vocari perfectionis gradum, vel extra religioſas familias nemini ad cœlum viam patere; vel denique ullum reprobari à Deo ſtatum, qui malus ex ſe ſe videri non poſſit. Imò nullus eſt ejuſmodi, qui ſuis ad ſalutem præſidiis non ſit inſtructus: in quo moratam ac piam traducere vitam non liceat, ſi illius ingrediendi auctorem Deum ac ducem habueris. Verùm hoc tibi incumbit unum, ut divinam in ea re voluntatem requiras; ut inconſulto Deo nihil ſtatuendum arbitreris; ut tibi perſuadeas rem momenti hujus, neque tuo ipſius arbitrio, neque parentum voluntati, neque humanis conſiliis eſſe permittendam. Illius eſt, qui novit figmentum noſtrum, conſulere, quid nobis maximè conveniat; illius eſt accommodare ſingulorum ingenio atque indoli, eas vitæ partes, quas ad majorem ſui nominis gloriam, & ad propriam uniuſcujuſque utilitatem magis conducere noverit. Illius eſt hunc vocare ad ſolitudinem, ut loquatur ad cor ejus; *Oſea 2.* illum inter ipſas corruptelæ illecebras poſitum ab omni prorſus contagionis vitio præſtare incolumem; iſtum inter medios armorum tumultûs ſublimioris cujuſdam ſanctitatis exemplum ſtatuere. Nobis verò hæc una ſollicitudinis ratio, id unum negotii genus imponitur, ut divinæ voluntatis propoſitum perноſcere, quantùm eſt in nobis, contendamus, cognitum ſemel magna animi alacritate exequamur.

Atque ut liquidiùs intelligatis, quanti ad ſalutem æternam interſit, eum ingredi vitæ ſtatum, qui ſit quaſi ſigillo ſupremæ voluntatis impreſſus; iſtud conſiderate diligenter, Adoleſcentes Chriſtiani, eum eſſe divinæ Providentiæ ordinem, ut, dum quempiam alicui vitæ inſtituto deſtinat, cum eo pariter inſtituto uberiora quædam gratiæ componat adjumenta, quibus ille fretus ſingulas officii ſui in ea vivendi forma partes ac munia faciliùs atque alacriùs impleat, & varia, quibus ſingulæ vitæ conditiones obnoxiæ ſunt, pericula declinare poſſit. Nullum eſt enim vitæ genus, quod ſuis non teneatur legibus, quod ſuas non habeat difficultates, & propria quædam ſalutis diſcrimina, quæ facilè quidem ac nullo ferè negotio declinaveris, ſi comparatis adverſus iſthæc obſtacula præſidiis adjuvere, eadem verò vix ac ne vix quidem ſuperes, ſi iiſdem auxiliis fueris deſtitutus. Agite, Adoleſcentes, ad veſtram ipſorum in ea re experientiam vos provoco.

Mirari ſæpe numero vobis contigit, qui fieret, ut Juvenes aliqui quibuſcum in eadem ſocietate vivebatis non ita pridem, poſtquam religioſas familias ingreſſi eſſent, iis ultro carerent vitæ commodis atque oblectamentis, quorum paulò ante nihilominùs, quàm cæteri, amantes viderentur. Offerebant ſe ſe veſtris oculis triſtiſſima quædam durioris rigidiorisque diſciplinæ indicia. Victus tenuis, veſtitus aſper, paupertas horrida, juge ſilentium, ſolitudo maxima, perpetuum ab omni voluptate divortium; & tamen inter tot aſperitates atque moleſtias, nihil erat in ipſorum oculis, nihil in ore, nihil in vultu, nihil in tota corporis habitudine, quod ſingularem lætitiam beatamque tranquillitatem animi non præ ſe ferret. Unde hæc tanta, tam repentina indolis, animorum voluntatumque converſio? Ecce illi, qui

ad

ad ampliſſimas hereditates inhiabant, rebus jam carere omnibus facilè ſuſtinent; qui curandæ cuticulæ nuper indulgebant molliùs, graviſſimas hodie corporis afflictationes ſponte ambiunt: qui nobilitate generis & fortunæ lætioris expectatione freti altiſſimos ſpiritus induerant, nunc ab obeundis viliſſimis miniſteriis minimè refugiunt. Hoccine fatum eſſe dixeris levitatis & inconſtantiæ, quæ juvenum animis inſita ſenſus ejuſmodi affectuſque à natura tam alienos atque abhorrentes induxerit? An non potiùs æquum eſt exiſtimare mutationem tam inſolitam opus eſſe cœleſtis gratiæ, quæ acerbitates quaſque ita mitigare novit ac condire, ut, qui ſemel ea præventi fuerint, moleſtiarum gravitatem ac pondus minimè ſentiant? Id porro pretioſum gratiæ munus, quod mitigandis ac condiendis quodammodo propriis cujuſque conditionis incommodis eſt natum, ſi neminem unquam deficit, qui quodlibet vitæ inſtitutum volente atque impellente Deo fuerit amplexus, quantò largius atque magnificentius impertitur illis, qui vocantis Dei motibus obſequentes, difficilem ac laborioſam inſiſtere viam non dubitaverint?

Atque hoc erat, quod olim D. Bernardus nobilibus quibuſdam viris, qui ad ipſum diverterant, innuebat. Stupebant illi, vixque ſuis credebant oculis, dum cernerent Juvenes bene multos, qui ſe ipſius diſciplinæ erudiendos tradiderant, inſignes pleroſque nobilitate ſanguinis, & mollioribus à puero aſſuetos deliciis, pares jam inveniri ferendis graviſſimis laboribus, quales illud vitæ genus, quod profitebantur, exigebat. Quibus vir ille ſapientiſſimus, idem ac ſanctiſſimus uno verbo non verè minùs quàm ingenioſè reſpondebat, *Cruces quidem videtis, unctiones verò non videtis*. Durum videtur vobis noctem orationibus inſomnem trahere, corpus inedia, vigiliis, afflictationibuſque macerare, omnibus, quæ natura fert, commodis abſtinere, nullum facere tota vita, quàm longa eſt, torquendi ſe ſe ac cruciandi finem: cruces quidem illæ ſunt, amici, quas videtis, at non videtis unctiones, quibus cruces illas Deus ungit ac temperat. Ah! ſi penetrare vobis liceret intimos animi noſtri receſſus; ſi perſpicere poſſetis, quibus anima innocens ſuavitatibus perfundatur, quibus deliciis affluat, quàm puris ſinceriſque voluptatibus recreetur; non jam mirari contingeret, quòd graviſſimas quaſque religioſæ vitæ moleſtias tam alacri, tam conſtanti animo perferamus; quòd rigidæ paupertatis anguſtias, afflicti maceratique corporis aſperitates, perpetuas duri improbique laboris exercitationes læto ſemper atque hilari vultu ſubeamus; non jam miſeros qui in cœnobiis degunt, ſed beatos; non inopes, ſed divites; non inſipientes, ſed ſapientes, non dignos commiſeratione, ſed mortalium omnium florentiſſimos appellaretis. *Cruces quidem videtis, unctiones verò non videtis*.

Verùm juvat id ipſum, quod diximus contraria omnino experientia confirmare; mentem advertite, Adoleſcentes, oculoſque conjicite in eos, qui in medio rerum mundanarum commercio poſiti, beati præter cæteros ac fortunati reputantur. Unde fieri putatis, ut tam pauci ſint ex illis, qui ſe contentos ſua forte audeant profiteri? Alii inter aggeſtos pecuniarum cumulos miſera premuntur egeſtate; alii molliſſimis deliciarum illecebris perfuſi aſſiduis dolorum aculeis cruciantur; alii ſupremo bonorum in faſtigio collocati crudeliſſima laborant ambitione: quæ cauſa

ſa eſt, inquam, tam inſolitæ tamque inexpectatæ perturbationis, niſi quòd hominum bona pars, cùm inconſulto atque obnitente etiam plerumque Deo, ſe ſe in ejuſmodi conditionem vitæ intruſerint, meritò deſtituuntur illis gratiarum præſidiis, ſine quibus beatam ac felicem, quocumque tandem in ſtatu, vitam vivere nemo poſſit?

An non eodem referenda pariter origo humanæ gravitatis atque corruptelæ? Quid enim in orbem terrarum vitiorum illam eluviem demergentem urbes, inundantem agros, in aras etiam ac templa graſſantem induxit? Unde jus deſideratur in foro, in aulis pietas, in juventute pudor, in conjugiis fides? unde vix aura Chriſtiani ſpiritus tenuis, vix avitæ religionis umbra ſupereſt? *non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens aut requirens Deum*, inquit Regius Vates, Cur autem? *Omnes declinaverunt*. Nam quis, amabo vos, in tantis peccandi illecebris, quantas habet mundus ille, quem incolimus, vitia fugere; quis in tantis virtutis exercendæ impedimentis ſtudere virtuti poſſit, niſi ſingulari divinæ gratiæ præſidio confirmetur? Singulares autem illæ gratiæ, ut jam innuimus, & ſanctorum Patrum Theologorumque teſtimonio exploratum eſt, certis quibuſdam circumſtantiis, locis, temporibus, miniſteriis, vitæ conditionibus alligatæ ſunt: ab illa conditione, miniſterio, loco tuo deflexiſti, refugiſti, receſſiſti, ergo à divina gratia, virtute, juſtitia, cœlo ipſo declinaſti. *Non eſt juſtus quiſquam .... Omnes declinaverunt*. Pſal. 13.

Ad illam gratiarum privationem, qua mulctantur illi, qui vocantem Deum audire neglexerunt, accedit individua privationis illius comes, miſerrima plerumque vitæ ſeries, quæ præconceptas in laxiore vivendi forma jucunditates fruſtratur ac deludit; ſic ut illi triſtiſſimam ſortem, quam Iſraelitico populo minitabatur olim Deus, meritò experiantur. *Si audieris vocem Domini tui*, inquiebat Deus populum ſuum adhortans ad implendam legem, quam ſanciverat, *venient ſuper te benedictiones univerſæ & apprehendent te; benedictus eris in civitate, & benedictus in agro, benedictus eris ingrediens & egrediens: emittet Deus benedictionem ſuper omnia opera manuum tuarum, & abundare te faciet omnibus bonis*; Mox contraria minitans fata, ſi parum obſequentem populum habuiſſet, adjicit, *Si nolueris audire vocem Domini tui, venient ſuper te maledictiones univerſæ: maledictus eris in agro, maledictus in civitate, emittet Dominus ſuper te eſuriem & famem, donec conterat te & perdat velociter*. Deut. 28. 2.

An non enimverò malorum genus omne videmus quotidie in eos incidere, qui, cùm ad ſacerdotium, vel ad ſanctioris vitæ genus vocati eſſent, ſolutioris vitæ deliniti illecebris, parentum blanditiis victi, æqualium seducti exemplis, ampliſſimi patrimonii expectatione ſuperati, conjugiis, armis, negotiis ſe ſe immiſcuerunt? Miramur aliquando viros florentes opibus & dignitate præſtantes, repentino fortunæ flatu nudatos ac ſpoliatos, ad extremas inopiæ ſordes & incommoda redactos; quæ tam inſperatæ calamitatis cauſa? *Vocavi & renuiſtis*. Querantur nonnulli ſibi omnia malè ſuccedere, ſublapſa retrò ferri negotia, terram ſteriléſcere, areſcere ſibi cœlum; ſi contrahant, fraudem pati; ſi lite contendant, cauſa cadere. Quæris cauſam? *Vocavi & renuiſtis*. Videmus aliquando non ſine tacita indignatione jurgia, diffidia, rixas inter conjuges, Prov. 1.

nulla

nulla pax domi, nullus ſocietatis fructus, inimica cuncta & hoſtilia: ne mirere; *vocavi & renuiſtis*. Audimus interdum adoleſcentes bonæ olim frugis morumque ſuaviſſimorum, nobis notos & conſuetudine conjunctos, ex primis illis, quibus imbuti olim fuerant, pietatis inſtitutis, ad perditorum juvenum tranſiiſſe mores, in eorum ſocietatem immiſiſſe ſe penitus, cum iis domi, cum iis foris, cum iis interdiu, ſemper cum iis & ubique; mox orta contentione ventum ad jurgia, ſtatim ad arma, dein in arenam depugnaſſe, concidiſſe: alium occubuiſſe ſuſceptis alienis inimicitiis, alium æmulorum odiis oppreſſum, alium inter ludos, compotationes, aleam, & tumultuantium rixas miſerabiliter obiiſſe: quid ita? *Vocavi, & renuiſtis*.

Hic verò, quanquam animus horret & præ luctu nimio meminiſſe refugit, non poſſum tamen quin veſtra omnium gratia obductam nondum refricem plagam, quam triſtiſſimus unius ex meis diſcipulis interitus non ita pridem inflixit. Erat ille ex nobiliſſima editus proſapia, forma corporis egregius; ingenii vi, ſubtilitate, perſpicacia nemini inferior. Accedebat mira quædam indolis ſuavitas, candor animi, morum innocentia, pietas ſingularis & in perſungendis ſingulis officii ſui partibus accurata ſedulitas. Is Melitenſes inter equites admodum puer adſcriptus, ſtrictioris vitæ deſiderio militaris ordinis inſignia crucem poſuerat, & Eccleſiaſticæ militiæ dederat nomen, totum ſe poſtmodum divino obſequio mancipaturus. Interim media in acie occidit frater natu major, Juvenis omni laude cumulatus. Ille, cujus miſerabilem caſum deſcribimus, occiſo fratre, diu multumque dubitavit; incertus quid ageret. Hinc ampla, quæ labantis domus columen unicum ſpectabat hereditas, inſitus nobilium ſanguini illuſtrandi nominis amor, Majorum gloria, & recens adhuc fratris pro patria fortiter morientis exemplum juvenilem animum invitabant. Inde retrahebant providendæ inter cætera ſalutis ſollicitudo, multa, quibus militaris vita obnoxia eſt, pericula, & firmum, quod elicuerat jam ſæpius, devovendi ſe in omne tempus altaris miniſterio propoſitum. Vicit tamen Adoleſcentis conſtantiam parentum libido; & ſplendidioris fortunæ fulgoribus perſtricti juniores oculi, à pervidendis rerum æternarum momentis abſtinuerunt. Quid plura? Vocantem Deum negligit: Eccleſiaſticæ diſciplinæ profitendæ abjicit conſilium, ad arma convolat, &c. . . . Sed quid ego hæc revolvo tam triſtia, tam ingrata? ah! ſinite me ſaltem, Adoleſcentes, aliquas acerbiſſimo juvenis amantiſſimi fato lachrymas impertiri: ſinite inanibus quanquam nihilque profuturis querelis proſequi luctuoſam funeſtiſſimi caſus memoriam. Vix erat ille ad primam expeditionem bellicam profectus, cùm ecce repentina inter ipſum aliumque ejuſdem ætatis ſocium rixa incidit. Venitur ad manus, ſtringuntur enſes, digladiantur ambo paribus animis atque odiis, donec infelix juvenis, quem ſervatum vellemus & incolumem, lethali confoſſus vulnere animam exſpirat, brevi quantumvis ad pœnitendum temporis ſpatio privatus. O duras miſeri adoleſcentis vices! ò fortem aſperam, ò mortem acerbiſſimo fletu deplorandam!

Hinc porro ſumite vobis exemplum, quod vobis ex uſu ſit, Adoleſcentes. Intelligite, quanti ſit ad ſalutem æternam vocanti Deo eſſe obſequentem: ac ſi vocem Domini aliquando audieritis, oro vos, atque ob-

obteſtor cum Regio Vate, *nolite obdurare corda veſtra*. Verum ſit hactenus ſatis oſtendiſſe quanti momenti ſit ad ſalutem, divinam in eligendo vitæ ſtatu vocationem ſequi; jam quibus illa vocatio rationibus innoteſcere poſſit; diligenter inquiramus.

DE STATU VITÆ rite eligendo.

Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.
Pſalm. 24.

ORATIO XX.

QUæ dicta ſunt nuper à nobis ad demonſtrandam divinæ vocationis ſequendæ neceſſitatem, nullus ego dubitem, Adoleſcentes, quin ita convicerint unumquemque veſtrum, ut animis bene præparatis nihil aliud optandum ſuperſit, niſi ut certis indiciis divina vocatio ſe prodat. Hæc autem ſupremæ voluntatis declaratio circa vitæ ſtatum, qui vobis eligendus incumbit, etſi ſingulare divinæ beneficentiæ munus reputari debet, propter arctiſſimam quam habet cum ipſo ſalutis negotio neceſſitudinem; tamen nihil eſt, quod tam ultro vobis revelet Deus, ſi paſſim obviam, ac poſitam in medio divini conſilii perſpiciendi rationem adhibueritis.

Verùm, nequid deſiderandum vobis relinquatur ad perfectam argumenti, quod tractamus, abſolutionem; attendite animis, & triplicem, quam hodie vobis ſubjicio divinæ voluntatis cognoſcendæ viam accipite Conſulendus ipſe ante omnia Deus, quid facere de unoquoque veſtrum velit, hoc Primum. Adhibendus in conſilium divinæ voluntatis interpres, aliquem dico probatæ virtutis ac ſapientiæ virum, hoc Alterum. Denique perſcrutanda in ſe ipſo divinæ voluntatis quaſi ſemina, hoc Tertium. Hæc ſunt, Adoleſcentes, certiſſima & nunquam fallentia ad eligendum feliciter vitæ ſtatum præſidia. Verùm heu! quàm præposterè, quàm perversè bona pars hominum ordinis illius rationem invertit! Dixi Deum ipſum ante omnia conſuli oportere; at quàm multi ſunt, quibus parum intereſt, vel ſcire, vel ſciſcitari quid velit Deus, ſi modò mundum ducem habeant, & conſentaneam ipſius opinionibus atque inſtitutis vivendi formam amplectantur!

Hinc quia conditiones illæ vitæ maximo ſunt apud homines in pretio, quæ plurimùm habent æſtimationis in vulgus, & reverentiam quandam atque auctoritatem conciliant; nemo fere eſt, qui, ſi pervenire ad illas poſſit, aut ad eaſdem non adſpiret totis animis, aut deliberatione maturiori, priuſquam contendat illuc, opus eſſe arbitretur. Hinc filius familias nobilis, ſi fuerit multorum fratrum natu maximus, ratam vel ex hoc uno vocationem habet; paternam dignitatem animo præcipit; neque ſuſpicari veniet in mentem potuiſſe ſe alteri vitæ inſtituto à divina providentia deſtinari; nimirum ſic invaluit uſus, ita vivitur: ac ſi quis religioſior paulo aut deliberandum ſibi putet, aut abjectis contra morem ac conſuetudinem paternæ domus commodis ſtrictioris vitæ moleſtias amplectatur, ab aliis exploditur, ab aliis ſanioris conſilii viris prodigii cujuſdam loco reputatur.

Dixi adhibendum aliquem probatæ virtutis ac ſapientiæ virum, quo divinæ voluntatis interprete uti liceat; at quæ ſolet eſſe multorum agendi

perverſitas, ſi quam in eligendo vitæ ſtatu difficultatem patiantur? quos adeunt in re hujuſce momenti conſiliarios? quibus penitiores animæ ſuæ receſſus aperiunt? Dicamne, Adoleſcentes? amatores mundi, rerum terrenarum ſectatores, flagitioſos plerumque & corruptela depravatos in conſilium adhibent: eorum dicta, tanquam effata, reſponſa tanquam oracula reverentur; eorum ſe duci arbitrio, regi voluntate, libidine circumagi patiuntur: qui tamen omnes, cùm cæci ſint, & duces cæcorum, quid pronum eſt evenire, niſi quod
Matt. 15. dicebat Chriſtus, *cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Quidam ſapientiores in ſpeciem prioribus, at nihilo tamen reipſa cautiores rem deſtinationis ſuæ totam parentum voluntati moderandam relinquunt, rati neque ſe etiam obſequii in ea re ſui mercede carituros, ſi, quod illi, à quibus hauſerunt lucem, æqui bonique conſuluerint, inquiſitione ulteriori prætermiſſa, ultro amplectantur. Quos quidem quantùm ſua ratio fallat, vel ex eo licet intelligere; quòd parentum plerique, quoties de promovendis ad aliquem vitæ ſtatum liberis cogitant, non tam providere ſolent, quid æternæ ipſorum ſaluti maximè conducat, quàm ut eas agant in vita partes, unde plurimum ſibi liberiſque ſuis gloriæ & emolumenti accreſcat.

Dixi denique in eligendo vitæ ſtatu perſcrutanda in unoquoque quædam quaſi ſemina, quibus divina voluntas ſe prodit. At id ipſum quàm pravè interpretantur, qui tam inſitas à natura, quàm inductas conſuetudine mala cupiditates ita conſulunt, ut eam inter cæteras ſortem ambiant, quæ effrenatis ac corruptis affectibus favere impenſiùs poſſit.

Et mirabitur poſtea quiſpiam, ſi adhibitis tam ineptis conſultoribus in eas plerique vices incurrant, in quibus multis jactati tempeſtatibus, & crebris alliſi ſcopulis triſtiſſimum denique naufragium faciant. Cavete igitur, Adoleſcentes, ne in eadem pericula aliquando incidatis; occludite diligenter aures veſtras pernicioſis conſiliariis; audite lubentiùs Spiritum ſanctum ſalubriter ſacris in Literis unumquemque veſtrum commonentem. *Fili, ſi te lactaverint* Prov. 1. *peccatores, ne acquieſcas eis: Fili,* Gal. 1. *ne acquieſcas carni & ſanguini: Fili, poſt concupiſcentias tuas ne eas,* Eccli. 18. *& à voluntate tua avertere*.

Ad quem igitur ibimus, Adoleſcentes, niſi ad eum qui verba vitæ æternæ habet? Dominum Jeſum intelligo, qui de ſe ipſe profitetur. I. Pars. *Ego ſum via, veritas & vita. Via eſt*, inquit Bernardus, *hunc ſequamur: veritas eſt, fidem habeamus; vita eſt, ad eum adſpiremus*. Accedite igitur ad eum cum fiducia; efflagitate omni ſtudio divinam lucem, quæ tenebras mentis veſtræ diſſipet, & voluntatis pertinaciam emolliat. Inſtate votis & obſecrationibus; neque dubitate, quin facilem Deum ac placabilem inveniatis. Nam ſi tam ſolemni jurejurando fidem ipſe ſuam obligavit pollicitus ratas ſe habiturum petitiones noſtras, *Petite & accipietis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Dicite amabo? Ecquando lubentius exauditum iri vos ab omnipotente Deo arbitramini, quàm dum poſtulabitis omni ope rem illam, ex qua veſtra pendet æternitas?

Joan. 14.

Joan. 16.

Erumpite igitur frequenter in has voces cum regio Pſalte. *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me*. Ecce, Domine, quantùm in me eſt, propero venire ad te; at non ſatis ſcio, qua potiſſimum inſiſtam via. Video quotidie tam multos in unoquoque vivendi inſtituto,

Pſal. 24.

tuto, qui à recta virtutis ſalutiſque ſemita deflectunt: nulla eſt vitæ ratio tam ſancta, qua quis abuti ad perniciem ſuam non poſſit, niſi tu illam proprio voluntatis tuæ ſigillo
Pſal. 17. conſignaveris. *Illumina igitur, Do-*
Pſal. 142. *mine, tenebras meas & notam fac mihi viam, in qua ambulem*. Statim atque divini tui luminis ſplendor illuxerit & offuſam menti depulerit caliginem, pergam, quacumque juſſeris. Non me vel viarum anguſtiæ, vel locorum aſperitates, vel difficultatum ſalebræ à propoſito deterrebunt. Gratiæ tuæ præſidio fretus, ibo medios inter ſalutis hoſtes
Pſal. 22. imperterritus, nec timebo mala,
Pſal. 16. dùm mecum eris, Domine, & ſub umbra alarum tuarum incedam.
Act. 9. *Quid me vis* ergo *facere*. Domine
Luc. 10. Jeſu? *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?*

Ita compellandus amanter Deus, Adoleſcens Chriſtiane, quiſquis es; ſi divinæ diſpoſitionis ordinem manifeſtum tibi fieri volueris. Neque ſatis eſt ſemel atque iterum ita Deum ſollicitaſſe; ſed iterandæ frequenter preces ejuſmodi, quoties aut ad orandum accedis, aut templa ingrederis, aut divinis rebus adſiſtis, aut peccatorum ſordes ſacro Pœnitentiæ lavacro abluis, aut Chriſti Domini corpus intra penitiſſimas pectoris tui partes excipis. Tunc enim providere potiſſimum debes, ne qua te tam pretioſi temporis particula prætereat; quin Deo plenus, atque, ut ita dicam, Deo animatus rem illam tanti ad ſalutem momenti cum eo liberiùs ac familiariùs excutias; latentes ipſius ſenſus ſcruteris; erumpentem clam ex intimis cordis tui penetralibus ejus vocem audias; &, quidquid ſtatuere de te ipſi placuerit, ejus te arbitrio regi promptum ac paratum exhibeas. Sic ut cum juniore Samuele verè & ex animo profiteri poſſis, *loquere, Domine, quia audit ſervus tuus*. 1 Reg. 3.

Aliam Deus inſtituit ſuæ nobis declarandæ voluntatis rationem, ſacras Literas intelligo; in quibus tam claré nonnunquam, tam manifeſtè loquitur, ut quid velit ab unoquoque noſtrum ignorare non liceat. Sic Antonium olim ſolitariæ vitæ principem, & Nicolaum illum Tolentinum privatis negotiis eripuit, & aſperrimo vitæ inſtituto mancipavit. Evolvenda ſunt ergo & animo retractanda diligenter illa Chriſti oracula, quibus Religio Chriſtiana ſuis veluti principiis ac fundamentis tota nititur. *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, anima vero ſua detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Quàm difficile eſt Divitem intrare in regnum cœlorum? Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ paraſti cujus erunt? Quàm arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui intrant in eam. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Væ vobis, qui ridetis, quia tunc lugebitis & flebitis. Væ vobis, quia habetis conſolationem veſtram*. Matth. 6. Matt. 19. Luc. 12. Matt. 7. Matt. 11. Luc. 6.

His & aliis Chriſti documentis perpenſis ſeriò & ad ſeverum examen revocatis, cogitabis tecum, Adoleſcens Chriſtiane, quid te facere demum oporteat, ut ad normam veritatis Evangelicæ vitæ rationem elegiſſe videaris. Intuebere animo punctum illud temporis, quo tibi cedendum erit è vivis & in domum æternitatis tuæ commigrandum. Quid feciſſe velim, inquies, cui vitæ generi optem adhæſiſſe, cum moriar? Forenſi? Religioſo? Sacerdotali? Militari? Mihine tunc proderit congeſtos pecuniarum acervos animæ meæ diſpendio cumulaſſe? an juvabit quidquam ad ſalutem exemptum è turba

cæterorum mortalium ampliſſimis honoribus præfulſiſſe? an gaudebo inter mundanas delicias & molliſſimas quaſque voluptates vitam contriviſſe? Quid æquius eſt, quid rationi conſentaneum magis, quàm ut mihi jam præſtandum putem, quod præſtitiſſe tum lætabor, id amplectendum judicem, quod amplexum fuiſſe me tum minimè pœniteat?

II. Pars. Tamen ſi conſulto per frequentes preces, & ſerias ſacri eloquii meditationes, Deo nondum ſatis conſtaret vobis, quod potiſſimum vitæ genus ineundum incumbat. Alteram breviter ſubjicio vobis voluntatis divinæ indagandæ viam, nimirum ut, re communicata cum aliquo probatæ virtutis ac ſapientiæ viro, ipſius conſiliis atque reſponſis ſtandum omnino æſtimetis. Eſt enim illa divini regiminis ſatis frequens atque uſitata ratio, ut non per ſe, ſed per eos, quos præpoſuit ſuæ voluntatis interpretes, ſua nobis conſilia declaret & aperiat. Talem ſe olim Chriſtus exhibuit, cùm Paulum in vas electionis ad portandum nomen ſuum coram gentibus ac Regibus aſſumpſiſſet. Ille, ut ſcitis, Judaicæ Legis æmulator ac vindex, ſpiranſque minas ac cædes in Diſcipulos Domini Literas à Principibus Sacerdotum acceperat, & pergebat Damaſcum, ut, ſi quos inveniſſet Chriſtianæ Religionis cultores, illos vinctos traheret ac Joroſolymam perduceret. Ecce autem cùm iter faceret, & appropinquaret civitati, circumfulſit eum lux repente de cœlo, & excuſſus, quo ferebatur, Equo, dejectuſque in terram, inter erumpentes ſonitus ac fragores, inſonantem auribus ſuis vocem audiit,

Act. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris?.... Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris.* Hac cœleſti admonitione converſus & in alium mutatus omnino virum.

Ibid. Paulus cùm ſubjeciſſet, *Domine, quid me vis facere?* Non erudiit Paulum per ſemetipſe Chriſtus, ſed mittens eum ad Ananiam, dixit; *Surge; & ingredere civitatem & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Interim Dominus in ſomnis Ananiam admonuit, &, quod miniſterii genus Paulo crederet, edocuit, & dixit ad Ananiam Dominus. *Vade, & quære Paulum Tarſenſem ... quoniam vas Electionis eſt mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus & filiis Iſrael.* Ibid.

Nolite igitur deinceps mirari, Adoleſcentes, ſi flagitato ſæpiùs divino lumine, ad perſpiciendum vitæ ſtatum, quem ingredi vos Deus velit, ſuſpenſus hærebit animus, nec cui potiſſimùm inſtituto adjungat ſe ſe intelliget. Sed adite confidenter viros illos, quos Dominus conſtituit conſcientiæ veſtræ moderatores, & Paſtores animarum veſtrarum. Illi illi ſunt, per quos erudiri vos licebit, quid ab unoquoque veſtrum Deus requirat: depoſitum apud eos eſt deſtinationis veſtræ myſterium; hanc illis Deus impoſuit provinciam, ut ſecurum vobis tramitem aperiant, & ſe laborioſiſſimæ cujuſque ac difficilis viæ duces adjungant. Exiſtimate totidem Ananias illos eſſe, quibus aperuit Deus, quæ veſtris ipſorum oculis abſcondit. Hoc præſtate tantùm, ut intimos animi veſtri receſſus cum ingenuo candore recludatis, ut varias veſtri cordis tam in bonum quam in malum propenſiones atque affectiones ſine fuco exponatis, ut immiſſos identidem divini luminis radios, & arcanos cœleſtis gratiæ motus fideliter expendatis: denique ſic animo præparati ad eos accedite, ut eorum reſponſa, tanquam totidem oracula, & indubitata divinæ voluntatis indicia accipiatis, & exequenda viriliter proponatis.

Re-

III. Pars. Reſtat jam unum, Adoleſcentes, ut in eligendo vitæ ſtatu ſe ipſum unuſquiſque conſulat: qua in re tria vos monebo potiſſimùm. Ac primò quidem inveſtigandus in vobis ſingularis ille ſitus animi, conſulenda arcana illa propenſio voluntatis, quam natura ipſa indidit; quæ recentibus è partu ita ſit impreſſa, ut infantiæ, pueritiæ, atque adoleſcentiæ gradus decurrentibus conſtanter adhæſerit; Iſtos enim pleriſque videmus eſſe igniculos, qui ſtatim erumpant in apertum, & alios ad bellica pericula, alios ad preces, ad cantus templique miniſteria, alios ad privatam ſolitariamque vitam ab ipſis incunabulis inclinent. Hæc, inquam, levia quædam ſunt præſagia futuræ conſuetudinis, & quaſi divinæ voluntatis ſemina: horum etiam habenda ratio eſt, præſertim ſi non immiſſa extrinſecus, ſed ſponte libereque ſuſcepta; non nova, ſed nata nobiſcum atque edita; non intermiſſa, non volubilia, ſed firma, ſed continua; non ullo motu cupiditatis; aut ſpe utilitatis aut libidinis labe corrupta, ſed puro, ſed pio cum affectu divinam ad laudem æternamque ſalutem unicè referantur.

Proximum eſt in corporis animique facultates inquirere ſedulò; an illi, de quo agitur, vitæ ſtatui conveniant? Tenuiſſimis es viribus, fragili & prope nulla valetudine, vigiliæ, inediæ impatiens, & bellicis, aut religioſis laboribus te deſtinas? Tardiore es ingenio, ignarus, hebes in Literis, nulla proficiendi voluntate, nulla ſpe: & ad ſacerdotium, ad curam animarum, ad verbi divini adminiſtrationem adſpiras? Malè te profectò, imprudenter, temere alienis miniſteriis immiſces. Huc te ſi Deus invitaret, iis te inſtruxiſſet facultatibus, quæ ſunt officiis ejuſmodi neceſſariæ. Ad illa nihilominus tot impar officiis accedis? à divina voluntate declinas, diſcedis.

Poſtremum eſt, Adoleſcentes, ut ad pravas etiam affectiones animi, tam eas quibuſcum nati eſtis, quàm illas, quas peccandi conſuetudo induxiſſet, diligenter attendatis: non quidem, ut eam putetis eligendam vitæ conditionem, quæ pravis illis cupiditatibus impenſiùs faveat; ſed potiùs illud præferatis inter cætera vivendi genus, quod majora vobis ad refrenandos libidinum motus præſidia ſuppeditet. Videndum ergo accuratè unicuique veſtrum, an ſibi à natura ſic comparato, hac imbuto conſuetudine, his animi motibus agitato, vitæ ille ſtatus, quem ambit, congruat, & ad ſalutem idoneus ſit. Quot in eo pericula, quot adjumenta Chriſtianæ pietatis, qui vitandi ſcopuli, quot vitiis ſuis fomenta, quot remedia ſufficiat. Avarum te, cupidum te noſti? vita hæc avaritiam fovet? hanc fuge: ſi ſequeris, de te actum eſt. Incontinentem te, intemperantem, libidinoſum fateris? vita hæc ſoluta, mollitiæ proxima, deliciis affluens? hinc diſcede; ni facis, de ſalute tua conclamatum eſt. Sed vitam reperiſti, quæ medicinam avaritiæ, libidini frenum, intemperantiæ repagulum, incontinentiæ modum allatura ſit? bene eſt: hic te ſecurum, huc te vocatum exiſtima.

Antequam facio de hoc argumento dicendi finem, ſinite adjiciam pauca, quæ orationi toti coronidis loco ſint. Primum eſt; cùm ad indagandam Dei circa vos voluntatem accedetis; animum, quantùm erit in vobis, ita comparate, ut nullam conditionum omnium ambiat impenſiùs, ſed omni prorſus affectu nudatus ac ſpoliatus ad omnem cœleſtis gratiæ impulſum præparatus veniat; quandiu enim in aliquod ſpeciatim vitæ inſtitutum ultro inclinabitis, vix ac ne

ne vix quidem, mihi credite, cupiditatis incitationes ab internis vocantis Dei motibus licebit internoſcere.

Deinde ut in exeutiendo vocationis veſtræ negotio laborandum eſſe vobis quantocyus exiſtimetis. Eam enim jam attigiſtis plerique maturitatem ætatis, quæ deliberandi ea de re vobis neceſſitatem imponat. Neque illud etiam verebor profiteri, nullum fore unquam vitæ veſtræ tempus, quo divina benignitas ſua vobis ad rem hujuſcemodi lumina vel lubentiùs, vel magnificentiùs impertiat. Agite enim, erit deinceps flexus ætatis divinæ majeſtati acceptior, quàm ille quem decurriſtis? Ecquando erunt vel mores magis candidi, vel vita purior, vel à gravioribus flagitiis vita alienior? Jam ipſe frequentiſſimus Sacramentorum uſus, aſſiduum precandi ſtudium, diligens quædam & accurata in obeundis pietatis Chriſtianæ officiis ſedulitas, quanta ſunt ad promovendam vocationis divinæ notitiam adjumenta! *Quærite* igitur *Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt*. Poſtquam ſemel diſciplinæ illius, ſub qua adoleſcitis, cancellos prætergreſſi latam ac ſpatioſam mundi ſemitam primis veſtigiis conſignaveritis, quis ſcit, num vos tam flexiles ad omnes gratiæ ſuæ impulſus Deus inveniat? An non multo potiori jure timendum, ne tunc cupiditatum veſtrarum æſtibus incitati, exundantis undique corruptionis profluvio abrepti, perniciofis nefariorum hominum exemplis depravati, ſic in omne flagitiorum genus incurratis, ut iratus vobis meritò Deus, aut cœleſtes luminis ſui radios omnino ſubtrahat, aut eos impertiat tantùm, qui nec offuſas cæcitatis veſtræ tenebras diſſipent, nec cordis veſtri duritiem emolliant? Veniet fortaſsè tempus illud, cùm occæcatis prava peccandi conſuetudine mentis veſtræ oculis & obturatis cordis auribus, nec exhibentem ſe vobis Deum cernere, nec audire vocantem poteritis. Igitur *dum lucem habetis, ambulate in luce, ne vos tenebræ comprehendant*. Perſcrutamini, dum integrum eſt, divinæ voluntatis indicia, &, quam facit jam Deus rei momenti hujus cognoſcendæ facultatem, in lucro ponite.

Isa. 55.

Joan. 12.

Denique oro vos atque obteſtor cum Regio Vate, Adoleſcentes, *hodie ſi vocem ejus audieritis; nolite obdurare corda veſtra*. Si pro ſua in vos benignitate Deus Optimus Maximus, quid velit ab unoquoque veſtrum, notum atque perſpectum fecerit; videte ut vocanti Deo obſequamini. Ne vos vel cupiditatum illecebræ, vel blanditiæ parentum, vel liberioris vitæ amor deterreant, quominus divinæ voluntatis arbitrio moderandos vos penitus permittatis. Felices fortunatique, ſi quos è vobis Deus ſpeciali quadam benevolentia complexus ex communi illa, quæ totum pœnæ orbem depravavit, corruptionis maſſa ſelegerit, ut in puriore cœli plaga collocatos obſequio ſuo mancipet. Caveant illi inter cæteros, ne vocanti Deo obſurdeſcant; ne inanibus auſterioris paulò vitæ difficultatibus perterriti oblatam ſibi pergendi ad beatam immortalitatem ſemitam ingredi refugiant. Meditentur ſecum identidem terribiles illas voces, quas divinæ vocationis prævaricatoribus Deus comminatur. *Vocavi & renuiſtis; extendi manum meam, & non aſpexiſtis; omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis, & ego* .... audite, Adoleſcentes, horrendas indignantis & fulminantis Dei minas, & contremiſcite, *& ego in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo vos*.

Pſal. 94.

Prov. 1.

Ego miſertus tui, infelix Adoleſcens,

ſcens, & triſtiſſimum, quod jam jam ſubiturus es fatum avertere cogitans, aperueram tibi ſecurum vitæ tramitem, quem feliciter ingreſſus per varias vitæ hujus tempeſtates ac metuendos ſcopulos ad beatum felicitatis æternæ portum evaſiſſes; prævidebam, quàm parum præſidii adversùs corruptelam morum nanciſcereris in medio nationis pravæ poſitus: noveram te in vitium flecti facilem ac cereum, felici quidem atque ingenua indole præditum, ſed propenſum plus æquo ad voluptatem. Inter laudabiles illos, quibus ad pietatis virtutiſque ſtudia ferebaris, affectus, perſpiciebam quædam corruptelæ ſemina, quibus ſi perniciosa vis exempli & deliciarum illecebræ pabulum ac fomentum afferrent, in turpiſſima vitia aliquando excreſcerent. Hæc, inquam, omnia cùm probè ſcirem, cùm periculoſam ſaluti tuæ fore liberioris vitæ formam prævidereni, invitavi te, vocavi te, attraxi te ad ſeverius quidem ac ſanctius vivendi inſtitutum; nec illuſtrare mentem puriori lumine, nec arcanis motibus impellere voluntatem deſtiti. Tam notum tibi, tam ſpectatum feci, quid vellem, nihil ut obſcurum, nihil ambiguum ſupereſſet; ſed conſilium meum deſpexiſti, increpationes meas neglexiſti, vocavi & renuiſti; Et ego in interitu tuo ridebo & ſubſannabo te. Vocabis me viciſſim ruinæ tuæ proximus; ego autem non exaudiam; lachrymas tuas, ſuſpiria deſpiciam, &, quam tibi ipſe nexueris, calamitatis ſeriem non diſſolvam.

Atque utinam, Adoleſcentes Chriſtiani, non tot tamque illuſtria divinæ ultionis exempla ſuppeterent. Hinc ſumite documentum, Adoleſcentes, quanti ſit exhibere ſe vocanti Deo docilem & obſequentem: quàm ineluctabilis pernicies illis immineat, qui monſtratam à divina Providentia vitæ ſemitam inire neglexerint: quàm ſit arduum atque operoſum declinantibus ab eo ſpeciali tramite optatum felicitatis æternæ terminum unquam aſſequi. Quamobrem hortor vos iterum atque iterum ac vehementer obteſtor, ut, quàm ſedulò debet unuſquiſque veſtrum in eligendo vitæ ſtatu divinam voluntatem perſcrutari, tam diligenter eandem ſequi, poſtquam innotuerit illa, contendat.

ADMONITIO
AD ORATIONES PANEGYRICAS.

DE Orationibus iſtis, quæ ſunt pœne omnes Panegyricæ, nihil eſt admodum, quod præmonere neceſſe ſit, niſi ut habeatur ratio Rerum ac Temporum, quibus cùm dictæ, tum in lucem editæ prodierunt. Eſt enim hoc operum omnium fatum, quæ eventis recentibus prædicandis nata ſunt, ut placeant, dum vulgantur, quia novitatis habent gratiam; eadem non ſic afficiant animos, cùm vetuſtate obſoleverunt. Quod ſi minùs ab alia parte commendabiles Orationes iſtæ videbuntur, hac me interim conſolatione ſuſtentabo; ſi modò rerum à Ludovico Magno ſapienter, piè feliciterque geſtarum memoriam apud poſteros conſervabunt, & illuſtria ac ſincera Gallicæ virtutis monumenta habebuntur, adverſus Temporum injuriam comparata.

Digitized by Google

GALLOS TAM FALLI AB HOSTE NESCIOS, QUAM VINCI.

ORATIO HABITA ANNO M. DCC. XIII.

EXCELLENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI
JOANNI JACOBO CAVALLERINO
ARCHIEPISCOPO NICÆNO,
SS. D. N. Papæ Prælato Domeſtico & Aſſiſtenti,
Sacræ Rotæ Romanæ Auditori,
Apud REGEM CHRISTIANISSIMUM Nuncio Apoſtolico.

ETſi Orationem hanc noſtram præſentia tua cohoneſtandam æſtimaſti, ECCLESIÆ PRINCEPS EXCELLENTISSIME: *Vereretur illa nihilominus propiorem aſpectum tuum jam ſuſtinere; niſi quantùm ſua auctoriſque ſui tenuitati diffidit, tantùm argumento, quod tractat, tuæque benevolentiæ confideret. Nam quid ego dubitem felicitatis Gallicæ commendationem tibi placituram, qui rerum noſtrarum eventus proſperos viſus es tam læto vultu excipere, quàm ſi unus aliquis è nobis & in medio Galliæ ſinu natus aut educatus fores?*

Id verò perſpicaciæ dicam tuæ, an Æquitatis? Perſpicaciæ; dum tantas inter, quæ fucum faciunt, Europæ ſimultates cauſæ noſtræ jus ſanctum perſpexeris? Æquitatis; dum ejuſmodi cauſam animosè ſuſtines, cui præter Cœlum, vix quiſquam ſuffragatur.

Ut ut eſt: ſentiunt ii maximè, quorum virtus tot annos exercitata, hodie tandem fremente nequicquam Invidia, coronatur, quanti tuum illud de Gallia Judicium momenti apud eum fuerit, cujus hic tanta cum dignitate agis Oratorem. Feciſti nimirum, ut Gallos, quorum animum & mentem ignorari Romæ doluiſti non ſemel, demum perviderent intelligeretque, neminem eſſe verè Romanum, qui Gallus affectu non eſſet.

Atque utinam, PRÆSUL EXCELLENTISSIME, *quantum tibi tam præclara ſentienti de nobis, tantùm & nobis viciſſim de Te, ut par eſt, ſentientibus quamprimum Roma deferendum putet! Erit tunc ſanè, unde & nobis, & Tibi plenè gratulari liceat: mutatoque nomine, novum obſequii genus exhibere. Interim dum vota ſuccedant, patere pro humanitate tua ſingulari me ut adhuc profitear*

EXCELLENTIÆ TUÆ

Addictiſſimum devotiſſimumque ſervum,
GAB. FRANC. LE JAY,
Societatis JESU.

ORA-

ORATIONES PANEGYRICÆ.

GALLOS

TAM FALLI AB HOSTE NESCIOS

QUAM VINCI.

ORATIO PRIMA.

FUit hæc dotes inter plurimas virtus Gallicæ Gentis non poſtrema, Auditores, ut ingenitum ſemper amorem recti, & expertem doli fucique animum vel hoſtibus approbarit. Prognati, quotquot ſumus, à genuina illa veterum Francorum Gente, quibus in re bellica tam alienum ab omni fraude, quàm invictum animi robur una laus fuit; eandem hanc non in ipſo tantùm nomine habemus conſignatam, ſed etiam in moribus multo magis expreſſam hæreditario quaſi jure gloriamur. Hinc ſi quid uſquam inter nos finitimaſque vel exteras Gentes ortum diſſidii, ita diremptum eſt, ut partam bello famam non ſtratagematum dolis, ſed animi ſinceræ virtuti debeamus.

Hanc verò laudem quam nobis vel negavit, vel invidit nemo, quoties de armorum gloria decertandum fuit, ne quis præripiendam putet. Ex quo nacti hoſtes ejuſmodi, qui fallacia pugnare mallent quàm virtute, inſtructas in perniciem noſtram inſidias ſuos in auctores convertimus. Sic enim inanes hoſtium verſutias meliore aſtu & ſalvo ſinceritatis jure eludendas cenſuimus; ut amplior deinceps Gallicæ fortitudini campus pateret, &, quem parandæ gloriæ aditum fraudes præcluſerant, eundem deluſæ fraudes liberiorem aperirent.

Tria cùm ſint rerum magnarum veluti principia; Providentiæ lumen, Fortitudinis robur, & amor Gloriæ, quæ magnetis inſtar hanc trahit, illam dirigit; rem ſatis promovere ſuam hoſtis putaverat, ſi quam ex illis laudibus partem deterens, Gallis quomodocumque illuderet. Res itaque hoc anno utrinque geſtas, dum attentiùs conſidero, id præcipuè vel inimico Fœderi, vel ejus Principi certè videtur fuiſſe propoſitum; ut & rumorum infinita quadam multitudine, & conſiliorum in ſpeciem oppoſitorum varietate, anxiam, perplexam, impeditam diſtineret Galliæ providentiam: atque adeo incerta & anceps qua parte eſſet oppugnanda, nihil ipſa auderet tentare; ſed ab imminentis undequaque periculi metu penitus occupata, totum ſic annum trahens otioſa ludibrio fieret. Sin minùs proceſſum foret hac via, neque perſpicaciæ Gallicæ facere fucum liceret; operæ pretium non leve videbatur inacceſſum aliquem fortitudini noſtræ obicem opponere, & quam labefactare aperta vi deſperarat, pugnam omnem detrectando ludificari & inanem reddere. Quod ſi neque iſtud pro votis ſuccederet, hoc certè ſibi promittebat ſolatii, Gallorum gloriæ illudi ſatis poſſe; ſi vacua abiret æſtas aliquando una, aut iis certè careret eventis, quæ Gallorum no-

mini.

mini innatoque ipſis gloriæ deſiderio ſua multitudine ac ſplendore reſponderent.

Huc ergo hoſtilis conſilii ratio tota viſque recidebat; ut aut Providentiæ Gallicæ aciem falleret, aut Fortitudinis eluderet impetum, aut avidam nobilioris Gloriæ ſpem fruſtraretur. Exiſtimabat Hoſtis ſcilicet, quo quiſque natus eſt fortior, ita cæteros ex animo ſuo metiri; & quem doli minùs capacem effecit natura, eundem vulgo incautum & minùs ſuſpicacem naſci: ſic ut quos aperto Marte eſſet arduum vincere, multiplici fraude circumvenire non ita foret operoſum. Demens qui Gallos non intelligeret tam falli ab hoſte neſcios, quàm vinci.

Providentiæ noſtræ aciem aſtu non uno voluit hoſtis fallere: non eluſam modò, ſed & deluſam ſenſit aſtutiam. Fortitudinis impetum ſperavit eludere: comitem nobis aut ducem Virtutis ſolertiam expertus eſt. Denique addictam Gallicis expeditionibus Gloriam fruſtrari tentavit; quam parabat imminuere Gloriam, auxit vel invitus.

Dicam uno verbo: Hoſtis callidi conſilia cautè invertimus. Pugnam aſtu detrectantem, ad pugnam ſolerter adegimus. Obſequentem vel invita fraude Gloriam noſtras in partes traximus. Ita triplex hoſtilis fallaciæ genus navo ac licito militaris aſtutiæ genere vicimus. Quos ergo tam ſæpe ut invictos oſtentavit ex hoc loco ſolers Oratorum induſtria; eoſdem jam quavis ex parte falli neſcios omnique arte ſuperiores intelligite.

Facit inſitus hominum animis veri rectique amor, & innocuæ cujuſdam malignitatis ſenſus; ſuis ut veteratorem implicitum laqueis, ſua calliditate deluſum, nemo ſine voluptate aliqua non ſentiat. Hoc hilariores Theatri ſcenæ, hoc lepidiores colloquii ſales riſu eodem excipiunt. Rem opinor vel non viderat ille, quem fraudum artificem unicum ac veluti à conſiliis habet Europa; cùm novo bellandi genere, fallaces in Galliam dolos inſtruxit: vel eas animo verſabat artes, quæ ſpes, ut ajebat, ſuas non fallerent: vel certè ſic exiſtimabat hac deinceps via Gallus ſuperari poſſe, aut nulla. Videbat enimverò recentibus claros victoriis; nec latebat homini provido ac perſpicaci, imminere ſibi lectiſſimum exercitus Gallici robur, qui ſparſas victi toties Fœderis reliquias diſperderet.

Hæc porro difficultatis ſumma erat, ut paratam ſibi ſuiſque cladem, quoniam vi deſperabat avertere, fallacia ſaltem eluderet. Meminerat ille, quo eventu Politicum illud Effatum adhibuiſſet, *Divide ut regnes*, neque minùs iſtud ſperavit jam valiturum, *Divide ut vincas*. Hac igitur ſpe fretus, Gallos non invictos fore, ſi quos magno numero venturos in Belgium metuebat, multas in partes diviſos veluti diſpergeret; ingentes deſtinat proxima expeditione copias, quæ Galliam ex omni parte totam quaſi uno impetu invadant. Badenſem ex Hungaria Principem acciri jubet, & in Germania ducem præficit. Sabaudum monet, ut ad oppugnandum Caſale Pineroliumque ſe accingat. Suas mandat Hiſpano partes; ut aliqua ſaltem belli ſpecies Gallos in Catalauniæ finibus anxios habeat. Claſſem non minori apparatu quàm ſtrepitu ad exſcenſionem inſtruit. Ipſe junctis Bataviæ, Germaniæ, Britanniæque viribus, ſibi Bavaroque Belgium deſignat, ſingulis inde ſuo tempore, quantùm foret opus, ad peragendùm quod inſtaret, ſubſidia proviſurus.

Neque verò iſtam conſilii ſui ratio-

tionem aut celandam omninò, aut paucis tantùm concredendam æſtimavit: imò; quæ cæteris in rebus prodeſſe ſolet ſollicita arcani cura, non poſſe eandem in præſentia niſi obeſſe cenſuit. Sparguntur itaque ſedulò, ac nulla non ex parte diſſeminantur rumores varii, vetera demum Galliam inter Europamque diſſidia, decretoriis hoc anno fatis eſſe dirimenda: cruentum fore, terra, mari, in littore, in finibus bellum, formidabiles eſſe jam in procinctu exercitus, qui Galliæ limites ab Hiſpania, Italia, Germania, Belgio primo Vere ſimul obſideant: clariſſimos Europa tota Principes, Sabaudum, Badenſem, Bavarum, ipſum Auriacum tanquam pro aris focisque pugnaturos: Claſſi ad exſcenſum comparatæ nihil niſi tempeſtatem opportunam deeſſe: Galliam denique obſeſſæ inſtar urbis undequaque concludendam.

Quid multa? Exiſtimatis fortaſſe, in iis, quæ ferebantur, plus oſtentationis fuiſſe quàm fidei: quaſi verò tam parum perſpicaces, aut meticuloſos adeo Gallos hoſtis putet; ut ludificari ſe verbis, aut inanibus terriculis commoveri patiantur. Ita res ſe habebant, Auditores, ut jactabatur; bellum, immane bellum toti Galliæ imminebat? Exultabant hoſtes, triumphabant æmuli, amici, ſi quos adhuc patitur fortuna magnæ virtutis comes, indolebant; & univerſus orbis rerum novitate ſuſpenſus, quorſum iſthæc evaderent, ſollicitè expectabat.

Ipſi verò Galli quid ſentiebant, Auditores? Alii, Politici, quos vocant, homines ut ſibi videntur oculati, qui rationibus ſuis metiuntur omnia, quorum in arbitrio Regum fortunam poſitam diceres: ii rem Gallicam ſummum adductam in diſcrimen, quia non videbant, qua conſuli ipſi ratione poſſet, affirmabant. Alii meticuloſi præter modum noſtriſque plus æquo diffidentes viribus, ita diſſerebant; ut Galliam ſalvam & incolumem hoc anno vellent, nihil auderent ulteriùs apprecari. Alii denique rem æquiùs cæteris æſtimantes ajebant multa virtuti Gallicæ permittenda: eſſe hoc illius fatum veluti ſingulare, ut & numeri damnum virtus compenſet, & pro hoſtium numero nova virtus accreſcat.

Quid interim conſilii ſua Ludovico ſagacitas dictitat, quo inanem elevet aſtutiam, ſuiſque ipſam retibus implicet? Securitati Populorum abundè proſpectum ratus eſt, ſi Philippum Fratrem, nomen Auriaco jam inde à Caſſellenſi pugna ſatis cognitum, ſubitis atque improviſis conſiliis hoſtium unum opponeret. Ipſe verò viam ingreſſus hoſtem recta petit, &, quem variis Europæ partibus ſuppetias ferre meditantem noverat, ſic occupat totum ex improviſo; ut copias uno in loco omnes coerceat, eaſque otioſas demoretur. Vix nunciis, vix oculis credit Auriacus: mox inopina conſilii novitate perculſus, hærere, deliberare, trepidare. Videt vel hoc primo Regis inceſſu diſturbatas artes, diſſolutas omnino technas, nec jam uſui eſſe poſitas in propatulo machinationes. Tum ſe ſibi uni vix ſufficientem æſtimans, nec rei ſuæ immemor, publicæ rei nuncium remittit. Valeto, inquit, Germania, & ſuis ſe, ut poteſt, defendat armis: expectet ſuppetias Sabaudus, quantùm volet: Fortunæ nunc ſuæ permittenda claſſis: me cura gravior deinceps premit, & rerum moles incumbit major. Deceptus, eluſus, circumventus, ne victus quoque dici poſſim, providendum.

Nihil hìc vel Auriaco, vel mili-

tari

tati prudentiæ noſtræ affingimus, Auditores. Nam quid aliud feciſſet ille, aut quæ pars deinceps cum Fœderatis commercii extitiſſet? Hinc propriis ipſum in caſtris Regius exercitus, illinc Buflerus coercebat. Hoc igitur reſtabat unum, ut turmas inter florentiſſimas otioſus diu ſuis putreſceret in paludibus, donec turpem ingenti clade fugam redimeret. Sic habemus muneris hoc tui, Regum ſapientiſſime, quòd decipi Gallia nec poſſit. Additos quidem præſentia tua Gallo militi animos vidimus non ſemel, eadem nunc intervérſas ſtatim videmus hoſtium fallacias.

Ut eluſas hinc patet otioſaſque fuiſſe in Belgio Fœderis inimici copias; ſic eluſam ejuſdem ſuiſque pariter inſidiis circumventam Claſſem intelligite. Meminiſtis, opinor, quantus eſſet, quàm formidoloſus Claſſis illius apparatus, quæ noſtris ſuperventura litoribus & Galliam latè populatura jactabatur. Concurrebant multa quæ facerent fidem: numerus navium ingens, Machinæ, Pontes, omnis generis inſtrumenta ad exſcenſum comparata. Quis ex tota illa belli ſupellectile Martium tandem facinus aliquod non conjectaſſet? Nihil tamen minùs, Auditores. Unum hoc erat conſilii, ut & immenſas in Orientem opes magno Fœderatorum lucro ceſſuras exportaret, & auxiliares deferret Sabaudo copias, militare conſilium negotiationis ſpecie diſſimulans.

At neque commodum ſatis iter per anguſtias freti, imò periculoſum videbatur, quandiu Claſſis Gallica Breſtenſem in Aremoricis teneret portum; unde viam cognoſcere hoſtium & nolentes adoriri liceret. Erat igitur illa opinione metuque deſcenſus elicienda multas in partes, varias in maris oras diſtrahenda: at ſecura minarum nec hoſti pavido temerè credendum exiſtimans portum nihilominus occupabat. Senſit Auriacus, atque ut eſt ad varias belli fraudes, ſi modò præſtare ſe vadem non cogatur, peridoneus, novos ſtatim ſufficit dolos, apud credulas fortè gentes fidem aliquam habituros; atque vario rei incendiariæ apparatu, variis eo de conſilio rumoribus, certum ignem medio in portu adpromittit.

Opportunam hanc reciprocæ fraudi nactus occaſionem Turvillius ſolvit è portu; nec timorem ſimulare dubitat innatæ fortitudinis conſcius, ne qua illius doli, quem digrediens ipſe componebat, ſuſpicio incideret. Quo demum apud gentem inimicam plauſu, quibus exceptus gaudiis vix ſperatus ille nuncius, quo delatum eſt; timere tandem impavidos Gallos, & periculoſam incendii metu Claſſem aufugiſſe? Continuò ſolvuntur anchoræ, quaſi ad triumphum ituris; panduntur vela, & veluti re geſta feliciter; feſtivas inter ſociorum voces ſeceditur. Ibat longo Anglorum ſtipata comitatu auriſque ſuaviter aſpirantibus Batavica Claſſis; & ad Fretum Herculeum, Herculea veluti ſecuritate accedebat. Verùm ecce occurrit inſperata Gallorum Claſſis, quæ per occultos tramites Freto dudum reddita, hoſtem nihil tale dubitantem præſtolabatur.

Fingite vobis cogitatione, ſi poteſtis, Auditores, quantus hinc verſis ſubitò fatis ſtupor, quanta inde promptam expeditamque præſentientis victoriam noſtræ Claſſis exultatio; Unus aberat, aut victoriæ teſtis more ſuo futurus Auriacus, aut ſuis certè has inter rerum anguſtias aliquod perfugium ſuffecturus. Quanquam quid feciſſet? Res eò Noſtrorum ſolertia erant adductæ, ut liberam fugiendi moram hoſtes non haberent: adeo Angli Batavique, populi, ſi Superis

peris placet, quibus Neptunus ſua revelaſſe myſteria creditur, Nauticæ artis, quam ſuam putant, videbantur obliti. Fidem certè omnem ſuperat, ita rem fuiſſe tractatam, ut ſpatiis ſe iniquioribus concludi ſinerent; nec ſecundæ tantùm & dominantis, ut vocant, auræ poteſtatem, ſed & Claſſis ſuæ permitterent, terras inter Claſſemque noſtam novo veluti carcere intercepti. Ad extremum quid reſtabat, niſi ut ingens illa multitudo navium in unum conglobata, ac ſemetipſam anguſtioribus locis impediens, præda magis fieret, quàm debellandus hoſtis objiceretur?

Sed mitto hìc dicere, quàm funeſtam victoria noſtra cladem inimico Fœderi attulerit; quàm multæ captæ naves, quanto plures depreſſæ, laceratæ, ſuccenſæ. Abſtineo fuſiùs perſequi, ut producto per ſolidum diem certamine ſola nox appetens pugnandi vincendique finem fecerit. Parco victis, ut magnanimos decet, Gentibus, quas jam non Commercii detrimenta, non ſingulorum damna tam premant, quàm neceſſarius de Gallo victore ſermo; adeo ut, quoties de partienda inter omnes clade tota hyeme contendetur, toties accepti vulneris, toties deluſæ fraudis memoriam oporteat refricari.

Perſpectum ſatis jam puto unicuique veſtrum, Auditores, quantùm triumphantis illius aſtutiæ fama apud ſagaces viros detrimenti pati debeat; niſi fortè ſit in eludenda fortitudine, quàm in ludenda Providentia felicior.

II. Pars. Ut illudi acerbiùs forti viro non poteſt, quàm ſi virtutis exerendæ locum aſtu quis ſubſtraxerit: ita ignavo homini nemo crudeliùs inſultet, quàm ſi pugnam detrectantem pugnare nihilominus adegerit. Hoc verò, ſi uſquam aliàs, Nervindenſis clades comprobavit.

Deſolatos præteriitis cladibus conjurati Fœderis Principes hac ſpe recreaverat Auriacus, ſe promovendum hoc anno pollicitus rem communem, ut non procul ab ipſis Regni penetralibus caſtra metaretur. Dignum illud Britannici Imperatoris audacia conſilium viſum eſt Ludovico. Neque hoc tantùm, ſed pro humanitate ſua ſingulari & partiri cum hoſte voluit longioris viæ moleſtias, & ad ipſius caſtra progreſſus, avidum in Auriaco, ſi quis eſſet, laudis animum explere cogitabat: ut qui domitum ſe hactenus ab inferiori Ducum ordine doluerat, victus ſaltem ab invicto Rege ſolatii in clade aliquid, imò gloriæ inveniret.

At neque iſtis captus eſt illecebris Auriacus, ſive tantum à tanto Rege impertiri ſibi honorem vix crederet; ſive larvatam perſonatamque Majeſtatem cum æqua legitimaque poteſtate feriò nondum auderet committere; ſive ipſa Ludovici præſentia audaces reprimeret animos. Ut enim difficilius eſt propiores vicini ſolis radios, quàm eoſdem è linginquo intueri; ſic neque ipſi tam facilè videbatur præſentem hoſtem fixis oculis ſuſtinere, quàm contemnere abſentem. Ut ut eſt, tam æquam virtutis exerendæ conditionem reſpuit malè conſultus, maluitque, ſi ad pugnandum cogeretur, Martis aleam cum Luxemburgio rurſum experiri; futurum fortè confiſus, ut fortunatior evaderet Britannicus Imperator, quàm Batavorum aut Dux, aut Conſul olim extitiſſet.

Id tamen quanquam novum & inſolens miretur nemo: alios habet ad gloriam aditus priſcis Heroibus ignotos. Cenſuit nempe hoc unum ſibi honorificum ſatis, ſi Gallicæ fortitu-

dinis

dinis impetum, cui nihil arduum aut invium maximè Regis ad præſentiam eſſe ſolet, multa fallendi arte poſſet eludere; & qui Ajacis virtutem æmulari non valebat, Ulyſſis certè aſtutiam exhiberet. Meminerat etiam fortaſſe, veteres illos Germanos, ex quibus prognatum ſe gloriatur, quanquam laudis pugnæque avidos, glorioſum ſibi duxiſſe, ſi quo modo Cæſarem, rapidoſque victoriarum curſus morarentur; ſaltibuſque ſuis & paludibus clauſi, inacceſſum armis victricibus munimentum opponerent.

Hoc fretus exemplo ſimul & accenſus Auriacus muniri caſtra jubet; ſaltem ut qui ſe invictos jure ſuo Galli exiſtimant, victores ſe eſſe aliquando dediſcerent. Continuò vidiſſes collectas totius Europæ vires abjecta omni laudis alterius cura ſecuritati ſuæ adlaborare; alios foſſam ducere, alios vallum circumdare, alios aggerem extruere. Sed quid ego hic foſſam, quid vallum, quid aggerem dico? Foſſæ foſſis, vallis valla, aggeres aggeribus adduntur, accumulantur, multiplicantur. Nunquam Acheron ipſe, quem Styge novies interfuſa circumſeptum Poetæ fabulantur, tam difficiles Manibus inferis moras obtendit. Foſſas quatuordecim non minùs una ſuis vallatas munitionibus ac repagulis defenſas numerabes. Accedebat ex longo præviſa opportunitas loci, ſepibus, rivis, paludibus, ſaltibus interſecti: ſic ut ad caſtrorum defenſionem & ad provida cauti Principis conſilia, ars & natura conſpiraſſe viderentur.

Unus tamen ſe efferebat per anguſtias pagi, quem Nervindam vocant, quanquam difficilis acceſſus: ſive id aut vigilantiæ Ducis, aut perſpicaciæ potiùs exciderat, ſive relictus de induſtria malignus quidam, uti fortè gloriabatur, aditus; non tam ad provocandam audaciam, quàm ad caſtigandam temeritatem compoſitus.

Hic verò quid miremur magis, Auditores, an expertem periculi in Auriaco ſecuritatem; an avidam diſcriminis & contemptricem in Gallis audaciam? Erat ſanè in tanta pugnandi vincendique mora, unde virtutis præfervidæ Gallos pœniteret, qui novum in ſingulas horas exurgere hoſtem vellent. Et quanquam hæc ipſa, quam ferebant iniquiùs victoriæ prolatio, novam in dies ignaviæ labem Auriaco inureret; tamen, quia veniſſe Gallis, viciſſe eſt; ſpes differri vel uno die ſuas, idem eſſe atque auferri æſtimabant.

Plaudebas interim tibi hominum, ut conjurato Fœderi videris, aſtutiſſime; & eluſum Gallicæ fortitudinis impetum confidebas; hac confidentia fretus, quia majorem multo propugnaculorum molem, quàm Germani olim tui Cæſari objeciſſent, nobis oppoſueras. Tamen neſciebas alia eſſe ingenii, alia virtutis ſtratagemata? Ac licet Germanicam ſimplicitatem multa calliditatis arte longè ſuperes; non cogitabas, tibi non alterius Cæſaris, ſed Ludovici virtutem ſuſtinendam? Quanquam ne metue: non faciet Ludovicus, ut victum te ab ipſo, quoniam id honoris inconſultè abnuiſti, aliquando ſuperbias. Hanc dabit Luxenburgio provinciam, novit ille qua parte ſis impetendus; tuque, quid vera virtus contra dolum valeat, rurſum experiere.

Ate iam quid agimus, aut quid meditamur, Auditores? Exercitum nempe, amplum numero, valentem robore, ſuperbo Europæ delectu collectum, munitum caſtris, vallatum aggeribus, ipſi temeritati invium aggredimur? Idne prudenter minùs, quàm viriliter ſuſceptum, excutiat

otio-

otioſus ſi quis velit. At ecce jam ad manus ventum eſt; neſcit longiores moras virtus Gallica, & impatiens teneri, erumpit, emicat, volat; Nervindam petit, obſidet, premit: Nervindam fatalem illum, ut ſperabant hoſtes, virtutis Gallicæ & ſcopulum & tumulum.

Neque etiam exiſtimate, Auditores, genus illud victoriæ fuiſſe ejuſmodi, ut primo quoque impetu parta, vel labore nullo redempta ſit. Hoſtes nacti ſumus contra morem ſtrenuos; qui nec laceſſiti refugere, nec oppugnati cedere, nec victi ſemel abſiſtere noverant: iterum iterumque pulſi, fuſi, fugati, necdum à pugnando, aut certè reſiſtendo abſtinebant.

Expugnata tamen Nervinda eſt. At victoriæ quantula pars! Reſtabant impetenda caſtra: labor ultimus, & ſummus. Dixiſſes enimverò poſitam pro caſtris Nervindam, qua veluti eſca illecti Galli, ſpe ulterioris prædæ in paratos ſibi laqueos inciderent. Hinc enim per anguſtas fauces veniendum in brevem contractamque planitiem, ubi nova periculorum ſeges. Ibat nihilominus non tam ad pugnam, quàm ad certam ſtragem Equitatus Regius; quem eminus hoſtes conſpicati, exultare jam animis, & oblatum ſibi vindictæ locum gratulari. Quæ tamen ut certior ſit & amplior, coercendam illam tantiſper, & iræ parcendum putant. Verebatur hoſtis ſcilicet, tam parum nota Gallorum indoles, ne primo impetu attoniti, qui ducebant agmen, cautiùs recederent, & ſperata ipſum præda fruſtrarentur.

Vix dum tamen explicati pauci Equites ſtatim in caſtra provolant, & ſtricto mucrone minacem hoſtium ferociam anteveruunt. Mutata jam rerum facies, revulſa ſepta, clauſtra perfracta, aggeres diſſipati. Nam quid adoriri metuiſſent, qui tam ardui periculoſique operis Duces ac Principes habebant, Carnutenſem, Borbonium, Contiacum, Nobilitatis Gallicæ & Robur & Exemplum. Eſſet certè unde Victoria poſſet meritò redargui; ſi ipſorum obſequiis dudum mancipata, ſolita dubiis in rebus fide caruiſſet. Nihil querimur, Auditores; ex quo Victoria noſtra eſt, nuſquam aliàs fidem illuſtriùs approbavit. Quiſquis reſtitiſſe auſus eſt, temeritatis pœnas dedit; quiſquis aufugit, ſuam, Harcurio vindice, luit ignaviam. Si quis autem majora veris narrari putet, Auriacum conſulat; qui, dum progreſſus cæteros, & Carolopoleos obſidionem placido ſpectavit ac tranquillo vultu, Nervindenſi Victoriæ quaſi ſigillum appoſuit. Sed hæc tantarum rerum commemoratio, vereor, ne quid Gloriæ præripiat; quæ dudum nos ad ſe volentes rapit.

Avidam gloriæ gentem inter anguſtos vulgareſque armorum eventus coercere, luſiſſe eſt, Auditores. III. Pars. Atque hic demum ſcopus fuit, in quem hoſtes Galliæ poſtremò collimarunt. Scilicet hoc unum ſupereſſe ſolatii videbatur, ut, quoniam facere non poterant, ne totus hic annus magno rei Gallicæ bono cederet; ſaltem illius ſplendorem obſcurarent; ac neque reſponderet Gallorum famæ, neque ſpem avidam gloriæ, quam præceperant, ſatis expleret. Quod ſi vel ſemel fuiſſet conſecuti, futurum omnino confidebant; ut Gallos magnis jam rebus aſſuetos, illius demum belli pœniteret, quod novis inſolitiſque eventis caruiſſet. An verò ſua eos ratio fefellerit, an res hoc anno geſtæ nomine Gallico dignæ videri debeant, per vos æſtimate.

Rem ubique ſtrenuè feliciterque, vel hoſtium conſenſu geſſimus. Conjura-

juratas totius Europæ vires aut fregimus, aut eluſimus: exiguas numero copias caſtrorum ſolertia & celeritate omnibus in locis auximus, ac veluti multiplicavimus: nihil clam, nihil non apertè atque ipſo hoſtium in conſpectu, aut ſuſcepimus, aut confecimus: tribus prœliis iiſdemque decretoriis, bis terra, ſemel mari, plenè cumulateque vicimus: tres Urbes eaſque primarias ac fortiſſimas expugnavimus: quod armorum vis non effecit, id ipſo nominis terrore perfecimus: in tanta rerum proſperè geſtarum multitudine, varietate, magnitudine, nihil damni, nihil detrimenti, nihil adverſi pertulimus: denique non hoſtium modò pavidam expectationem, ſed & ipſi ſpes noſtras ſuperavimus: rogo vos, Auditores, ſi nondum fames gloriæ ſatiata, quid illam explere poſſit?

Agite enimvero quæ pars Europa tota victores Gallos non ſenſit? Senſit vel in ficti Regis clade victricem Luxemburgii audaciam Britannia: ſagacem Lorgii ſolertiam Germania: patientem moræ Villaregii efficaciam Belgium: vividam Catinati cautelam Sabaudia: providum Noallii vigorem Iberia: actuoſam Eſtrei peritiam mare internum: acrem Turvillii induſtriam Oceanus.

Sunt hæc certa virtutis Gallicæ monumenta: quid porro cum illis Hoſtes conferant? Quid Auriacus in Belgio tot millibus hominum circumſeptus? Quid Auriaco additus comes & conſiliorum particeps Bavarus? Quid avidus gloriæ Badenſis ſuperbiſſimum totius imperii delectum ſecum trahens? Quid tota, quam latè patet, Hiſpania ad audendum aliquid comparata? Quid minax Sabaudus invictis illis ſemperque victricibus turmis inſtructus? Quid Angliæ, quid Bataviæ vires in una eademque claſſe fœderatæ? Victi pœne omnes, aut omnes ſaltem otioſi.

Tamen dicamus quod res eſt: Auriacum fuiſſe toto hoc anno otioſum, nihil adeo mirum, Auditores. Hunc novimus mirum quidem in proponendis conſiliis acrem ac vividum: in præcavenda periculorum ſerie ſagacem ac ſolertem: at in re agenda ſtrenuum ac felicem, nemo illum auſus eſt ſuſpicari. Neque verò hanc laudem vel affectet ipſe, vel invideat. Si quod modò argutè totâ hyeme differendi vel apud Batavos in Comitiis, vel apud Anglos in Senatu argumentum nactus erit; ſi novas fallendi artes excogitare; ſi belli plures in annos producendi vias invenire potuerit; hoc demum contentus ſatis cœtera Fortunæ facilè permiſerit.

Sed Bavarum, Auditores, virum tam pugnacem, tam prœliis aſſuetum, non eſt adeo promptum intelligere tam amantem otii: niſi fortè frequentius cum Auriaco commercium id effecit, ut dediſceret victorias, & actuoſus ille pugnandi ardor refrigeſceret.

Sabaudum verò nemo dubitet veniſſe hoc animo præparatum; ut pugnaret fortiter, ne Sabaudi nomen ſolùm, ac rei ipſius inane gereret. Incenſas agebat eodem ſtudio copias: & deſtitutus exercitu Catinatus nullam niſi ſolo cauti & inſidioſi Ducis nomine facere moram videbatur. Verùm in obſidendo fruſtra Caſali Pinerolioque, tempus malè conſumpſit & vires infregit ſuas; melius actum cum infortunato Principe, ſi bellandi ardorem conſilii vis adjuviſſet. Utramque Claſſem contra, Anglicam & Batavicam nimia deluſit ſagacitas, ac perdidit.

At Badenſem Principem, Heroem illum Orientis ſpoliis onuſtum, Domiro-

mitorem Hungariæ, Ottomanici Imperii terrorem; quem nobilioris cujuſdam colligendæ in Germania Laureæ confidentia mediis è triumphis exultantem rapuerat: illum, inquam, junioris Principis adventu conterritum hæſiſſe ipſo in veſtigio: reveritum eſſe Philippoburgi Expugnatorem: avidum laudis repreſſiſſe impetum: confiſum eſſe caſtrorum latebris, ac veluti cavo abſconditum delituiſſe: hoc miraremur porro, Delphine Sereniſſime, niſi jamdiu feciſſes omnibus exploratum, præſentiam tuam magni exercitus inſtar eſſe.

Sed quò me rapit, Auditores, Gallicæ gentis actuoſa vis & incredibilis celeritas? Unam video, an multiplicem, an eandem variis in locis objectam & quaſi recens, ac de integro procreatam? Nam quo tandem nomine deſignabimus peragratas ab iiſdem copiis tam multas tamque disjunctas exiguo tempore Europæ partes; neque tam paſſibus quàm victoriis conſignatas? Vix illæ domito propriis in caſtris Auriaco, in Aremoricas ac Neuſtriacas oras exceſſere; ſeu jam pœniteret cœpiſſe partem quietis aliquam, ſeu laboris periculique aleam cæteris inviderent, rurſus in Belgium revolant: inde repreſſis in Germania Badenſis Principis conatibus, in ultimos Pedemontii fines permeant: ibi vix ſumpto concubiæ noctis ad reſpirandum ſpatio, ecce mane primo cum hoſte jam concurritur, conſeritur, depugnatur.

At qualem & quantum hoſtem fatigatis jamdiu per immenſas itinerum aſperitates putaris fuiſſe Gallis objectum? Neque enim cum Sabaudicis modò legionibus, aut montanis illis latronibus, quibus à Cirratis canibus nomen eſt, decertandum erat: (quanquam nec ſatis æquis conditionibus feſſus labore viæ miles, fractis & exhauſtis pæne, ut par erat, viribus, requietum, integrum, ac vigentem aggrediatur) at cogitate victrices Leopoldo ſponſore turmas, aſſuetas triumphis, invictas: Equites cataphractos, qui nec plagis, nec morti facere locum viderentur: Gigantas, qui juventutem Gallicam non minore faſtu deſpicerent, quàm ſuperbus ille Philiſtæus parvulum Davidem olim contemnebat. Viros illos denique cogitate tam offenſis animis, tam capitalibus odiis ad perniciem noſtram incenſos, ut contra fas legeſque belli, Gallos ad unum omnes impio etiam ſacramento internecioni devoviſſent: non humanitate minus quàm fortitudine inferiores nobis, qui certi vincere, vel in ipſo pugnæ aditu commune victis perfugium aperuimus. Hic erat virtuti Gallicæ ſuſtinendus hoſtis, coercendus, ſuperandus.

Jam illi proceſſerant in aciem, & ſuperbam virium ferociam oſtentantes, ſe ſe à reliquis copiis ſejunxerant, quaſi primos ictus illaturi. Progrediuntur obviam nihilominus Equites Galli. Illi ſubſiſtere, ac veluti confidentioris audaciæ jam pœnituiſſet, frigeſcere. Non tulit tantam in hoſte tumido ignaviam juventus Gallica; ſed effuſis ſtatim habenis hoſtes invadit, urget, premit; & impreſſione ſemel iterumque ac tertiò feliciter facta turbatis ac trepidantibus inſultat. Fruſtra illi æratas moles & invia ferro corpora obtendunt: pulſantur, proruuntur, & qui nullum vulneribus ſpatium dabant, ſubvertuntur. Inde rupti ordines, mota omnia, & fluctuanti ſimilis acies ingentem Victoriæ campum aperit. Inſtant avitæ virtutis, originiſque memores Fratrum par nobile Vindocini, Vinſius, Hoguettus, luctuoſo mox heu! fato perimendus, Larræus, Va-

renna, Uſſonius, & fugitantes turmas diſſipant ac concidunt. Tuque, tametſi de te ſiluiſti, Catinate, totam victoriæ laudem in ſingulos dividens; non facies tamen, ne quod multiplices jam laureæ tibi vindicant Sabaudici nomen, illud novo deinceps titulo mereare. Fruſtra clam fore te æſtimaſti, qui præſens ubique nemini latere poteras; qui ſingula pugnæ momenta ita moderabare, ut in te unum intuens Miles, Centurio, Legatus, ſui quiſque officii partes quaſi oculis legeret. Noli igitur tibi ipſe, quam præripiat nemo, partam ad Marſaliam laudem invidere. Victoria illa tota tua eſt, quam ita informatas animo præviiſque litteris deſcripſeras, ut qui rei totius ſucceſſum deferret, novi plane afferret nihil.

Perſequamur porrò triſtes fugientis exercitus reliquias, Auditores; at enim nemo ſe offert ex loricatis illis Equitibus. Circumſpicio, video projecta miſerabilem in modum & acervatim congeſta equorum, equitumque cadavera: adhuc enſes in manibus, in oculis ſpirantes minæ, in vultu mixta dolore ferocitas! Hæ illæ ſunt victrices invictæque turmæ; quas ex Hungaria non tam ad pugnam, quàm ad victoriam properare dixiſſes? Hanc ſi laudem integram intactamque vellent, debebant providere, ne ſibi cum Gallis res unquam foret.

Quis interim Ludovici ſenſus, dum victricis ubique Galliæ fama perſonaret? Notum hoc tibi, Deus immortalis, cujus ante aras Princeps religioſiſſimus plenos grati animi affectus effudit. Tamen quid ni ſuſpicemur id ſenſiſſe illum, quod profeſſus non ita pridem palam eſt, cùm victores ad Stinkerkam Galli nunciarentur? Sentio equidem, inquiebat Rex optimus, debere me Deo plurimum, qui naſci me Regem voluerit, at ei plus certè debeo, qui me Regem Gallis præfecerit. Felicem enimverò te, Ludovice, qui Gallis imperes! Feliciores, te imperante, Gallos!

At, ne quiſquam narrari ſibi fabulas, aut dari verba exiſtimet; teſtes habemus rerum geſtarum, eoſque peridoneos. Non negabit veri amans Hiſpania, expugnatas ſuo in conſpectu Rhodas, regnorum ipſius omnium clauſtrum ac clavem. Fatebitur Badenſis Heydelbergam, Palatinatus caput, inſpectante florentiſſimo exercitu occupatam. Nonaginta duas naves magno ſuo luctu, majore etiam detrimento captas vel depreſſas renunciare poſſunt reliquæ ſuperſtites, quæ ſociarum cladem ac ruinam conſpexere. Caroloregium, propugnaculum inimici Fœderis, unicum expugnati Namurci ſolatium, vidit obſeſſum diu junctus Bavaro Auriacus: ac lenti præter morem Galli (credo ut præſentem ſtimularent acriùs) nihil aliud profecere, niſi ut Spectatoris otioſi nomen, quod nuper ad Namurcum Monteſque promeruerat, ſubterfugiens, ante expugnatam urbem recederet Britannos ſuos reviſurus.

Tamen quam putatis orationem habiturum apud ipſos Auriacum, dum ruentis ad communem ſervitutem populi gratulationes excipiet? Quibus demum artibus clades diſſimulabit ſuas; aut inanes totius anni conatus excuſabit? Sed quid Britanniam ſolam appellem? Europam ipſam totam, Auditores, ad Comitia Batavica mox congregandam qua fronte, quo vultu alloquetur: dum illa exultantem obtrudet multiplici victoria Galliam; cujus Providentiam fallere, vel eludere Fortitudinem: vel certè ſpem avidam Gloriæ fruſtrari oppignerata toties fide promiſerat? Iniquioremne

ſibi Fortunam, vel per ſe, vel per fautores ac clientes, ut ſolet, ſuos cauſabitur? Equidem ſcimus probatum rebus adverſis jamdiu Ducem: at quid Europam juvet ille, quem iratis natum fatis conſtanter experiatur? An verò, quod ſcriptitaſſe illum ferunt ad Sabaudum poſt Nervindæ cladem, afferet; ſibi rem eſſe cum Galliis gente turbulenta ac præferoce: contra quam nulla conſilii ratio, nulla ſatis certa prudentia ſit: cui lex una belli audacia, ſumma laus temeritas: quæ Victoriam quovis pretio bene redemptam putet, atque, ut detur vincere, vitam & mortem in æquo ponat? At itane ſuis in rebus Europa cæcutire obſtinet; ut non ſentiat victoriis non dedoceri audaciam; neque ſuum ipſius fatum tam citò immutandum, ſi heroica illa, quam Auriacus temeritatis arguit, fortitudo Gallis deponenda ſit. An demum, uti declarat recens Numiſma ad ſolatium amici Fœderis, ſeque, & ſuos patientiæ uni devovebit? Eſt ſanè unde magnanimitati diffiſus, ſibi ac cæteris ab longanimitate diuturnum in tempus cautè provideat.

Cudi Numiſma curavit Auriacus cum hoc lemmate Gallico. *Union & Patience.*

Conjurata non tam in Galliæ, quàm in tui ipſius perniciem Europa, quamdiu jactari te ac deludi impunè patieris? Fatali quinque jam annorum experientia didiceras; quàm futile, quàm inane foret in Auriaco fortitudinis præſidium: quid ab ipſius induſtria ſperare poſſis, præſens hic annus edocet. Illuc recidit ipſius aſtutiæ fiducia, quo vana virtutis oſtentatio reciderat: vel ſi quid ſua illi fallacia profuit, profuit hoc certè plurimùm, te ipſam ut falleret. Vide ergo deluſa toties quam ſis Auriaco fidem deinceps habitura; qui dum quæſtuoſum honorificumque ſibi uni bellum tuis impenſis alat ac producat; nihil admodum putat intereſſe, ſuos an alienos, hoſtes an amicos deceperit?

Tu interim gratulare tibi Gallia, & fremente nequicquam hoſtium, qui te undique obſeſſam premunt, Invidia, plaude tibi: quòd nullius niſi cœleſtis opis indiga, tibi relicta uni contra Fœderatas Europæ vires reſtare aliquando potueris. Plus orbi infenſo debes quàm amico. Intellexiſti nimirum parum utiles amicos, quos liceat hoſtes contemnere: ac pares orbi tuas unius vires, quas Ludovici dirigat prudentia, Cœli Providentia ſuſtentet.

Facies Aulæ ſingulas, in qua iſtæc habita eſt Oratio, adornabant picta Heroum Imagines, quibus hoc anno Auſpicibus aut Ducibus bellum feliciter ceſſit. Res præclarè geſtas exhibebant adumbratæ leviori penicillo Tabellæ. Utriſque addita perbreves, & ad veterem formam exactæ Inſcriptiones.

Superiorem aulæ Partem occupabant Imagines Regis in medio, hinc Filii, inde Fratris, cum his Inſcriptionibus.

Pro Rege.

LUDOVICO

CONJURATÆ EUROPÆ

VICTORI.

Pro Regis Filio.

DELPHINO

HOSTIUM

TERRORI.

Pro

Pro Regis Fratre

PHILIPPO

POPULORUM

SECURITATI.

Ex adverſo ſpectabantur Gentis Regiæ Principum, CARNUTENSIS, BORBONII, CONTIACI *Imagines, cum hac communi omnibus inſcriptione.*

REGIIS PRINCIPIBUS

NOBILITATIS GALLICÆ

ROBORI

ET

EXEMPLO.

Hinc & inde collocatæ Imperatorum Imagines, qui Bellum hoc anno adminiſtrarunt, unà cum Tabellis præcipuas expeditiones, quibus ſinguli præfuerunt, exhibentibus.

In ea quidem parte, quæ Aulam ſubeuntibus dextra eſt, occurrebant Pugnæ tres. In ea verò, quæ objicitur ad levam, captæ Urbes totidem repræſentabantur.

Nervindenſis Pugna in qua fuſus Britannorum Imperator & Exercitus, cum hac inſcriptione.

FUSIS

AD NERVINDAM

BRITANNIS.

Juxta erat Imago Luxemburgii huic Inſcriptioni ſuperpoſita.

LUXEMBURGIO

BRITANNICO.

Marſalica Pugna, in qua cæſi Sabaudi, proximè diſpoſita hanc Inſcriptionem præferebat.

CÆSIS

AD MARSALIAM

SABAUDIS.

Adjacebat Imago Catinati, cui ſequens ſubjiciebatur Inſcriptio.

CATINATO

SABAUDICO.

Navalis Pugna, ſeu Gaditana, in qua victa Batavorum claſſis, cui voces iſtæ inſcribebantur.

VICTIS

AD FRETUM

BATAVIS.

Extabat ad latus Imago Turvillii, cujus hæc erat Inſcriptio.

TURVILLIO

BATAVICO.

Heydelberga ſequebatur captarum urbium prima, Germaniæ clauſtrum, adjunctamque habebat hanc Inſcriptionem.

EXCISA

GERMANORUM

HEYDELBERGA.

Digitized by Google

Aderat prope collocata Imago Lorgii, proximam Inſcriptionem habens.

LORGIO

GERMANICO.

Carolopolis Regia, Belgii Propugnaculum, cujus iſthac legebatur Inſcriptio.

EXPUGNATA

IN BELGIO

CAROLOPOLI.

Habebat adjectam Villaregii Imaginem iſta Inſcriptione adornatam.

VILLAREGIO

BELGICO.

Rhoda, Iberia Clavis, additis pro Inſcriptione iſtis vocibus.

CAPTIS

IN IBERIA

RHODIS.

Offerebat ſe Imago Noallii, hanc Inſcriptionem exhibens.

NOALLIO

IBERICO.

LUDOVICO MAGNO

PACIFICO VICTORI

GRATULATIO

Habita anno M. D. C. XCVIII.

ORATIO II.

QUod diuturnum laborioſumque navigationis curſum expertis contingere ſolet, ut aſſecuti portum feliciter exantlatos labores varioſque periculorum caſus non ſine voluptate aliqua meminerint; hoc ſibi hodie longo gravique defuncta bello, & optatum Pacis adepta munus Europa tota gratulatur; Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides Illuſtriſſimi, Ampliſſimi Senatorés, cæterique Auditores ornatiſſimi.

Rediit enimverò poſtliminio revocata tandem amica Pax, audita Superis pia populorum vota; & infeſtæ bellici incendii faces extinguntur. Metum ſecuritas, perturbationem quies, lætitia mœrorem deinceps excipiet; & triſtes funeſti belli ruinas tranquillæ Pacis comes felix rerum copia poſtmodum compenſabit.

Gratias igitur tibi primùm immortales, Regum cuſtos moderatorque Regnorum Deus; à quo cœleſte Pacis munus profectum eſt: tuum illud beneficium eſt totum, quod nemo præter te generi hominum impertit; Tu belli unus Paciſque arbiter, illud, ſi placuit reos plectere, ſcelerum æquus ultor immittis; hanc populorum labores miſeratus, indulges. Tu noſti ſolus, qua parte corda Principum facilè inflectantur: &, quos æterno conſilio ſævire diſcordibus animis permiſiſti, mutuam

eoſdem, cùm libitum eſt, in concordiam reducis.

Atenim quem ſibi pacis miniſtrum ſelegit in terris Deus? cujus in reſtinguendo bellici furoris incendio uſus eſt manu? quis inſpirante illo reluctantem Europam ad certas expectati fœderis conditiones adduxit? Jam ſenſiſtis quem velim, Auditores, quæ dicturus ſim, occupaſtis: video converſos omnium oculos in imaginem Regis invictiſſimi; cujus munificæ liberalitati Pacem acceptam meritò referimus.

Gratulemur enimverò conciliatori tanti muneris Ludovico: prædicemus beneficam largientis manum, &, dum noſtra omnium cumulat vota, perenne, ſi quod & nobis eſſe poteſt ejuſmodi, animi memoris ac grati monimentum exiſtat.

Quanquam nos alio vocant ſtudium & voluntas optimi Principis: gratulationes noſtras iis impendi rebus poſtulat, quibus, in concilianda Pace, ſuas ipſe curas, ſollicitudines ac gloriam totus impendit. Agite igitur, convertamus animos, quò Pacis conſilia voluntatemque contulit Ludovicus. Gratulemur Religioni primùm, quæ tot tamque gravibus in Gallia noſtra multos per annos jactata caſibus, hodie tandem felicibus Ludovici Magni auſpiciis triumphat; & omnis deinceps periculi ſecura expectatæ Pacis in præſidio conquieſcit. Gratulemur deinde Europæ toti, quæ Principis optimi beneficio, funeſtiſſimos, quos lugebat jamdiu, & lugere adhuc non deſtitiſſet, armorum tumultus beatæ Pacis tranquillitate commutavit.

Sic eſt, Auditores, neque vereor, ne quis mihi non aſſentiatur, cùm ſim nihil dicturus, quàm quod in iis, quas pro confecta feliciter Pace ſcripſit, litteris Ludovicus ipſe palam conſignavit. Advertite igitur animum, & totam orationis ſeriem ordinemque cognoſcite. Dum ſtudere Paci tam impensè viſus eſt Ludovicus, Religionis ſecuritati ac gloriæ conſuluit: hoc primum; Europæ totius commodis ac tranquillitati laboravit, hoc alterum.

Vidit enimverò Rex ſapientiſſimus idem ac religioſiſſimus, quandiu ſæviret armorum furor, vix futurum, ut Religio, quam ipſi pepererat in regno ſuo gloriam, ea gauderet conſtanter aut ſine metu: & Hæreſi profligatæ ſpem ſuper aliquam reſurgendi adfuturam: ſuſtulit Religioni cauſam metus, ſpem Hæreſis omnem conſtanti Pace Ludovicus excidit, hæc erit orationis pars prior. Senſit Princeps optimus præteritis Europam cladibus non modò exſaturatam non eſſe, ſed funeſtam bellandi libidinem etiam in dies irritatam & accenſam magis; cepit Ludovicum commiſeratio publicæ calamitatis, &, quod tot victoriis ac triumphis non potuit aſſequi, id liberaliter conceſſa Pace perficiendum putavit; hoc poſteriore Orationis parte conficiam. Quod utrumque, quàm facilè mihi videor demonſtraturus, tum erit, Auditores, vobis in promptu, quantùm Pacifico Victori Religio, quantùm Europa debeat, facere conjecturam.

Ac primò, quidem, ut intelligatis, Auditores, quantum Religioni beneficium Rex Pacificus contulerit, repetite, quæſo, memoria, quibus tandem facibus fatale bellum ante annos decem exarſerit. Triumphabat in Gallia ſapientiſſimi Regis auctoritate Religio, & in priſtinam reſtituta dignitatem libertatis ſuæ vindici aſſertorique applaudebat. Pulſa ſcilicet Hæreſis honoribus quos occupārat, propugnaculis dejecta; ſpoliata templis, toto regno proſcripta, deni- I. Pars.

quæ lethiferum experta vulnus extremo confecta ſpiritu videbatur.

Tamen illa, quis crederet? vel inter iſtas rerum ſuarum anguſtias non eſt oblita ſolitæ ferocitatis; auſa eſt animos reſumere, colligere ſuccisas vires, ſuſcitare fortunæ melioris expectationem; & , quod jure amiſerat, illud velle contra fas recuperare. Tum verò perniciosa machinari conſilia, cogitare vim apertam, meditari prælia, & ſe ad cruentum, ſi quod unquam extitiſſet, bellum accingere.

Interim excedendum illi fuit nihilominus cum ignominia Regni finibus; etenim non aderant opes quibus niteretur; non Principes quorum auſpiciis bella gereret: non armati mutuam in perniciem cives, quorum gladiis conjuratis uteretur: Principis majeſtas ac veneratio, infitus omnium animis in illum amor, conſtans Gallorum & avita pietas, omnem aditum ac ſpem Regni domeſticis, ut olim, diſſidiis turbandi præcludebat.

Quod non habebat domi, quæſivit foris: nam ſive reſides populorum animos pigeret longioris otii; ſive rerum Gallicarum æmulatio ſparſiſſet jampridem diſcordiarum ſemina: ſive illuſtriorem Religioni triumphum providus futuri ac diſpenſator Deus adornaret: vidit Hæreſis quaſi primo impetu vires creſcere in immenſum, vidit paratos ad defenſionem ſuam accurrere populos omnis generis; atque inde majus ſibi robur afflari ſenſit, unde ſperandum minùs videbatur.

His inflata præſidiis, tam lætis ominibus excitata, non ignoratis, Auditores, quibus tandem finibus Hæreſis ſpes & cogitationes terminaret ſuas? Parum erat, ſi vivere obſcura ac ſine nomine intra Galliæ penetralia ſineretur, ſi legibus ſuis, ut paulò ante, ac moribus uti licuiſſet; ſi Foro, Caſtris, Aulæ, Commercio, unde ſe ejectam mœrebat, de integro reſtitueretur. Sed involabat animo in honores quoſque ampliſſimos: ſed excitabat è ruinis ac ruderibus ſublata jam ac ſepulta ſuperſtitionis impiæ monumenta: ſed nova jura, novas immunitates, ampliora privilegia extorquere meditabatur, quorum beneficio erecta deinceps ac ſecura volitaret.

Hæc porro quàm erant ſedulò meditata, tam citò peragenda jactabantur: imminebat ſcilicet tempus illud, quo luctuoſum toti Galliæ exitium portendebatur; atque ut non deeſſet oraculorum fides, quæ rei tam novæ tamque incredibili pondus atque auctoritatem adderet; eruebantur è vetuſtis, veridiciſque, ut ajebant, vatum monumentis, & ferebantur non clam, ſed palam; non apud vulgus modò, ſed etiam Principum in aula prædictiones; & illæ quidem non obſcuræ, ut ferè accidit, non ambiguæ, non implicitæ verborum involucris, ſed apertæ, ſed manifeſtæ, ſed explicatu faciles; quæ ſine circuitione vel ambage ullam fatalem rebus Gallicis annum, pœne dixi diem ipſum & horam, deſignarent. Nihil hic fingo, Auditores, nihil comminiſcor; ſunt hæc pervagata quæ dixi; ſcilicet his nugis ac ſomniis ludebatur credulitas Europæ prope totius, quam ſuas in partes Hæreſis ſcientem ac volentem dicam, an invitam potiùs atque inſciam pertraxerat.

Hæc tempeſtas in quos tandem eruptura videbatur? in quos comparata tot fœdera, tot arma, tot oracula? Scitis, Auditores, in unam Galliam, cui inexpiabile cum Hæreſi bellum ſuſceptum erat. *Fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.* Pſal. 2.

Me-

Meminiſtis enim, Auditores, ut ſecurus exortæ tempeſtatis ac procellæ Ludovicus ſine ulla trepidationis aut metus ſignificatione retundendis hoſtium conatibus animum adjecerit? ut datis continuò mandatis per Provincias, quas Præfectorum prudentia ad ſubitos caſus quodammodo præparaverat, populos in partem laboris vocaverit; ut adnitente potiſſimum ſtudio, dexteritate, vigilantia fidelis in primis Adminiſtri, quem ereptum ſibi difficillimis temporibus luxit Gallia, & lugeret graviùs hodieque, niſi paternorum virtutum æmulatores filios reliquiſſet: meminiſtis, inquam, ut conſcripti ſtatim milites; ut comparata etiam ex improviſo cuncta ad grave diuturnumque bellum neceſſaria; ut inſtructi terra marique florentiſſimi exercitus, qui Europæ conjurantis impetum non ſuſtinerent modò, ſed etiam ſuperarent.

D. de Louvois.

Ita munitus ab omni parte Ludovicus, & fiducia divini Numinis, cujus cauſam tuebatur, potiſſimum recreatus; quàm confidenter bellum ingreſſus eſt! quàm proceſſit in eodem feliciter! quàm æquali rerum ſecundarum conſtantia illud ad finem uſque perduxit! ut primo ſtatim aditu ſpes infractæ inimici Fœderis! ut retectæ fraudes, diſturbata conſilia, retardati impetus ac compreſſi! Tot inter hoſtes ex quibus coaluerat metuenda conjuratio, quis eorum non victus iterum atque iterum, aut ubi tandem non victus? Percurrite mecum animis loca ſingula, quæ cruenti diuturnique belli quoddam veluti theatrum extiterunt: luſtrate diligenter anfractus vallium, nemorum latebras, ſpatia camporum. Eſt aliqua pars uſpiam, quæ virtutis Gallicæ monumentis caruerit, aut non inſigni aliqua hoſtium clade fuerit conſignata? Quot captæ urbes, quot expugnatæ provinciæ; quanta ſpoliorum vis ac multitudo relatas toto decennio victorias loquuntur ac prædicant!

Præclara hæc quidem, Auditores, & tam glorioſa virtuti Gallicæ, quàm ipſi Religioni trophæa! at neque hæc tamen ſatis Religionem in tuto collocabant. Vidit hoc Princeps ſagaciſſimus, neque ipſum latuit non eſſe belli tempus promovendæ Religioni ſatis idoneum: ſilere plerumque vel ſanctiſſimas leges in armorum licentia, aut earum ſaltem de robore multùm infringi: diſtrahi aliò gravioris belli ſollicitudine attentionem animi, ne ad extirpandas penitus nondum extincti ſatis mali fibras totus incumbat: Errori fore locum turbas inter ac tumultus, ubi lateret tutiùs, aut etiam faciliùs invaleſceret: turbatam eo conſilio fuiſſe ab Hæreſi Europæ tranquillitatem, ut quod amiſerat pace, id, ſi poſſet, bello reciperet: denique nunquam firmum ſatis aut ſtabile futurum, quodcumque vel Hæreſis extinguendæ, vel propagandæ Religionis cauſa faceret, niſi Pax ſolida, conſtans ac diuturna id ipſum fortiùs ac tenaciùs aſtringeret.

Atque hoc fuit, Princeps religioſiſſime, quòd tam ægrè deſcenderis ad ineunda belli conſilia; quòd ſtudioſum uſque pacis animum oſtenderis; quòd palam totiuſque orbis in oculis profeſſus fueris tam ſæpe, aliena ſemper à bello fuiſſe tua conſilia; neque te impelli ad arma capienda niſi invitum ac reluctantem poſſe. Non te hoſtium numerus, non Europæ facies Galliæ in ruinam ac perniciem conjurata, non dubius atque anceps periculoſi Martis exitus perterruit. Erat vel in ipſa periculi magnitudine quidpiam, quod avidum laudis animum titillaret: pulchrum erat ſtare unum adverſus omnes; &

pas-

partarum recens victoriarum memoria ſpem neſcio quam victoriæ, novum atque inſolitum robur afferebat. At te Religionis ſtudium, cujus ad ſtabilitatem propagationemque pertinebat alta Pax, multo magis incendebat; hoc volebas unum, hoc unum cogitabas; huc ſtudia, contentiones, vota ferebantur; ut longa pacati regni tranquillitas ultimam operi religioſo manum imponi pateretur.

Vos, vos teſtes appello, Auditores: cùm res Gallicæ lætam ubique armorum ſortem experirentur, cùm intactus atque integer ab omni parte Ludovicus victrices copias in Sabaudiam, in Gothalaniam, in Germaniam, in Belgium penitiùs inferret; cum annis ſingulis aliqua fieret ad poſteriores triumphos acceſſio: an inflatus proſpero rerum exitu aut inſoleſcens victoria Ludovicus Pacis voluntatem abjecit? an ceſſavit offerre illam victis hoſtibus; admonere illos bello infelici ut abſiſterent; adhortari, ut amicum potiùs, quàm victorem experirentur?

Tamen, quis crederet? indociles uſque, efferatos, intractabiles ſentiebat, & quos repetitæ clades ad amorem Pacis revocare debuiſſent, eoſdem in propagando bello pertinaciores faciebant.

Principem vidimus, Auditores, quem à noſtris partibus alienum eſſe tanto dolebamus graviùs, quod ad virtutes ejus egregias & partam rebus præclarè geſtis gloriam arctiſſima cum auguſto Regum noſtrorum ſanguine neceſſitudo accederet. Is, ſeu non facilè cedant exulcerati animi, ſeu efferantur viri fortes vulneribus ſuis, & ad eluendum dedecus incitentur; ſeu pulchrum eſt ſuperiorem eſſe ſuis cladibus, & in adverſa ſorte præ ſe ferre conſtantiam; is, inquam, Ludovici victoriis ac triumphis irritatus potiùs, quàm repreſſus, amiſſis armorum fato pulcherrimis urbibus ac provinciis, averſam uſque à conſiliis Pacis voluntatem retinebat.

Tamen quoniam ad felicem Europæ totius concordiam ac tranquillitatem, unde pendebat Religionis ſecuritas, ingens momentum afferebat, ſi reconciliatus nobis foret, quid faciendum Ludovico fuit, aut potiùs quid fecit, ut vel invitum ac reluctantem ad conditiones Pacis fortiſſimum Principem adduceret?

Prædicamus in Alexandro dignam triumphatore Aſiæ excelſitatem animi & magnitudinem, quòd invictam Pori conſtantiam admiratus, eum habere amicum quàm hoſtem maluiſſet. At quanti eſt, Auditores, oblata vincendi opportunitate ultro temperaſſe; obtuliſſe Pacem, quam imperare potuiſſes; exarmaſſe munificentia cognati Principis fortitudinem; &, quem non aſpernandum adverſarium expertus eras, huic ob fidem pacis fœderiſque Nepotem auguſtiſſimum, ſpem Galliæ, heredem Imperii, in Generum toti orbi jure invidendum tradidiſſe.

Fruere tamen, nihil moramur, Princeps fortunatiſſime, fruere flagrantiſſimo illo deſiderio Pacis, quod Ludovico Magno Religionis amor & ſtudium inſpirant. Dulce nobis eſt, quòd Tu tanto Pietatis commodo avulſus tandem ab iniquis partibus nobiſcum auctiori quàm antea vinculo conjunctus fueris; quòd præceptam propagandi longiùs belli fiduciam diffidentibus populis ſuſtuleris; quòd facilem exemplo tuo fœderatis Principibus ad ineunda Pacis conſilia viam feceris: ac ſi modò non ſtabit niſi per Ludovicum, quominus, quotquot experitur hoſtes, paribus ad concordiam illecebris invitet, nul-

Digitized by Google

nulla mora eſt, quin eadem liberalitate ac munificentia, tam utilem, tam glorioſam Religioni Pacem bene redemptam putet.

Nolite igitur mirari, Auditores, ſi tot ac tantas nactus belli proſperè gerendi occaſiones Ludovicus ſuaviſſima vincendi cupiditate ultro temperarit; ſi ex eo gloriæ faſtigio, quò perpetua quædam toto belli decurſu proſperitas ipſum evexit, deſcendere non gravetur ad eas conditiones Pacis, quas nec hoſtes ipſi, ſi viciſſe contigiſſet, poſtulare ſuſtinuiſſent: ſi tot urbium, tot provinciarum dominus, quas jure belli & relatis toties victoriis ſuas fecerat, cedere partem minimè contemnendam accelerandæ Pacis gratia non dubitet. Pulchrum eſt quidem debellare hoſtes, victis imperitare gentibus, diſjicere arces munitiſſimas, domito triumphatoque orbi leges imponere; habet ea laus illecebras quæ Heroum animos facilè pertentent; quibus non demulceri tanto difficiliùs videatur, quanto quis illas ſæpius uberiuſque deguſtarit.

Tamen majus quiddam hodie atque illuſtrius ambit Ludovicus, nihil eſt tam præclaris, tam inſignibus in titulis, quod amet aut ſequatur, niſi quòd vincendo triumphandoque proſtratæ veteribus plagis Hæreſi ſpem reſurgendi deinceps omnem expectationemque ſuſtulit: hic ſuaviſſimus tot laurearum fructus, quòd mercatus hoc pretio tranquillitatem, ac pacem placido tandem in portu Religionem collocavit.

Quàm id unicè ſpectaveris, Ludovice, penitus intellectum eſt, cùm Tu tamen liberalis ac munificus in donandis belli graviſſimi fructibus; tam rigidus idem ac flecti neſcius viſus es, ſi quid in ipſa Pace ſancienda ſit poſtulatum, quod Religionis detrimento verteret.

Repetebant hoſtes Argentinam totius Alſaciæ caput; at quo ſtudio, qua conſpirantium animorum pertinacia! Unius civitatis æmulatione conflatus magna ex parte belli tumultus videbatur; nec componendum priùs jactabant, quàm urbs illa priores ad dominos rediiſſet.

At quanto factum id eſſet Religionis detrimento, Auditores! Conjicite voſmetipſi, & veterem civitatis illius conditionem cum hodierna comparate. Illa infelici ſuo fato nacta quondam eos Principes, quos Lutheranæ pravitatis error ab avito cultu ſeduxerat, eaſdem & ipſa partes ſequebatur, nec ſpem ullam revocandæ, quam olim coluerat, Religionis, videbat affulgere. Adfuit felicibus adductus fatis Ludovicus; neque priùs oblatas communibus votis urbis illius habenas, excepit, quàm pulſa de ſacrario ſanctitatis Hæreſi, priſtinæ Religionem dignitati redderet.

Ex illo, quàm lætos, quàm uberes ea in urbe fructus Religio eſt conſecuta! quantus & quàm felix incubuit Ludovici labor, ſuus ut pietati cultus, templis majeſtas, ſacris veneratio rediret! quàm multos invitavit opibus, beneficiis devinxit, provocavit exemplis; ut ad avitum Eccleſiæ gremium ſe reciperent! Numerate, ſi poteſtis, quot intra ipſa Argentinæ mœnia, quot ex pagis circumadjacentibus, ex municipiis, urbibus, coloniis hominum millia ejurata tandem Hæreſi ad ovile Chriſti redierint.

Hæccine novalia tam culta Error impius habuiſſet? ſpes ſuccidiſſet tam lætas in adyta ſacroſancta recepta rurſum Hæreſis? hunc Tu, Ludovice, paternæ ſollicitudinis laborumque fructum percepiſſes? hanc Religioni labem paſſus eſſes inuri? Imò, imò, ne metue, Religio ſanctiſſima;

non

Digitized by Google

non permittet Rex optimus eripi tibi bonum illud, quod ejus ope tanto poſt tempore recepiſti: non alio gaudebit Argentina Principe, quam Ludovico; ac quantumcumque reclament illi, qui hanc urbem ſub hæreticæ pravitatis jugo mancipatam nuper tenebant, tu jus in ea tuum, Ludovici præſidio tuta conſervabis.

Gratulare igitur tibi, fortunata nimium civitas, non quòd conſpicuum es celeberrimæ provinciæ caput, non quòd tot aggeribus vallata, tot munita præſidiis, tot ſubſtructionibus ac repagulis defenſa nihil ab hoſtium impetu metuendum habes; noli tibi tantùm plaudere, quòd fortiſſimum Galliæ propugnaculum, Germaniæ clavis, nobiliſſimum victoriarum noſtrarum monumentum potes nuncupari: hæc decora, quæ contulit tibi Ludovicus plurima, tametſi non aſpernatur; non tamen eo potiſſimum places nomine; aliud eſt in te quod amet multo magis; præ te fers aliquid propter quod unam te, non urbibus modò fortiſſimis, ſed ampliſſimis etiam provinciis, quas permiſit hoſtium poteſtati, duxit anteponendam. Te pietatis ille cultus, quo flores; te Religio ſancta, quam colis, apud eum commendant: agitur gloria, agitur ſecuritas Religionis illius, quæ nec ſalva, nec incolumis apud te poſſet conſiſtere, ſi tam illuſtrem patronum, defenſorem, ac dominum perdidiſſes.

At dum tibi ſibique meritò plaudit felix Argentina, Princeps religioſiſſime; ecce Rinsfelſam audio complorantem, & tot conſpicuas Palatinatus urbes communibus omnes querelis fidem tuam deprecantes. Quibus nos, inquiunt, Ludovice, deſeris, vel quò recidimus tandem tuo præſidio deſtitutæ? Equidem tibi debemus omnes, quod depulſa veterum errorum caligine nobis amica lux veritatis illuxit: id conſecutæ beneficio tuo ſumus; ut priſtinus aris cultus, debita ſacris veneratio, pulſa tot annos majorum noſtrorum Religio ſeris tandem nepotibus redierit: tu dominantem mœnibus noſtris Hæreſim domuiſti, contudiſti, depreſſiſti: per te libera ruptis catenis & ſuis emerſa tenebris Pietas regnat ac triumphat. At quid fiet poſtmodum nobis, quis aderit, quis tuebitur, cùm te vindice ac patrono carebimus? Invaleſcet Error, brevi reſurget Hæreſis, & pulſam de ſolio per ſummum nefas Religionem ad priores tenebras damnabit.

Quàm erant juſtæ ejuſmodi querelæ, Auditores, tam lubenter à Ludovico Magno exceptæ ſunt. Periclitabatur enim in multis Germaniæ totiuſque Palatinatus urbibus Religio vera, quam Rex Chriſtianiſſimus jam dudum exulantem revexerat in hæc loca, cùm eadem in ditionem ſuam nuper redegiſſet. Jam verò cedente jus in eas urbes ſuum Ludovico, nec habebant illæ ſatis in ſe roboris, ut Lutheranarum partium fautoribus reſiſterent; nec ſpem ullam præſidii ſuis in Principibus poſitam videbant, quos Germaniæ conſuetudo ſolemni ipſorum jurejurando confirmata impediebat; quominus veræ ac ſuæ Religionis in gratiam quidquam molirentur.

Quid faciet Ludovicus? an deſertam, indefenſam, omni ope deſtitutam, vel alienis etiam in locis Religionem patietur? quid ſua illi pietas, quid ſapientia dictitabit? Jubet pro ſua auctoritate Princeps religioſiſſimus tam iniquos aboleri mores; legem injuſtam refigi, injurioſum abrogari ſacramentum imperat; nec ſui juris eſſe patitur urbes illas quas cedit, niſi ſuum ipſi Religioni jus atque auctoritas conſervetur. Quid

tum?

tum? obtemperatur pro debita invicto Regi reverentia; conditio accipitur; fremente nequicquam Hæreſi ſolemnis fides obligatur; triumphat Religio, lætantur populi, exultant urbes, & quod præſtare ipſi per ſe, cupidi quantumvis & amantes Religionis non poterant Germaniæ Principes, id ſe Chriſtianiſſimo Regi debere acceptum gloriantur.

Sic videris vinci, Ludovice, tamen ut vincas! ſic hoſtem concilias liberalitate, ut eundem auctoritate coerceas! ita cedis, ut imperes! ſic flecteris, ut legem imponas! adeo nihil eſt quod amore Religionis non facias! adeo regias animi tui dotes in unius pietatis obſequium mancipaſti!

O ſancta Pietas! ô veneranda majorum noſtrorum Religio! quantùm invicto Principi, quantùm tam illuſtri patrono ac defenſori debes! ſed Europa tota, Auditores, ecquid illi minus debet: hoc pars Orationis altera demonſtrabit.

II. Pars. Eſt hoc plerumque, luctuoſum dicam, an invidendum potiùs magnæ virtutis fatum, Auditores; ut quanto altius gloriæ faſtigium fuerit aſſecuta, tanto graviores æmulos adverſarioſque patiatur. Nam ſeu virtus habet illecebras ex ſe ſe, propter quas expetenda videatur; ſeu merces ipſa virtutis gloria multo magis allicit ac placet; rarum eſt extitiſſe quempiam utraque dote cumulatum, qui non propoſitus continuò obnoxiuſque livoris atque invidiæ telis vixerit. Id verò cùm virtus Gallica, propter inſitam quandam excellentiæ ſupra gentes cæteras prærogativam ſenſit jam dudum, tum certè extremis iſtis temporibus illuſtriùs quàm antea experta eſt.

Quare ſi quis fortè mirabitur, quòd tanta animorum contentione de oppugnanda Gallia certatum ſit; quòd junctis viribus gentem in unam univerſus pœne orbis inſurrexerit; quòd nulla fluentium retrò rerum ſuarum injuria hoſtes deterriti, pertinacem uſque belli infelicis animum retinuerint, miretur ille potiùs, quòd conſtanter felix ac fortunata, quòd ubique victrix; quòd triumphans domi foriſque Gallia ex illis tot tamque periculoſis fluctibus ac procellis emerſerit.

Perſtrinxit fulgor ille nimirum oculorum aciem; ſuſcitavit tanta potentiæ vis vetera diſcordiarum ſemina; & quoniam ad erigendum tam nobile virtuti Gallicæ trophæum ſuis unuſquiſque de ſpoliis contulerat, tantò faciliùs adducti omnes, ut quod ſuum eſſe crederent, id repetere bello aggrederentur. Addebant fiduciam conjurantium populorum numerus, opes, animi ad rem ſtrenuè fortiterque gerendam parati: non videbatur gens una par eſſe poſſe collectis totius Europæ viribus, dum Galliam ex omni parte quaſi uno impetu invaderent. Atque ut accenderentur magis ac magis, quotquot in ſociale fœdus coierant, ipſa perficiendi operis facilitate; ſpargebatur ſedulò fore rem unius anni vel alterius: atque inter inducias temporis tam breves vetera Galliam inter Europamque reliquam diſſidia, decretoriis demum fatis eſſe dirimenda.

Neque verò rem aggreſſi ſunt minùs viriliter aut celeriter, quàm erant ſolerter meditati. Vidimus primo ſtatim aditu formidoloſum terra, mari, in litore, in finibus bellum: aderant in procinctu numeroſi exercitus, qui Galliæ limites ab Hiſpania, Italia, Germania, Belgio ſimul obſiderent: præerant exercitibus nobiliſſimi tota Europa Principes, tanquam pro aris foci ſque pugnaturi; claſſis in utroque mari compa-

parata exſcenſum ab omni parte minabatur; Gallia denique obſeſſæ inſtar urbis erat undequaque concludenda. Exultabant hoſtes interim & nobiliſſimas hujus imperii provincias partiti inter ſe, quaſi de relata jam victoria triumphabant.

Quis tam commodè ſenſit de rebus noſtris, aut quis hunc fore tandem formidoloſi belli eventum auſus eſſet polliceri; ut non tueri ſe modò finibus ſuis contra tot hoſtes poſſet Gallia, ſed eos, ubicumque tandem eſſent, aggrederetur; ut non vinceretur unquam, ſed vinceret ſemper ac triumpharet? ut non modò nullam ſineret invadi ab hoſte partem ſoli Gallici, ſed ipſa fines alienos ingreſſa, maximas urbes ampliſſimaſque provincias expugnaret.

Hoc tamen eſt, Auditores, quod contra ſpem fiduciamque hoſtium, contra univerſi orbis expectationem, præter noſtra ipſorum vota non viriliter minùs, quàm feliciter perfecimus.

Non ego vos ſupervacanea rerum à nobis decennio toto geſtarum ſerie remorabor; at ſi quis vel inter hoſtes partam hoc bello gloriam virtuti Gallicæ invideret, aut parum æquus rerum æſtimator, aut detractor infidelis; hoc certè illuſtria tot victoriarum monumenta non tacebunt.

Hoc Camberium, Nicæa, Seguſium, Villa-Franca, cum Salucio Mommelianum, Sabaudia ipſa tota cum nobiliſſima Pedemontii parte domita & expugnata memorabit: hoc loquentur Rhodæ, Palamus, Orgelium, Gerunda, Oſtalricum, Barcino in Gothalania: hoc Montes Hannoniæ, Attha, Furnæ, Carolopolis in Belgio: hoc in Germania Heidelberga, totque Palatinatus urbes prædicabunt: hoc victus, fugatus, cæſus hoſtis ad Fleuruſium, ad Britannicum Fretum, ad Staſardam, ad Leuſam, ad Stenkerkam, ad Phorcennam, ad Lacobrigam, ad Gades, ad Nervindam, ad Tichim, ad Marſaliam: hoc conatus hoſtium eluſi toties, aut repreſſi, retectæ fraudes, commeatus intercepti, capta & expilata caſtra, devectæ noſtros in portus fœderatorum exuviæ teſtabuntur.

Hoſtis verò Europæ viribus inſtructus, quid, non ejuſmodi dicam, Auditores, non ſimile, non aliquatenus affine; ſed quid fecit tandem quod oſtentare poſſit ſeris nepotibus dignum robore, numero, virtute, expectatione ſua monumentum? An ita conſeruit uſquam nobiſcum manus, victor ut evaderet? an oppugnavit urbem aliquam Galliæ, quam expugnaret?

Quanquam audio quid reponant, video qua de re glorientur. Namurcum recepimus, inquiunt: egregiam verò laudem, Auditores, & dignum tam ingenti apparatu trophæum! Hæc ergo inchoati belli fiducia, hic ejuſdem felix fortunatuſque progreſſus, hic finis tot laborum fuit; hoc conjuratus unam in Galliam univerſus pœne orbis toto decennio tandem perfecit: ut expugnatum priùs à nobis, vix bene refectum ac munitum, tot ſuorum clade ac ruina Namurcum reciperent!

Atenim quæ tanta, tam incredibilis, tam nova cupido Pacis, Auditores; quæ tam aliena parandæ gloriæ ſatietas; dum res noſtræ tam belle fluerent? dum nihil agentibus ac pœne otioſis Attha, totiuſque Gothalaniæ caput Barcino ſubjiciuntur? dum refectis viribus & quaſi recentes Gallorum animi ad novos bellorum labores aſpirant? Hoc enimverò quis ſibi perſuadeat, Regum maxime, niſi qui excelſitatem magni-

gnitudinemque animi tui intellexerit; qui noverit uno te Pacis ſtudio pugnare & vincere; qui ea te comparatum indole perſpexerit, ut non tam privatæ gloriæ deſiderio, quam tuorum totiuſque adeo Europæ commodis pro tenero quodam parentis communis affectu movearis?

Nam quid aliquid, amabo vos, Auditores, Ludovicum adduxit, ut tam impenſè ſtuderet Paci? quid impuliſſet ad procurandum tam citò illius belli finem, quod novo ſemper gloriæ ipſius incremento peragetetur? An exhauſtum, belli nervus, Ærarium, acciſæ regni opes, conſumptæ privatorum pecuniæ prorogandi ulteriùs belli ſpem fiduciamque præripiebant?

Equidem quis neget, ampliſſimas quaſque fortunas diuturnitate belli gravioris imminui ſenſim ac decreſcere? Et hanc habemus optimo Principi gratiam ſingularem, quod dum nova belli ſubſidia cogeretur accipere, profeſſus ſit non ſemel, nihil malle ſe rerum omnium, quàm ut iſto populos onere quamprimum liberaret.

Tamen itane verò exhauſtum Ærarium erat, quod tam florentes alebat copias, tam numeroſos exercitus ſuſtentabat, tam multis hominum millibus ſtipendia ſufficiebat? Erat aliquid in Caſtris militi quod deeſſet; in præſidiis quod requireretur, in armamentariis quod plenam rerum omnium copiam non oſtentaret? An acciſæ penitus populorum opes; per quos ſi ſtetiſſet, bellum acrius hoc anno, quàm aliàs gereretur? Atque vel ex eo capite, vos olim hoſtes Gallici nominis, nunc tandem amici, intelligite, quantùm Ludovico debeatis, qui populis ſuis vim feciſſe quodammodo viſus eſt, dum vobis honorificam, eamdem & quæſtuoſiſſimam pacem concederet.

At ſi quod rebus Gallicis belli diuturnitas detrimentum attulit, nihil illi, credo, ferendum ejuſmodi habuerunt, apud quos fuit perpetua quædam annonæ caritas? qui coactis fruſtra ad corrogandas pecunias ſociorom comitiis, nunquam neceſſarios in offerentem ſe annum ſumptus invenerunt? à quibus multi quotidie milites ad nos deficerent, quoniam raro ac parcè ſtipendia perſolvebantur? qui facta jam Pace miſſas facere ſociales copias vix poſſunt, quia pactam, unde reddanr, mercedem non habent?

Verùm attritas fortè, fatigatas, defectas viribus, & longa domitas malorum ſerie copias habebamus, quas ducere deinceps ad pugnam periculoſum fuiſſet. Hoc querantur illi ſane, apud quos aſſiduis ac cruentis cladibus decreſcere non mediocriter militum numerus, animus infringi, debilitari vires debuerant. Id expoſtulent, per me licet, quibus nondum bene obligata quæ fecimus ad Fleuruſium, ad Leuſam, ad Stafardam, ad Stenkerkam, ad Nervindam, ad Marſaliam vulnera quotidie recrudeſcebant. Timeant illi novi diſcriminis aleam, qui longa vincendi deſuetudine, non tam ad pugnam, quàm ad certum funus properabant.

Nos verò quid ejuſmodi à prorogando bello deterrebat? agite, ubi gentium aut florentiores copiæ, aut numeroſi magis exercitus, aut animi ad rem bene gerendam alacriores? quanta ſingulis in militibus fortitudo, in Ducibus ſagacitas, in Imperatoribus experientia, in Principibus regii ſanguinis magnanimitas? quàm vividum, quàm potens, quàm efficax ad decertandum viriliter momentum affert, priorum memoria triumphorum, intactæ atque illibatæ virtutis conſcientia, & ipſa vincen-

cendi aſſuetudine indubitata quædam victoriæ expectatio?

Quanquam cur aliunde perquirimus teſtimonia, cùm Principis optimi conſignatam literis publicis voluntatem habeamus? Eſt aliquis veſtrum, Auditores, qui literas illas non legerit? Abrogabimus, opinor, Ludovico fidem, cùm in ore atque in oculis omnium profitetur: *eo lubentiùs abire ſe ab jure ſuo, quo faciliorem ad illud perſequendum victoria poſteriores viam aperuerant: hanc ſe ſibi impoſuiſſe legem, ut parta tot triumphorum monumenta Europæ tranquillitati devoveret: videri hunc ſibi fructum ampliſſimum moderationis illius ſuæ, quæ acceptis armorum injuria tot ærumnis mederetur: ſe in lucro ponere maximo, quidquid hujuſce rei gratia feciſſet; imò & triumphis quibuſcumque præponere voluptatem illam, quam ſibi populorum levatio ac felicitas peperiſſent.*

Ex Epiſtola Regis ad Epiſcopos Galliæ pro confecta Pace.

Et verò tanto alacriùs Pacis conciliandæ provinciam ſibi depopoſcit Ludovicus, quòd eo defungi munere præter ipſum nemo potuiſſet. Agite enim, quis difficili bello cum laude deſiſteret, niſi Ludovicus? Nam, ſi qua fortes inter viros contentio incidit, ſcitis, Auditores, quàm ſit durum cedere, id ſi facere ſine dedecore non poſſis. Abjicere arma fractis & exhauſtis viribus; poſt jacturas graves, clades repetitas, amiſſas urbes, provincias expugnatas inclinare animum ad Pacem: implorare fortioris fidem, cùm impar reſiſtendo videare: id quidem neceſſitatis interdum; at, ut plurimùm ignaviæ, imbecillitatis ferè ſemper indicium eſt.

Nunc ergo, ſi factionis inimicæ Principes, qui priores Galliam oppugnaverant; qui de ipſius exitio conjuraverant, qui certa vincendi fiducia provincias ejus nobiliſſimas inter ſe jam diviſerant; ſi nunc, inquam, deluſa expectatione, repreſſa audacia, acciſis prope ac deperditis rebus præ ſe ferre tædium calamitoſi belli incepiſſent; ſi cupidi quantumvis bonæ ac neceſſariæ Pacis, ſuum illud deſiderium non diſſimulaſſent: ſi Ludovici clementiam, ut olim, quacumque conditione ſollicitaſſent; an effugiſſent illi dedecoris & ignaviæ notam? an ſaltem imbecillitatis opinionem evitaſſent? Decebat viros fortes, quales illi ſunt, nullis frangi calamitatibus; decebat in adverſis rebus affectare conſtantiam; & dum verè atque ex animo funeſtam armorum ſortem execrarentur, pertinacem nihilominus bellandi amorem ſimulare.

At Ludovicus, Auditores, cùm in medio victoriarum curſu ita ſtudere Paci viſus eſt, ut miraretur orbis, ſtuperent hoſtes, Galli tantùm non affligerentur, quantus ad partam domi foriſque gloriam, moderationis, clementiæ, magnanimitatis cumulus acceſſit!

Aliud erat, Auditores, quamobbrem Ludovico ſoli conveniret eſſe conciliatorem Pacis. Unus erat Rex invictiſſimus, qui infelicis belli jacturas reſarcire quoquomodo, & ſteriles hoſtium labores beneficentia ſua conſolari ſine ſuo damno poſſet. Dicamus enimverò quod res eſt, neque id hoſtes olim noſtri diffitebuntur. Cùm grave bellum nobis indixere Fœderati Principes, ſperabant plurima, nihil tulerunt; involabant in aliena, ſua perdiderunt; gloriam deprimendæ Galliæ aucupabantur, depreſſi ipſimet ac perdomiti, pudoris plurimum dedecoriſque, nihil rei fructuſque reportarunt. Miſerum quid profectò & acerbum fuiſſet, Auditores, diſſociari omnes à ſe invicem, & ſpe fruſtratos ſua, & gravem rerum ſuarum jacturam expertos.

Quæ pars enim in tota Fœderatorum ditione tam intacta, tam ſana, quæ proprias clades atque ærumnas non deploraret? quæ amiſſa diuturni belli fato multa non repeteret? Dolebat Hollandia effuſas temerè in belli ſumptus immenſas opes, intercluſa maria, omnem faciendi commercii ademptam facultatem. Lugebat Anglia occupatam toties noſtrorum excurſionibus & expilatam claſſem, erepta navigia, merces abductas. Urbes ſitu, robore, propugnaculis præſtantiſſimas, direptas, incenſas, æquatas ſolo. Germania partem Belgii primariam, Gothalaniam totam Hiſpania: Sabaudia provincias pœne omnes captas, domitas atque expugnatas querebatur. In illa communi omnium ac publica calamitate, quam ſibi mutuò præſtitiſſent opem, vel quæ damnorum ſolatia alii ab aliis expectaſſent?

Adfuit illorum ſpoliis onuſtus & gravis Ludovicus, & quod cuique abſtulerat redonans liberaliter, illis utilitatem præclaræ Pacis, ſibi gloriam laudemque reſervavit.

Celebretur enimverò magnanimitas Alexandri illius Macedonis, qui dum partem orbis nobiliſſimam victoriis potiùs quàm paſſibus peragraret, expugnabat urbes, ſubjiciebat provincias, non animo retinendi quæ ceperat, ſed, ut eadem reſtituendo, & victis clementiam, & ſpoliatis liberalitatem oſtentaret. Verùm ea re ſuperior Alexandro Ludovicus; quod pugnaret Alexander, ut vinceret; vinceret autem, ut inaudita fortitudinis ſpecie domitis gentibus inſultaret: Ludovicus verò neque animum ad pugnandum, niſi coactus neceſſitate adjecerit; neque vincere voluerit, niſi ut beatam populis redonaret Pacem, & paternæ in omnes voluntatis ſignificatione omnium ſibi animos devinciret.

Nunc igitur diſcat Europa, quantùm munificæ invicti Regis benignitati debeat. Intelligite vos, quotquot malus error, aut rivalis æmulatio ſejunxit ab optimo Principe, intelligite, inquam, quod hactenus fruſtra diſſimulare voluiſtis, & Ludovicum hodie, quantus quantus eſt, pernoſcite.

Non exhibebo vobis illum invictis circumſeptum agminibus, quibus ſuum ipſe robur atque animos inſpirat: non diſturbantem acies, evertentem mœnia, fulminantem ubique ac triumphantem oſtentabo. Vidiſtis talem ac ſenſiſtis, quoties decertandum illi vobiſcum fuit; &, quid vel ſibi relictus uni contra fœderatas Europæ vires poſſet, recentiſſimo periculo didiciſtis.

Non proponam illum incredibili ampliſſimæ mentis providentia & ſagacitate conſilia veſtra antevertentem, retegentem dolos, inſidias eludentem: talem experti eſtis jamdudum, & ea parte æquiores multo quàm cæteris in rebus ſingularem ipſius ſapientiæ vim ſuſpexiſtis, & collaudaſtis.

At ecce objiciam illum veſtris oculis, qualem ipſe videri Ludovicus ſe amat, qualem ſe offert nobis omnibus, qualem & vos, remota tandem, quam livor obduxerat, nebula, non pigeat agnoſcere: pium dico, clementem, conſulentem veſtris rationibus, & veſtros omnium animos ſuaviùs etiam Pace, quàm bello devincientem. Hæc una eſt victoria, quam deinceps ambiat; hic triumphus quem agere de vobis velit, ut ſtudioſos ſui & amicos efficiat. Ah! ne vos pigeat jam vinci, quos beneficiis ſuis Ludovicus aggreditur: hoc date unum, quod unum accepiſſe gaudeat: hunc per vos gloriæ ſuæ videat cumulum acceſſiſſe; ut quos potentiæ, fortitudinis, fa-

ſapientiæ cæterarumque virtutum admiratores habuit, eoſdem moderationis ſuæ ſentiat amatores.

Nos interim, ſi quid Rex optimus liberaliùs indulſit Pacis gratia, quàm quod aut ſperare vos licuiſſet, aut ipſi vobis pateremur impertiri; tamen feremus æquiùs, ſi noſtram in optimum Principem omnium venerationem, benevolentiam ac pietatem imitari volueritis: nolite nobis hunc invidere fructum Pacis dulciſſimum, qui ad reliquos ſuaviùs deguſtandos ingens momentum allaturus eſt.

Quinam verò ſint illi reliqui Pacis fructus, ſatis me tacente intelligitis. Leve hoc cenſebitis nimirum & nullo ponendum loco, quòd pulſa tot abhinc annis quies, exacta tranquillitas vetus in hoſpitium redierit? quòd conticuit tandem triſte claſſicum, & ingratus armorum tumultus quievit: quòd ruri ſecurus agricola partis labore manuum frugibus ſine metu vel invidia veſcetur: quòd civis in urbe domeſticos intra penates cum amicis & numeroſa prole recreabit genium, nihil deinceps ſollicitus, quid ad Rhenum, aut Moſam, aut Danubium, aut Padum agatur: quòd nemo vel parenti filius, vel filio parens, vel conjux conjugi, vel affini propinquus, vel amicus ſocio fatalem bellorum aleam metuet, aut eoſdem miſerabiliter extinctos lugebit: quòd facta jam via commercio libera, peregrinæ noſtras in urbes gazæ remeabunt, & lætam ubique copiarum abundantiam effundent.

Jam quantus honos bonis Artibus, quanta Literis gratia, qui non poſtremus tranquillæ Pacis eſt fructus, accedet. Fateamur quod res eſt, Auditores, jacent deſpectæ artes ut plurimùm belli tempore, & obſtrepente terribili tubarum ſono, vix ac ne vix quidem ſuaviſſimi Muſarum concentus exaudiuntur.

Nunc quàm audientur lubenter, quales excitabunt clamores ac plauſus, quicumque iſthæc blandæ Pacis otia, Ludovici curas ac ſtudia dignè celebraverint? Seu regias in eo dotes, eximiam in promovendo cultu divini Numinis pietatem, ſingularem in componendo regno ſapientiam, munificam in ſublevandis fortunandiſque populis benignitatem extollent: ſeu privatas lubentius virtutes, comitatem in Aulicos, in domeſticos humanitatem, paternum in ſuos animum prædicabunt. Ingenioſi viri, quotquot eſtis, ecce vobis ingens ad gloriam, ingens ad promerendam regalem munificentiam aditus aperitur.

At quàm acceptus, quàm jucundus omnibus accidit recentiſſimus ille Pacis fructus, felix Hymenæus Auguſtæ Adelaidis cum Sereniſſimo Burgundionum Duce! Perſonant adhuc aures lætis exultantium populorum plauſibus, quibus regales nuptias ſunt proſecuti. O felix enimverò dies, qui celebritati pompæ genialis illuxit, & par Amantium nobile felicibus æternùm nexibus devinxit.

Quid non ex illa conjunctione ſperare liceat, Auditores, ubi Majeſtas cum gratia, cum pudore gravitas, ſapientia cum perſpicacitate, dexteritas cum elegantia, cum Pietate Religio, denique Sabaudiæ domus vetuſtiſſima pariter & illuſtriſſima nobilitas cum regio Borboniorum ſanguine repetita toties cognatione ſociatur?

Vivite ambo felices tam fauſtis ominibus, & in ipſo Pacis gremio conjuncti. Parentum auguſtorum expectationem, ſpes Galliæ, populorum vota cumulate: ſuis ſe olim in nepotibus, Amedeus Illuſtriſſimus Sabaudiæ Dux, Sereniſſimus Delphinus agnoſcant. Gaudeat Philippus unicus

Re-

Regis Frater ex ſuo ſanguine procreandos, qui Gallici regni habenas aliquando moderentur.

Tu verò, Ludovice, fruere diu mercede illa, quam pollicitus Deus piis Numinis ſui cultoribus, tibi multis jam abhinc annis impertit.

Pſal. 127. *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ*. Hoc erat nimirum, quod ſentiebat quiſque de te, cum auguſtos inter Nepotes regalibus epulis nuper accumberes: *Ecce*, dicebant intra ſe taciti, numeroſam ſobolem & Pacem optatam tibi gratulantes, *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum, ut videas filios filiorum tuorum, & pacem ſuper Iſrael*.

Nos verò defuncti tandem gravibus formidoloſi belli periculis, quibus heu! quàm ſæpe timuimus, ne quid procellæ vis inimica ſacrum in caput peccaret! ut oblata jam Pace lætis omnes animis, ut frequenter illas Vatis regii voces repetemus! *Ut videas filios filiorum tuorum, & Pacem ſuper Iſrael?*

GLORIA SÆCULI
GALLIS
VINDICATA.

Oratio habita Primo Novi Sæculi Anno M. D. CC.

EMINENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI
MARCO DANIELI DELPHINO
S. R. E. CARDINALI, EPISCOPO BRIXIANO,
Apud REGEM CHRISTIANISSIMUM Nuncio Apoſtolico.

ETſi *Gallicæ gentis laudibus addicta eſt hæc Oratio tota*, CARDINALIS EMINENTISSIME, *feciſti tamen aut humanitate, aut etiam æquitate tua, ne peregrinum aliquid tibi videretur. Cur enim extraneos arbitreris Gallos, quos ex animo tuos expertus ſis: quorum ad illuſtrandam gloriam tam honorifica Legatione tua ſplendoris non parum contuleris.*

Erit enimverò unde gratuletur ſibi plurimum Gallia, & illuſtribus Faſtis apponat, quod præcipuum Sereniſſimæ ſibique conjunctiſſimæ Reipublicæ decus, eximium nobilitatis Venetæ florem, ſingulare Eccleſiæ Romanæ præſidium ſuo vel tantiſper in ſinu aliquando foverit, æternum humanitatis, elegantiæ, ſinceræ Religionis futurum Gallis exemplum.

Nec erit levius ad Galliæ commendationem momentum iſtud, quòd illa præclaro de tuis meritis judicio, & crediti ſibi pignoris ſenſerit pretium, & coronatæ virtuti applauſerit, tam ſincera geſtientis ubique animi ſignificatione novum Purpuræ honorem tibi gratulata.

Quanquam novuſne videri debeat honos ille quo fulges, an non potiùs mancipatus jampridem DELPHINORUM *familiæ, quam induta toties ſæclis ab anterioribus Ducalis purpura* deco-

decoravit? Quæ ſacro Purpuratorum Patrum Collegio tot inſignes viros, atque inprimis amantiſſimum tibi patruum dedit, de Religione, de Patria, de Literis, de Gallia ipſa tam bene meritum? Quæ tot Heroas protulit, & ſuo & hoſtium ſanguine purpuratos, quos ſpirantes adhuc vel in uno Fratre tuo Turcicæ claſſis nupero debellatore victus etiam Oriens admiratur. Ita eſt innata Delphinæ genti, aut Civilis, aut Chriſtiana, aut Heroica virtus: Ita virtutis merces quovis tandem modo Delphinæ genti debetur Purpura.

Dum Gallia votis tam feliciter reſpondet Roma, CARDINALIS EMINENTISSIME, *patere ut eidem gratulabundus ſuffragator accedat*

EMINENTIÆ TUÆ,

Deditiſſimus
GAB. FRANC. LE JAY,
Societatis JESU.

GLORIA SÆCULI

GALLIS

VINDICATA.

ORATIO III.

OCcupavit hæc ſemper omnes ætatum omnium populos innata laudis æmulatio, ut rebus præclarè geſtis Sæculi quiſque ſui gloriam ſibi unicè vindicaret. Cardinalis Eminentiſſime, Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides ampliſſimi, Clariſſimi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatiſſimi. Quin & ipſe Sæculorum æternus arbiter ac moderator Deus, qui uti hominum, ita & gentium diſpenſat fata, ſic partiri viſus eſt inter ſingulos ſingularem temporum gloriam, quaſi pro cujuſque laboribus ſuum meritis favorem vellet reſpondere.

Quòd ſi certatum fuit unquam acriter apud ingenuos & natos laudi populos, cui potiſſimùm ex omnibus ætatis ſuæ gloria obtingeret; tum certè toto labentis hujus Sæculi decurſu incredibilis quædam laudis cupido æmulos dudum animos novis potentioribuſque ſtimulis inceſſit. Cùm enim extiterit, quod peregimus, Sæculum iſtud mira quadam rerum ingentium varietate diſtinctum, prodigiorum ſerie continua ſpectabile, cætera inter omnia veluti unicum, prioribus invidendum Sæculis, vix imitandum poſterioribus; nihil adeo eſt, ſi primas in eo tuliſſe partes, & reliquis toto orbe gentibus præluxiſſe, dulce ac decorum quidpiam, votiſque omnibus dignum videatur.

Ad hunc porro laudis apicem quantumvis arrigant ſe ſe, quotquot mundum hunc aſpectabilem gentes incolunt, nec aſpernandam magnorum facinorum copiam ambitioſiùs oſtentent: eſt tamen illuſtrius aliquid, quod Gallia noſtra ſibi gratuletur: eſt unde partam huic Sæculo gloriam proprio quodam jure ſibi repoſcat.

Abſit autem dicto invidia, Auditores, neque id à me dictum quis exiſtimet, quaſi debitam illuſtribus cæterarum gentium factis, laudem ereptam velim. Scio nullam eſſe ex ſingulis, quæ præteritorum Sæculorum palmam præripere, quin & ad præſentis gloriam aſpirare non potuiſſet, niſi obvia fortè Gallia occurriſſet.

Etſi enim laudem inter & gloriam, uti lucem inter ac radium, neceſſitudinis quædam communio intercedit; ſi tamen ad peritos rerum æſtimatores examen iſtud revocetur; non deerunt, qui vividius neſcio quid in gloria quàm in laude deprehendant. Eſt enim laudabilia egiſſe parum, niſi hæc ipſa glorioſè præſtiteris, non habet gloria unde ſibi ſatisfaciat, niſi vel in laudatiſſimis quiſque rebus, aut ex fine, aut ex modo ſingulare aliquid ſibi præſcripſerit.

Atque hinc diſcite, Auditores, quo tandem jure totam Sæculi hujus gloriam ſibi vindicet Gallia, quæ Sæculis anterioribus laudatiſſima, iſto demum glorioſa nuncupari ſine invidia poſſit.

Hanc verò gloriam nolite expectare Auditores, ut vel à politioribus Litteris, vel à præclaris Artibus repetendam velim. Vix eſt in controverſia poſitum, quouſque & Literarum decus & Artium honos Gallis auctoribus proceſſerit: ipſa me tacente prædicaret Europa, ſi quid in hac parte patriæ laudibus derogarem. Fecit enimverò æmulatio ſtudiumque exterarum gentium in iis imitandis ſedulò, quæcumque proficiſcuntur à no-

nobis, ut conſtare debeat apud omnes; quanti in ea re Gallos æſtiment, quos ut exemplar ſibi proponant, quos & aliquo aſſequi intervallo glorientur. Habet Artes præter ac Literas longè aliud, ex quo ſe commendet Gallia; Religionis ſplendorem dico, & Armorum decus: quod utrumque veluti ſuum multo etiam libentiùs agnoſcit.

Neque hanc ſibi laudem peperiſſe parvo conſtitit vel pugnaciſſimæ Nationi, ſive communes ſibi cum vero Numine hoſtes, ſive proprios expugnaret, Religionis æquè ac libertatis vindex. Profligavit novum in morem nova Errorum monſtra, quæ ſinceram fidem aut depravarent, aut deturparent. Fregit non ſemel conjuratos in Galliam Europæ populos, qui addictam ipſi ab omni ævo fortitudinis palmam eripere tentarent. Quibus autem Artibus, dum Dei aut Patriæ honori allaborat, gloriam ſibi quaſi vectigalem fecerit, intelligite; ſi fas eſt Oratori intra anguſtos bipartitæ Orationis fines integrum Sæculum coercere.

I. Pars. Etſi Chriſtianis gentibus commune videtur eſſe Religionis ſtudium; tria ſunt tamen quæ Chriſtianiſſimam Francorum Gentem vel in hoc ipſo Religionis ardore ſecernant à cæteris, ſincerus quidam candor fucique expers, & omni dolo impervius: invictum animi robur, idque dubiis maximè temporibus cedere neſcium; accommoda ingeniis, nec ſui unquam diſſimilis prudentia. Quæ tria, quàm verè Gallis arrogem, vos ipſos Judices appello, nullius niſi veræ laudis approbatores.

Fuit hæc præteritorum temporum calamitas, ut cùm Europam totam infeſtaret Hæreſis, & triſtiſſima ubique furoris ſui veſtigia relinqueret, Galliam ipſam, quanquam gentes inter cæteras aviti cultus longe retinentiſſimam, & nullius, Hieronymo teſte, monſtri patientem, nec intactam penitus, aut etiam illæſam pateretur. Verùm ſi quos peſtiferi contagii ſenſit afflatus Gallica Gens, quàm ſincero deinceps ſtudio & inuſtam abſterſit labem, & Religionis gloriam nòn apud ſe modò, ſed in populos etiam exteros propagavit?

Repetamus enimverò paulò altiùs avitæ Religionis in Gallia conditionem, cum extincta Valeſiorum gente, imperii Gallici jus ad Borboniam pertineret. Spectabat rerum ſumma Henricum Navarræ Regem: quem innatæ corporis animique dotes, dignum aliunde ſolio effeciſſent. Unum obſtabat tantis virtutibus, Religionis avitæ diſcrimen. Non potuit ſibi temperare, quin erumperet palam ſincerus Religionis ardor quo flagrabant Galli, & juſtos quodammodo limites prætergrederetur. Nempe augebat metus recens ac luctuoſum Britanniæ fatum, quæ Principis exemplo deteriorem in partem mutata ab avito pioque cultu deſciverat.

Hinc illi, quem fatebantur omnes ſuum, & ardebant totis animis imperare ſibi Principem, nec admiſerunt ultro, nec ſalutare Regem potuere; donec amicam ſibi viciſſim manum præſtarent, & debita Principi, & debita Deo fides.

Neque verò aſperavit Regem optimum benevola vis, quam non perſuaſerat abalienatio voluntatum, ſed ſincerus Religionis amor pariter ac Principis inſpirabat: non doluit non adulatam ſibi fuiſſe in ea re, quæ nec fraudem nec ſimulationem patitur. Imò nihil tam amicum Religioni veræ fecit ipſius animum, quàm expers ille fuci pigmentique candor qui veritatis partus eſt. Non putavit Rex perſpicaciſſimus in tam

propenſis erga ſe animis obſtare ſibi quidquam poſſe, præter unicum veri amorem: voluit experiri per ſemetipſe, quid illa tandem ſaperet Religio, quæ cultores tam ſinceros exhiberet. Ac ſi, abjuratis ſemel erroribus, tam fidelis deinceps propoſitique tam tenax Henricus fuit; ſi palam & apertè coluit quidquid Religio præcipit atque imperat; ſi ſuum Eccleſiæ Romanæ tam ſolemni pompa devovit obſequium; ſi ſe tam rigidum ejuſdem patronum ac cuſtodem profeſſus eſt: ſi nec amicos agnovit, niſi qui aut perſtitiſſent in avita fide, aut ad meliorem frugem converſi Hæreſim ex animo deteſtarentur: nolite dubitare, Auditores, quin æmulandam cenſeret Princeps religioſiſſimus in colenda vera fide ſinceritatem, quam ipſe dudum in ſuis ſuſpexiſſet.

Neque verò ſuccedentibus deinde temporibus alius Gallorum in Religionem animus extitit; neque viſum quidquam eſt tam feliciter promoviſſe rem Religionis, quam iſthæc in eadem vel colenda vel tuenda ſinceritas. Nam ſi compeſcenda nonnunquam fuit armata manu Hæreſis temeritas, cùm juſtos prætergreſſa fines nimium inſoleſceret; ſi committendæ pugnæ cum iis, quos ſollicitarat ad Rebellionem: ſi expugnanda Rupellæ propugnacula, in quibus tanquam in portu ſecura tempeſtatis ac procellæ ſibi videbatur: hic erat unus victoriæ fructus, ſuus ut aris honos, templis majeſtas, ſacris veneratio reſtitueretur. Hæc laborum & effuſi ſanguinis merces ampliſſima, cùm pulſa ſuis de ſedibus multos per annos Religio revocaretur in priſtinum; hic apparatus triumphi longè optatiſſimus cenſebatur, quando ſolemnibus adeſſe myſteriis ibi licuiſſet, ubi profanus jam diù cultus magno Religionis probro viguerat. Quin & multo majoris erat pretii, reſtitutum Chriſto intra patrios fines oppidulum, quàm ereptæ vicinis hoſtibus regiones integræ.

Tum vidiſſes victorem exercitum unà cum laureato Principe affuſum genibus ante aras: & dum miniſtri Numinis ſupremi Sacris operarentur, commiſſa ibidem piacula cultu ſupplici expiantem. Interim erumpere mixta ſuſpiriis gaudia, & confuſæ gemitibus lætantium populorum voces. Hi nondum obliti pudendæ ſervitutis, quam ſub Hæreſis jugo ſervierant, lamentari ſortem priſtinam; illi reſtitutam cum avita Religione gratari ſibi libertatem. Alii incuſare liberiùs veterum malorum artifices, alii liberatores ſuos ac vindices oſtentare. Multi prædicare vixiſſe ſe ſatis, qui reſtitutam in antiquum decus Religionem vidiſſent, plures nunc magis vivendum eſſe profiteri, quibus citra metum & offenſionem patriis vivere legibus permitteretur.

Dignum enimvero non hominibus modò, ſed Cælitibus ipſis ſpectaculum; quo tam perculſos legimus, qui Calvinianas partes his temporibus pertinaciùs ſequebantur, ut integræ nonnunquam civitates abjuratis erroribus ſe ſe ad avitam fidem reciperent. Tantum Religioni veræ pondus iſthæc pietatis ſignificatio tam ſincera conciliabat!

Verùm non uni Galliæ profuit ſincerum illud ſtudium Religionis. Teſtem te appello, Germania, quæ Guſtavi magni felicibus armis multa ex parte ſubjecta, Hæretici Principis adhæſura videbaris erroribus, niſi Ludovicus Juſtus Galliæ Rex initum cum Guſtavo fœdus ea lege ſanciviſſet, ne quid detrimenti Catholica Religio pateretur. Cujus pacti cuſtos idem ac vindex tam rigidus extitit, ut cùm in armorum tumultu, uti pronum eſt, & victoriæ ferocita-

te læſam ſe Moguntiæ, & in quibuſdam aliis civitatibus Religio expoſtulaſſet, reſarcire damnum etiam cum fœnore, & rem Catholicam tueri alienarum fautor partium Guſtavus cogeretur.

Sed quid ego hæc disjuncta tot annorum ſpatiis repeto tempora; ubi tam recens Galliæ in eandem Germaniam pietatis beneficium viget? Agite; cum juratus hoſtis Chriſtiani nominis Ottomanus Germaniam ingreſſus eſſet ante annos paucos, cùm elatus copiarum multitudine & rerum ex voto fluentium gloria, poſt dejecta Imperii repagula, Imperium ipſum cogitaret; cum Viennæ ad mœnia caſtra metatus urbem repentino pavore, totum, quàm latè patet, Germanicum Imperium ſervitutis metu perculiſſet; quantum in iis anguſtiis adiiſſe diſcrimen videbatur Chriſtiana res, niſi Ludovicus Magnus pro ſincero in eam ſtudio victrices in aliis Germaniæ finibus copias coercuiſſet, & privatas inimicitias ultro volenſque Religionis gratia depoſuiſſet.

Neque vero fuit hæc unius Ludovici gloria, ut Religionis periculo moveretur: pertinuit ad Gallos omnes eadem ſollicitudo, apud quos neque veterum diſcordiarum ratio, neque apertus facili victoriæ campus pondus ullum habuere, donec ſecura tempeſtatis ac procellæ Religio in portu conquieſceret.

Meminiſtis enimvero & poteſtis memorare, Auditores, ut nullo vel pacis, vel induciarum interpoſito fœdere, ex alienis ſocios, amicos ex hoſtibus una Religionis cauſa fecerit; ut exorta deinceps inter utramque gentem rerum veluti communione & novo piæ neceſſitudinis vinculo, pavere Galli cum Germanis, dolere cum iiſdem, & vota facere didicerint: ut liberata tandem non tam humanis viribus, quàm prope divinitus Vienna, non minor ad nos, quàm ad ipſos, qui obſidebantur, alacritas, par gaudium, eadem lætitiæ ſeges viſa ſit acceſſiſſe. Adeò pietatis ſtudio cedunt apud Gallos omnia: neque vel ſimultati vel deſiderio gloriæ locus eſt, ubi periclitari Religionis cauſa videri poſſit. Atque utinam, Auditores, idem in ſimili cauſa ſtudium licuiſſet Gallis experiri; & quod impenſum ultro à nobis fuit, id ſaltem memoris animi gratia repenſum lætaremur!

Quid jam ad commendationem Gallici nominis propagatam toto hoc Sæculo loquar in exteras latè barbaraſque gentes Religionem? Vix innoteſcere cœperat Canadenſis regio, terra infructuoſa ex ſeſe & inops rerum omnium; cujus incolæ vix ſpeciem aliquam formamve humanitatis retinerent: illuc emicant, erumpunt & volant Galli, hoc uno laborum præmio, ut in diſſeminanda Chriſti fide, & fortiter pati multa, & conſtanter mori contingat. Quod ſi noſtræ Societatis hominibus ſingulari Dei omnipotentis beneficio conceſſum eſt, ut aridum hoc ſolum Apoſtolicis ſudoribus & fuſo ſanguine primi omnium irrigarent, id habuimus deinde ſolatii, ut in laboris ſimul & gloriæ partem veniſſe plurimos nobis gratularemur, indubitatos Gallicæ ſinceritatis teſtes.

Quid reliquas orbis partes adjiciam? Quid Turciam & vaſtas Aſſyriæ ſolitudines? Quid receſſus Indiæ penitiſſimos? quid conſecratam Chriſti ipſius veſtigiis, laboribus, ac miraculis Palæſtinam? Quid Siamenſem regionem & immenſum Sinarum Imperium, ubi tanto fidei Chriſtianæ incremento etiamnum hodie Gallorum pietas adlaborat? Adeò dulciſſimæ patriæ, & rerum omnium

apud

Digitized by Google

apud ipſos loco eſt ſincerus amor Religionis!

At quàm invictus idem & cedere neſcius, quoties aut coercere rebellantis Hæreſis temeritatem, aut perpeti quidpiam Religionis gratia oportuit?

Namque hoc inflammati ſtudio quis memoret, quot olim & quanta virtutis heroicæ miracula Galli præſtiterint? ut ſæpe cum exigua militum manu florentiſſimas copias fuderint; ut inaceſſas urbes & rebus omnibus ad longam defenſionem inſtructas paucorum dierum ſpatio expugnarint; ut ipſi ſola nonnunquam fortitudine circumſepti, & illius tantum freti præſidio, cujus gratia militabant, validiſſimos exercitus longiore mora infregerint; ut, quoties ageretur Religionis cauſa, mortalium alioqui fortiſſimi ſeipſis ſuperiores viderentur?

Mitto expugnatas tantis laboribus in Occitania, aut Aquitania, tam multas hæreticæ perduellionis arces. Sola mihi inſtar omnium teſtis Rupella, cujus pertinacia tot externis freta auxiliis, tot aſſultibus invicta hunc unum habuiſſe fructum viſa eſt, ut conſtantiam Gallorum magnanimitati parem demonſtraret. Felices fortunatique Calvinianæ pravitatis obſtinati ſectatores, quod neque vi, neque ferro parentes noſtri cenſuerint pervincendam Hæreſis contumaciam! Suo jampridem extinctum in ſanguine fatale monſtrum occubuiſſet, nec tantas annis ſuccedentibus ſtrages edidiſſet.

Verùm quod facere ſtudioſa pacis uſque & inimica ſanguinis Religio ſancta abhorruit, id aggreſſa ſæpe Hæreſis eſt. Nam ut omittam luctuoſa illa tempora, cùm numero, viribus, auctoritate freta ferociùs inſoleſceret; cùm inſultans Religioni veræ per medias regni civitates graſſaretur, Sacerdotum exuviis, populorum ſanguine, provinciarum cladibus & exitio ſatiata: quid non molita eſt recentiſſimis iſtis temporibus vel ſeneſcens ac moriens? Quantas bellorum faces in Galliæ perniciem excitavit? Tamen quo demum exitu, Auditores, niſi ut dignos Ludovici Magni imperio Gallos exhiberet.

Quod enim genus belli vel acrius, vel periculoſius, vel diuturnius majori ipſorum alacritate, patientia, robore aut exceptum fuit, aut ſuſtentatum? Nam cùm, uti reipſa erat, ita conſtaret apud omnes, non tam rerum Gallicarum æmulatione, quàm Religionis invidia bellum hoc fuiſſe ſuſcitatum, & ab ejuſdem extrema ſorte decretorium profligatæ jam Hæreſis fatum dependere; fecit apud Gallos inexpletum, quo flagrabant omnes, Religionis ſtudium, ut, neque fœderatos unam in gentem tot populos vererentur; neque fortunarum omnium capitiſque detractarent periculum; neque exhauſtis diuturniore bello opibus, animis, viribus pax ipſa optanda videretur, niſi hoc pretio ſecura Religionis quies ac tranquillitas redimi debuiſſet.

Nihil ego jam moror, quàm acres iidem ac fortes in profligandis novis erroribus extiterint; ſileo refixa in ortu ipſo Fanaticorum veterum commenta in corruptelam morum recens interpolata. At præterire non poſſum, Auditores, cùm ante annos pœne quinquaginta Calviniana Hæreſis diſſimulata tantiſper, atque ut populis illuderet impunitiùs, ſpecioſo ſanctiſſimi Doctoris nomine palliata prodiiſſet; præterire, inquam, non poſſum, quanta doctrinæ ſanioris æmulatione adverſum hoc novi monſtri genus Galli inſurrexerint: quot parata in ipſius

exi-

Digitized by Google

exitium tela, quaſi ex compoſito diſtricta ſint: quàm acriter, quàm conſtanter Eccleſiæ Gallicanæ Præſules promptam ejuſdem proſcriptionem apud ſummos Pontifices maturarint.

Ut eodem incenſus ſtudio cœtus ille Doctorum Pariſienſium (quos ad Religionis veræ tutelam ac defenſionem divina Providentia tot abhinc annis toti Galliæ comparavit) ut eodem, inquam, incenſus ſtudio recidenda immiſericorditer ſuo de corpore membra putaverit, quotquot peſtifer venenati monſtri afflatus infeſtaſſet: ut ipſe pro ſua jam tum in Religionem charitate Ludovicus Magnus regiam interpoſuerit auctoritatem, ne qua pars conflati in arce Vaticana fulminis nocentium capita præteriret. Sic ſincerus uſque ac fortis Gallorum amor in Religionem fuit; at idem quàm ſingulari prudentia temperatus!

Habet hoc vel ipſe Religionis amor, Auditores, ut quanto ſincerus magis ac fortis eſt, tanto periculoſior eſſe ſoleat, ſi moderatrice ſapientia deſtituatur. Quod ſi fuit in Gallia tempus ullum, cùm maturiore conſilio Regi debuit promovendæ Religionis ſtudium, tum profecto fuit, cùm Hæreſis ſuo freta robore, contra vim atque impetum ſatis comparata ſibi videbatur, & pactorum jure confiſa nihil à moderantis auctoritate metuebat.

Durum quidem erat veræ pietatis amantibus, quòd Hæreſis arces haberet ſuas & propugnacula: quòd impios ritus ſanctiſſimis myſteriis opponeret; quòd haberetur in pretio, & ampliſſimis honoribus defungeretur; quòd facinoroſos per ſpem impunitatis partes in ſuas illiceret; quòd rerum omnium affluens copia perſtringeret multorum oculos, & inſidioſa liberalitate aliorum faveret cupiditati, aliorum inopiam ſublevaret.

Tamen ferendum id fuit, Auditores; ut erat Gallia vix dum civilibus emerſa diſcordiis, quas Hæreſis ipſa tanto publicæ quietis ac tranquillitatis detrimento ſuſcitarat; non videbatur eſſe prudentiæ moliri quidquam gravius, unde aſperata rurſum, nondum extinctas bene rebellionis faces accenderet. Hæc erat via mollior, eadem & efficacior; ſi paulatim infringeretur Hæreſis auctoritas: ſi ſubtraherentur illi præſidia quibus nitebatur: ſi ſpoliata Ducibus, in quibus confidebat, rudis & imperitæ multitudinis permitteretur arbitrio moderanda.

Atque hoc fuit, quod ſingulari prudentiæ laude præſtitit Henricus Magnus; cùm ejuratis ultro Calvinianæ ſectæ erroribus, ſeſe in avitæ Religionis gremium recepit; cùm exempli ſui æmulatione principes & anteſignanos hæreticæ factionis eiſdem partibus conciliavit; cùm ſincera conſtantique pietatis ſignificatione, quoad vixit, & Religioni, quam erat amplexus, honorem ac pretium, & Hæreſi, quam deſeruerat, contemptum & deſpicientiam concitavit.

Hinc debilitata plurimùm ſuis jam rebus diffidere Hæreſis cœperat: at poſtmodum apponens lucro immaturam junioris Principis ætatem, ſic invaluerat paulatim, ut res novas moliri, & turbas ciere de integro meditaretur. Erat coercenda inſoleſcentis ſuperba temeritas, aut impunitate ſtatim facta ferocior, miſeras editura ſtrages videbatur.

Senſit hoc ſingularis Ludovici Juſti ſapientia; & adjuvante ſagaciſſimi, ſi quis unquam extitit, Miniſtri dexteritate, ſic rebellantis faſtum contudit, ſic repreſſit vires, ſic ſpes infregit, ut reſipuerit tandem Hæ-

reſis:

reſis: hoc ſatis contenta, ſi moribus ſuis ac legibus vivere ſibi permitteretur. Conceſſum id fuit, Auditores, non indulgentia vel præpoſtera benignitate, ſed neceſſitate temporum, quæ curas alio cogitationeſque diſtraherent.

Tamen nolite dubitare, quin grande quidpiam Religionis ergo pro ſua ſapientia moliretur Princeps religioſiſſimus, cùm ſeipſe, Populum & ſuum, totumque Gallicum imperium Deiparæ Virgini tam ſolemni pompa devovit. Intelligebat ſcilicet, quantùm hinc ad promovendum Religionis opus præſidii eſſet expectandum.

Neque vero diſtulit longiùs piiſſimi Numinis benignitas comprobare certiſſimo pignore plenum altiſſima prudentia conſilium; cùm eodem hoc anno, quo peracta nuncupationis hujus celebritas eſt, expectatus communibus totius Galliæ votis Princeps ille prodierit, cui extinguendæ penitus Hæreſis gloria reſervabatur. Ludovicum Magnum ſatis intelligitis, Auditores, tam glorioſi operis artificem; verùm quàm ſingularis ejus enituit, tam in eodem inchoando, quàm promovendo, conſummandoque ſapientia!

Erat incredibilis cujuſdam auctoritatis exſcindere penitus ſectæ genus illud, quod ſtabilitum diuturnitate temporis, pactorum fide roboratum, tot edictorum veluti conſignatum ſigillo convaluerat. Id intelligens, ſtuduit hoc unum ante omnia Ludovicus; ut tot rerum miraculis, tot prodigiis facinorum, tam continua regni ad votum fluentis ſerie, quam ſuſpexit univerſus orbis, Majeſtati regiæ pondus ac momentum adderet. Quod ubi ſemel putavit ſe conſecutum; tum ſic aggreſſus eſt fatalem hydram, non ut uno ictu confoderet, ſed ſingula ejus capita alia ex aliis paulatim amputaret.

Florebat Hæreſis olim in Aula, & apud ipſum Principem in pretio ſuis inde gratiam atque auctoritatem accerſebat; hanc neque domo in ſua, neque inter amicos habere locum Ludovicus paſſus eſt. Militabat in caſtris, exercitibus præerat, imperabat in provinciis, Magiſtratibus in foro defungebatur; hinc dejecta pariter, & omnibus nobilitatis inſignibus ſpoliata, natalibus tenebris damnata eſt. Rem faciebat in commercio, & in tractandis pecuniis publicis ampliſſimas nacta facultates, ſuorum inde commodis providebat; pecunias tractare publicas & mercaturam exercere prohibita eſt. Colebat humaniores Artes in ſcholis, & tam puros fontes veneno ſuo inquinabat; poteſtatem illi docendi omnem ſuſtulit Ludovicus. Aderant Erroris adminiſtri, qui venenum ſpargerent in vulgus, nutantes erigerent, firmarent ſtantes, timidos ac diffidentes promiſſis & ſpe fortunæ melioris lactarent; hi vel donis ac largitionibus ad meliores partes traducti, vel obſtinationis in pœnam longiùs ſummoti ſunt. Reſtabant arces, quò ſe Hæreſis reciperet: Templa dico reſpirantis adhuc factionis propugnacula: Ædes profanas, tot erecta de Catholicis trophæa & victæ Religionis monumenta Ludovicus excidit. Sic per iſta vulnera præludebat Rex ſapientiſſimus ad lethalem ictum, quo fatalem hydram percutere, & ipſam arcanis molitionibus & occultas per artes ruinæ ſuæ adlaborantem apertiori jure opprimere meditabatur.

Interim dum tam prudenter Religionis opus Ludovicus promovebat, quam laudabilis ubique cernebatur ejuſdem ſapientiæ æmulatio! Quàm ſedulus Gallicis in Præſulibus

Digitized by Google

bus labor, ut quos Eccleſiis præficerent, eos probitas & eruditio commendarent! Quàm multa ſurgebant undique pietatis ac doctrinæ Seminaria, in quibus deputandi olim ſacris miniſteriis adoleſcerent, & ad virtutum omnium exercitationem informarentur. Quantus fervebat in Scholis ardor ſtudiorum, quanta Religioſis in Familiis ſanctitas morum cum ſacrarum Literarum cognitione certabat!

Nam ſpectatum erat atque cognitum fatali priorum temporum experientia, unde mali labes, & tanta Religionis corruptela profecta eſſet; ac ſi tam inſtructus olim bonis Artibus, tam incorruptus, quàm nunc eſt, Gallicanus Clerus extitiſſet; nunquam profecto tot monſtruoſa Errorum portenta fidem inveniſſent.

Et ipſi Legum vindices, Æquitatis arbitri, ſapientiſſimi Juris utriuſque moderatores, quàm diligenter, quàm providè conſulebant; ut quæcumque Religionis in gratiam ſancirentur à Religioſiſſimo Principe, ſuum hæc ubique pondus atque auctoritatem nanciſcerentur! Quàm ferebant ultro reſcindi ſuo de corpore, qui invitis ipſis ac ſemper reclamantibus in auguſtiſſimum Ordinem irrepſerant! Quanta geſtientium animorum ſignificatione viderunt refigi tandem, reſcindi, abrogari decretis melioribus, extorta olim ab Hæreſi per vim ac nefas Edicta illa, quæ nec admiſſa fuerant unquam, nec in Acta Senatus relata, niſi conteſtatum priùs fuiſſet ab univerſis Patribus, interpoſita prudenter iſta clauſula, quidquid concederetur Hæreticis, id neceſſitati temporum condonari, donec aliter provideretur!

Quàm ſinceris totius Fori plauſibus Chriſtianiſſimo Regi acclamatum; quàm ſolemnes eidem Senatus ampliſſimi nomine habitæ gratulationes: quòd cunctis Imperii Gallici finibus Errorum monſtra, in Religionis Regnique perniciem nata proſcripſiſſet! Ita ut Senatores ampliſſimi non jam ſe tantùm, aut forenſis Eloquentiæ reſtauratores egregios, aut legum ipſarum ſagaciſſimos emendatores, ſed Religionis ipſius vindices atque aſſertores fuiſſe gloriari poſſint.

His adjuta præſidiis tam feliciter Religio crevit in Gallia, & tantum decus defenſoribus ſuis atque propagatoribus toto hoc Sæculo concitavit. Laus hæc Gallorum prima, Auditores; jam quanta floruerint Armorum gloria, altera Orationis parte cognoſcite.

Quo fieri Gallorum fato dicam, Auditores, ut cùm ſuaviſſimam gentes inter cæteras & minimè amicam contentionis indolem macti videantur; graviſſimos tamen omni temporum ſerie adverſarios habuerint? An quòd vicini populi importunam dominationis avidæ, qua tenebantur, moram in Gallis experti, ſuſcipere nobiſcum inimicitias, quàm refrenare ambitionem maluerint? An quòd conſpicua in ſocios, & in amicos fide pulchrum ſemper duximus partiri cum ipſis labores ac pericula? An quòd denique rerum à nobis geſtarum gloria ſic perſtrinxit æmulorum oculos, ut, quos illi non poterant aſſequi, eoſdem ſaltem laceſſere atque impugnare obſtinarent? II. Pars.

Ut ut eſt, abſit ut queramur factum, aut infectum velimus eſſe, Auditores. Quanto major exarſit in nos vis hoſtium, tanto ampliorem nobis gloriæ ſegetem ſuffecit. Atque ut fuit hujus Sæculi fatum, ut nunquam videatur acriùs oppugnata fuiſſe virtus Gallica; ita nunquam patuit illuſtriùs, quanta armorum laude cæteris gentibus eadem antecelleret.

Ec-

Ecquando enim vel bellatum apud Gallos tam ſolerter, vel certatum tam glorioſè, vel vincere contigit tam feliciter? Sic ut hoſtium numerus ſolertiam acueret, robur ac ferocitas ſtimularet virtutem, pertinacia plures ac lætiores triumphos adornaret. Quæ ſi omnia delibare tantùm ac perſtringere curſim videar, date veniam, Auditores, & nimia rerum copia laborantem adjuvate.

Agite, repetite mecum prima Sæculi hujus tempora, Auditores, & quæ vel vidiſtis ipſi, vel didiciſtis à parentibus, in memoriam revocate. Vix civilibus emerſiſſe diſcordiis videri poterat Gallia, & Henrici Magni cùm pacata laboribus, tum Ludovici Juſti conſilio ſapienter adminiſtrata, beatæ pacis munus & optatum jamdiu tranquillitatis otium guſtare cœperat; cùm novi hoſtes inſurgere denuo; quorum non tam aperta vi coerceret impetus, quàm ſingulari prudentia occultas artes declinaret.

Hinc enim ſolidioris avida gloriæ domus illa, Gallicæ gentis nuper æmula, quæ vel ipſis totius Europæ finibus cogitationes vix metiretur ſuas, erat perpetuis veluti in ſpeculis unde rimaretur in Galliam aditum, &, quem in noſtra fortitudine conſiliis ſuis obicem ſentiebat, hunc vel perrumperet aperto marte, vel occulto aſtu feliciùs ſuperaret. Inde longioris otii pertæſus Britannus, qui necdum abjecerat ſpem omnem recuperandi partem illam Galliæ, quam olim occupaviſſet, præſtolabatur occaſionem commodam; ſi fortè veteres diſcordiæ & inteſtini apud Gallos tumultus renaſcerentur.

Adfuit tandem utriſque tempus illud quod concupierant, & parandæ gloriæ, ut exiſtimabant illi, peropportunum. Scilicet nondum extinctas bene in ulteriore Gallia rebellionis faces Hæreſis ſuſcitarat, exciverat populos ad arma, & ſervitii impatiens jugum excutere velle videbatur.

Tum enimvero concipere ſpes novas Iberi Principes: & quos concordes vix poſſent, occupatos civilibus diſcordiis Gallos adoriri. Mox & opem Gallicis factionibus, quam vellent, Britannus ultra polliceri, & inſtruere claſſem illam formidabilem, quæ noſtris toties non ſine gravi jactura pulſa litoribus in patrios fines remeavit.

Vidit pro ſua ſapientia imminentem Galliæ procellam Ludovicus, qui inteſtinos in Regno motus dum comprimit, ſic eluſit exterorum inſidias, ut in ipſos belli vim omnem derivaret: &, quibus petebatur artibus, eiſdem in adverſarios uteretur. Nam ſuſcitatus hoc ipſo tempore in Germaniæ caput Palatinus Comes Fredericus graves ac multas ciere turbas, conciliare partibus ſuis Germaniæ Principum gratiam, repetitis adverſarios afficere cladibus, & Bohemiæ Regnum, cui Ferdinandus Imperator inhiabat, reluctante eo nequicquam occupare.

Mox interjecto paucorum annorum ſpatio, quantas eidem Germaniæ clades attulit fretus Gallicis opibus ac copiis Guſtavus, quàm multas expugnavit urbes, quot in ſuam ditionem provincias redegit? Senſere demum hoſtes libertatis publicæ, quid ſuæ ſibi artes profuiſſent, & in reſarciendis propriis cladibus occupati, hoc ſtuduere deinceps unum, ut ſe ipſi à ſervitute vindicarent.

Et tu, infelix Britannia, cruenti poſtmodum belli theatrum, & in mutuas nobis ipſis dolentibus acta cædes funeſtum toti orbi dediſti ſpectaculum: & quam afferre nobis cogitabas, eandem ipſa cladem accepiſti.

Quod ſi his temporibus amiſſum in Richelio tutelarem Genium luxit

Gallia, quem promovendis rebus Gallicis natum toties ſenſerat, mox habuit, unde deſiderium leniret ſuum, experta in Henrico Condæo, quò uſque ſpectata excelſi conſilii ſapientia, in Enguineo, quò uſque invictus virtutis heroicæ vigor poſſet pertingere.

Sed jam me rapiunt ad ſe ſe glorioſa Ludovici Magni tempora, & multiplex bellicis in rebus Gallicæ ſub Rege tanto ſolertiæ monumentum ſufficiunt. Meminiſtis, Auditores, quantam Galliæ in perniciem conflatum ante annos viginti quinque triplicis potentiæ fœdus coaluiſſet? Verum ut diſturbatum illud brevi una Principis ſapientiſſimi prudentia concidit! Emendata ſcilicet, ut merebatur, & damnata ſolvendis fatalis belli ſumptibus Batavia fœdus abjecit inviſum, & ſuo à cæteris divortio totum conjurationis vinculum diſſolvit.

Revocate etiam animo celeberrimæ illius Expeditionis memoriam, quæ tanta rebus noſtris commoda, & perennem Fabio Gallico ſingularis in bello prudentiæ famam peperit. Conflabatur ex collectis totius Germaniæ viribus formidabilis exercitus, erupturus jamjam per Campaniam, qua parte defenſa minùs Gallia videbatur. Quippe profectus in Flandriam novos ad triumphos cum lectiſſimo Gallicæ nobilitatis robore Ludovicus, inſtructum exiguis copiis Turennium cuſtodiendis Germaniæ finibus reliquerat.

At non latuit Ducem ſagaciſſimum quid hoſtes militarentur, ſed progreſſus ipſe in penitiores Germaniæ receſſus, antequam illi conveniſſent, diù multumque victitat hoſtium impenſis. Mox factus certior adornatum tandem eſſe hoſtilem exercitum, ita regreditur per eandem viam, quam veniens intactam eſſe voluerat à militum injuria, ut circumjacentes latè terras populetur, & ad ſingula pœnæ veſtigia aut tranſiliendas foſſas, aut diruendos aggeres, aut expugnanda propugnacula, conſecuturis jamjam hoſtibus relinquat. Neque vero ſua ſpes fefellit Turennium; nam ſuperveniens hoſtilis exercitus cum deſolatam ubique regionem, & perpetuos inter eundum obices inveniſſet, partim conſumptus fame, partim longiori mora fractus, amplam nobis vix aut dato aut accepto vulnere victoriam aperuit.

Et in iſto tam diuturni belli diſcrimine, quod extremum Gallicis rebus exitium allaturum jactabatur, putatis futurum fuiſſe ut eo defungeremur tam feliciter, aut etiam fœderatis Europæ viribus pares inveniremur, niſi ſolertia fortitudinem adjuviſſet?

At quoniam Ludovici Magni provida mens locorum ubicumque præſens & attenta ſemper hoc præcavebat, ut Galli proceſſiſſent in aciem, antequam hoſtes de profectione cogitaſſent; ut parati forent ipſi ad conſerendas manus, priuſquam illis metari caſtra contigiſſet; ut jam urbes obſidione premerent, cum nec obſidendas illi ſuſpicarentur: ut recentes locis in omnibus, integras ac vigentes copias ſufficerent, feſſas illi objicerent, fractas viribus & exhauſtas: ut uſque faveret ipſis locorum opportunitas, cùm illi deteriore ſemper loco poſiti invenirentur; quid adeo mirum eſt, ſi nihil aliud promoverit tam pertinax conjurantium in Gallos multitudo, quàm ut illuſtriotem ipſis triumphorum ſegetem adornaret?

Huc adjice tam actuoſam in Gallis, tam repentinam caſtrorum celeritatem, ut hoſtium conſilia, moliriones, inſidias ſemper eluderent: tam indefeſſum in peragendo multas disjunctaſque exiguo tempore Europæ par-

partes laborem, ut non una gens, ſed multiplex & quaſi de integro procreata videretur: tam altam tamtamque imperviam apud ipſos arcani religionem, ut quo tempore meditata dudum peragebantur conſilia, eodem fuiſſe ſuſcepta putarentur.

Mitto jam dicere quàm peritos, quàm ſolertes Gallia protulerit rei bellicæ artifices & architectos: quàm faciles ac compendioſæ initæ fuerint ad expugnationes urbium viæ: quantus in caſtris vigeat ordo diſciplinæ, quanta apud omnes ſcientia rei militaris; quam vel hoſtes ipſi ita ſtupuerunt interdum, ut in ſingulis militibus Duces totidem, in Ducibus totidem Imperatores venerarentur. Sic, Regum Maxime, cæleſtis illius ſapientiæ, quam ſingulari Superum munere nactus es, partem aliquam diffundis in tuos; neque quiſquam eſt, qui ad luminis tanti ſplendorem non colluſtretur.

Quòd ſi conſilio & rei bellicæ ſolertia adeo præſtitere Galli cæteris gentibus: quanto ſuperiores virtute & facinorum illuſtrium gloria fuiſſe dicendi ſunt? Tam diù eſt ex quo addictam ſibi fortitudinis laudem Gallia vindicat; ut Gallum eſſe idem omnino ſit, ac eſſe fortem: vixque jam Heroes noſtri ab ea prædicari ſe parte ſuſtineant, quam imis pariter ac ſummis communem eſſe fateantur.

Enimvero quem è Gallis tandem deficeret animus in adeundis periculis, qui in ipſis Regii Sanguinis Principibus egregios animæ magnæ prodigos ac contemptores agnoſcat? Eſſet aliquis lentus ac reſes, cùm aut ſuſtinendus, aut laceſſendus hoſtis eſt, qui Contiacum aut Borbonium viderit ad Stinkerkam medias inter neces imperterritos, & redivivam in ſe Condæi Magni virtutem attonitis hoſtibus exhibentes? Qui conſpexerit olim Enguincum aut Limburgi mœnia perrumpentem, aut dejectum ab equo ſuffoſſo parentem dum ad Seneffum relevat, oppoſitu corporis igneos globulos tam caro capiti defendentem? Qui Philippum meminerit ad Caſellam ſic oblitum periculi, ut, dum victum hoſtem urget acriùs, multis hinc atque hinc ictibus peteretur, vixque id ad aliquam fortitudinis laudem pertinere exiſtimaret? Qui ſpem Regni dulciſſimam, præſidium Galliæ, Populorum amores Delphinum obſtupuerit, vel cùm in Germania laceſſeret hoſtes in propugnaculis, vel cùm erumpentibus undequaque æratis glandibus Philippoburgum expugnaret? Qui denique Ludovicum ipſum, unde Gallici Imperii ſecuritas, gloria, ſalus dependent, non ſine gravi trepidatione ſuſpexerit toties graviſſima volantis undique plumbi diſcrimina erecto vultu deſpicientem?

Unum eſt quod verear, Auditores, ne illuſtriora pleraque fortitudinis Gallicæ exempla, quæ ſunt edita paſſim toto hoc Sæculo, ſplendidiùs, quàm magnificè decantata, vix edi potuiſſe olim exiſtimentur, &, quam fabuloſis pæne Heroibus fidem hodie denegamus, eandem Gallorum facinoribus denegandam nepotes noſtri arbitrentur.

Nam ſi Græcia ſua mendax in hiſtoria viſa eſt, cùm ſtratum pontibus Helleſpontum narrat à Xerxe, & Abydo Seſton admotam: an veraciores Galli ſuis in Annalibus videbuntur, cùm impoſitum à Ludovico Juſto referent Oceano frænum, & properantem obſeſſæ urbi claſſem hoſtium interjecta medios in fluctus mole fuiſſe compreſſam, niſi ſuperſtites adhuc ſuperbi illius operis reliquiæ fidem vel ab invita poſteritate extorqueant?

Quod vero de junioris Alexandri victo-

victoriis produnt hiſtoriarum monumenta, id ſi vix ac ne vix quidem creditur non oblitum aliquo adulationis fuco; num æquiùs olim ſibi perſuadebunt qui legent, primum hoc fuiſſe Condæi Magni in re bellica ſpecimen, ut retundere collectas Iberiæ vires; eundem vix aſſecutum annos unum & viginti decretoriis prœliis extitiſſe ſexies victorem; & cùm in una urbe capienda Græciæ totius Heroes decem annos olim contriviſſent, novum Heroa Gallicum uno anno urbes decem fortiſſimas expugnaſſe?

Ubi vero ventum fuerit ad illa virtutis Heroicæ prodigia, quibus fœtam Ludovici Magni hiſtoriam admiramur: cum narrabitur tranatos à Gallis rapidiſſimos fluminis Rheni vortices, dum hinc accenderet animos invicti Regis præſentia, inde facinus ſpectaret hoſtis ex adverſo litore, & ærata circum undique grando perplueret, quantus erit poſteritatis ſtupor, quanta admiratio? quæ collatis inter ſe ætatibus noverit, idem à Romanis Heroibus ſuſceptum toties & irrito ſemper conatu fuiſſe pertentatum.

Jam cùm urbes quatuor & quadraginta uno menſe occupatas; Sequanorum fines trium hebdomadarum ſpatio Gallicæ ditioni adjectos; conjurantes mutuum in fœdus, Bataviam, Iberiam, Germaniam accitas feliciter & ad unius pacis amorem adductas; cùm per aſperas hiemes, per madida luto & corrupta imbribus loca, ſpectantibus florentiſſimis exercitibus, hæc aggreſſos fuiſſe Gallos, disjeciſſe, occupaſſe, quæ conditionem, ut vincerentur, non habebant: cùm victores ubique, ubique triumphantes, victos nuſpiam, nuſpiam infractos ætates venturæ intelligent, an non adſcita de veteribus fabulis plurima vel ſuſpicabuntur, vel felices certè Gallos prædicabunt, quibus ab invicto Imperantis robore virtus eadem, pares animi afflarentur.

Quid enim tam inſolens, tam incredibile veteres hiſtoriæ proferant, quod ſternere viam poſſit vel ad iſta, vel ad reliqua Gallicæ fortitudinis miracula aut ſuſpicienda minùs aut proniori fide excipienda? Scrutamini per me licet reconditiores totius antiquitatis latebras; excutite diligenter ætatum, locorum, nationumque omnium monumenta: revocate in memoriam celebrata magnificentiùs Poetarum commentis ac fabulis ſæcula: prodibit, credo; ex illa caligine temporum, ex illa totius vetuſtatis ſerie exurget populus aliquis, in quem hoſtis tam multiplex, tam potens, tanta animorum contentione, tam diu, tam pertinaciter, terra marique conjurarit? qui ſibi relictus uni, ſuis fretus unis viribus, contra vim ſimul ac dolos habuerit dimicandum? cujus in ſolo nulla pars quæ non imperetur, & exitio deſignata non foret?

In iis rerum anguſtiis quis tandem exerendæ virtuti Gallicæ locus relinquebatur? quæ ſpes parandæ ſplendidis quibuſdam facinoribus gloriæ affulgebat? quo pacto laceſſendus & urgendus hoſtis, qui à fronte, à tergo, ab utroque latere ſuſtinendus incumberet? An non actum iri ſatis bellè cum Gallica gente videbatur, ſi nihil partæ olim in bello gloriæ deperderet? ſi totius Europæ formidabilem impetum cum aliqua defenſionis laude ſuſtineret?

Nempe hoc ſibi Galli vindicent aut agnoſcant ſuum, quod illuſtriori gloria vacaverit. Illos aut difficultas operis, aut numerus hoſtium, aut periculi magnitudo deterreat, qui felicibus Ludovici Magni temporibus procreati continua fatorum experien-

perientia didicerint, ſub tanti Regis auſpiciis pugnare idem eſſe ac vincere.

Senſit enimvero Europa tota quibuſcum ſibi res foret. Vidit laceſſentes ultro, qui oppugnandi cenſebantur: victores ſemper triumphanteſque obſtupuit, quorum certam ad perniciem tanto cum apparatu advolarat. Sed iſta, video, pertinent ad Gallorum felicitatem, quæ ipſorum in conſulendo ſolertiam, fortitudinem in agendo conſecuta eſt.

Etſi non eſt rerum illarum felicitas, quam præſtare quiſquam de ſe ipſo poſſit, neque culpandus videtur ille, cui ſucceſſerit minùs feliciter, ſi nec in deliberando prudentia, nec animus in exequendo defuerint: tamen eſt hæc perverſitas, dicam, an fatalis error multorum, ut ex eventu ſolo res æſtiment, neque prudentem quemquam fuiſſe putent aut fortem, qui fortunatus idem non extiterit. Abſit, Auditores, ut tam prava quorumdam hominum opinione abuti velim ad gentis Gallicæ prædicationem; aut collaudandos putem Gallos à felici rerum ſuarum exitu, niſi maturitate conſilii atque virtutis præſtantia, quod jam confectum à nobis eſt, fortunam ſervire ſibi vel repugnantem, & ſuis addictam ſignis famulari coegiſſent.

Ecqua porro natio eſt tam confidens ſui, tam ambitioſa votis in ſuis, quæ à Superis tot ac tantas res audeat optare, quot & quantas Superi ad Gallos detulerunt?

Mirabatur olim Princeps Trojanus, cùm delatus tempeſtate fuiſſet in Africam, ſuaſque & ſuorum pugnas ad Trojam in tabulis depictas oculis perlegeret; mirabatur, inquam, tam longè propagatam fuiſſe rerum à ſe geſtarum famam, & converſus ad ſocios, mœrorem inter & gaudium exclamabat; *Quæ regio in terris noſtri non plena laboris!*

Quanto id æquiùs ac glorioſiùs prædicari de gente Gallica poteſt, Auditores? Nam quæ plaga tandem, quæ pars in hoc orbe univerſo, quam Galli vel non illuſtraverint laboribus ſuis ac triumphis, vel nominis ſui fama non implevèrint?

Teſtis eſt Flandria, cujus partem longè optimam ditioni ſuæ adjectam Galli gloriantur. Teſtis eſt Batavia, quam oblitam fidei & obſequii parum memorem trium provinciarum & quadraginta urbium expugnatione emendarunt. Teſtis eſt Iberia, quam in fines Galliæ longè lateque graſſantem multiplici victoria repreſſerunt. Teſtis eſt Burgundia Sequanorum, quam ſemel atque iterum occupatam ſui juris fecerunt, & extinctis veteribus odiis cum altera Burgundia conjunxerunt. Teſtis eſt Germania, quam ab utroque Rheni latere felicibus armis domitam expugnarunt. Teſtis eſt Hungaria, quam victis ad Arabonem Ottomanis, ab infami ſervitute defenderunt. Teſtis eſt Alſacia, quam æterno fœdere Gallico Imperio mancipatam ab Hæreſis dominatione ad avitam Religionem traduxerunt. Teſtis eſt Suecia, quam in Gallica ſocietate conſtantem ab æmulorum injuria vindicarunt. Teſtis eſt Britannia, quam utrique Oceano dominantem ingenti clade toties afficerunt.

Teſtes vero jam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes ac nationes; denique maria omnia, cùm univerſa, tum in ſingulis oris omnes ſinus atque portus.

Nam quid dicam Tripolim in Syria; quid in Africa Tunetum & Algerium globis igniferis attrita? Quid memorem exſcenſione facta Genuam incenſam caſtigatamque, & ad culpam eluendam primores urbis Lutetiam

tiam accerſitos? Quid definitam loquar Imperii Gallici & Turcici æqualitatem, & dum natio illa reliquos populos inſolentiùs deſpicit, parem inter ſedendum honorem Oratori Gallico & ſupremo Viſiri delatum? Quid adjiciam accitos longiùs Gallici nominis fama ex Siamenſi regno Oratores, & ad contemplandam propiùs Ludovici Magni gloriam impulſos?

Hæc ſunt illuſtria rerum à Gallis toto hoc Sæculo feliciter geſtarum monumenta: quæ ſi perluſtrare curioſiùs quis velit, excurrat ille tantiſper in Galliæ limites; & quam feliciter fuerint propagati, ex quo rerum habenas Domus Borbonia moderatur, ſecum expendat.

Hìc, ubi Picardiæ finibus Gallia terminabatur, eamdem video provinciam ultra Atrebatenſem, & totum Flandriæ Comitatum longè propagatam. Illic Campaniam habebat olim pro repagulis; nunc Alſacia, quàm longa eſt, & continua Rheni fluminis ripa continetur. Inde offerebat ſe ſe Burgundia, quæ nullis olim munita aggeribus, nullis propugnaculis defenſa latus apertum hoſtibus objiciebat; hodie Sequanorum finibus, & arcibus circumvallata fortiſſimis defenditur. Sic provinciæ Lugdunenſi Sebuſianus ager adjectus, Occitaniam Ruſcinonenſis regio protegit ac tutatur. Ac ſi reliquis à lateribus protenſa ulteriùs Gallia non cernitur, cogitet ille, quiſquis eſt, Auditores, nihil ab ea parte præter maria vel perpetuos montes Gallicæ virtuti fuiſſe objectos.

Mox ad reliqua victoriarum noſtrarum trophæa & perilluſtres reliquias oculos advertat. Obſervet idem ſedulò urbium multitudinem, varietatem caſtrorum, propugnaculorum robur, quæ ad tuandos fecundi Martis fructus proviſa ſunt; numeret, ſi poteſt, quot erepta domitis per tot annos hoſtibus tormenta bellica noſtris jam tegendis mœnibus inſerviant; agnoſcat & perlegat in ſingulis varia variorum populorum, & nomina, & ſtemmata. Ingrediatur ſingularum artium civitatumque Armamentaria, & enſes, loricas, ſcuta, galeas, aliaque id genus, triumphorum noſtrorum monumenta admiretur. Suſpiciat appenſa templorum tholis, & diſtincta tot Principum, tot Regum, tot Provinciarum Regnorumque inſignibus vexilla.

Hæc porro ſunt ejuſmodi, Auditores, ut, ſi vel taceant Annales hujus Sæculi, vel ſi magnitudo novitaſque facinorum ægrè fidem inveniant, iis tamen minimè liceat obtrectare. Quamobrem ſi cui populo parta toto hoc Sæculo bellicis rebus gloria primas deferre debeat, quis dubitet eaſdem Gallis vindicare, quos armorum ſolertia, virtute ac felicitate conſtat cæteris tantopere nationibus præſtitiſſe?

Hunc aſſecuta dignitatis apicem Gallia quid aliud vel poſtulandum deinceps à ſupremo Numine, vel etiam optandum habeat, niſi ut venturis deinde ſæculis, cum aſſurgere altiùs non poſſe videatur, in hoc faſtigio gloriæ collocata ſic perſeveret, ut ſuis exemplo, exteris admirationi, utriſque magno cùm Religionis, tum fortitudinis documento ſit?

Quanquam confide, Gallia, ecce uberioris etiam incrementi ſpem tibi novam eandemque certam ſufficit ſingularis illa, quæ Principum noſtrorum ac regni Gallici fatis invigilat Providentia. Has illi debemus immortales gratias, quòd clariſſima Imperii noſtri lumina non uni tantùm ſæculo oſtentarit; & quos majore, ut ſic loquar, labore efformaverat, eoſdem ſingulari quadam vo-

luptate pluribus ſæculis commodaret. Ita Clodovæum, ita Carolum Magnum, ita Philippum Auguſtum, ita Henricum Magnum, viros pluribus dignos ſæculis, non uni ſæculo voluit eſſe ſuperſtites. Ita & Virum immortalitati natum Ludovicum Magnum ætatis jam hujus gloriam, alteri etiam ætati incolumem reſervat.

Fortunatum omni ex parte Parentem, qui dignum ſe nactus ſit Filium, & præclaris tot ſuis dotibus imitandis parem: quem tam ſplendida virtutum exempla non terreant, ſed incendant! Feliciorem Avum, qui in tanto Nepotum numero, tanquam totidem in ſpeculis fidam ſui imaginem poſſit contemplari! Feliciſſimam Galliam, quæ in hoc Sæculi renaſcentis aditu, duraturæ felicitatis tot obſides, tot perpetuandæ gloriæ certa pignora ſibi gratuletur.

Nam quid illa ſibi jam non adpromittat ex lætiſſima juniorum Principum copia, qui ipſius in ſinu tam feliciter adoleſcunt? Quo illi non promovebunt apud te, ò Gallia, Religionis gloriam; qui tam altos in ætate tam tenera de Religione ſenſus imbiberunt? quibus de peniriſſimis rerum ſacrarum myſterii nihil latet? quos in obeundis divini cultus officiis tam pios, tam Religioſos admiramur?

Quòd ſi rerum tuarum ſplendor, aut mala vicinorum æmulatio novos tibi hoſtes ſuſcitabunt, qui beatam illam, qua nunc frueris, tranquillitatem ac pacem olim interturbent; quanta patriæ jam bellicis rebus gloriæ ſeges accedet ab eiſdem Heroibus; quos invicti Parentis & Avi tot imitanda prodigia acrioribus ſtimulis accendunt? Dedit jam ad Compendienſia caſtra ſuæ in bello ſolertiæ virtutiſque ſpecimen, quem provida felicitatis tuæ fata tibi Principem olim deſtinant, ſereniſſimus Burgundiæ Dux; & vel ex ludicra umbratilique palæſtra facere conjecturam debuiſti, quantus in veris crudioribuſque pugnis, cùm erit tempus, futurus ſit.

Neque tu verò tam ſtudioſa bonarum Artium, ò Gallia, leve præſidium invenies in Auguſtis Fratribus, qui politioribus exculti Literis, & earum pretium norunt, eaſdemque promovendæ regnorum gloriæ pariter ac felicitati natas didicere.

Nihil igitur ſupereſt ultra tibi quod precemur, ò Gallia, niſi ut Avum, Parentem, Nepotes, longos per annos videre incolumes poſſis. Sic erit, ò Deus Immortalis; & quæ facimus vota pro felicitate Domus Auguſtæ, ultro exaudies. Agitur gloria tua, agitur dilectiſſimi tibi populi ſalus, ut, quos ad Religionis tutelam, ad præſidium Galliæ procreaſti, in iiſdem tuendis conſervandiſque, tuis ipſius beneficiis faveas; & hanc tantam ſpem novi Sæculi ratam habere velis.

JACOBI II. MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS LAUDATIO FUNEBRIS.

Habita Anno D. M. DCC. I.

ORATIO IV.

EReptum nobis luximus ex hoc loco paucos ante menſes amantiſſimum Principem *; ecce novi luctus hodierna die ſeges exurgit. Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides

* Philippum Ducem Aureliañenſem, unicũ Regis Fratrem.

ſides Illuſtriſſimi, Ampliſſimi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatiſſimi. Luget enimverò amicum hoſpitem Gallia, Regem optimum Anglia deſiderat, Religio defenſorem acerrimum requirit. Felicem tamen vel in dolore ſuo fortunatamque nimis Galliam; quæ fauſta Jacobi II. primordia jam olim ſuſpexerat, & ultimos morientis ejuſdem ſpiritus excepit! Rerum ab eo geſtarum teſtis per tot annos miratrixque perpetua, habebit ſemper, unde tanti Principis hoſpitio lætetur, & ſuaviſſima ſuæ cum eo neceſſitudinis recordatione, deſiderii ſui acerbitatem leniat.

At doleat Anglia ademptum ſibi publicæ quietis ac diuturnæ pacis conciliatorem; Religio Parenti optimo acerrimoque vindici ſtudeat parentare. Imò, imò præcipuas in communi luctu partes hodie Religio ſibi vindicet; & quanto ſe illuſtriùs à religioſiſſimo Principe ornatam meminit; quanto cupidiùs amatam ſe fuiſſe gloriatur, tanto ſe in referendis gratiis alacrior, tanto ad exornandam beneficentiſſimi Regis memoriam paratior exiſtat.

Nos verò quos impensè fovit inter cæteros vivens ac moriens Jacobus; quibus præſidium, gratiam, & quod multo pluris ducimus, tenerrimum amorem ſemper impertiit; quorum fidei ac ſtudio delicias ſuas, regales liberos, ipſoſque animi ſenſus arcanos ultro credidit; an non commodabimus hodie Religioni vocem, & aliquam tam honorifici muneris in partem veniemus? Ah! potiùs ſilere pudeat, ubi Religionis res agitur, ubi debitum gratus ac memor animus obſequium exigit.

Erumpat igitur tam felicem nacta dicendi campum ſolemnis Oratio, &, quoniam totam hanc ſibi Religio poſtulat, nefas ſit quidquam dicere, quod non referatur illuc, aut eodem minùs pertinuiſſe videatur. Hoc ipſum laudationis genus, ſi quid obſequii noſtri ratio pios Manes adhuc ſollicitet, unum magis omnibus Jacobo placeat; cujus cogitationes omnes, curæ, contentiones eò ſpectavere, demum, ut fidelem Religioni, tota, quam longa fuit, vita, operam exhiberet. Suffragabitur & mihi in hac parte ſummi Pontificis auctoritas, qui, audita Jacobi II. morte, plenus eo ſtudio, quod Religionis amor inſpirat, ſacro ipſe in conſeſſu tanti Principis Religionem ac pietatem magnificis laudibus proſecutus eſt.

Neque tamen excluſas ab eo quis putet reliquas mentis animique dotes, quæ natum moderandis ſceptris Principem commendare ſolet; verùm illas omnes in Jacobo Magnæ Britanniæ Rege, ſic effulſiſſe, ſpero, quivis intelliget; ut impenſo Religionis ſtudio cederent, & ſuum ab eo ſplendorem mutuarentur.

Tripartita Jacobi II. vita, triplicem id efficiendi, quod ego propoſui, viam ſufficit. Sic enim tribus illis glorioſæ vitæ partibus Religio præfuit, ut eaſdem moderaretur ſemper, neque fieri quidquam pateretur, quod illa non præſcripſiſſet. Dignus ſolio Jacobus, antequam illud capeſſeret, & hæres Imperii legitimus, maluit ſubire periculum excidendi debito ſucceſſionis jure, quàm deſertor Religionis, aut diſſimulator videri; hoc Primum. Adeptus ſolium Jacobus ejuſdemque pacificus poſſeſſor, non timuit Regno carere, dum Religioni ſervit; hoc Alterum. Denique orbatus ſolio Jacobus, nec oblitus quidquam, ut amiſſum reciperet, omnia deinceps, Religionis beatus ſua, contempſit; hoc Tertium. Sic in conditione vitæ tam varia, tam difficili, tam perturbata, regiis ubique

que clarus virtutibus, Religionis laude clarior Jacobus extitit; hoc porro tergemina Orationis parte dum perſequor, veſtra me dicentem benevolentia ſuſtentate.

I. Pars. Non erit hic operæ pretium, Auditores, conquirere longiùs peregrina teſtimonia, unde quivis intelligat, quàm dignus ſolio Jacobus videri debuerit, antequam illuc eveheretur. Sileat enimvero tota Britannia; teſtis hodieque meminiſſe Gallia poſſit, quanto virtutum comitatu fretus in ſpem triplicis Coronæ Dux Eboracenſis olim adoleſceret. Fatali quadam neceſſitate temporum medio patriæ de ſinu raptus ſtatim ab juventute, quod non habuerat inter ſuos, tutum apud nos perfugium invenerat; neque opinor ſine peculiari Dei omnipotentis conſilio, qui poſita nobis ante oculos tanti Principis primordia eſſe voluit, ut edendis ab eodem ſub vitæ finem miraculis unuſquiſque noſtrum faciliùs aſſueſceret.

Nec otioſa fuit apud nos Eboracenſis Ducis juventus, nec vulgaribus factis conſignata. Nolim ego miſerrimi illius temporis refricare memoriam, cùm inteſtinis agitata diſcordiis Gallia ſuas in ſe ipſam vires converteret. At recordari tamen non pigeat, quàm utilem rebus noſtris operam Jacobus navaverit. Fortis miles, Dux ſtrenuus, ſapiens Imperator erumpere viriliter, quocumque res poſceret: dignus jam tum, ſuo in Ludovicum ſtudio, cui tanto cum fœnore gratiam Ludovicus olim rependeret.

Quantùm enim verò, quàm multiplex ad Muſſipontum, ad Stampas, ad Atrebatum, ad ipſa Divi Antonii ſuburbia ſolertiæ, fortitudinis, prudentiæ ſpecimen edidit. Non teſtabor hic Annalium noſtrorum fidem, apud quos illuſtribus conſecratam monumentis Eboracenſis Ducis gloriam legimus. At appellabo Turennium, perpetuum rerum ab eo geſtarum ſpectatorem; qui ſingulari junioris Principis captus ſolertia, & matura ſupra modum ætatis ad rem militarem indole, ſic tyronem erudiebat, ut ſapientiſſimi jam tum Imperatoris ſagacitatem in eo miraretur. Appellabo Condæum, quàm peritum, Auditores, ac ſincerum bellicæ virtutis æſtimatorem! qui pugnantem media in acie Jacobum expertus non ſemel, cùm aliquando interrogaretur à Rege, quem fortiſſimum hac ætate virum reputaret, primas quidem, ut decebat, Regi, ſecundas Eboracenſi Duci deferebat.

Hinc illi populorum plauſus & gentis totius acclamationes, cùm melioribus auſpiciis reverſus tandem in patriam talem ac tantum Imperatorem Britanniæ oſtentavit. Meminerant illi quidem, ut decennis puer aſtiterat olim parentis lateri, nec cruentam ſubire cum eo veritus incerti Martis aleam, impavidum & periculorum contemptorem animum jam præſeferret: at recentibus auctum victoriis triumphiſque nobilitatum cùm cernerent, quantum hinc ſibi, quantum Patriæ acceſſiſſe præſidium gratulabantur!

Senſere ſcilicet illi poſtmodùm, quàm non temere tam lætos de Jacobo rumores fama ferret; quàm non inanem ipſi de illius virtute ſpem ſuſcitaſſent; cùm Batavicam navali prælio claſſem aggreſſus, novum ad hunc uſque diem fortitudinis ac roboris prodigium, ſtupentibus Batavis, Anglis applaudentibus conſignavit. Bis excuſſus navi propria, quam hoſtis incenderat, non deſtitit urgere pugnam acriùs; donec incenſa viciſſim navi hoſtium Prætoria, ſepulto fluctus inter ac flammas Obdamo, Obdam. duabus ac viginti navibus aut captis,

ptis,

ptis, aut incenſis, aut depreſſis, triſtes lacerx claſſis reliquias longè lateque fugaviſſet. Cujus facinoris gloria vel apud immemorem Britanniam tandiu vigebit, quandiu perſtabunt Senatus acta; quo jubente decreta Victori, totius gentis nomine, ſolemnis gratulatio eſt, & ad gratificandum Patriæ conſervatori, quingenti ex ærario publico nummorum millia, triumphale munus, oblata ſunt.

Quid alteram memorem poſt quinque annos de iiſdem Batavis victoriam; cùm junctis in unum Galliæ Britanniæque navalibus copiis, famoſus ille totoque metuendus mari Ruiterus victus fugatuſque eſt? Præerat Angliæ Claſſi Jacobus, quem hoſtis ratus ſtare in anchoris, & concubia nocte imparatum aggreſſus, tam viriliter exceptus eſt, ut amiſſis multis navibus, Victoris arma, piceæ caliginis interventu, vix ac ne vix quidem effugeret. Sic per iſta fortitudinis prodigia præpotens rerum omnium moderator Deus invictum generoſi Principis animum ad majora pro Religionis laude certamina informabat.

Tot partа facinoribus fortis ac periti terra marique Imperatoris fama, mirum quantam apud omnes Eboracenſi Duci auctoritatem ac gratiam exciret. Accedebant reliquæ dotes animi, quæ virtutes bellicas exornarent; officioſa quædam experſque fuci comitas, charitas in domeſticos, in alienos humanitas, in amicos ſincero plena ſtudio benevolentia: quibus ſic omnium animos ad ſe rapiebat, ut in tanta factionum varietate, quibus diviſam ac diſſidentem uſque Britanniam vidimus, nulla tamen his temporibus reperiretur, quæ amicum habere Jacobum non ambiret.

Ergo omnium vergere in eum obſequia, converti oculos, voluntates inclinari, &, quoniam deſtitutus erat liberis Rex Carolus, nec ſpem futuræ prolis faciebat, ad heredem fraterni Imperii deſignatum populi pariter ac nobilitatis ſtudia deflectere.

Rebus tam feliciter Jacobo fluentibus, ut non tam jure natalium, quàm conſpirantibus omnium votis regnaturus olim videretur; quis animum induxiſſet, Auditores, deſertuiſſe ſenſim populorum ſtudia, unde par fuiſſet ſuccendi illa magis atque inflammari.

Scilicet dedoctus errorem jam dudum, quem cum ipſo lacte ſuxerat Jacobus, non dubia identidem ſui ad Catholicam Fidem reditus indicia præſeferebat. Nam cùm cupido ſemper æqui rectique animo hæſiſſet ille ſcrupulus, huic ſe mancipatum eſſe Religioni, quam nec coluiſſent olim Majores ſui, nec ipſa Britannia tota, niſi Henrici VIII. temporibus agnoviſſet; voluerat ipſum Lutheranæ Sectæ adire fontem, & quibus illa præſidiis in novam Religionis formam creviſſet, diligentiùs perſcrutari. Atque, ut erat in eo perſpicax ingenium, & cùm cæteris in rebus, tum verò in Religionis cauſa ſagaciſſimum, viderat penitus atque intellexerat quàm alienis à vera utriuſque Teſtamenti Religionis inſtitutis atque auctoribus, Proteſtantium, ut vocant, factio prodiiſſet.

Illa divino Spiritu afflatos homines, inſignes morum innocentia, ſanctitate vitæ conſpicuos præcones ac paſtores oſtentabat. Hæc avaritiæ turpiſſimos aſſeclas, humanarum divinarumque legum contemptores, viros omni vitiorum corruptela depravatos. Illa volentibus ſuſcepta, & ſolo patientiæ lenitatiſque ſubſidio longè latèque diffuſa; hæc nata in ſan-

guine & armorum vi propagata. Illa ſuadere modeſtiam, erudire ad honeſtatem? animi impotentis impetus coercere; hæc inſpirare ſuperbiam, ſtimulare ambitionem, pravis quibuſcumque cupiditatibus frenum laxare. Illa obtemperare noverat moderatorum imperiis, & iniquum etiam jugum conſtanter pati: hæc detrectare juſſa Principum didicerat, & ad defectionem rebellionis faces præferre.

In tanto Religionis utriuſque diſcrimine ſenſerat Princeps oculatiſſimus, quid credendum porro, quid ſequendum foret; & iiſdem convictam rationibus Annam priorem conjugem, fœminam ingenii vi, & animi robore, quam ſexus hic ferat, majorem eaſdem in partes traxerat: tantùm cognita probè explorataque veritas valuerat apud eos, quos ſola Natalium conditio ſuperſtitionis cultores effecerat? Igitur ejuratis erroribus Jacobus Religionem veram deinceps colere, nondum palam id quidem, quia conſcius fraternæ mutationis Rex Carolus, & ii qui Jacobi partibus impenſiùs favebant, hoc ſibi poſtulatant indulgeri, donec res ipſa, quam Religionis gratia moliebantur, expeditam cultui ejuſdem publico viam aperiret.

Etenim erat hoc in votis jam pridem Carolo, qui & Catholicum nomen fovebat in ſinu, & plus in Anglis Catholicis obſequii atque præſidii, quàm in cæteris, qui alias Religionum Sectas colerent, expertus ſemper fuerat, ut expetitam bonis omnibus & ſanctiſſimis olim decretis confirmatam, liberam in Anglia cujuſcumque Religionis profitendæ facultatem reſtitueret. Suffragabantur Regis conſilio viri non pauci in tota Britannia primarii: interim expectare Jacobus felicia tempora, & rem conſpirantibus animis promovere. Venit tandem dies ille optatiſſimus, qui Ducem Eboracenſem votorum compotem effecit. Stabilita decreto regio, actiſque publicis libertas illa, quæ Catholicam Fidem, ſi non penitus eximeret ſervitute, aliqua ſaltem fortunæ melioris expectatione conſolabatur.

Verùm heu! parum providas, parum tenaces recti mentes hominum! Cogitur poſtmodum Carolus refigere quod ſanciverat; & permiſſam tanto apparatu veræ Fidei palam profitendæ licentiam revocare. Quanto mœrore tuo, Jacobe, quanto rerum tuarum diſpendio! Tu, quem impertitæ paulò ante libertatis auctorem ſtudioſiſſimum noverant, quicumque Catholicum nomen odiſſent. Quàm jugis hic fuit, quàm fatalis fons & origo turbarum! Senſiſti periculum, nec doluiſti tamen, nec te facti pœnituit; paratum ultro quamlibet jacturam pati, dum Religionem ſervares.

Senſit & Carolus, Auditores, quem iniqua temporum neceſſitas invitum ac repugnantem huc adegerat, &. commotus periculo Fratris, quem unicè diligebat: tentavit omni ope ac ſtudio, creſcentem in dies metuendæ factionis invidiam avertere. Vicit tamen illa Regis prudentiam ac ſtudium, quia Jacobi conſtantia atque Religio vinci non potuit. Nam ut viderunt hæreticarum partium fautores, eò demum recidiſſe rem, ut ad Principem Catholicum univerſus Angliæ Principatus, legitimo ſucceſſionis jure, brevi perveniret; quas non, Deus immortalis! adhibuerunt artes & machinas, ut tam fatalem errori plagam declinarent! Parum fuit quòd ſancita olim per ſummum nefas renovarent decreta, quibus Catholici aut excludebantur omni Magiſtratu, aut veram abjicere Religionem cogebantur: quoniam tam iniquis legibus non

non tenerentur Regii Sanguinis Principes; inſtituere placuit, renitente ac repugnante Carolo, novum impii Sacramenti genus ab omnibus, quicumque munus aliquod exercerent, exigendum.

His petebatur inſidiis Jacobus, penes quem eſſe rerum adminiſtrationem omnium tanto Britanniæ commodo Carolus voluerat. Etenim maris præfectura fungebatur; præerat Imperator terreſtribus navalibuſque copiis; primariam in Britannia quinque Portuum provinciam exercebat publici Conſilii caput, moderator & arbiter. Exhorruit totus vel ad ipſum infandi ſacramenti nomen Princeps Religioſiſſimus, & ne pollutus eo poſſet videri, omnem ultro volenſque Principatum palam abdicavit.

Laudentur enimverò veteres illi Chriſtiani nominis defenſores, qui partam rebus bellicis gloriam, & cuncta victoriarum inſignia lubenter ponerent, quibus, niſi ejuraro Chriſti nomine, frui non liceret! An non majus aliquid noſtris temporibus orbi Catholico Jacobus exhibuit? Nam qui Epiſcopales in Anglia vocantur, Secta his temporibus omnium potentiſſima, & Regiæ Majeſtati, ac Familiæ præ cæteris addicta, hoc unum Eboracenſem Ducem precabantur, ut diſſimularet tantiſper Religionem, quam amplexus fuerat, donec factionum æſtus deferveſceret: daret hoc Fratri Carolo amoris pariter & obſequii pignus, ut ipſum honoris gratia Proteſtantium in fana comitaretur: in eo rerum ſtatu eſſe id fictionis genus ejuſmodi, quod Religio Catholica facilè condonaret: quod ſi exoraſſent ſemel ab eo, devovebant ſe totos Jacobi commodis, & vel vitæ periculo certam ipſi ad imperium viam aſſerebant.

Hic verò Jacobus, *Tamen non faciam*, inquit, *neque hoc pretio vel publica illa munera, quibus jam exſpolior, vel triplicis Coronæ, quod me contingit, decus bene redemptum putem!* Veritus nimirum cum priſco illo Judaicarum legum vindice Eleazaro, ne, ſi Religionis in cauſa ſinceritati defuiſſet, vel calumniam ipſi Religioni, vel Religionis cultoribus offenſionem pareret.

Quanquam, ſtetiſſet hic utinam factionis hæreticæ vis ac furor! Ecce oppugnatur fides & obſequium Religioſi Principis, & metuendæ Regis ipſius in vitam conjurationis, quæ ſeritur à Catholicis conflata, tanquam auctor accuſatur.

Itane verò tam futile, tam impudens, tam incredibile calumniæ genus inveniat fidem! Invenit tamen, Auditores, aut inveniſſe ſaltem viſum eſt. Et tu, Carole, qui Fratris animum unus omnium optimè noveras; quem probaras toties tam obſequentem, tam cupidum tui, tam amantem, etiam hoc credes? Abſit hæc labes à Caroli memoria, Auditores! doleamus potius Principis infortunati vicem, cui in tanta temporum calamitate, unus hic ſervandi Fratris modus relinquitur, ſi non omnem derogaſſe calumniæ fidem videatur, & in Flandriam jubeat Fratrem exulare. Exulabit quidem Jacobus, Auditores, at poſtquam confutata calumnia, & ſua in Regem ac Fratrem palam approbata fide, unius Religionis ſervatæ reus cenſeri poſſit.

Tamen heu! dum abis, ſinceri gregis Paſtor ac Patronus, interim deſertas in oves immanis luporum furor deſævit, tanto acriùs, quanto ægriùs tibi ferat ignoſci; manat undique ſanguis innoxius, & cruenta paſſim cædes exoritur. Quanquam, ne doleas; quandoquidem innocentes illæ victi-

mæ

mæ non dolent; felices imò, dum tibi Religionis vindici, dum Religioni ipſi viriliter oppetunt. Tuque, ò Societas Jeſu, funeſtiſſimæ illius tragœdiæ pars non minima, gratulare tibi! Sors hæc tua eſt, ut quacumque terrarum in parte Catholicum in nomen bellum inſurgat, prima Religioni victima ſemper occumbas.

Verùm, Auditores, qui lætus ac triumphans, ubi Religionis cauſa poſceret, è Britannia deceſſerat, non timuit, vel capitis diſcrimine, regredi illuc etiam non revocatus, cùm eadem Religio poſtulavit. Gravem in morbum Rex Carolus inciderat: adfuit ex improviſo periclitanti Fratri Jacobus, ut, quem noverat Catholicæ Religionis cupidum & amantem in ſinu, publicum ab eodem cultum exoraret. Nec fruſtra, recreatus Fratris præſentia, qui ſe moriturum crederet, Rex Frater, & de Hæreſi deponenda ſeriò admonitus, repellere primùm magno omnium ſtupore hæreticos Epiſcopos, qui ultima Lutheranæ ſectæ Sacramenta moribundo impertituri venerant. Mox cùm accerſendum quantocyus Catholicum Sacerdotem Jacobus adjeciſſet, non abnuere quidem Carolus, ſed converſus ad Fratrem, & ambabus eum aſtringens ulnis, *Heu! mi Frater*, inquit, *quantam tuum in caput Sacerdos ille procellam excitabit!* Hic effuſus in lachrymas Jacobus, quas amor, quas Religio & mixtum utrinque gaudium eliciebat: *Eſto ſecurus mei*, ſubjecit. *Felix ego: mi Frater, id ſi totius effuſione ſanguinis præſtare tibi officium poſſim*. Convaluit demum ex ea ægritudine Carolus; ac ſi, converſis deinceps in meliora ſtudiis, Catholicæ Religionis in gremio mortuus eſt, tam expetitam bonis omnibus mutationem piæ Jacobi ſollicitudini gratulemur.

At quò feliciùs Religioni Jacobus adlaborat, eo graviùs aſperare eorum animos, qui nihil tam metuerent, quam Catholici Principis imperium experiri. Ergo inflammari novus in eum furor, nova invaleſcere conjuratio, cujus vim eludere demuo niſi ſalubri fuga non poſſit. Gratias tibi, Deus immortalis! qui Jacobum in Scotiam deduxeris, unde quietem toti Imperio, atque tranquillitatem acceſſeret. Illic enim placatos magis & ſibi devotos obſequium in omne nactus animos habuit, unde pernicioſis malevolorum conſiliis mederetur. Mox partim abſumptis vario temporum fato metuendæ conjurationis principibus, partim repreſſâ legum ac Regis auctoritate, rebellium pertinacia, ita converſa tandem in Jacobum ſtudia ſunt, ut, quam ſenſerat apud Scotos, benevolentiam populorum, eandem Londini pariter experiretur.

Igitur dum nihil de ſuo in Religionem ſtudio remittit Jacobus; dum ejuſdem commodis ac gloriæ totus inſervit; dum tuendi Catholici nominis cauſâ, nullo vel amittendi Regni, vel ſubeundæ mortis periculo deterretur; ita viſa eſt Religio viciſſim parem Jacobo referre gratiam, ſedare turbas ac ſeditionum tumultus compeſcere; denique ſic in omnium animis priſtinam Eboracenſis Ducis admirationem, & ſopitum amorem ſuſcitare; ut mortuo non ita multo poſt Carolo, conſpirantibus populorum votis, Britannicum imperium capeſſeret. Nunc imperio potitus, quàm nihil metuerit, ut eandem in Anglia Religionem promoveret, altera Orationis parte videamus.

Quantis & quàm variis hominum animi obnoxii ſint motibus, ubi ſemel, vel obſequii vel Religionis jugum excuſſere, turbulenta Britanniæ tem- II. Pars.

tempora, de quibus huc uſque diximus, Auditores, ſatis demonſtrarunt. Ac niſi ſuperior quædam & humanis viribus atque conſiliis vis major tot inſanis tumultibus compeſcendis ipſa præfuiſſet, in tanta rerum perturbatione, quæ pars quietis aut tranquillitatis ulla potuiſſet expectari?

Cùm incenſi pertinacibus odiis, æmulationis Religioniſque ſtimulis incitati, Eboracenſis Ducis in perniciem omnium animi furerent; cùm ſolemnibus tot decretis univerſi pœne ordines ad excidendum legitimæ jus ſucceſſionis conjuraſſent; quis ſibi perſuaſiſſet, tam repentinam, tam inauditam fore populorum converſionem, ut eundem non ita multo poſt conſpirantibus votis ſolio eveherent, &, quàm fuiſſent olim ad nocendum projecti, tam propenſi ad obſequendum videri vellent?

Retexamus diligentiùs temporum iſtorum memoriam, Auditores, & quàm felicibus auſpiciis Jacobus II. inierit Regni primordia, recolamus. Erit hoc ſaltem leve ſubſecutæ mox calamitatis ſolatium; &, quàm immeritò optimum ea Principem afflixerit, vel ad ipſos auctores mali licebit provocare.

En offert ſe mihi recenti plena gaudio Britannia, & obviam novo Regi gratulabunda procedit. Audio feſtos undique Populorum plauſus, & lætas tergemini Imperii acclamationes; quas non tam dedit officii ratio, quàm ſubitus veri amoris impetus elicuit. Video concurrentes invicem Imperii totius ordines, & ſuum decretis ſolemnibus obſequium, fidem, ſtudia, benevolentiam teſtantes. Ipſe Senatus ille, tam infenſus non ita pridem Eboracenſi Duci, tam pertinax odiorum, tam juratus deſignati Principis in ruinam, ſua ſponte reſcindit acta, leges abolet, nec contentus modò vetera Regum jura ſancire denuo Jacobi in gratiam, nova etiam ſubſidia, florentes media in Pace exercitus, & ſummam rerum omnium poteſtatem impertit,

Quibus in rebelles animis, ſi quæ ſuperſunt adhuc veterum factionum reliquiæ, deſæviunt! Deficit ab obſequio Comes Argillæus, & inquietæ mentis impotens ſeditioſa movet in Jacobum arma? Agitur illico proditæ Majeſtatis reus, & à Dunbartone, quem nulla unquam fortunæ calamitas, vel à Deo, vel à Rege ſuo ſejunxit, victus, fugatus & captus, dignas rebellionis pœnas capite perſolvit. Excluſus Regno, cui dudum inhiarat perperam, Dux Monumetenſis, & obſequendi impatiens rebellionis vexillum erigit; proſcribitur pariter, & nulla regii Sanguinis, quo ſe indignum exhibuerat, habita ratione, eodem ſupplicio afficitur. Extinctis ſeditionis ducibus, alta pax, quies ubique, ſumma tranquillitas.

Le Comte d' Argil.

Le Duc de Monmoth.

Ad hanc, qua Jacobus ſecuro fruebatur in otio, populorum ſuorum benevolentiam accedebant honorifica de eodem gentium exterarum judicia, & conſtans apud omnes opinio altæ cujuſdam invictæque mentis, quam nulla rerum temporumque varietas inflexerat. Hunc Galli viderant, & prima initæ ab ipſo militiæ rudimenta ſuſpexerant; ſenſerant Batavi fulminantem, comitem laborum ac ſocium Hiſpani extulerant; Belgæ ſtupuerant exulem, atque inter iniquæ ſortis ludibria conſtantem & erectum. Denique hanc apud omnes nominis ſui famam Jacobus excitarat; ut regnantem jam nemo amicum non ambiret; nemo experiri vellet hoſtem, Europa tota controverſiarum Judicem atque arbitrum expeteret.

Fe-

Felicia ſanè tempora, Auditores, & certa diuturni, fortunatique Principatus auguria, niſi Jacobus de ſua ſalute vel gloria minùs, quàm de Religionis ſecuritate aut etiam incremento ſollicitus extitiſſet!

Non expectavit ad hæc uſque tempora, ut, quo eſſet Catholicam in Religionem animo, apud omnes teſtaretur: neque tam felix dominationis initium diſſimulationis ullius fructus fuit. Senſit Anglia tota, quàm cupidè ambierit videri ſtatim qualis eſſet: tuliſſet ægrè Regem ſe priùs, quàm Catholicum profiteri.

Hactenus domeſticos intra parietes pietati ſuæ morem gerere Jacobus ſatis habuerat, ubi capeſſivit imperium, palam & omnium in oculis divinis rebus aſſiſtit. Caſtra metari placet ad Londinum, & umbratili palæſtra copias exercere, mediis in caſtris jubente Rege erigitur ædicula, & per dies ſingulos auguſtum in ea Miſſæ Sacrificium ſæpius iteratur. Vivebant latebris abditi quotquot in Britannia Catholicam fidem colerent, & ſacra celebrare myſteria cryptas inter & receſſus ſubterraneos cogebantur; ſecuritatem attulit pia Regis ſollicitudo, neque ullam in Regno toto voluit eſſe partem, quæ conſecrata Religioni veræ Sacella non haberet. Atque hæc fiebant cuncta Hæreticorum in conſpectu.

Quid jam memorem, ut Londini ſolitam renovari quotannis Romanæ ſedis in odium impiam conſuetudinem ſuſtulerit: ut per Oratorem ſuum debitam Pontifici Maximo fidem & obſequium devoverit: ut ipſe Legatum ejuſdem Pontificis intra regiæ urbis mœnia ſolemni exceperit apparatu, & in eo Chriſti Vicarium venerabundus agnoverit? Tum enimverò reſpirare primùm Religio viſa eſt, & ad inſolitam obſoletæ jam diù pompæ celebritatem, melioris deinceps conditionis expectationem apud ſe ſuſcitare.

Quanquam neque hæc ipſa, quæ Religioni tam fauſta videbantur, Regni primordia, Jacobo placebant ſatis, niſi perpetuitatem adderet, & gementem adhuc ſub iniqua ſervitute Religionem ſolatio ſaltem aliquo recrearet. Quippe vigebat ſemper nefandi illius Sacramenti vis & auctoritas, quæ Catholicos ab omni magiſtratu prorſus arceret, nec liberam profitendæ, quam colerent, Religionis facultatem pateretur. Hoc erat abolendum ante omnia Religionis probrum ac dedecus, hæc eluenda labes; abrumpendi fatales illi nexus, qui captivam retinebant.

Hoc vidit pro ſua ſapientia Princeps religioſiſſimus; at neque difficultatem operis, neque periculi magnitudinem, ſi tentaretur, non vidit. Meminerat, ut nuper aggreſſus idem Carolus refigere poſtmodum, quod perfecerat, coactus fuiſſet: noverat Anglorum indolem, & periculo didicerat ſuo, ut amans illa novitatis, ut à benevolentia ſtatim ad odium, ab obſequio ad rebellionem, ab amore pacis, ad turbas ſeditioneſque properatet: intelligebat nondum ſic extinctas rebellionum faces, ut metuendum non eſſet, ne inflammarentur denuo, ſi quo Religionis obtentu prætexere defectionem poſſent. Tamen non revocatur his terroribus, nec à promovendis Catholicæ fidei rebus religioſiſſimus Princeps abſiſtit.

Faceſſant reconditioris politicæ ſectatores; aut qui rerum cauſas eventu ſolo metientes Jacobum accuſarunt, quaſi intempeſtivo Religionis ſtudio perturbaſſet Angliæ tranquillitatem, & res ſuas in extremum diſcrimen adduxiſſet ſuæ ipſius calamitatis auctor & artifex. Nam quid

quid egit Auditores, quod facere Catholicum Principem non decebat? quid molitus eſt non ſapienter & regiæ auctoritati non conſentaneum? quid ſuſcepit tempore non ſuo? Scio equidem, quot texere fabulas, quàm iniquos diſſipare rumores, quàm inanes inferre calumnias non erubuerint, aut expertes Religionis Politici, aut pertinaces hæreticæ pravitatis cultores. Verùm exuamus hic præjudicatas opiniones; afferamus æquos ad rem cognoſcendam animos; &, quoniam difficili ac lubrico verſamur in loco, qui viros, nec illos omnino improvidos fallere atque in errorem inducere potuit, immoremur in eo tantiſper, Auditores, & ad ſeverius examen ſingula quæque revocemus.

Nihil licebit Regi Catholico facere, ut Religioni ſuæ, vel ſecuritatem præſtet, vel conciliet gloriam, vel incrementum procuret? Licuerit impune cæteris Angliæ Regibus, quicumque poſt Henrici VIII. tempora imperium tenuerunt, varias tueri Hæreſum Sectas, quas adamarant, eaſdem ornare privilegiis, cumulare immunitatibus, certo adverſus rerum mutationes ſubſidio eaſdem præmunire? Una Religio vera, contempta, afflicta, ſervituti turpiſſimæ mancipata, nullum in Principe ſtudioſiſſimo ſui cultore præſidium, nullam defenſionem inveniet? Proh! ſancta pietas, huccine recidiſſes calamitatis, ut deterior tua, quàm Erroris conditio foret? ut quod contra te hæretici Principes moliri non dubitant, idem tui in gratiam Catholici Reges aggredi prohibeantur.

Quid ſi Religionis commoda, tam conjuncta neceſſariò cum auctoritate regia viderentur, ut non poſſet deſeri Religionis cauſa, quin contempta Majeſtas jaceret. Abolendum cenſet Princeps ſuæ voluntatis arbiter ſacramentum impium, quod nuper, quod tumultuoſo in conventu, quod reclamante ſemper Caroli Regis auctoritate ſancitum fuerat. Refigere ſtatuit decretas in eos pœnas, qui illud non ederent. Placet gaudere Catholicos eadem profitendi pii cultus licentia, qua cæteri errorum quorumcumque cultores impunè fruerentur? Erat eorum aliquid, quod Regum Angliæ jus excederet? quod ad tuendam Principis auctoritatem non pertineret? quod, ſi negligeretur, Majeſtatem ipſam in probrum ac dedecus non adduceret? Dicant illi, & de conceſſa Regibus Angliæ poteſtate judicium ferant, qui cuncta pro arbitrio moderantem hodie patiuntur; qui ſanctiſſima Imperii Britannici fundamenta convelli tam obſequenter ferunt; qui legitimum ſucceſſionis ordinem perturbari ac labefactari, tam æquis animis intuentur.

Agnovit ſanctius Conſilium de rebus ad Regnum pertinentibus, cùm Edimburgi, tum Londini conſtitutum plena æquitate Jacobi II. decreta, juſque Regium palam ac ſolemniter confirmavit. Acce ſit nemini Anglo inficianda confeſſus illius auctoritas, qui de poteſtate, quam habent Reges ad abrogandas pœnas, cognoſcit. Parum etiam illud eſt; ne quis ultra ſcrupulus, ne qua ſuperſit offenſionis occaſio, defertur, jubente Rege, tota controverſia ad Cognitores Angliæ duodecim, quorum eſt Regem inter & populum decretoriam ferre de legibus ſententiam; ac licet contrarias penitus Religioni Principis, quotquot erant illi, partes, ſequerentur; tamen vel in propria cauſa ſinuntur eſſe Judices: diſceptatur utrinque jus ea cum diligentia & attentione, quam res momenti hujus ac ponderis

po-

poſtulabat; & unanimi tandem omnium ſuffragio cauſam Rex obtinet. Rogo vos, Auditores, quid hic actum temerè, quid ſine maturo prudentique conſilio, quid alienum ab æquiſſimis juſtæ moderationis legibus ſuſceptum eſt?

At alieno tempore Religionis ſecuritati ac gloriæ Jacobus adlaboravit: maturavit citiùs, quàm par fuiſſet, ſtudium illud, quo flagrabat: debuiſſet expectare molliores aditus, & opportuna magis rei perficiendæ tempora præſtolari. Ecquod ergo potuit eſſe tempus idoneum magis ac commodum? quæ opportunior occaſio? quis rerum ſtatus optabilior fuit quàm ille, cùm ferventibus totius Britanniæ votis, Regni habenas capeſſiviſſet? cùm recentibus victoriis ac triumphis, populorum oculos pariter atque animos raperet in admirationem & amorem ſui? cùm devotiſſimum in iis omnibus quæ vellet, aut cuperet, obſequium experiretur? cùm multis etiam in rebus, quas tentatat Religionis in gratiam, gratulationes omnium Ordinum ac plauſus excepiſſet; cùm altiſſima domi foriſque pace frueretur? cum Catholicos totius Europæ Principes nactus eſſet admiratores rerum ſuarum, cupidos omnes & amantes ſui, eoſdemque polliceri ſibi meritò poſſet ſuorum in Religionis cauſa conſiliorum adjutores? Quæ demum feliciora Jacobo videri poterant ad promovendam Religionem incitamenta, quàm illa, quibus ſingulari divinæ Providentiæ beneficio, natus parenti regia in domo filius, tanto gratior, quanto minùs expectatus; quem non tam heredem fore Regnorum ſuorum, quàm ſuæ in Religionem pietatis imitatorem ſedulum, & rerum à ſe geſtarum acerrimum vindicem, ac defenſorem gratularetur?

Dicam ego quod ſentio, & quod nemo veſtrum inficiabitur; ſi Jacobus cupidus magis ſalutis ſuæ, quàm Religionis viſus fuiſſet; ſi ſervire ambitioni, quàm Deo maluiſſet; ſi in tanta rei bene gerendæ facultate, difficilioris temporis obtentu, Pietatis afflictæ partes tueri diſtuliſſet; loquamur apertiùs, Auditores, ſi nulli addictus Religioni, fautor omnium ambiguus varia errorum monſtra, quæ gentem unam tot in ſectas dividunt, ſolers ac blandus adulator coluiſſet; qui Jacobum olim incuſarunt, & ipſius etiam hodie memoriam vellicant; iidem illi eximiam tanti Principis providentiam, ſagacitatem incredibilem, impervîam humanæ menti politicæ artis ſcientiam extuliſſent. At quoniam propria ſalute contempta cuſtodem ſe Religionis rigidumque propugnatorem exhibuit, vix ignoſcitur; ac, ſi creditur quibuſdam, ſua meritus fata debuit videri. Tamen quid aliud objici Jacobo, quid aliud criminis loco imputari poſſit?

Hoc erat ergo, Deus immortalis, cur Religionis veræ, ac juſtæ dominationis oſores ſeditioſos ubique ſermones, querelas, obtrectationes ſererent; ſollicitarent populorum fidem, ſpes foverent malevolorum hominum, injurioſas apud exteros Principes calumnias diſpergerent? Hoc erat cur clandeſtina conſilia, dolos, inſidias, proditiones machinarentur? evocarent in ſubſidium oppreſſæ Religionis ac libertatis, vim & arma ambitioſi Principis? in regnum, in libertatem, in vitam Regis optimi conjurarent? Hoc erat ergo, cur ſubditi legitimum in Principem, domeſtici in dominum beneficentiſſimum, Liberi in parentem, Gener in Socerum, Catholici Principes in aſſertorem ac vindicem Catholicæ Religionis, apertis juratiſ-

que

que odiis commoverentur, & inſurgerent?

Sinite me, Auditores, prætierite ſilentio iſtam temporum perturbationem, cùm deſertus à ſuis, proditus, ejuratus, pulſus, ejectus, etiam non illæſus hoc gratiæ loco Jacobus cogeretur opponere, quod furtim & per latebras cum deſolata familia, Regia Conjuge, & quinquemeſtri puero perfugium quæreret.

Hic apparatus, hæc pompa, hoc triumphi genus vindici aſſertorique Religionis debebatur? Quamquam ne ſcrutemur altiùs divina conſilia; veneremur Dei potiùs omnipotentis manum, ſeu parcat, ſeu plectat, ex æquo bonam. Doceat exemplo Jacobus, quàm placidum, quàm docile, quàm devotum rebus in miſeris ſupremæ voluntati afferre obſequium oporteat.

Tu ſcis enimverò, cordium inſpector ò Deus, num ulla mutatæ fortis calamitas conſtantem tibique addictum uni fortiſſimi Principis animum inflexerit: num queſtus unquam ſit graviùs, num ſuorum fidem incuſarit, num damnarit hoſtem duriùs; imò num conſtantes & aſſiduas tibi pro ipſo per reliquum vitæ tempus preces non obtulerit: num ullam aut offenſionis, aut iracundiæ, aut ægritudinis notam oſtenderit; num pœnituerit ipſum defenſæ pro virili parte Religionis, aut redemptam bene, triplicis coronæ jactura, quam navarat ipſi operam, non putarit?

Ibat fatis major, & erecto reflantem contra fortunam vultu, ibat veterem ad hoſpitem, conſtantem ad amicum, unum Europa tota Religionis vindicem & afflictæ defenſorem Majeſtatis Ludovicum. O qui complexus, & quàm ſincero mixta luctu ſolatia! Communes curæ, ſollicitudo par, eadem utrinque ſtudia prodibant, quoniam idem utrumque Religionis amor incendebat. Mirabatur in Jacobo Ludovicus eximium oppreſſæ pietatis propugnatorem; Jacobus in Ludovico magnum rerum, quas feciſſet ipſe; auctorem agnoſcebat. Ejectum, exulem, afflictum Religionis ſtudio Ludovicus venerabatur: victorem & de errore triumphantem Jacobus ſuſpiciebat. Suas ultro palmas ac laureas Ludovicus cum Jacobo diſpertiiſſet; ſua contentus ſorte Jacobus rerum geſtarum gloriam Ludovico non invidebat. O pietas, ò amor, ò felix contentio, qua par in vincente laus, par in victo triumphus videri poſſit! Sed ad tertium glorioſæ vitæ caput properemus, &, quàm ultro Jacobus contempſerit, quæ recuperare fortiter eſt aggreſſus, ultima Orationis parte videamur.

Si Regni adminiſtrandi ſolutus onere, vitæ ad arbitrium componendæ facultatem Jacobus habuiſſet, fortè rerum humanarum expertus faſtidia, & cœleſtium amore captus, tam ſponte melioris fortunæ expectationem deſpexiſſet, quàm fortiter adverſantis injurias perferebat. At meminerat natum ſe Regem, & ad tuenda natalium jura obligari; accedebat Religionis veræ charitas, pro qua tuenda pulſus è patria & ejectus exularet: dolebat eſſe illam ſine tutore ac vindice: urgebat etiam ſtimulabatque generoſum optimi Principis animum ſua Britannia, quamquam debitæ fidei immemor; non poterat tot malorum conſcius, quæ legitimo Principe viduata pateretur, ipſius calamitate non commoveri. III. Pars.

Hinc perpetua ſtare veluti in ſpecula, & rei bene gerendæ occaſionem præſtolari: hinc erectus ad omnes auras, attentus ad omnes rumuſculos nulli unquam rei deeſſe, quæ favere conſiliis poſſet. Paratur à Ludo-

dovico claſſis florentiſſimo inſtructa comitatu, quæ navales Bataviæ & Angliæ copias ſimul oppugnet; advolat Jacobus: verùm redire cogitur infecta re: redit; hoc incuſans unum, quòd præſentia ſua individuam Gallicæ virtutis comitem victoriam avertiſſet.

Audit non ita multo poſt partem Britannici imperii non ultimam perſtitiſſe in obſequio, & pro legitimæ poteſtatis defenſione cepiſſe arma: adeſſe facti Principem Tirconellum, virum, de quo meritò dubites, an ſua in Religionem pietate, an conſtanti in Regem fide ſit illuſtrior: quid Jacobum properantem ad ſuos retardavit? non hyemis incommoda, non difficultas viarum, non locorum intercapedo, non incertus rei eventus detinuerunt.

Duc de Barvic. Illuc cùm acceſſiſſet fideli periculorum comite ac ſocio Barwico Duce, (quem non tam regii ſanguinis ſplendor, quàm invictum animi robur & ſingularis quidam Regis amor ac reverentia commendant) quid omiſiſſe viſus, quod potuerit pertentare? quod fuit periculi genus cujus ſubire aleam pertimuerit? hoc uno culpandus, ſi liceret, quòd prodigus ſalutis præter modum regio capiti non ſatis conſuleret. Qua pugnæ vis æſtuſque fervebat acrior, hac ruebat imperterritus; per infeſta periculis, proditionibus, inſidiis loca diſcriminis ipſe conſcius diſcurrebat: nulla victus rerum adverſitate avidum uſque pugnandi animum præ ſe ferebat. Atque hìc peramanter monenti cuipiam, ſibi ipſe ut parceret, & ad meliora tempora, tam charum caput reſervaret, aurea illa voce ſilentium impoſuit: *Felicem me*, inquit, *ſi vel ipſo vitæ periculo tam fidelibus amicis incolumem patriam reſtituerem*! Ubi verò cedendum eſſet temporibus, neque ſpes ulla promovendæ ulteriùs rei, quam ſuſceperat, relinqueretur; tum ita reditus ſui conſolabatur acerbitatem, ut ad tentandum rurſus intercepti operis periculum alacrior accederet.

Revocate animis, Auditores, cùm interjecto paucorum annorum ſpatio, certi, ut ajebant, ex Anglia rumores retuliſſent, ita comparatos eſſe multorum animos, ut, ſi Rex præſentem ſe ſiſteret, revocaret populos ad obſequium; an retardari viſus eſt priorum temporum adverſitate? Continuò adornari claſſis, exercitus comparari, ipſe fiducia plenus concubia nocte proficiſci. Nos interim proſequi votis abeuntem, extollere palam magnanimitatem invicti Principis, frequentare templa, donis aras cumulare, & lætum incœpti feliciter operis exitum expectare.

Aliter viſum tibi eſt, ò Deus! rurſum intercidere placuit Jacobi conſilia, &, quem ad præſtantioris cujuſdam imperii decus vocabas, hunc quidquid terrenum eſt ac fragile ſpernere voluiſti. Senſit Jacobus intercludi deinceps Regni recipiendi vias: obfirmari magis ac magis rebellium pertinaciam: languere in Catholicis Principibus præpeditum privatis contentionibus Religionis ſtudium: totum belli pondus unum in Ludovicum incumbere, quòd oppreſſæ Religionis & afflictæ Majeſtatis tutor ac vindex exiſteret. Igitur cùm obſtrui ab Anglia omnes omnino aditus, cùm ſpem præſidii in Catholicis Principibus nullam cerneret; cùm ipſe prægravare ultra Ludovicum vereretur, qui hoſpitium hactenus, inviolatam fidem, opes, paratas ſemper, cùm res ferret, copias ſuffecerat; in iis rerum anguſtiis fecit Rex ſapientiſſimus, quod prudentia, quod amor, quod Religio ſuggerebant; & ſolutum ſe ratus ea moleſtia, quam reſtituendæ fortunæ, cura pepererat huc uſque, ſolam

hanc

Digitized by Google

hanc habere deinde, ut repreſſa recuperandæ antiquæ ſortis cupiditate, una beatus Religione viveret.

Dediſcite jam ergo, per me licet, quod ipſe dediſcere voluit, ſpes fluxas ac caducas, quas meliora ſuſcitare tempora potuiſſent. Tamen an erit obliviſcendus ſuo in otio Jacobus? Eſto ſpes amputatæ fuerint antiquæ ſortis; at melioris cujuſdam fati certam Deus expectationem faciebat. Non habuerit ultra triumphandi in terris facultatem, & currentem ultro ad victoriæ gloriam Deus repreſſerit; at nobilior ipſum manebat de vitiis & erroribus triumphus. Nulli ſuperfuerint hoſtes, quos aggredi, quos debellare poſſet; at erant amici quos aut confirmaret in Religione, aut eidem manciparet. Atque hic fuit reliquo vitæ tempore Jacobi labor unicus: in quo tam feliciter proceſſit, ut novo Religionis ſtudio quotidie ſuccenderetur magis ac magis; nihilque ſub vitæ finem Religionem præter, aut ea, quæ ad ipſam pertinerent, videretur æſtimare.

Extollebat quidam coram ipſo rerum illarum magnitudinem, quarum ultro jacturam Religionis cauſa fecerat: *Imò*, ſubjecit Princeps Religioſiſſimus, *dic me feciſſe lucrum ingens, qui triplicis Regni pretio, ſervire, ut par eſt, Deo didicerim.*

Id verò quod jam ſum dicturus vereor, Auditores, ut obtineat fidem, tam purum defæcatumque utilitate propria Religionis amorem præ ſe fert, tam ſingularem rerum humanarum contemptum. Cùm dolerent Regis in præſentia quidam è familiaribus miſeram in Anglia ſub novo principatu Religionis conditionem; hic ſuſpirans graviter Jacobus; *Hoc ipſum eſt*, inquit, *Amici, quod me gravat: nam ſi, ita providente Deo, futurum certò intellexiſſem, ut ille, rerum qui potitur, plus ad Religionis gloriam, quàm feciſſem ego, profuiſſet, ceſſiſſem ipſe ſolio, & meliori moderandas regni habenas permiſiſſem.*

Quam eximium & illud fuit ſui in Religionem ſtudii teſtimonium, cùm affixus lecto, & amiſſo pœne vocis uſu ſubeuntem ſummi Pontificis Nuncium aſpexit: tunc enim reſumptis quaſi viribus & novo afflatus robore; *Te te*, inquit, *lubenter aſpicio, teſtem futurum, quàm ſincerus ego Catholicæ Romanæque fidei cultor emoriar.*

Ex illo tam ferventi Religionis ſtudio prodibat plus ille cultus & ſingularis reverentia, quam ſacris myſteriis afferre conſueverat. Egregium enimverò non hominibus modò, ſed Superis ipſique Deo immortali ſpectaculum, cùm profuſus in genua Rex pius, compoſitis ad modeſtiam oculis, fundente ſe etiam in vultus & ora divinæ charitatis igne, verendis præſens myſteriis aſſiſteret.

Hinc ardens illud orationis ſtudium, & incredibilis quidam ſeceſſus ac ſolitudinis amor, quo fiebat, nunquam ut lætior & alacrior videretur, quàm cùm dies ſolidos ſacris in precibus, aut rerum æternarum contemplatione traduxiſſet. Hinc crebri frequenteſque, quos etiam cum Aulicis conferebat, de rebus ad pietatem Religionemque pertinentibus ſermones: hinc ſatietas, faſtidium, deſpicientia rerum cæterarum.

Cùm referrentur ad eum, uti fit, luctuoſis bellorum temporibus, Regnorum perturbationes, æſtus populorum; cùm jactarentur felices armorum eventus; *Itane verò tam cupidos in frivolis*, exclamabat, *tam alacres eſſe mortales! felicem me, quem Deus hæc omnia deſpicere erudierit!*

Magna ſunt iſta, Auditores; ac, ſi quis

ſi quis vividum illum generoſæ mentis ardorem, quo Jacobus in omni vitæ parte ad magna quæque exarſerat, conferre voluerit cum illa animi tranquillitate & rerum omnium contemptu, quem idem extremo vitæ tempore præ ſe ferret; is intelligat, non hæc ab eo facta fuiſſe deſperatione rerum ſuarum, aut ſtupore; ſed patientia & æquiſſima, quam, docente Deo, facere didicerat, rerum humanarum æſtimatione.

Quanquam nec ille vividæ mentis ardor iners in Jacobo vel otioſus elanguit: ſed ad meliora converſus eò erumpebat maximè, ut in Aulicis Religionis ſtudium amoremque probitatis aut induceret, aut inductum jam tueretur ac promoveret.

Excipite morientis vocem, & de incredibili, quo flagrabat, Religionis promovendæ ſtudio judicate. Le Duc de Perth. Aderat paucis ante Regis obitum diebus frequens Aulicorum corona; cùm Pertenſem Ducem jubet accerſiri. Dubitavit nemo, cùm evocaretur junioris Principis moderator (Vir tanto dignior eo munere, quo politioris ingenii gloria ſtudiiſque amœnioribus clarior eſt, & gravioribus in rebus ejuſdem exercitata probitas, conſtans fides & ſincerus amor Religionis) dubitavit, inquam, nemo, quin parens optimus præcipere vellet quidpiam, quod ad filii inſtitutionem pertineret. Imò, *Rurſum admone quem noſti*, dixit (nobilem Anglum indicans, quem inanis quædam honoris ratio ab amplectenda Catholica fide jam diù retinebat) *rurſum admone: non patere Cœlum ambitioni ſed humilitati Chriſtianæ.*

Quàm providus idem ac ſedulus, ut in domeſticis pietatem aleret, probitatem tueretur, virtutis amorem inſpiraret! Extant adhuc, & ad perennem religioſiſſimi Principis memoriam conſervabuntur exarata propria ipſius manu quotidianæ vitæ cultuſque pii documenta pariter atque inſtitutura, quorum accuratam per ſe ipſum rationem ab iis exigeret, quos ad comitatum admittebat.

Quanto etiam cupidiùs idem illud Religionis ſtudium, illum pietatis amorem tenerrimum ambiebat in familia ſua promoveri! Felix quem Deus ſaltem hac parte votorum omnium compotem effecerit!

Marie d'Eſt. Nactus in Maria Ateſtina, ſponſam ſponſo ſimillimam, quàm dulce hinc hauſit in toto calamitoſo vitæ curſu ſolatium! Iiſdem, quibus Jacobus & ipſa ſtimulis incenſa, dum ille Religionis in gratiam tam multa viriliter præſtaret, ipſa, inquam, ferventiſſimas inter preces opem de Cœlo præſidiumque accerſebat. Ille ſubibat ultro diſcriminis cujuſcumque fortunam, Religioni dum prodeſſet; ipſa dignitatis minùs ſollicita, quàm Religionis, alterum votis omnibus aſſequi voluiſſet, alterum perdere non metuebat. Ille, cuncta cùm amitteret, beatum ſe reputabat, qui ſervaſſet ſibi Religionem: ipſa beatam ſe multo magis credere, quæ ſponſum cum Religione retinebat.

Vidiſſes coactam regnis cedere, ſuo profugam in ſolo, exulem, odiis, furoribus perduellium civium obnoxiam, uni timentem puero, quem geſtabat in ſinu, non ingemiſcere muliebriter, non perfundi lachrymis, non queri ſortis acerbitatem; ſed ſui compotem uſque, patientem, & ad exemplum conjugis conſtantem & erectam vix priſtinæ ſortis meminiſſe. Fortunata, Superi, concordia! dulcis animorum conſenſio, quos non tam conjugale vinculum, quàm Religionis utrinque nexus vincirent!

Quàm ſuave erat, Auditores, ſanctiſſimis amantibus ita retractare ſimul

mul

Digitized by Google

præteritorum memoriam, nihil ut feciſſe pœniteret, quodcumque Dei cauſa feciſſent: idem in ſe invicem animi robur, parem in calamitate conſtantiam experiri: conſolari ſe poſſe ea conſcientia, quòd perenne univerſo orbi documentum relinquerent, quanti Deum, quanti Religionem fieri oporteret!

Sed quid ego iſta perſequor? imprudens fortaſſe, qui arcana iſthæc myſteria vulgare palam non dubitem; aut durus, qui rerum iſtarum commemoratione acerbiſſimum amantiſſimæ conjugis deſiderium videar renovare. Parumne fuit igitur quòd graviſſimæ ægritudinis vim omnem in ſe ipſa acerbitatemque perſenſerit? quod diu noctuque jacentis affixa lecto perire ſibi quotidie ſuaviſſimum vitæ ſolatium viderit? quod Jacobus teneros inter piæ conjugis amplexus emoriens immedicabilem ipſius peccatori plagam fecerit? Ignoſcamus pio dolori, Auditores, neque præſumamus aliam afferre medelam ab ea, quam ipſe Rex exſpirans abſtergenſque Reginæ lachrymas adhibuit. *Sponſa, vide*, inquir, *ne fleveris: potius ah! gratulare ſponſo quem amas, & optatam tot laborum metam contingenti applaude.*

Neque felix minus in Filio pater, quàm conjux in conjuge Jacobus extitit. Verum quàm diligentis culturæ fructus fuit animus ille, quem Rex junior exhibet, ſolidæ jam confirmatæque Religionis capaciſſimus! Ut ab ipſa ſtatim infantia non deſtitit teneram erudire mentem ad ea, quæcumque ad inſtitutionem Catholici Principis pertinerent! ut extremo vitæ ſuæ tempore, cùm adeſſe ſibi finem præſentiret, eadem repetebat frequentiùs & acriùs inculcabat!

Quanquam nihil erat, Princeps religioſiſſime, quod eadem filio inſtillares moriens, quæ vivens tam ſæpe inculcaveras. Nihil erat, quòd ultimos inter amplexus & tenerrimas utrinque lacrymas iterum atque iterum admoneres, Deo fidelis ut viveret, animæ ſalutem ante omnia procuraret, Britanniæ totius regna Religionis ſtudio poſteriora duceret. Nihil erat, quòd Ludovicus ipſe, à quo Rex appellatus & filiorum in numerum adoptatus eſt, digna Religionis vindice & aſſertore documenta novo Regi adjiceret. Excepit illa quidem venerabundus, ut decebat, deſcripſit eadem fideliter, & conſperſit lachrymis, & ad novum Religionis tuendæ & amandæ incitamentum olim tractanda conſervavit; nihil erat, inquam, quòd de Filio pater tam ſollicitus videreτe; habes in te ipſo certum pignus ac monimentum, quàm non degenerem tuæ pietatis ac Religionis heredem habiturus ſis. Quandiu meminerit ereptum ſe fuiſſe Patriæ de ſinu etiam infantem, & pio parentis ſtudio in exteram regionem advectum, ne quo ſe erroris contagio macularet: quandiu recurret animo, quot procellas, quot bella, quot diſcrimina pater fortiſſimus Religionis cauſa ſuſtulerit; quandiu cogitarit parentem floruiſſe quondam apud ſuos rerum à ſe geſtarum gloria, benevolentia populorum, potentiſſimi Regni tranquillitate; & ab eodem iſthæc lætiſſimæ fortis adjumenta uni Religionis ſtudio fuiſſe ultro poſthabita; quantum inde ad fovendam ſedulò tuendamque Religionem adjumentum experietur!

Securus morere de Filio pater, & quoniam, ut æquum eſt credere, recepta jam Cœlo beata mens ampliſſimo virtutis præmio perfruitur (quam enim aliam ſibi mercedem vindicent patientia in laboribus, in adverſis conſtantia, in Deum fides, in ſuos amor, in hoſtes charitas, ſui deſpicientia, peccati odium, vel levioris

expers maculæ conſcientia, & reliquus virtutum comitatus, quibus tua, quàm longa fuit, vita traducta atque exercitata eſt) quando, inquam, jam recepta Cœlo eſt beata mens; ac, ſi publicæ populorum famæ credimus, jam exorari te pateris, jam præſens votis ades; ex illa, quam incolis, cœleſti patria aſpice dilectam ſobolem, & fauſta, quæ jam præ ſe fert, virtutum primordia tuere & confirma.

Memineris etiam initæ tot abhinc annos cum Ludovico neceſſitudinis, & hoſpitii veteris recordare. Precare tam charo capiti longam temporum feriem, quibus mederi bellorum incommodis, & Chriſtianam propagare orbe toto Religionem poſſit.

Neque oblivifceris, pro ſolita pietate, fidos illos, quorum hic ego plurimos intueor, laborum tuorum ſocios, periculorum comites, conſtantes amicos, qui, ne aut avitam Religionem, aut debitam ſuo Principi fidem violarent, opibus fortuniſque ſpoliati commune tecum exilium ultro ſubiere. Tu jam providebis illis meritam fidelis obſequii mercedem, quam olim doluiſti tam ſæpe rerum in anguſtiis rependi à te non poſſe.

Tua denique Britannia, quam amaſti tantùm, te commoveat, terra illa olim tam ſancta, tam piorum hominum ferax, tam ſtudioſa Religionis. Sentiat illa te non cupidum ſui minùs, quàm fuiſti, dum viveres. Noſti unus omnium optimè, & tuo periculo noſti, quàm luctuoſo verſetur rerum in ſtatu. Non fruſtra ſit illi ea, qua vales, apud ſupremum Numen, gratia: te Regem adhuc probet, tutorem ac patronum, fac ut, mutatis in melius voluntatibus, ſuum Deo cultum, ſuam legitimo Principi fidem exſolvat: &, quod tibi ipſi non exhibuit, conſtans ac perenne ſoboli tuæ obſequium ſemper impendat.

FOR-

Digitized by Google

FORTUNA HUJUS ANNI SPES HOSTIUM FEFELLIT, NOSTRAS SUPERAVIT.

Oratio habita Anno M. D. CC III.

EXCELLENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI
LAURENTIO FIESCHI,
AVENIENSIUM ARCHIEPISCOPO,

Apud REGEM CHRISTIANISSIMUM Sedis Apoſtolicæ Nuncio Extraordinario.

ACcuſatus à Te ſuperiore anno Collega meus eſt, dum Oratoris officio pro ſolemni more fungeretur, EXCELLENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *quòd gratulatus tibi palam fuiſſet: quòd impenſo ſui ipſius totiuſque noſtræ Societatis ſtudio ſatisfeciſſet: quòd publicæ expectationi omnium votis reſpondiſſet: quòd ea prædicaſſet de Te; quæ ſuſpexit jam pridem Italia, quibus univerſa Gallia, ex quo Te fruitur, tam ex animo, tam lubenter applauſit.*

Neque hoc ſatis: perorandam habuit apud te cauſam, quaſi vim feciſſet modeſtiæ tuæ; &, quem nemo ſenſit hactenus niſi amicum & patronum, ipſe judicem & penè objurgatorem expertus eſt.

Ego quid facerem, EXCELLENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *eandem obiturus hoc anno provinciam, & res à Gallis præclarè feliciterque geſtas dicturus in ampliſſimo conſeſſu, quem, pro ſingulari humanitate & eximio, quo flagras, Gallicarum partium ſtudio, cohoneſtare præſentia tua volueras? An nolenti atque invito venirem laudator importunus, &, quam tam apertè jam reſpuiſſes rerum tuarum commendationem, eandem rurſum pertractare aggrederer? An retexerem quæ dicta ſunt non tam magnificè quàm verè, hoc eſſe* FIESCORUM *gentis decus; ut reliquas Italiæ familias antiquitate ac ſplendore antecellat? An repeterem numerari tibi ex Majoribus plurimos, qui ſacrum Cardinalium Collegium non minùs virtutibus, quàm Purpura decorarunt; quos inter extitere duo, qui ad ſummi Pontificatus apicem evecti ſunt?*

An verò, quod etiam iniquiore ferres animo, attingerem virtutes Tui ipſius proprias, ſincerum puræ atque illibatæ Religionis ardorem, expertem fuco & oſtentatione vana pietatem, plenam ſagacitate prudentiam, conditam lepore ac comitate gravitatem? An gratularer, quòd Pontifici Maximo charus es & acceptus inter paucos, propter miram quam habes cum ſanctiſſimis ipſius moribus convenientiam? quòd apud LUDOVICUM MAGNUM *veræ virtutis peritum æſtimatorem ſummo in pretio verſaris? quòd Gallorum omnium, ac præſertim hujus Urbis benevolentiam tibi devinxiſti?*

An, inquam, iſthæc ego retractarem, tanto minùs apud te excuſandus, quanto diligentiùs cavere mihi alieno periculo debuiſſem? Conſultior fui, EXCELLENTISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *etſi timidior fortè, quàm par erat: ſilui de Te penitus: ne vocula quidem excidit, quæ creare tibi moleſtiam poſſet. Equidem fefelli omnium expectationem: ſuſtinui multorum querelas, qui ſilentium meum arguerent; dolerentque ſic Te illaudatum à nobis diſceſſiſſe. At nihil piget improbari à cæteris rationem agendi meam; ſi modò mea Tibi voluntas & ſincerum imprimis obſequium placuiſſe videbuntur.*

EXCELLENTIÆ TUÆ,

Deditiſſimus
GAB. FRANC. LE JAY,
è Societatis JESU.

FORTUNA
HUJUS ANNI
SPES HOSTIUM FEFELLIT, NOSTRAS SUPERAVIT.

Oratio habita anno D. M. DCC. III.

ORATIO V.

CÆcitatis eſſe dicam, an furoris, quòd hoſtes Gallici nominis non ſterili tantùm & infructuoſo, ſed etiam luctuoſo penitus atque exitiali bello tandiu delectentur? Excellentiſſime Sedis Apoſtolicæ Nuncie Extraordinarie, Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides illuſtriſſimi, ampliſſimi Senatores, Viri omnium Ordinum ornatiſſimi. Nam ſi tot ab hinc annos, ex quo certatum eſt utrinque tam acriter, nondum vident, quàm fruſtra, quanto ſuo detrimento Galliam oppugnaverint; vix ac ne vix quidem poſſunt haberi non cæci. Sin repetitis eruditi jam diù cladibus fatalia movere bella etiamnum obſtinant, quos furioſos, ſi non illi ſunt, appellemus?

Agite enim, Auditores; vel dum una Gallia totam Europam ſuſtineret armatam, quem fructum armorum ſuorum hoſtes habuere? Viderunt illi quidem avulſam ſibi, nobis devinctam fuiſſe arctiſſima ſanguinis communione Gentem illam, quæ ab omni pene Regni utriuſque exordio, æmulatione laudis cum Gallia certaverat, quæ ſola lætam noſtrarum rerum ſeriem nonnunquam interpellarat; quam ipſi adverſantem & inimicam nihilominus ſuſpexeramus ſemper; atque, ut facilis eſt ab admiratione gradus ad amorem, etiam amaveramus. Senſerunt illos in noſtras partes ire, quorum in fide atque animo conquieſcere inprimis videbantur. Doluerunt, ceſſante commercio, perire ſibi res ſuas, & exhauſtam belli diuturnitate copiam moleſtiſſimæ egeſtati deceſſiſſe.

Quid dicam expugnatas urbes, victos deletoſque exercitus, perpetuam domi foriſque ſollicitudinem? Hicine ſunt belli fructus, quos Hoſtes ambiebant? Hæc merces, hoc præmium fuit, cujus gratia, Europæ quietem ac tranquillitatem tandiu perturbarent?

Sed quid ego retracto tam vetera, tam vobis nota, tam diligenter à nobis ipſis ex hoc loco non ſemel decantata? Hæreamus, Auditores, intra breves hujus Anni terminos: vel ex hac expeditione proxima conjicere liceat, quàm temerè, quàm fruſtra pergant Galliam laceſſere, quos rerum noſtrarum gloria & felicitas incendunt.

Namque hic Annus, qui Hoſtibus tam ſterilis & infortunatus, nobis tam ferax & fortunatus effluxit, quàm opportunum viſum eſt ipſis rei bene gerendæ tempus! Nobis quàm parum aptum ad promovenda noſtra conſilia videbatur!

Sic enim ſtatuo, hanc fuiſſe omnino hujuſce præſentis anni fortunam, ut ſpes Hoſtium & noſtras utrinque fefellerit. Sperabant Hoſtes multa & magna; neque non erat, quòd ad lætiora aſpirarent: ſpe & expectatione exciderunt ſua; Pars erit Orationis prima. Sperabamus pauca; neque revera erat, quòd plura polliceri nobis deberemus; ſpem omnem & expectationem noſtram longè vicimus; Pars erit Orationis altera.

Hoc igitur Anno, viciſſim eluſi quodammodo ſumus, Hoſtes & ipſi nos Galli: verùm eo diſcrimine, ut

errorem illi ſuum jure dum lugent, noſtrum ipſi nobis errorem meritò gratulemur. Quæ duo cùm deſperem tam egregiè tractari à me dicendo poſſe, quàm res poſtulet; utinam & ipſe feliciter erraſſe judicio veſtro videri poſſim!

I. Part. Seneſcit brevi ægro in corde nocendi cupiditas, niſi ſpe emolumenti aliqua ſuſtentetur. Hinc quoſcumque Gallicæ genti ab omni penè ævo ſuſcitavit hoſtes tacita quædam fortitudinis, gloriæ, felicitatis æmulatio; ii, ſin minùs, certa, ſaltem avida ſemper expectatione pleni ad oppugnandam Galliam acceſſerunt.

Verùm dicamus, quod res eſt, Auditores. Hunc Annum fortunatiſſimæ cujuſque fortis artificem ſibi ſpondebat Hoſtis; &, ſeu meditata ſolito prudentiùs conſilia, feliciùs etiam inchoata dicerentur; ſeu res ipſæ ac tempora cœptis reſponderent; finiendas demum eſſe hoc anno veteres querelas, Gallorum exitio, palam jactitabat.

At Anglos imprimis Batavoſque incendebat ampla multarum palmarum ſeges, quas in Belgio præciperent. Cogitate enimverò, Auditores, quo apparatu, quibus viribus partem hanc Europæ longè deſideratiſſimam impeterent. Erumpebat illuc Batavici exercitus vis omnis ac robur: accelerabant ex variis Germaniæ partibus coempta magnis impenſis hominum viginti quinque millia; decem millia mittebant Angli: ac licèt duris admodum conditionibus iſtud præſidii genus impertirentur, qui Gallicum pariter & Hiſpanicum commercium Batavis interdicerent; tamen, quis crederet? Gens tam avida lucri damnum ejuſmodi ferebat æquiùs; tanto fœnore ſperabat illud non ita multo poſt eſſe reſarciendum!

Jam ne deeſſet ipſis Ducibus perficiendi viriliter operis incitamentum; qui Batavicis copiis præerat Marloborochus, tanquam res conjurati Fœderis ſuperiore anno feliciter promoviſſet, gratulatoriam totius Britanniæ nomine legationem acceperat; & Ducali inſuper honore auctus, novam dignitatem novis triumphis decorandam eſſe ſentiebat.

Hinc ille, cùm Optimatum in concilio de incœptando bello ageretur; &, qua primus fieret armorum impetus, deliberatum eſſet; nihil minùs, quàm Bonnam, Namurcum, Antuerpiam, Oſtendam & alias arces tam conſpicui nominis expugnandas deſtinare. Sapienter enimverò, Auditores; nam occupata ſemel Bonna liberam noſtris hoſtibus inferioris Rheni navigationem efficiebat: ſubactum Namurcum aperiebat aditum in Brabantiam, &, qui Antuerpiam pariter & Oſtendam expugnaſſet, totum, quàm latè patet, Belgium habebat in poteſtate.

Quare ſic acclamatum eſt ab univerſo conſeſſu conſultiſſimo Imperatori; ut jam Provincias partirentur inter ſe, & referenda brevi ſpolia dividerent. Et quoniam querebatur Anglus bellum infructuoſum; & impenſarum, quas fecerat hactenus, dolebat nullam ſe accepiſſe mercedem; querelas ut compeſcerent, Oſtendam ipſi cedebant omnes: liberaliter quidem, at propere nimis, ne quid pejus dicam; qui Leonis pellem pollicerentur, antequam Leonem ipſum expoliaſſent.

Interim dum in Belgio tam bellè cuncta procederent, deteriorem nihilo expectationem inimico Fœderi Germania ſuſcitabat. Et quidem aliquas facturus moras ferebatur cum ſuis legionibus invictiſſimus Princeps Bavarus: cujus in fide ſincera arctiſſimaque propinquitate non minùs,

quàm

Digitized by Google

quàm in ejuſdem virtute ac robore Gallia confidebat. Verùm tam multis è partibus jamjam impetendus jactabatur, ut, vel ſi alter Hercules exiſteret, non certè contra duos, ne dum contra tres exercitus tueri ſe poſſe ſperaretur.

Nam quot & quantas in unam Bavariam copias, & quibus inſtructas Imperatoribus Hoſtes adornabant? An Stirumium dicam, qui cum decem lectiſſimis hominum millibus ſuperiorem Palatinatus in oram irrueret? An Sclichium loquar; qui caſtra metatus ad Paſſavium, duo & viginti millia in ipſum Bavariæ ſinum introduceret? An Badenſem Principem appellabo? Qualis vir, & quantus, Auditores! quàm vel hoc uno nomine metuendus; quòd in Europa tota nullus olim ſit inventus hoſtis dignior, qui triumphanti Delphino opponeretur! An Badenſem, inquam, appellabo; qui Franconiæ totius ac Sueviæ & opportuno Batavicarum cohortium ſubſidio fretus, facta per Ehrembergum impreſſione, Bavariam occuparet? Sic revulſo penitus, qui reſtabat unus, obice, pacata tranquillaque Germania ſecuriùs ac fortiùs communem in rem incumbebat.

Sed de Italia ipſa quid ſentiemus, Auditores? aut hoſtes ipſi potiùs quid ſentiebant; qui permiſiſſe illam Vindocinenſis Ducis virtuti atque induſtriæ videbantur, intra tam breves paludum anguſtias arctati; nihil ut præter commodam ſalubremque fugam meditari ipſos credidiſſes? Veniſſet in mentem cuipiam ſuſpicari, in hoc rerum flexu Italiam eſſe, quæ ſpes inimici Fœderis dulciſſimas paſceret? Quanquam ne blandientem invideamus Hoſtibus optatiſſimæ fortis expectationem; quam ſi minùs ratam robur atque animus facerent, dolus certè multiplex & malignæ fraudis genus omne feciſſe potuiſſet.

Nam quò pertinuit promiſſam nobis jam diù ſollicitaſſe tot artibus Luſitaniæ fidem? ambitioſas obtuliſſe nuptias, quæ perſtringerent oculos, & coronam, quam ſpe jam præſumerent, dotale munus polliceri? Quid illa Claſſis tanto ambitu ſumptuque comparata in Tyrrheno mari præſtolabatur, niſi novum Regem, quem, ſi modò eventus ſecundaſſet, toti poſtmodum Italiæ oſtentaret?

Jam & Venetias ipſas, quia medias partes ſequebantur, neque ſe nobis potiùs quàm ipſis devoverant, putabant in commune fœdus facilè inclinandas; poſtquam reliquos Italiæ populos ſuis rebus addixiſſent. Sic & infringi poſſe arbitrabantur, quam rurſus legitimo Principi fidem tam ſponte Neapolis obligaſſet: quòd illam fortè non alienam penitus à novitate aliàs perſenſerant.

Sed quid hìc ego ſpes Hoſtium leves atque incertas operoſiùs perſequor, dum fortius multo, tantoque certius præſidium rimarentur, quanto periculoſum minùs ac minùs metuendum nobis credebamus? Dum ſuis partibus eum conciliarent Principem, cujus in fide, benevolentia atque affinitate Gallia tantùm ponebat. Dum eum nobis ſuſcitarent hoſtem, qui ſe defenſorem & acerrimum rerum noſtrarum vindicem nuper exhibuerat?

Quanquam quid ago? quò feror? quas me in ambages conjicio? Ignoſcite, Auditores; hæc ſi relinquere intacta malim, quàm dicendo aſperare. Utinam enimvero aut alienus hoſtis, aut verendus minùs, aut minùs amandus objiceretur! Sed præcludit vel querelis locum auguſti charique capitis veneratio; neque eum

eum inſectari patitur, quem eripi nobis, & à noſtris abſtrahi avellique partibus & dolemus, ut par eſt; & reſipiſcentem ultrò amanterque reciperemus.

Nam quò non promovebant Hoſtes ſpes ſuas, hunc ſibi Virum dum devincirent? Noverant nimirum quanti ſtetiſſet nuper fatale bellum, quod à nobis in his regionibus geſtum erat: quàm multis ſumptibus ac funeribus mancipata fuiſſet imperio Galliæ hæc Italiæ pars, quæ ſubjicienda denuo incumberet! Jam nec intactæ fore ſpetabantur illæ Imperii noſtri Providentiæ; ubi ſpirantes adhuc vel ſeneſcentis Hæreſis reliquiæ opem patrociniumque pollicerentur. Sic ubique amplam copioſamque nacti palmarum trophæorumque ſegetem jam exultabant Hoſtes; neque convitiis ipſis, quæ paſſim in libellis ſpargerent, quod erat minùs ferendum, abſtinebant.

Superbè illi quidem, Auditores, jactantiùs multo, quàm par erat; inſolenter etiam, ſi vultis: verùm an tam temere illi, quàm ambitiosè; tam falsò, quàm imprudenter glotiabantur? Conjicite ex iis quæ diximus, & rem totam per voſmet ipſi æſtimate.

Nunc verò, quò tandem erumpent ſpes tam lætæ, tam magnificæ? Quibus hunc Annum victoriis ac triumphis Hoſtes conſignabunt? Revolvamus ſtrictim atque obiter, & veloci percurramus oculo loca ſingula, quæ trophæi materiam ſuffectura dicebantur. Actum erat de te, Antuerpia! Conclamatum Namurci fatum: obtingebas Anglis Oſtenda; perque tot revulſa clauſtra, tot perfractos aditus, infelix Belgium, pinguis Hoſti famelico præda veniebas! Metus omnis abſit, Auditores: parcitum eſt adhuc infortunatæ Provinciæ, neque vel unum de tot propugnaculis aut oppugnatum doriùs eſt, aut leviter etiam pertentatum.

Dicamus, quod verum eſt; Erant illi clamores Montium parturientium. Novum aliquod inſolitumque portenti genus hoc anno ſpondebatur: magna ubique populorum expectatio; timor etiam fortè non levis quorumdam hominum, quos aut inceſſerat aliqua noſtræ ſortis commiſeratio; aut rerum in tanto tumultu perturbatio commovebat. O invidendam inimici Fœderis conditionem; niſi ſpes tam lætas ridiculus partus excepiſſet! Indulgeamus aliquid juſto Hoſtium dolori, Auditores; ut ne commemoremus illa quæ trophæorum in parte, neque computanda ducebant ipſi; neque nos, ſi carere illis contigiſſet, detrimentorum loco numeranda cenſebamus.

Hic verò juvat paulò curioſiùs perſcrutari, quo tandem contigerit fato, ut Hoſtes Gallici nominis, qui tam feracem in Belgio rerum proſperarum paratam ſibi meſſem prædicabant, ſpe tam læta penitus exciderint? Cur nihil eorum videantur aggreſſi, quæ facturos ſe palam confidenterque minabantur?

An rem plenam periculo duxerunt eſſe, certamen inire cum Gallis, quos rumpi frangique neſcios tam ſæpè didiciſſent? At ſuperiores multo copiarum multitudine poterant eos obruere numero, quos animi robore vincere deſperarent. An fortè conquerentur rem habendam ſibi fuiſſe cum juniore quidem, ſed invicto Principe, cujus ne aſpectum quidem ferre ſuperiore anno potuiſſent? At invictus Burgundiæ Dux graves exoſus moras, quas illi detrectando pugnam nuper in Belgio nexuerant, opportunam magis victoriæ ſegetem in Germania quæſierat?

rat? An quòd ſenſerint in Villaregio, quam ipſi fruſtra laceſſivimus in Badenſi Principe, meticuloſam in declinando certamine cautionem? At Villaregius non modò paratus ſemper fuit, qui laceſſentem hoſtem exciperet; ſed progreſſus obviam Trajectum uſque, latentem intra propugnacula & prodire in apertum recuſantem provocavit.

Sed quid diſſimulem, Auditores? Sentio, quid convolantis ad occupandum Belgium ſociati Fœderis impetus retardarit. Nimirum urgebant res Germanicæ, quæ graviſſimam in Duce Bavaro moram experirentur. Hic ſtatim amovendus obex, dum ſolus & ſibi relictus uni tantus vir, nullum à nobis ſubſidium propter inſuperabilem locorum intercapedinem ac difficultatem expectabat.

Meminiſtis, Auditores, quàm varius, quàm multiplex, quàm formidabilis Hoſtium apparatus adversùs Alcidem unum concurrerit. Sociati Batavis Auſtriaci, Suevis Saxones, Palatini Franconibus, ſelectæ totius Imperii florenteſque copiæ, quas periſſimi, uti jactabantur, & erant revera, Imperatores ducerent in aciem, quantam properandæ mox victoriæ fiduciam afferebant!

Verùm quàm diſparem ab ea, quam erant acturi perſonam Hoſtes ſuſtinent! Hîc coacti Neoburgum cedere Victoris implorant fidem. Illic non expectandum rati qui vinceret, muniſſimas arces & rerum omnium copia refertas deſerunt. Hinc obſidione ſolvunt Rottembergam; inde Ratisbonam reſerant ac recludunt. Jam perit ipſi Tirolis, & provincia tota, reluctante nemine, Bavaro Principi ſubjicitur. Quid plura? Cæditur Stirumius; Badenſis agitur in fugam; Sclichius medio in ludo occupatus circumveniri ſuum exercitum, & victoris arbitrio capi trucidarique permittit. Tot inter clades ac ſtrages, quod demum aut victoriæ aut lucri genus Hoſtes reportant? Quibus in locis extat aliquod veſtigium illius gloriæ quam ſibi vindicabant? Ubi tandem ſua ipſos ſpes ac fiducia non fefellit?

Jam verò rurſus ſi quis roget, quo factum ſit caſu, ut in Germania deteriorem opinione ſua fortunam habuerint: non eſt tam in promptu dicere, quàm fortè videri poſſit. Nam ſi quis dicat, Hoſtes ſibi promiſiſſe plura, quàm valerent perficere; ſanè, vel ipſi diffiteri non potuimus, Auditores; quàm illi haberent multa ad ſuſcitandas ſpes quaſque lætiſſimas comparata. Sin rei bene gerendæ locum ipſis defuiſſe cauſabimur; objicietur nobis continuò ventum fuiſſe ad manus ſæpiſſimè, & in omnibus penè Germaniæ regionibus acriter fuiſſe decertatum. Num Hoſtium prudentiam & fortitudinem requiras? Neque vel ipſi victores geminam hanc laudem victis invidebunt. Non deerunt fortè qui querantur integrum non fuiſſe noſtris Hoſtibus, mancipatam jamdiu vexillis Gallicis victoriam ulla ratione demereri: ſed vetus hæc querela eſt, quæ vel ipſa diuturnitate obſolevit. Quid ergo dicemus eſſe? Rerum tam inſolentium cauſas unde eruemus? Controverſiam hanc Politicis, hominibus plerumque otioſis, dirimendam relinquamus; nos in Italiam pergamus, Auditores: ſi fortè in iis ſaltem locis faventem expectationi ſuæ fortunam hoſtes habuerint.

Quanquam neque illic ſe mihi objicit quidquam, quod ſibi poſſint admodum gratulari. Equidem video nullis parcitum fuiſſe artibus, ſpes ut promoverent ſuas. Fuit ſuus pro-

promiſſis, ſumptibus, illecebris locus; dolis, fraudibus, inſidiis, armis etiam certatum viriliter. At quo exitu; niſi ut, quo erant priùs, eodem in ſtatu verſarentur res inimici Fœderis, aut deteriorem etiam ſortem conſequerentur?

Pluribus impenſis atque opibus inſtructa, adornata Claſſis fuerat, quæ ſubſidium ingens veheret in Italiam. illa morata diu in mari Mediterraneo, eò demum unde ſolverat, re penitus infecta, reverſa eſt. Sollicitata magno ambitu, redempta ingenti pecuniæ vi, potentioribus fulgentis Coronæ illecebris devincta Luſitaniæ ſocietas: at quid nocitura ſit Luſitania nobis ſi adverſetur, non videmus. Moliebantur Hoſtes Neapoli metuendam omnino rebus noſtris & exitioſam conjurationem; retectæ fraudes metum ac ſollicitudinem ſuſtulerunt. Putabant etſi minimè juſta de cauſa inclinandam partes in ſuas pravo Luſitanorum exemplo Venetam Rempublicam: at illa jurata manſit in fide, nec ipſam ſui in nos ſtudii pœnitere ſenſimus. Mittebatur in Pedemontium fortiſſimus totius Germaniæ Equitatus; hic interceptus à noſtris, captus, cæſus & vix ad quingentos Equites redactus. Conflabatur nobis ab eo tempeſtas, quem minimè omnium voluiſſemus, & quem hodie dolemus hoſtem experiri; at ille qui timeri potuit occultus, jam apertus hoſtis deſiit metuendus videri. Denique erectum inane Regis ſimulacrum eſt, quod perſtringeret oculos, & populorum obſequia devinciret; ſed qui præter unos Batavos ſtudioſos ſemper iniquæ dominationis fautores inventus eſt, qui non dico jurandam novæ Majeſtati fidem, ſed vel Regium deferendum eſſe cultum arbitraretur.

Quæ ſpes ergo jam reſtare poſſit noſtris hoſtibus, poſtquam ab omni parte eluſam doluerunt quam habuerant expectationem? Nam ſi in ea rerum ac temporum opportunitate, qua majorem nuſquam aliàs nacti ſunt; quæ nobis ipſis tanta viſa eſt, ut ſollicitudinem aliquam parere potuerit. In hac, inquam, opportunitate ſi proceſſere tam parum, ſi pejorem omnibus in locis ſortem experti ſunt, jam mutatis omnino rebus ac temporibus quid futurum deinceps exiſtimandum eſt, niſi funeſtum belli amorem, aut iniqua potiùs odia, quibus armorum furor incenditur, quamprimum depoſuerint? Sed me vocat pars Orationis altera. Demonſtravimus Fortunam hujus anni fuiſſe, ut ſpes Hoſtium fefellerit? nunc quàm bellè noſtras vicerit eadem, videamus.

II. Pars. Parum conſultus ego fortaſſe, aut certè Gentis noſtræ non ſatis æquus æſtimator haberi poſſim, Auditores, qui Gallis omni fide, omni expectatione majora præſtare ſolitis, ipſam ſperandi hoc anno multa ac præclara facultatem eripuerim. Tamen hic animus, hic ardor cum ipſa gente Gallica quodammodo natus, quem aſpirantem ſemper ad ea quæ magna ſunt, nulli retinent obices, nullæ difficultates remorantur, non eſt imprudens aut temerarius; neque illa vindicat tanquam ſua, quæ conditionem, ut poſſint comparari, non habent.

Atqui is erat noſtrarum rerum hoc anno ſtatus, ut ſi ad propulſandos hoſtiles impetus fiducia certa non deeſſet, nihil ultrà pene expectandum, aut ſperanda nobis eſſe pauca fateremur. Neque verò viſus hic eſſe ſermo meticuloſorum hominum, qui ſuis rationibus omnia metiri ſolent, parcique ſuorum laudatores, quidquid ab hoſte profectum ſit magnificè prædicant & extollunt. Ita lo-

que-

quebantur ſere omnes, qui acutiùs in rebus vident; neque vel ipſi, quibus aut ambitio ad expetendum quod arduum eſt, aut animus ad exequendum viriliter quæ voluerint, nunquam defuit, aliter ſentiebant.

Agite enimvero: Belgium inſpiciamus primùm, &, quem nobis polliceretur armorum exitum, operoſiùs perſcrutemur. Meminiſtis, Auditores, quod altera Orationis parte expoſuimus, collocatas in Belgio fuiſſe ſpes inimici Fœderis lætiſſimas. Convolarant illuc tanquam certam ad prædam Britanniæ totius atque Bataviæ vires, & pars Germanici roboris non ultima; eamque conflaverant copiarum multitudinem, quæ noſtratum numerum triginta hominum millibus ſuperabat.

In iis rerum difficultatibus, quibus mederi non erat integrum, quia varias in partes bellorum neceſſitate diſtrahebamur: rogo vos, Auditores; erat-ne conſentaneum id ſibi polliceri, nihil in toto Belgio, quod noſtrum, aut Sociorum eſſet, non intactum fore? Huccine licebat ſpes promovere noſtras; ut longè inferior militum numerus ſuperiori nunquam cederet? Quis perſuaſiſſet ſibi futuram hanc ſemper caſtrorum noſtrorum opportunitatem, ut oppugnari ab hoſte ſine detrimento non poſſent? præripiendas à nobis ubique ſtationes illas, quæ paucitati faverent, nocerent multitudini? ita diſpenſandam quocumque, ubi res poſtularet, totius vim exercitus; ut, ſi pugnandi cum hoſtibus occaſio ſe offerret, id impunè & citra periculum poſſemus pertentare? An ſperandi locus erat, quamcumque in partem adverſarii moverent arma, cuicumque urbi minitarentur, præſto nos adfore, qui clauderemus aditum, viamque obſidionis omnem intercideremus? Sic itum iri obviam Hoſtium molitionibus, ſic prævertendas inſidias, medendum incommodis, difficultatibus eſſe occurrendum; quaſi ipſorum intereſſe conſiliis, adeſſe conſultationibus, in ipſa mente, quid ſentirent aut meditarentur, oculis uſurpare licuiſſet? Denique fuiſſet aliquis inter nos tam plenus opinione Gallici nominis, tam confiſus militum robori, ſolertiæ Ducum tam ſecurus; qui id genus operis tam varium, tam difficile, tam periculoſum, non identidem, ſed in dies pene ſingulos, non per exiguum aut breve tempus, ſed per totam æſtatem tractari à nobis poſſe crediediſſet?

Hoc ipſum tamen, quod fidem Hoſtium vincere, quod noſtram ipſorum expectationem ſuperare videbatur, in Belgio fecimus, Auditores; non tam militum vi ac robore, quàm ſingulari ſapientiſſimi Regis providentia; qui, ſicut Sol in certo mundi poſitus, ut quibuſdam placet, diffundit partes in omnes lucis ſuæ radios, & circumfuſa latè corpora colluſtrat; ita mediis Regni ſui de penetralibus ſic diſpenſat in Legatos ſuos atque vicarios ſagacitatis ſuæ lumina, ut eoſdem altiſſimæ mentis participes efficiat.

Quos inter cui potiùs quàm Villategio gratulabimur, cujus in exequendis, præveniendiſque nonnunquam mandatis regiis provida ſedulitas, tam inſignem hoc anno Gallicis rebus gloriam, tam expetitam utilitatem attulit? Felix unus omnium maximè, cui vel à teneris contemplari propiùs auguſtæ mentis ſublimitatem, providere regalis animi ſenſus altiſſimos, & tam perfectam ex omni parte imaginem, quantùm fas erat, licuit exprimere! Felicior, qui parentem nactus in moderatore tanti Principis, ex eodem traxit ſolo illa virtutum ſemina, quæ tam feli-

ces

ces in ramos propagata, amandum ſuis, metuendum Hoſtibus, verendum univerſo orbi Ludovicum exhibent! Feliciſſimus, quem magna indoles, mira cum regiis moribus convenientia, plenum tenerrimo ſtudio obſequium, ſpectatus domi foriſque ſuaviſſimus virtutum concentus, æquiſſimo rerum æſtimatori Ludovico, dulcem Aulicum, Miniſtrum fidelem, charum inter paucos atque amicum reddiderunt!

Quanquam hanccine Gallis unam in Belgio gloriam tribuemus, ut conjuratis tot Hoſtibus ſoli viriliter reſtiterint? Scilicet nullo ponendum in loco videbitur, quòd ſpectantibus ipſis ac ceſſantibus erepta Tongrorum civitas? quòd cæſi, fugati, captique non ſemel ipſorum manipuli? quòd imperiti fruſtra, & ad pugnam impune provocati ad Trajectum? quòd acie fuſi ad Ecrinium & ingenti affecti clade, dum collectis magno apparatu copiis, Antuerpiam ipſi properarent; & partem Belgii longè maximam quaſi jam ſuam ſibi gratularentur?

Quo loco laudetur imprimis Buſflerus, cujus incredibili celeritate ac diligentia ſic occupatus Hoſtis fuit ex improviſo, ut imparatus laceſſeretur: cujus virtute ac robore ita ſuffectum eſt, quod deerat multitudini, ut inſtructo magno copiarum numero Obdamum ipſe cum paucis funderet ac ſuperaret. Neque hinc etiam ad ſingularem Villaregii prudentiam commendatio levis accedet; qui cùm certò comperiſſet procedere pleno gradu hoſtilem exercitum, tam opportunè Regis judicio, tam feliciter ex ejuſdem ſententia ſubmiſit copias, quæ properantem hoſtem interciperent; ut de Villaregio prædicaret Ludovicus; illum non tam ſua, quàm Regis ipſius mente actum, grande hoc providentiæ ſpecimen ediddiſſe.

Perſequamur ulterius, Auditores; & videamus porro, num Germania lætiorem hoc anno magnarum rerum expectationem nobis faceret. Quidquid ultra Rhenum cernitur, totum hoc hoſtis habebat in poteſtate. Scilicet cupidiſſimum procurandæ univerſo orbi longæ tranquillæque pacis ſtudium ita generoſam beneficamque Ludovici Magni indolem devinxerat; ut munitiſſimas arces, fortiſſima propugnacula, præſtantiſſimas urbes, perennia tot victoriarum ſuarum Germanicis in regionibus monumenta ultro volenſque, ſuis vel dolentibus, quorum plurimi intererat tanto pretio redempta pax, hoſti etiam non petenti condonaſſet. Erat in armis Germania tota, quæ Rheni ripas clauderet, parata tanquam pro aris ac focis dimicare. Adde tot munimenta, tot aggeres, tot caſtella, quibus continuo veluti ac perenni vallo defenſus Rhenus, vix liberam trajiciendi fluminis moram relinqueret. Tamen nihil querimur, Auditores; ubi quanto fuit difficultas major, tanto conſpicuum magis victoriæ decus exſurgit. Quid enim tam egregium, tam admirabile, tam novum, tam præter noſtram ipſorum expectationem, quàm quod in Germania fecimus?

Nondum hyems ſævire deſiit; jam trajecit Rhenum Villartius, & caſtellis quinquaginta, quæ trajectum defenderent, expugnatis, fuſis Germanorum duodecim Legionibus, fortiſſimam Kellæ arcem, Germaniæ clauſtrum, per quod unus pateret aditus, aut nullus, obſidet. Deditur rumor inexpectatus atque inſolens per Offenburgum, Gengebaccum & Zelam: decedunt Hoſtes his tribus oppidis cum tanta feſtinatione, ut neque tormenta bellica, quibus referta erant plurima, neque copioſiſſimos commeatus exportent.

In-

Interim percrebeſcere tam improviſi facinoris fama, & Fœderatorum animos rei novitate percellere. Concurritur, adſunt in procinctu collecti ex Batavia variiſque Germaniæ provinciis formidabiles exercitus, qui Kellæ obſidionem ſolvi jubeant, aut extremam pernicem intentent. Quo tandem exitu, Auditores? ut duodecimo poſt die, ex quo cœperat obſideri civitas, eandem pluvioſa admodum & incommoda tempeſtate expugnari cernerent: &, qui cogere nos minimè potuiſſent ad ſolvendam obſidionem, ipſi ſolutam à ſuis ad Traerbacum, nobis cogentibus, poſt alterum expugnationis menſem fuiſſe teſtarentur.

Sed quid ego in ipſo rerum à nobis in Germanico ſolo geſtarum limine diutiùs immoror? Opitulandum erat generoſiſſimo Principi, quem non magis propinquitatis ratio, quàm cauſæ æquitas Gallicis partibus addixerat. Ac licèt, quocumque ſe ferret torrentis inſtar Dux Bavarorum, fidelem comitem ſecum traheret Victoriam; tamen unus in omnes non poterat uſque reſiſtere, niſi promptam à nobis opem experiretur. Id genus officii, Auditores, æquitas, fides, affinitas, amor, gratus animus exigebant. Quanta apud generoſam Gallorum indolem exerendæ virtutis incitamenta! Nihil erat, Regum beneficentiſſime, quòd Legiones Gallicas Bavaricis caſtris adjungi tantopere properares: hoc ipſum milites noſtri cupidiſſimè ambiebant; qui nihil magis quàm ingrati pectoris ſuſpicionem vereantur.

Atenim ſeſe offerunt inviæ rupes & inacceſſi ſcopuli? Superabuntur. Impediti atque inextricabiles anfractus viam claudunt? Perfringentur. Locorum anguſtiæ vix patiuntur peditem, Equitatum non admittunt? Laxabuntur. Adeſt in inſidiis miles armatus, qui lapidibus ſolis inſtructus arcere obvios poſſit? Fugabitur. Viſa res illa graviſſimis viris expertiſſimiſque Ducibus difficilioris operæ, quàm ut tentari poſſet? Nihil eſt tam arduum, tam difficile, tam intentatum, quod officii ratio, vincendi ſtudium, Ludovici juſſa non perſuadeant.

Dum loquor, ecce jam Villartius recenti elatus victoria, quam de Badenſi Principe non ita pridem ad Flidelingam retulerat; Badenſem dico, qui nuſquam victus aliàs, eo primùm die didicerat vinci ſe poſſe, & virentem ad hoc uſque tempus auguſtæ frontis lauream non ſine lacrymis ſenſerat uno momento marceſcere. Ecce, inquam, Villartius operi ſe accingit; quale opus, Deus immortalis, & quam periculoſæ plenum aleæ!

Ne mihi Vetuſtas invidioſa jactet Annibalem, quem perforaſſe Alpes & aceto rupiſſe montem ferunt. Ne vel Magnum Alexandrum oſtentet, quo jubente præcelſæ rupis faſtigium Macedones capeſſivere. Majus aliquid audet miles Gallicus, qui præſente numeroſo exercitu, quem perfringendum obicem illi non habebant, aſpera ſylvis ac cautibus, vixque habitata feris loca penetrare non dubitat. Stupent Hoſtes ipſi, neque ſuis credunt oculis, dum rem peractam intuentur, quam fieri poſſe non putaverant.

Neque te verò hìc ſilebimus tanti operis hortatorem ac ſocium, Blenvillæe, diligentiſſime virtutis illius æmulator, quam non ita pridem ſuſpeximus in geminis Fratribus Colbertis, quos pro patria viriliter decertantes graviùs hodieque doleremus oppetiiſſe, niſi tu fortiſſimo cum Fratre exhiberes eoſdem; & paterni, quo deflagrabant am-

ambo, in Regem, in Galliam ſtudii heres non degener exiſteres.

Nolite deinceps mirari, Auditores, ſi tam operoſam, tantique diſcriminis victoriam adeptus ad novos lætioreſque triumphos Gallus aſſurgat. Hinc ſtrato ſuper Danubium ponte molientes aditum in Bavariam Germanos aggreſſus partim mactat ipſo in loco, partim captivos facit, partim fugientes inſecutus in Danubium præcipitat. Felix ex omni parte victoria, niſi Heronium una cum Legalio victorem, vitum, ſi vixiſſet, quibuſcumque militiæ gradibus evehendum, deſideraret!

Inde nactus in Principe Bavaro glorioſiſſimi facti auctorem ac Ducem noſter exercitus, collectas Stirumio Imperatore Germaniæ vires oppugnat, vincit, profligat; & cæſis quinque hominum millibus, totidem captis, eundem impedimentis & caſtris exuit. Fuit hæc enim fortiſſimi Principis ſingularis modeſtia atque humanitas; ut ſcriptis ad Chriſtianiſſimum Regem literis, victoriæ decus, cujus ipſe pars tanta cum ſuis Bavaris extitiſſet, refunderet in Gallos: addito ad Gentis totius commendationem non vero minùs quàm magnifico elogio; *nihil eſſe, quod militi tam ſtrenuo, tam docili non cedat*. Potuiſſet enimverò his inſtructus copiis Dux Bavarus illuſtriorem ſibi de Badenſi Principe victoriam gratulari; niſi ille declinandum putaſſet periculum, & ſe ſe ſub Auguſtæ mœnia prudenter recepiſſet.

At ecce, dum præceptam animo nobiliſſimi triumphi expectationem Badenſis Princeps fugiens eludit, cadit Briſacum interim, Urbs illa tot propugnaculis munita, tot defenſa aggeribus, tantoque diligentiùs adverſus impetum vimque armorum noſtra ipſorum induſtria compitata; quanto minùs eandem paulò poſt ſtudio Pacis Hoſtibus permittendam prævidebamus. Cadit, inquam, Briſacum; & duodecimo poſt obſidionem die junioris Principis imperium agnoſcit. Nihil eſt quòd hoſtis ad elevandam minuendamque tam repentinæ victoriæ magnificentiam ſeveriùs in eum animadvertat, qui Urbem dedidit; quaſi maturiùs dediditſet. Fidelis ac ſtrenui Gubernatoris omnes partes implevit Arcocius, hoc culpandus uno, quòd rem cum Burgundionum Duce habuerit. Quanquam ignoſcendum hoſti, Auditores: non ſenſerat ille verſari juniorem Principem in eo ſolo, quod paternis laureis eſſet conſitum; in quo debuiſſet Victoria, quæ Parentem in Filio agnoſceret, eidem triumphalem lauream quantocyùs deproperare.

Paveſcite Hoſtes Gallici nominis; & primum hoc recentis militiæ monumentum, quot & quantæ deinceps victoriæ conſecuturæ ſint, præcipite. Non expectat in Gallicis Heroibus annorum numerum, ſed vel in ætatis flore virtus ſe prodit; viris etiam longiore rerum uſu & in bellicis laboribus jamdudum exercitatis invidiam factura. Præluſit hactenus Dux Burgundionum, & non minùs vobis quàm ſuis, quid præcocis ingenii felix maturitas, quid ſagacioris induſtriæ ſolertia, quid gravioribus in periculis invicta mentis conſtantia valeret, oſtentavit. Prævertite nobiliores triumphos, tam certò veſtram in perniciem, quàm in noſtram gloriam erupturos.

Atenim, Auditores, Italia tam infructuoſa noſtris Hoſtibus, contra ſpem ac votum tam ſterilis, nihil-ne viciſſim nobis offeret præter noſtram expectationem partum geſtumque feliciter?

Ni-

Nimirum ſic oportuit nos eſſe comparatos adverſùs fallaciam omnem ac dolum; nihil ut machinari liceret Hoſtibus, quod ſtatim non videretur à nobis, aut etiam præverteretur? Nullas illi ſtruere inſidias debuerunt, quas longè ante non proſpiceremus? Non potuerunt pertentare noſtrorum ſociorum fidem, niſi compertum id certò penituſque exploratum ad nos perveniret? Denique non erat ipſis integrum ſanctiſſimas amicitiæ leges & arctiſſima propinquitatis vincula labefactare, quin extemporalis arcendi periculi facultas nobis ſuppeteret?

Non eſt, mihi credite, tam impervia fraudibus ac proditionibus humana prudentia, ut occupari ex improviſo aliquando non poſſit: neque hanc laudem Gallica gens ambivit unquam, ut adverſus malas artes feliciùs cæteris inſtructa videretur. Imò cum ingenuam, & ſicut ipſum Franci nomen ſonat, ſinceram inprimis indolem nacta eſt; tum reliquos ſpectare ex animo ſuo ſolet, neque tam commodè, ſi quid doloſum aut infidum fabricetur, poteſt ſuſpicari.

Tamen quid fuit in Italia geſtum tam ſubdolè, tam fraudulenter comparatum; fabricatum tam perfidiosè, quod pervidere ſtatim, retexere penitus, feliciter intervertere non contigerit? Hæc rurſum tua laus, Regum maxime, hic fructus ſagaciſſimæ illius providentiæ; qua in tanta tot negotiorum mole, cui ferendæ unus ſufficis, ita moderaris ſingula; quaſi nihil, præter id ipſum quod inſtat, providendum incumberet. Tu pernicioſa per Italiam Hoſtium conſilia dum retegis, dum clandeſtinos conjurationum tumultus indagas, dum paratas inſidias odoraris; alios in obligata ſemel fide retines; nutantes alios & defectionem meditantes confirmas, alios convolantes ad arma, & impenſæ toties benevolentiæ malè memores opportuno victricium legionum robore coerces ac reprimis.

Quanquam feciſſet jampridem actuoſa Ducis Vindocinenſis diligentia, quem tam felici Galliæ fato rebus Italicis Imperatorem præfeciſti, ne quid turbarum ac tumultus in Italia ſupereſſet; niſi ſupremum Hoſtibus exitium meditantem retinuiſſes. Niſi religio, pietas, ſummi Pontificis reverentia, qui tractus illos terrarum habet in patrocinio ac clientela; niſi ipſa tuæ indolis humanitas, qua ſervare amas, quos poſſes perdere, prohibuiſſent; ne laxatis aquarum repagulis, arctatas brevia inter ſpatia triſtes Germanorum reliquias totaſque adeo finitimas latè regiones Vindocinus inundaret.

Hactenus multa diximus, Auditores; & plura certè, quàm aut me dicturum hoc anno confiderem, aut vos audituros eſſe ſperaretis. Tamen ſentio expectare vos adhuc aliquid, & converſi omnium in me oculi videntur expoſtulare, quod nihil de recenti cumulataque ad Spiram victoria, nihil de Landavi expugnatione prædicaverim. Prædicemus enimverò; nam cur illaudatum fineremus novum hunc latiſſimæ fortis cumulum, cui univerſus populus tam ſincera geſtientis animi ſignificatione Theatrales inter Ludos applauſit? Dic nobis ipſe; namque aderas teſtis communis gaudii, Delphine invictiſſime; cùm perlatum ad te tribus ab hinc diebus feliciſſimum nuncium congregatæ multitudini nunciaſſes. An dulciſſimi ſymphoniacorum omnium concentus, quibus orcheſtra perſonabat, tam ſuaviter mulcebant aures; quàm ille qui Ludovico Magno Parenti amantiſſimo, qui tibi ipſi ab univerſo Theatro plauſus datus eſt?

Cur, inquam, & ipſi non gratulemur Regi Maximo ſupremum hoc Gallicæ virtutis monumentum, quod toti anno veluti coronidem impoſuit? An quia receptum à nobis Landavum hoc anno, idem ſuperiore fuerat ab Hoſtibus occupatum? At quàm diſpar noſtra & Hoſtium conditio fuit, Auditores! Illi cum millibus hominum quinquaginta ad oppugnandam urbem acceſſerant: nos viginti ad ſummum millia habebamus. Erant tantùm, illis obſidentibus, militum bis mille, qui Landavum defenderent: nobis qui reſiſterent, ſex millia numerabantur. Nihil hoc anno civitati deerat rerum omnium quibus ſe viriliter conſtanterque tueretur: eadem ſuperiore ſi adfuiſſent præſidia, hoſtilem impetum eluſiſſet. Steterunt illi tribus menſibus in extorquenda deditione: nos uno menſe rem confecimus. Gallis, cùm obſiderentur, ſpes affulgebat nulla adfuturi ſubſidii: Hoſtes noverant eſſe in propinquo, qui ſibi liberandis accederent. Nobis pugnandum fuit vel imparibus viribus, & ſternendus ad internecionem validiſſimus exercitus, ut urbe potiremur: illi per cuniculos & longas viarum ambages in urbem irrepſerunt. Denique captum ab hoſtibus cùm Landavum eſt, quis operis tanti Dux fuit? Badenſis Princeps ſcilicet, & Badenſi Principe major ipſe Romanorum Rex. Quando receptum eſt, aderat unus tantùm ex noſtris Imperatoribus, Auditores; qui ſolertia atque animo duobus illis Heroibus ſi non inferior, in contentionem certè vel nominis, vel dignitatis venire non præſumat. Quanquam, plaude tibi, Talarde, Nomen illud, quod geris, conſpicuum jam pridem atque inclytum ex ſeſe, geminum victoriæ genus; quod uno eodemque die retuliſti, ſic illuſtravit; ut illud Regiis etiam capitibus feceris invidendum.

Sic fideles ubique ac ſtrenuos conſiliorum adminiſtros nactus, Regum maxime, ubique vincis ac triumphas. Felix tu quidem, qui, quot habes Legatos, tot victores tibi gratulari poſſis: ſed felices illi multo magis, quibus, ad vincendum, fortunam conſtanter obſequentem & manentem uſque commodas!

Atque hìc mihi ſpectatam hoc præſertim anno Gallici Exercitus virtutem & gloriam intuenti optare contigit, Auditores: eundem à nobis obſervari morem, quem olim viguiſſe apud Romanos ſcimus: ut rebus bello præclarè feliciterque geſtis, vecti Quadrigis Imperatores medias per urbes inferrent ſe ſe; & parta victoriarum ſuarum monumenta populis oſtentarent. Quàm lætus hodie nobis, quàm glorioſus pompæ triumphalis apparatus objiceretur!

Tu ſuperbum agmen ageres, Villarti; qui cæteris ad victoriam quaſi ſignum viſus es ſuſtuliſſe. Tu perfractis Germaniæ clauſtris conſpicuus, expugnata Kella nobilis, victo fugatoque Stirumio ſpectatiſſimus, tot Hoſtium ſpoliis circumſeptus incederes.

Tu, Villaregi, defenſo tam prudenter per totam æſtatem Belgio, quod unum conjuratæ multitudinis vis ac robur impetere videbatur; priſco cunctatori Fabio ſimillimus, non minorem de repreſſis illic Hoſtibus, quam de laceſſitis ad Trajectum, de expugnatis ad Tongros gloriam exhiberes.

Adeſſent tibi laborum ſocii victoriarumque comites; hinc Buflerus, parta de malè memori Batavo ad Ecrinium victoria tam inſignis.

Inde

Inde Bedemarus tuæ ſagacitatis ac providentiæ tam ſedulus æmulator.

Tu quoque tot Victoribus novum decus adderes, Curteburne; cujus in prædicanda impenſiùs cùm prudentia, tum fortitudine amare ſe Ludovicus ipſe viſus eſt: quòd ſuo vallo pulſis Hoſtibus, & capto per vim Neuſtadio, quò ſe illi concluſerant, Gallis Landavum obſidentibus ſecuritatem præſtitiſſes.

Quid reliquos commemorem, Uſſonium, Blenvillæum, Grancæum, Legalium, & te Precontalle, te Lavardine, niſi vos rapuiſſet mors immatura; cùm certum omen victoriæ, neſcias vinci copias adduceretis.

Neque tu prætermittendus à me, Calvote; qui rapto ab Hoſtibus vexillo glorioſus cum reverterere, hoſtis imprudenter creditus à tuis, ibi triſte funus inveniſti, ubi triumphum conſequi meruiſſes.

Tibi verò, Talarde, quem recentior vernantiorque laurea monſtraret ſtatim omnibus, ut applauderent populi! ut te portis bipatentibus ultrò exciperent!

Neque tu comitari triumphos noſtros, & tam feſtivæ lucis ſplendorem augere præſentia tua dedignareris, invictiſſime Princeps Bavare. Tu partæ nobis hoc anno gloriæ pars tanta, expugnatis tot Urbibus, Hoſtibus toties victis cæſiſque clarus, devictæ, ſubactæ, ſupplicis Germaniæ reliquias poſt currum traheres, eandem olim melioribus auſpiciis erecturus.

An non infeliciter victricem pompam clauderent ſubnixi Roſtris Navalibus, metuenda toto mari Nomina, Cotlogonius, San-Polius, Luzernæus, qui, captis, depreſſis, incenſis tot Hoſtium navibus, ſuam hoc anno ſolertiam ac virtutem commendarunt?

Hanc verò tam ſolemnis triumphi magnificentiam non ego in Capitolium, ut olim, ſed in Ædes Verſalias deducerem; ubi jam redditus Regius Princeps Dux Burgundiorum militiæ ſuæ primitias, & læta victoriæ monumenta Ludovici Magni in ſinu depoſuit. Quàm ſuavis regalem animum ſenſus pertentavit, Rex maxime; dum in juniore Nepote Briſaci expugnatorem agnoſceres! dum ille tibi ſuas palmas referret acceptas! dum novam hanc recentemque gloriam documentis tuis atque exemplis debere ſe fateretur?

At cùm medius tot inter Imperatores legatos tuos, tot victores triumphatoreſque verſarere; cùm circumſeptus aggeſtis ſpoliorum cumulis, quos ſinguli, Auguſtiſſimi tui Nepotis ad exemplum, Regiæ ſagacitati, providentiæ, felicitati partos gratularentur, hunc annum inter fortunatiſſima Regni tui tempora numerares; utinam arcanos pectoris tui receſſus liceret intueri!

Tamen novimus ſatis quid ſentias, quò feraris, quos tibi ſpiritus moderatio animi tui, Religio, Pietas inſpirent. In tanta, tam juſta lætandi triumphandique cauſa, hoc ſtudes unum ſcilicet, Ludovice, ut, quam gratulantur tibi omnes feliciſſimam rerum ex voto fluentium ſeriem, hanc tu Deo Optimo Maximo jubeas unicè gratulari.

Perennes enimverò tibi gratias, Deus immortalis, qui tam ſingulari tuam in Gallicum Imperium providentiam teſtimonio conſignaſti! Tu contuliſti nobis hoc anno plura, quàm ſperare, vel petere licuiſſet. Tuere beneficium tuum, ò Deus! &, quam potes, adde perpetuitatem. Nolentes, laceſſiti, repugnantes dum præliamur; numquid precari non licet à præpotente Exercituum Deo, *Diſſipa gentes quæ bella volunt*? Hoc tamen,

men, vel non iniquum, poſtulare Ludovicus vetat; à quo vel in votis diſſentire religioni ducimus. Habet nimirum ingens ipſius animus majus aliquid quod ſequatur, quàm Victoris Triumphatoriſque nomen; & in conſtantiſſima, qua fruitur, florentiſſimi Regni perennitate, nihil jam ambit; niſi ut Pacator Orbis, Paciſque Fundator ac quietis felicitatem publicam ac beatam tranquillitatem procuret.

Ergo tu Pacis auctor atque arbiter, Deus, quam fruſtra quæramus armis, hanc tu ferventibus religioſiſſimi Principis piique populi votis Pacem indulge. Injice omnibus ac ſingulis Europæ Principibus ſalubres Pacis cogitationes: Deſiſtant tandem aliquando bellis fatalibus, & communi nobiſcum ſtudio ad parandam toti orbi tranquillitatem incumbant.

Digitized by Google

IN NATALIBUS SERENISSIMI DUCIS BRITANNIÆ

Oratio Extemporalis habita die III. *Idus Jul. an.* M.DCC.IV.

SERENISSIMO PRINCIPI DUCI BURGUNDIONUM PATRI FELICISSIMO.

EXortam felicibus auſpiciis ſobolem dum in ampliſſimo ordinum omnium conſeſſu nuper tibi gratularer, PRINCEPS SERENISSIME, *ſenſi tunc inprimis, qualem univerſæ Galliæ felicitatis ac lætitiæ cumulum peperiſſes. Utinam enimverò propriis uſurpaſſes oculis, ut omnes ab ore dicentis penderent! ut avidis exciperent auribus, quæ non tam Oratoris induſtria, quàm ejuſdem ſtudium & ipſa argumenti copia profunderet! ut applauderent ultro tuis laudibus, & cupidiſſimam in nobis placendi tibi voluntatem gratiſſima admurmuratione proſequerentur!*

Neque tamen mirum illud tibi videatur, PRINCEPS SERENISSIME, *qui populorum vota tam feliciter expleveris. Hactenus abundè omnium de te expectationi reſponderas, qui vel in ipſo ætatis flore, tot præditus virtutibus, tam abſolutus numeris omnibus viderere. Dederas in Aula eximium indolis aureæ, ſolertis ingenii, veræ ſincereque pietatis ſpecimen. Providus, ſagax, fortis, victor ac triumphator inter arma, præſtantiſſimorum Imperatorum prudentiam, magnanimitatem, fortunam æquaveras: paternæ & avitæ virtutis æmulus utrinſque te ſimillimum exhibueras. Quid reſtabat aliud*, PRINCEPS SERENISSIME, *niſi ut ardentiſſimis totius Galliæ deſideriis Filium ſufficeres, qui te ipſum viciſſim tui ſimillimus aliquando redderet?*

Nunc demum votorum compotes, nihil ultra Superos rogabimus, ſi modò pretioſum illud munus, quod per te nobis illi conceſſerunt, proprium fecerint, & Filium pariter ac Parentem futuris Nepotibus Imperatores conſervarint.

Hæc ſunt vota, quæ pro te univerſa Gallia, atque imprimis Societas noſtra nuncupat; cujus ego nomine Orationem hanc ſtudioſiſſimi obſequii fidele monimentum dico, voveo ac conſecro,

PRINCEPS SERENISSIME.

Tibi deditiſſimus GABRIEL FRANCISCUS LE JAY è Societate JESU.

IN NATALIBUS SERENISSIMI DUCIS BRITANNIÆ

ORATIO EXTEMPORALIS.

ORATIO VI.

Aderan: Em. Cardinalis d'Eſtrees, & uterque Sedis Apoſtolicæ Nuncius.

QUàm felici gentis noſtræ fato fieri dicam, Cardinalis Eminentiſſime, Excellentiſſimi Sedis Apoſtolicæ Nuncii; Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides illuſtriſſimi, Clariſſimi Senatores, Viri omnium Ordinum ornatiſſimi: Ut dum Europa pene tota funeſtis bellorum agitatur æſtibus, & grave ſibi exitium timet; Gallia perturbatos inter tumultus miram expeditamque ſecuritatem præ ſe ferat, & dulciſſimis pacis ac tranquillitatis fructibus perfruatur? Nam quis diebus ab hinc paucis, ex quo felicibus auſpiciis ortus eſt Auguſtus Britanniæ Dux, quis in omnibus ac ſingulis hujus Imperii partibus ingentem illam, quam ſuſtinemus, belli molem ſenſit, aut in placidiſſima fortunatorum temporum quiete verſari ſibi non viſus eſt? Quàm ſingulari, quàm ſincera geſtientis animi ſignificatione pretioſiſſimum illud divinæ in Galliam benignitatis pignus exceptum eſt? Quibus parcitum impenſis ac ſumptibus? Fuit aliquis tam parum locuples ac tenuis, qui lætitiæ communis in partem non venerit? Solemnes ubique ludorum apparatus, liberales epulæ, feſtivi ignes, tubarum ac tympanorum ſonitus hodieque non ceſſant; neque publici gaudii finis erit aut modus, niſi vel repugnantes coerceantur illi, qui in tam ampla exultandi ſegete finem ac modum non admittunt.

Senſit enimverò, ſenſit Gallicus Populus pretium illius muneris, quod ſibi à præpotenti Numine concederetur, & plenam in novo Principe optatiſſimæ ſortis expectationem præcepit. Agnovit unus omnium optimè Ludovicus, ejuſdem beneficii vim ac momentum, & magnum in Pronepote ſuo votorum omnium ſibi fatetur cumulum acceſſiſſe.

Agamus igitur immortales Deo Optimo Maximo gratias, qui ſuam in hoc Imperium munificentiam tam illuſtribus monumentis perpetuare non deſinit: qui Ludovico Magno novum hæredem, ſereniſſimo Delphino Nepotem optatiſſimum, invicto Burgundionum Duci & Auguſtæ ipſius Sponſæ feliciſſimam ſobolem, toti denique Galliæ florentem Borboniæ ſtirpis ſurculum impertit.

Verùm in hoc recenti beneficio, dum piam ac liberalem omnipotentis Dei in religioſiſſimum Principem pariter ac fidelem Populum voluntatem ultro profitemur; ne dubitamus eundem agnoſcere æquiſſimum utriuſque muneratorem.

Sic enim ſtatuo, Auditores, ita conceſſum divino conſilio fuiſſe totius Galliæ votis Britanniæ Ducem; ut in eo Ludovicus Magnus dignum ſuo in Deum Religionemque conſtanti ſtudio præmium referret; ut in eodem Gallicus Populus debitam ſuo in Ludovicum ipſum obſequio mercedem conſequeretur. Igitur gratulemur primùm Ludovico Magno, cujus ſinceram conſtantemque Religionem eo præmio remunerat Deus, quo dulcius aut illuſtrius eſſe non poſſit; erit hæc Orationis Pars prior. Gratulemur deinde Gallico Populo, cujus fidele in Regem obſequium ea mercede idem compenſat Deus, qua lætior cumulatiorque regiæ Majeſtatis veris amantibus non contingar;

gar;

gat; erit hæc Orationis Pars poſterior.

Quod utrumque dum exequor totius noſtræ Societatis nomine, cujus nemo tam honorificam provinciam non ambiat, liceat mihimetipſi gratulari, Auditores; qui ante annos ſeptem, cùm ex hoc ipſo loco pacificum Ludovici, parta victoriarum monumenta Religioni condonantis, animum extollerem, neſcio quo afflatus ſpiritu amplam hodiernæ diei lætitiam non tam optare, quàm iſto Vatis regii verſiculo viſus ſim certò polliceri: *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum, ut videas filios filiorum tuorum.*

I. Pars. Etſi propoſitâ virtuti merces non eſt circumſcripta brevibus fragilis vitæ anguſtiis, ſed cum ipſa æternitate coæquanda eſt; tamen qui virtutis cultoribus metiendam nullis temporum terminis immortalitatem promiſit Deus, eoſdem, vel dum vivunt, anticipato quodam felicitatis æternæ guſtu ſolet recreare. Atque ut abſtineam à cæteris exterarum gentium imperiis, quibus tantò lætiorem rerum ex voto fluentium ſeriem Deus annuit, quanto impenſiorem divini Numinis cultum præ ſe ferrent; agite, Auditores, ex quo tandem noſtra Gallia florere maximè cœpit, & ſupra reliquos orbis populos ſibi principatum vindicare, niſi ex eo tempore, quo felicis memoriæ Ludovicus Juſtus ſe regnumque ſuum Deo Virginique Matri ſolemni religione conſecravit?

Vidit Ludovicus Magnus, qui natus eo ipſo anno primus locupletiſſimuſque paternæ pietatis fructus extiterat, quantùm ad ipſum regnorum felicitatem conferret Religionis amor ac ſtudium; & in ſolio Gallici Imperii conſtitutus nihil antiquius habuit, quàm ut tueretur promoveretque ſedulò quod fecerat pater, & quod neceſſitate temporum præpeditus vel aggredi vel perficere Religionis cauſa non valuerat, hoc inchoaret ipſe atque exequeretur.

Horum ego temporum dum retracto memoriam, Auditores, occurrit ſtatim veſtris animis quàm multa ad Religionis gloriam, ad pietatis incrementum, ad refrænandam morum licentiam, ad fovendam legum ſanctitatem piè diligenterque ſanciverit ac conſtituerit Ludovicus vel in ipſo juventutis aditu, quando cæteri vulgo Principes ambitione, gloria, aut certè deguſtandis ſuaviter inexpertæ Majeſtatis illecebris unicè occupantur.

Meminiſtis compreſſum feliciter Duellorum furorem, coercitam linguæ petulantiam, imminutam privilegiis & ad breviores anguſtias redactam Hæreſim, emendatas Leges, novam Foro judiciiſque formam inductam. Quæ omnia Dei, Religionis, æquitatis cauſâ viriliter ſuſcepta, quam felici rerum exitu liberalis ac magnificus in ſuos Deus ſit proſecutus, prædicarem operoſiùs, Auditores, ſi cui latere poſſet tot miraculorum ferax Ludovici Magni vita, & illa florentiſſimi regni ſeries, quam nulla ad hunc uſque diem temporum calamitas interrupit.

Verùm quantò clarioribus beneficiis Ludovicum Deus cumulabat, tanto erat ad promovendam Dei cauſam Ludovicus alacrior, nihil tam veritus, quàm ne in referenda gratia minùs memor ac gratus videretur. Hinc ille inexpletus, conſtans, indefeſſus extinguendæ penitus in regno ſuo Hæreſeos ardor animi; quem non retardavit unquam vel lubrici operis difficultas, vel periculorum magnitudo, vel imminentis belli metus, vel proprii capitis diſcrimen, ſic ut admonentibus identidem Proceribus

Digitized by Google

Aulicis incœpti conſilii magnitudinem atque aleam, excepta ſit non ſemel magna omnium admiratione regia illa vox: *faxint enimverò Superi, ut pro tam felici cauſa oppetere liceat!*

Hinc ſtudium pene par, Religionis ejuſdem, quam apud ſuos reſtituerat, ornaverat, amplificaverat, in remotiſſimas orbis partes propagandæ. Teſtor ego vos tot exciſa hæreticæ factionis monumenta, quæ non in ſuis modò, ſed in exteris etiam terris disjecit; tot templa, tot aras quas erexit; tot pretioſa munera, quibus naſcentes alio ſub ſole veræ Religionis Eccleſias ditavit. Teſtor ego vos terræ Orientis ultimæ, quibus regiis impenſis ſacros divini verbi adminiſtros providit. Teſtes vos imprimis appello, perpetua pietatis ac liberalitatis Ludovicææ pignora! vos, inquam, novella germina, Juvenes advenæ, regiæ hujus domus hoſpites & alumni, Syri, Arabes, Armeni, Græci, quos Ludovicus adoptavit in filios, quos alit ſuis ſumptibus, quibus eruditionem bonam in pietate, in litteris impendit; ut reduces olim in patriam ſitis Religionis veræ præcones ac defenſores.

Hinc ſuſceptum ultro graviſſimi belli pondus, ne afflictam, jacentem, inultam unà cum regia Majeſtate Religionem pateretur. Neque verò dubitandum eſt, quin recepta nunc cœlo inter Indigetes cœleſtis patriæ Jacobi II. felix anima impenſæ olim ſibi, & in Filium ac Sponſam propagatæ benevolentiæ memor Ludovici votis ſuffragata ſit, & partem in hodierna felicitate plurimam ſibi vindicet. Nam quid melius amico fideli, Regi beneficentiſſimo Jacobus precatus fuiſſet? aut quid Deus ipſe lætius optatiuſve rerum ſuarum vindici ac propugnatori quàm heredem novum largiretur?

Cætera quæcumque favere votis Principum & pertentare ipſorum ambitionem ſolent, jampridem Deus Ludovici in ſinum prodiga manu cumulaverat. Agite enim, Auditores, an deerat illi quidquam, vel opum ad magnificentiam, vel potentiæ ad auctoritatem, vel rerum proſperè geſtarum ad gloriam, vel domeſticæ pacis ad felicitatem? Quis tam verendus exteris, tam terribilis hoſtibus, ſuis tam amabilis eſt viſus? Quis cum ipſo victoriarum ac triumphorum multitudine, varietate, magnitudine conferri poſſit? Quis domeſticis charior, amicior Aulicis, familiæ ſuæ jucundior atque acceptior extitit?

Erat aliquid ultra Ludovicus quod expeteret? quod ad fortunandam magis ac magis lætiſſimæ ſortis proſperitatem neceſſarium videretur? Erat aliquid certè quod Auguſto defuit; qui expleta longiſſimi imperii dominatione non habuit prolem cui virtutes tranſmitteret ſuas, & univerſi Orbis principatum relinqueret. Felicior Auguſto, uti & major Ludovicus ſibi Filium gratulabatur, ſed qualem filium, Auditores? Eum ſcilicet, quo meliorem, ſi Parenti ipſi peritiſſimo rerum æſtimatori permitteretur optio, nec precaretur ſibi nec deſiderare potuiſſet, Filium ſapientia, judicio, æquitate, animo Patri ſimillimum; qui imperare dignus orbi terrarum, unum hoc ambit, ut obſequendi laudem cuicumque de vulgo præripiat: Filium hoſtium terrorem, expugnatorem urbium, victorem, triumphatorem, Filium aulæ delicias, populorum amores, quo laborante non ita pridem conſeneſcere Gallia, quo convaleſcente reviviſcere viſa eſt.

Hac fortunatus ſobole Ludovicus habe-

habebat unde provocaret æmulationem atque invidiam cæterorum Principum, quibus aut heredes deerant, aut certè non contigerant tales, quales adeſſe voluiſſent. Sed quid Ludovico Filium gratulamur, cui tot Nepotes potius, imò cui Pronepotem hodie debemus gratulari?

Hunc porro felicitatis cumulum quæ par oratio celebret, Auditores? Novus Orator, novum dicendi genus requiritur; ubi nullum in tota antiquitate ſuppetit exemplum quod ſequaris, nulla prædicationis hujuſmodi veſtigia, quibus inſiſtas. Evolvite, per me licet, Annales omnium temporum; vetuſtiſſima quæque Imperiorum monumenta percurrite: Invenietur Princeps aliquis, cui tam copioſum lætandi argumentum inciderit; Pauci occurrunt inter Principes qui Avi extiterint; qui Proavus, audeo dicere, nullus eſt: At qui Proavus ſit ea ætate, iis viribus, ea valetudine, quæ legitimam educandi, inſtituendi, erudiendi Pronepotis ſpem affetat; nulla, credo, vel ſera poſteritas ejuſmodi quemquam exhibebit.

Tu quidem, Regum feliciſſime, reliquorum Principum fortunam jam ſuperaveras, qui alterum è Nepotibus florentiſſimo poſt Gallicum Imperium Regno præfeciſſes, eumque conſpiceres hodie propria virtute promerentem, quod ſanguini, quod virtuti tuæ debuerat: qui Nepotem alterum victricibus tuis copiis Imperatorem præpoſuiſſes, eumque multiplici victoria nobilem ac triumphantem recepiſſes: qui Regum hoſpes munificus extitiſſes, nunc etiam tutor ac moderator habereris.

Sed hæc, quanta quanta ſint, Dei munifici largitoris in te beneficia; vicit tamen hodierni muneris præſtantia laudem ac gloriam prætoritorum. Neque verò, Regum maxime, id dicere verear, qui te hujuſce rei vadem ac ſponſorem habeam. Nam in datis ad Epiſcopos Galliæ literis, quibus jubes agi ſupremo Numini gratias ob conceſſum tibi Pronepotem, ita beneficii pretium atque magnitudinem effers, & extollis, ut, qui tam parcus ac ſeverus eſſe ſoles in tuis laudibus, non dubites tamen feliciſſimum te inter cæteros Principes profiteri.

Quod etſi tacuiſſes, Princeps enimvero fortunatiſſime, cui tandem conjicere non licuiſſet, quàm te florentem, quàm beatum hoc Pronepote tuo arbitrareris? Viderunt omnes, ut erumperent palam lætitiæ ſenſus, quos capax quantumvis animus non caperet; ut diſcurreres ipſe per ædes regias, publici gaudii nuncius; ut venientium ultro citroque gratulationes lubenter exciperes, ut applauderes plaudentibus, & quantùm invaleſcebant acclamantium voces, tantum exultanti animo incrementum accederet.

Id certè eo majore dignum admiratione viſum eſt, Rex ſapientiſſime, quòd in rebus proſperis egregiam ſervas moderationem atque temperantiam: quòd felices armorum exitus plerumque ſic narras, quaſi ſagacitatis atque prudentiæ tuæ fructus non eſſent: quòd ante annos paucos, Hiſpanis Regem à te poſtulantibus non annueras ſtatim, ſed tam inuſitati gaudii percipiendam facultatem in alterum diem diſtuleras.

Unde porro tam diſſimilis, tam mutatus à ſe ipſo Ludovicus eſt, Auditores? Unde Princeps ille tam potens ſui, tam moderatus, tam imperans ſibimetipſi, non temperat hodie geſtientis animi motibus, quin erumpant illi protinus, & arcanos ſenſus referent ac prodant? Magnum

eſſe

eſſe quiddam oportet, Auditores, gravem aliquam cauſam interceſſiſſe neceſſe eſt; ut is, qui nihil temere agit unquam, nihil niſi conſideratè, nihil ad ſeveras ſapientiæ leges non exactum, totum ſe in his rerum adjunctis lætitiæ permiſerit. Nolite dubitare, Auditores; neque diſſimulare potuit ipſe Ludovicus, quæ ratio tam affuſum gaudium peperiſſet. Videbas nimirum, Rex ſapientiſſime, per auſpicatiſſimos Britanniæ Ducis ortus, qui ſpem etiam ulterioris ſobolis Auguſtis Conjugibus facerent, ſic proviſum eſſe Galliæ pariter atque Hiſpaniæ ſecuritati; nihil ut à funeſtis bellorum motibus, quibus Europa quatitur, pertimeſcendum utrique relinqueretur. Videbas in fortunatis novi Principis natalibus lætiſſimum beatæ pacis omen. Videbas ſummam inde aſpirare populis tuis expectationem optatæ tranquillitatis, quam nuper tot victoriarum trophæis redemeras, quam hodieque vel gloriæ tuæ diſpendio redemptam velles.

Hinc illa lætitiæ tuæ ſignificatio ſingularis, quia non tam tibi quàm populis tuis Britanniæ Dux naſceretur; hinc exultandum triumphandumque tibi cenſuiſti, quia ortus ille feliciſſimus minùs ad gloriam tuam, quàm ad ſalutem, utilitatem ac quietem publicam momentum afferret.

Fremant enim vero *gentes, & populi meditentur inania adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus*, habet deinceps Gallia, qui res ſuas tutentur ac vindicent; qui foveant pacem ac quietem; qui æmulorum ambitionem coerceant, reprimant audaciam, conſilia, molitiones evertant ac labefactent. Habet Gallia, quos non ſuis tantùm populis, ſed exteris etiam gentibus Duces ac Reges ſufficiat. Hoc tibi nomine chariſſimus eſt Britanniæ Dux, Ludovice, quòd ſpes ejuſmodi ſuſcitat. O vere grandem, ò beneficam, ò liberalem Ludovici animam! ò conſtanti populorum pietate, obſequio, amore digniſſimam! Plaude enim verò tibi, Rex maxime; ne lætari hac forte, ne triumphare pudeat.

Sed dum plaudenti, dum triumphanti gratulor, en mihi ſe Ludovicus objicit proſtratus ante aras ſuppliciter, demiſſis modeſtè ac collachrymantibus oculis, ſupinis manibus, vultu ad pietatem compoſito, qui præſentis illic Numinis cultum ac reverentiam inſpiret. O ſi pervidere ſenſus intimos religioſi pectoris! ò ſi ſuaviſſimum illud impertientis ſe Dei felici animæ, & animæ viciſſim ſinceras Deo gratias referentis commercium uſurpare auribus licuiſſet! Hinc enim ſcaturit fons ille plenus rerum proſperarum, qui perenni fluxu Ludovici vitam inundat. Hinc ultro liberalem ſe ſe Ludovico Deus exhibet, quia gratus ac memor Ludovicus largientis Dei manum agnoſcit ac reveretur.

Perge tu porro his animis, Princeps religioſiſſime; tuere conſtanti pietate ac religione beneficium recens, quod pietatis ac religionis tuæ fructus eſt: & dum ad te noſtra redeat oratio, patere ut in populum Gallicum derivemus partem aliquam hodiernæ felicitatis, quæ ipſius in te fidelis obſequii præmium eſt. Hoc porro reſtat altera Orationis parte demonſtrandum.

II. Pars. Non eſt opus hominum, quæ in legitima poteſtate reſidet, auctoritas; & quod Principibus viris præſtari obſequium ſolet, non tam ipſis, quàm ſupremo Numini, cujus adumbratæ ſunt imagines, exhibetur. Quamobrem etſi Regibus vicariis ſuis permiſit Deus, ut debitum

tum

tum ſibi obſequium quoquomodo exigerent ; tamen non ita de jure ſuo cedendum exiſtimavit , ut nec plecteret ab officio deficientes , nec in eodem conſtantes muneraret.

Mirantur Nationes exteræ , nec ſine aliqua ægritudine æmulationis in noſtram gentem commoveri ſolent, dum reliquos inter populos rerum proſperarum gloria floruiſſe illam ſemper , & florere etiamnum hodie inficiari non poſſunt. At mirari deſinant & multo magis parcant indignari, qui nec docile Gallorum obſequium, nec ſincerum in Principes ſuos amorem imitari ſuſtinent . Sic eſt , Auditores , nulla gentium eſt tam felix quàm noſtra , quia nulla gentium eſt tam ſtudioſa, tam amans , tam adulatrix legitimæ poteſtatis quàm Gallica ; ſive fructus ille eſt indolis bonæ quam nacta ſit , ſive , quod ego lubentiùs crediderim, ut in colenda ſuprema majeſtate primas ſibi vindicat , ſic expreſſam in Regibus Numinis imaginem ſingulariter eſſe venerandam arbitratur.

Equidem ſcio , Auditores , feracem ſemper extitiſſe Galliam optimorum Principum , quibus ſervire honorificum foret; quibus & amandis temperare non poſſes : verum quanti eſt vel hoc ipſum præpotentis Dei in gentem noſtram beneficium agnoviſſe, ut par erat , & æquitatis laudem cum officiis legibus conjunxiſſe.

Quòd ſi nullum unquam orbi Gallico Principem populorum obſequiis atque amoribus Ludovico Magno digniorem Deus oſtentavit ; ecquod etiam dicemus ante Ludovici Principatum tempus extitiſſe , quo majoribus teſtimoniis ſuum in Reges ſtudium pietatemque Galli conſignarint? Neque verò hic amor, hæc propenſio voluntatum brevioribus Aulæ terminis circumſcribitur , ubi majeſtas ipſa Principis reverentiam imprimit; ubi propioribus oculis licet intueri Ludovicum, & eximias ingentis ipſius animæ dotes contemplari. Idem hic ardor cernitur in omnibus & in ſingulis: pertinet ad univerſos ordines : à nobilitate ad populum , ab urbe Regni primaria ad remotiſſimas quaſque Galliæ oras atque Provincias felici continuaque ſucceſſione propagatur.

Exemplum quidem cæteris exhibent primates Aulici ſua apud Regem aſſiduitate, officiis, ſedulitate: eminet hic amor, hæc pietas in regii ſanguinis Principibus : effloreſcit in Ludovici Nepotibus, in Liberis; qui quanto propiùs regiam Perſonam contingunt , tanto arctioribus charitatis atque obſervantiæ nexibus cum eodem vinciuntur: ſic tamen ut amor non deterat reverentiam , neque reverentia amorem viciſſim infringat.

Verum quotuſquiſque eſt , qui ſuum in Regem ſtudium teſtari non ambiat? qui occaſiones non aucupetur ſignificandæ ſuæ voluntatis? Quis ardor in militibus, cùm pro Ludovici gloria certandum eſt ? Quis vir nobilis vel fortunarum vel capitis diſcrimen reformidet? Quanta ſollicitudo atque alacritas in Sacerdotibus, in Ordinibus Religioſis, in ſacris Galliæ Præſulibus, quoties pro Regis optimi ſalute, incolumitate , felicitate vota facienda ſunt? Quàm ſedula in literatis hominibus, ut de noſtra ipſorum obſervantia & ſtudioſa bene merendi de Principe optimo voluntate dicamus aliquid ; quàm ſedula , inquam , in literatis hominibus æmulatio, ſagacitas, induſtria ; ut res à Ludovico Magno vel bello vel pace præclarè feliciterque geſtæ, ut edita paſſim ab eo pietatis , Religionis cæterarum-

que

Digitized by Google

que virtutum exempla omnibus linguis ac literis, omni dicendi genere poſteritati conſecrentur.

Sed omittamus quæ privata ſunt, ad communia veniamus. Revocate memoriam, Auditores, triſtiſſimi illius temporis, cùm ingraveſcens Ludovici valetudo ſalutem ipſius in extremum diſcrimen adduxiſſet. Tunc enim amor imprimis ſe prodit; cùm periclitatur is quem amamus, neque meliùs ſentimus unquam vim neceſſitudinis, quàm cum diſſolutionis metus inceſſit. Agite, memorate vos quæ vidiſtis, quæ audiſtis, & quorum ipſi pars magna exſtitiſtis. Erat aliquis in Gallia, ad quem tanti mali acerbitas non pertineret, qui dolere cum Rege, cum ipſo laborare non videretur? Legiſſes omnium in oculis certiùs, quàm in ipſis nuntiis, quæ de valetudine Ludovici circumferebantur, vel crudeſcentis, vel remittentis morbi conditionem. Interim incendi aras, cumulari donis altaria, templa votis complorantium perſonare. Mox ubi depulſus metus eſt ex Regis ægritudine conceptus, & reſtituta tandem illa ſanitas tam ardentibus populorum precibus ſollicitata: ut mutatus repente dolor in gaudium, ut ſitum ſqualoremque decor ac feſtivitas, luctum communem communes plauſus exceperunt! Adeo diligeris, Ludovice, ut orbis Gallici ſalus in tua unius ſalute poſita ſit!

Sit etiam illud, Auditores, conſtantis in Regem optimum obſequii & amoris monimentum; quòd in tanta, tam gravi bellorum diuturnitate, decreſcentibus licet communibus fortunis, & acciſis non mediocriter privatorum opibus, nova in ſingulos annos belli ſubſidia populi ſufficiant. Qua in re, quanto plus amori, quàm neceſſitati obſequantur, quàm ultro commodis ſuis careant, dum gloriæ tuæ ſerviunt, feciſti ipſe periculum, Rex invictiſſime; cùm ante annos ſeptem, procurandæ laboranti Populo tuo quietis ac tranquillitatis cupidus mirum in modum felicem armorum tuorum curſum interrumperes, & redditis Religionis in gratiam clariſſimis victoriarum tuarum monumentis, pacem hoſti honorificam eandem & quæſtuoſiſſimam concederes. Exarſit enimvero populi rerum tuarum amantis ſtudium; & ratus aliquod ex eo fœdere gloriæ tuæ detrimentum importari, nihil non fortunarum ſuarum devoviſſet, ut bellum paci ejuſmodi præponeretur. Non prævidebat ſcilicet, quàm lætus futurus eſſet fructus illius pacis, quæ Philippo Nepoti tuo Regnum Hiſpanicum aliquando provideret.

Quod ubi tempus expetitum advenit, quo Philippus Hiſpanici Imperii heres nuncupatus diſcederet à nobis novi regni habenas moderaturus; in hoc recenti gaudio quod tua cauſa ſuſceptum erat, non defuere tamen, qui plauſibus lachrymas miſcerent, dolerentque eripi ſibi de ſuo ſanguine Principem, quaſi vererentur, ne dum noſtris opibus, hoc eſt Principibus fruerentur & ſuperbiret Hiſpania, tua Galliam ſoboles aliquando deſtitueret. Audiit Deus ſuſpirantium voces, & fidelis populi in ſuos Principes ſtudium approbavit. Decrevit vel ex hoc ipſo tempore ablati Gallis Philippi detrimentum reſarcire, ne avulſo ex ſtirpe Borbonia ſurculo, aureus alter deficeret.

Nam quid melius, quid optatius contuliſſet? quid poſſit eſſe tam lætum, tam acceptum genti illi, quæ ſuos Principes in deliciis, in amoribus habet, quàm ſi longa ac beata eorumdem ſeries contingat? Quod aliud virtutis ſuæ præmium Galli cupidiùs,

pidius ambiant, quàm ſi in regia domo nunquam deficiant illi, quorum ſalutem, gloriam, utilitatem fortunis, opibus, ſua ipſorum vita antiquiorem arbitrantur?

Sic & olim ipſum Britanniæ Ducis parentem auguſtum in iis temporum adjunctis Deus Galliæ donaverat, quibus per continuum gravioris belli decennium Populi regios conatus impenſiùs adjuverant, & majora pietatis, obſequii, virtutiſque monimenta præbuerant. Sic Auguſta Delphini conjux, quam vellemus eſſe hodierni gaudii participem, dotale munus unà cum pace, Burgundionum Ducem attulerat.

Dicite vos, quicumque egregiam in illo ſuperiori bello navaviſtis operam, an veſtri ſtudii vos pœnitet? an putatis veſtros labores malè compenſatos, quorum glorioſiſſimus exitus fortunatum Delphini matrimonium, & fortunati matrimonii fructus, Dux Burgundionum extiterat. Quàm dulce vobis fuit, quàm honorificum, cùm ille regiorum exercituum imperator, duobus annis proximis, prudentiæ, ſagacitatis, ſolertiæ, magnanimitatis exempla copiis admirantibus ſufficeret! cùm incuteret metum hoſtibus; cùm imparibus viribus, præſtantes robore ac nùmero laceſſeret; cùm ſuæ militiæ primitias victoriis ac triumphis conſignaret; cùm militem in caſtris liberalitate, officiis, benevolentia conciliaret; cùm in ipſo pacis ſinu ſpretis ludorum ac ſpectaculorum oblectamentis, nihil niſi ſerium, niſi maturiore conſilio dignum vel diceret, vel ſaperet; quàm dulce, inquam, vobis, quàm honorificum fuit jactare vos poſſe! Hic Princeps tot virtutibus præditus, omnibus abſolutus numeris, noſtrorum laborum fructus eſt, merces obſequii, præmium virtutis ampliſſimum. Tam pretioſum munus, tam certum imperii præſidium ac decus Gallia non haberet; niſi hoc pignore devotiſſimam in Ludovicum populi ſui fidem ac pietatem Deus compenſare voluiſſet.

Quod olim Deus ad compenſandam Populi Gallici fidem, conſtantiam, virtutem contulerat, id ipſum hodie novo beneficio renovavit; & ad levandum hodierni belli indefeſſum laborem, ad remunerandam obſequioſam alacritatem, ad ſuſcitandam ſubſecuturæ brevi fortunæ melioris expectationem, promiſſum jam in auſpicatiſſimis Auguſtæ Adelaidis nuptiis, ad lætitiam ac felicitatem, Britanniæ Ducem largitur.

Plaudite igitur vobis felices nimiùm fortunatique populi, quibus jam licet eſſe votorum compotes; agite perennes immortali Deo, pro conceſſo vobis munere, gratias; erumpat novum aliquod inſolitæ & inuſitatæ lætitiæ argumentum; ſed quid vos hortor aut ſtimulem, quaſi per voſmet ipſi recentis beneficii magnitudinem non ſenſiſſetis?

Nam quid ergo ſibi volunt tam frequentes, tam ſinceræ lætantis, exultantis populi ſignificationes? quid loquuntur aliud quæ veniunt ex univerſis orbis Gallici partibus literæ? quid non excogitavit ingenioſa civitatum ſolertia, quo ſtudium lætitiamque teſtarentur? quis in hac Urbe Regni primaria non certavit æmulatione laudis, & palmam devotiſſimi ſtudii non ambivit? quod ſpatium ab ortu fauſtiſſimo novi Principis à publico gaudio vacavit? Tantum non hac ipſa hora dicenti non obſtrepitur, vix Oratorem ſuſtinent, qui præreptam ſibi continuandæ lætitiæ moram conqueruntur.

Agite, nihil ego vos moror, indulgete, per me licet, tam legitimis

Digitized by Google

gaudiis, facite obſequioſo in Principem veſtrum ſtudio, ardentiſſima placendi voluntate, ut novum aliquem Deus adjiciat felicitatis cumulum; ut iſthæc gaudia quæ fecit, impertiendo Regium Infantem, beata demum pace ac tranquillitate concludat.

Quamquam numquid in ipſis Britanniæ Ducis Natalibus felix optatiſſimæ pacis omen Superi jam fecerunt? Nihil conferret ad ſuſcitandas ſpes quaſcumque lætiſſimas, quod parentem habet Auguſtam Adelaidem; cujus mite ingenium, ſuavis indoles, mores urbani, plena humanitate ſocietas ac conſuetudo nihil habent cum bellis commune: quam gratiæ omnes ac Charites ſequuntur fidiſſimæ pacis comites: cui Pax ipſa pronuba in auſpicatis nuptiis adfuit, & dotale munus ſuffecit? Nihil victoria, proximus ad pacem gradus, præſagiret; cujus felix patrus eſt Dux Britanniæ; Victoriam dico, quæ Infanti Regio inchoanti vitæ primordia Parentis laureas ac palmas aggeſſit?

Quid dicam quòd ea prodiit anni tempeſtate, quæ copiam, ubertatem & abundantiam ſonat? quod naſcenti feſtivi ignes Joannis Præcurſoris ortum celebrantes præfulſerunt? quod inter ſecundos undecunque armorum exitus, felicia pacis ac tranquillitatis omina, procreatus eſt? Vivite in tam juſta lætiſſimarum rerum expectatione, felices iterum atque iterum populi. At vos fortunati tamen inter cæteros, Aremorici, gens amica, bellicoſa natio, populus amabilis. En vobis dignus indole, dignus animo ſtudioque veſtro novus Britanniæ Dux exoritur, qui referat cum nomine tot Britanniæ Ducum virtutes, & intermortuam laudem tanto intervallo revocet. Eris, nolite dubitare, pietatis ſtudio, fortitudine animi, ſuavitate morum ſpectabilis, ut Carolus Octavus. Populi pater vocabitur, ut Ludovicus duodecimus. Literatos fovebit, & ipſe politioribus excultus literis, ut Franciſcus Primus. Magnificentiam in Aula, in ſpectaculis apparatum exhibebit, ut Henricus ſecundus: neque ut ille patietur nomen tam ſpecioſum ſeneſcere, ſed in numeroſa ſobole propagatum venturis ætatibus oſtentabit.

Tempus eſt, ut ad te noſtra redeat Oratio, Ludovice. Ecce compos votorum habes, quod unum ad lætitiam optandum eſſe videbatur. Dederunt tibi Superi in Regio Pronepote certiſſimum benevolentiæ ſuæ pignus. Exſtitiſti teſtis publici gaudii, & in tanta populi tui alacritate perſenſiſti, quàm memor ac gratus impenſum ſibi munus exceperit. Quid reſtat, niſi ut ipſe memorem ac gratum Deo te præſtes, & apertum populi tui obſequium, ſincerum amorem remunerare non graveris.

Id jam feciſti tu quidem, cùm te jubente univerſæ Galliæ templa gratiarum actionibus perſonuere: cùm perſolutis eorum nominibus, qui in vinculis detinebantur, cuſtodiarum poſtes ac repagula revelliſtis. Sed eſt aliquid præterea quod à te pro jure ſuo Deus exigit, quod ipſi votis omnibus petimus, amanter ac precamur; ſcilicet ut, quam tu in formando Filio Delphino, in educandis Nepotibus piam ſollicitudinem fidelemque operam attuliſti, eandem, in inſtituendo Pronepote bonus impertias. Gaudeat, exultet, triumphet Gallia, dum creſcente ſenſim atque adoleſcente ſub diſciplina Ludovici Magni Regio Puero, videbit efflorſcere in ipſo virtutes illas, quas miratur in Parente, ſuſpicit in Avo, in Proavo obſtupeſcit.

Ne-

Neque verò labor ille, quem impendes, erit ſterilis, aut mercede vacuus, Regum beneficentiſſime: dum juniori Pronepoti pietatis ſenſus, Religionis ſtudium, quo flagras, inſpirabis; dum teneram mentem formabis ad grandia; dum regnandi artem optimam edocebis; dum egregia documenta, melioribus facinorum tuorum exemplis confirmabis; ſenties effervescere in Auguſto Puero virtutum igniculos ac ſemina quæ ſparſeris; admirabere poſtmodum eundem ad magna quæque inflammari: excipies victorem triumphantemque, ut ipſius Patrem & Avum excepiſti; denique pervidebis non explendam eſſe generoſi Pronepotis æmulationem, niſi te ipſum univerſo orbi, tui ſimillimus, aliquando repræſentet.

ARS DICENDI

QUALEM RHETORES IN SCHOLIS DOCENT A RECENTIORIBUS TEMERE OPPUGNATA VINDICATUR.

Oratio habita anno D. M. DCC. VI.

ORATIO VII.

Confidentes plus æquo, ne dicam, audaculi fortè nos videbimur, qui noſtris de rebus locuturi præter morem ex hoc loco tam frequentem Ordinum omnium conſeſſum vocare non dubitaverimus. Eminentiſſime S. R. E. Cardinalis, Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides Illuſtriſſimi, Ampliſſimi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatiſſimi!

Aderat. Eminent. Cardin. Eſtræus.

Nam quid vos attinet varias audire controverſias, quæ Literarium Ludum agitare ſolent, aut earumdem arbitros ac judices interpellari? Tunc licuit veſtram ambire præſentiam, cùm in iis argumentis verſaremur, quæ recentem lætiſſimarum rerum memoriam non ſine novo voluptatis ſenſu revocarent. At qui nihil aliud propoſuerimus hodie, quàm tueri jura Artis illius quam exercemus, & contra obtrectatorum invidiam, noſtram in dicendo ſtudendoque rationem palam approbare; an non debuimus, ſubvereri, ne alienam ab eruditis auribus materiem aggrederemur?

Quanquam, quòd cauſarum Actoribus in Foro, quod in Lycæo ſuo Philoſophis, quod Academicis in cœtibus ſuis, & licet, & omnium calculo comprobatur, cur id nobis unis negaretur de rebus ad Rhetoricam pertinentibus apud ſaniſſimos hujus controverſiæ æſtimatores habere ſermonem; maximè cùm in Artem illam quidam ab aliquot annis homines inſurrexerint, qui, ſi malevoli in nos animi ſuſpicione carere poſſunt, rudes certè illius diſciplinæ, quam tractamus, & in noſtris ſtudiis peregrini penitus atque hoſpites debent videri?

Equidem ſcio, Auditores, non defuiſſe jam ſuos tam juſtæ cauſæ percelebres patronos, quorum ſtudio & eruditioni Reſpublica Literaria plurimùm debet; atque inter cæteros illuſtriſſimum Eccleſiæ Principem Brulartium, Virum non verendum minùs virtutis ingeniique gloria, quàm ſplendore generis & ſuæ dignitatis amplitudine conſpicuum; qui, ut eſt Orator ipſe magnificus, & peritus, ſi quis eſt alius, Eloquentiæ ſanioris ar-

arbiter, inflictam Rhetorum nomini labem brevibus quidem ac compendiariis, ſed decretoriis rationibus abſterſit.

Tamen hærent impune, & quotidie renovantur in triviis ac compitis plena maledictis affixa, quibus Rhetorica proſcinditur; deridentur illa, quæ traduntur in Scholis, Eloquentiæ rudimenta; & erit nemo qui probrum eluat? nemo ſe offeret pro communi cauſa dicturus? Ego verò, Auditores, etſi novi plurimos in hac palæſtra, qui tam honorifica provincia defungi cum dignitate poſſint; tamen hanc ipſam vindicare mihimet hodie non dubitem; qui ſi cæteris in rebus inferior multis, uti revera ſum, reputari debeam, meritis ſanè in hoc militiæ genere ſtipendiis videar cum paucis comparandus.

Atenim, inquiunt, qui nobis adverſantur; quidquid Rhetorica molitur ad Eloquentiam, vel Præceptis vel Exercitatione continetur, quorum alterum inutile ac ſupervacaneum; alterum etiam damnoſum ac pernicioſum reputari poſſit.

Contra ego ſic contendo, Auditores, eadem illa Præcepta, quæ Rhetorica complectitur, tam eſſe ad veram Eloquentiam neceſſaria, ut ſine eorum ſubſidio comparari illa non poſſit. Hoc primum: hanc ipſam Exercitationem, qua Rhetorica maximè nititur, tam utilem ad eandem Eloquentiam videri; ut ſublata illa, hæc manca penitus & otioſa ſit: hoc Alterum.

Veniant igitur, qui Artem dicendi, qualem Rhetores in Scholis docent, temerè oppugnarunt, &, dum gemina Orationis parte Neceſſitatem illius pariter atque Utilitatem aſtruimus, diſcant non inanem à nobis tractari Artem, & tam ſeriam quàm gratuitam omnibus bene dicere volentibus Scholam aperiri.

Tuum in hac cauſa ſuffragium, Cardinalis Eminentiſſime, nihil eſt quod impenſiùs ambiam, qui jam poſſim illud mihi certo gratulari, dum præſentia tua dicentem cohoneſtas & attentione benevola proſequeris.

Quantum enim vero pondus ac momentum Rhetoricis Exercitationibus debet accedere, quibus ille delectari videatur, quem Europa tota tam diſertum, tam ſolertem, tam peritum in conciliandis animis experta eſt? Quare non aliunde velim augurari de controverſia noſtra quid ſentias, Cardinalis Eminentiſſime: non repetam inde Artis illius, quam exercemus, pretium, quòd inſtituti noſtri rationem non ſemel collaudaſti: non abutar tuo ipſius teſtimonio, quod conſignaſti in datis nuper literis ad Vicarium Generalem noſtræ Societatis, quam paterna benevolentia complecteris; quæ te viciſſim ut parentem colit ac veneratur; ubi, quàm uberes olim ex noſtra diſciplina fructus Collegii Romani Alumnus percepiſſes, amicè & indulgens fortè nobis plus æquo ſignificabas. Sufficiat ad Rhetorici nominis commendationem, quòd non hodie tantùm, ſed aliàs ſæpe noſtræ concertationes Tibi placuerunt; Tibi quo, ſi quid tot obitis ſapienter legationibus, tot confectis feliciter negotiis, creditur, perſpicacior nemo in deguſtandis ingeniis, nemo iiſdem regendis moderandiſque aut dexterior aut fortunatior extitit; Tibi, qui tantam Eſtræo nomini laudem excelſæ mentis præſtantia, ſublimitate, facundia contuliſti, quantam tot Heroes ab ipſis annis quadringentis armorum gloria pepererunt.

Non eſt vacuum & inane, quod gerimus, Rhetoris nomen, nec leve I. Pars.

onus

onus ille ſuſcipit, qui penitiores Eloquentiæ recludere aditus, &, quod in hac Arte magis abditum atque intricatum eſt, expedire debeat. Imò quàm difficilis videtur & ardua res, ſic appoſitè dicere, ut perſuadeas quod velis; ita dominari hominum animis, ut, quos placuerit, ciere ac ſuſcitare motus valeas; adeo regere voluntates, ut eaſdem inclinare partem in omnem ad arbitrium poſſis; quàm operoſum quidpiam eſt, ſufficere rationem ac modum, quibus id efficias; aperire certum viæ tramitem, per quem inoffenſo pede propoſitum finem aſſequaris; eam denique diſpenſare ac temperare præceptorum vim ac ſeriem, quibus utendis fias votorum compos, & in magnum Oratorem evadas.

Hìc verò inclamantes audio qui Rhetoricam valere jubent tanquam inutilem, & præceptionum uſum omnem amandant penitus ac proſcribunt. Nam cur, inquiunt, quod pertinet ad convincendos animos aut inclinandas voluntates hoc ſibi ſumat Rhetorica pertractandum; quaſi Natura, Magiſtra melior ac potior, alienis præſidiis indigeat, nec ſibi ſufficiat una, cùm ut videat quod in unoquoque penitius eſt, tum ut proferre poſſit ex ſuo, quod eſſe perſenſerit ad vim faciendam magis idoneum? Nempe Rhetorica continet boni quidpiam, quod Natura non dictaverit priùs, aut dictare etiamnum audire illam volentibus non paret?

Hæc ſunt, Auditores, quamobrem Rhetoricæ ſtudium eliminandum putent tanquam inutile ac ſupervacaneum, qui è Philoſophicis commentationibus omnia metiuntur. At videant illi, amabo, quàm multas una cum Rhetorica facultates ac diſciplinas proſcribant. Nam quid ſunt aliud diſciplinæ omnes, quàm felices quidam Naturæ partus, quos totidem veluti ſcintillas ſilicum in venis abſtruſas ingenii vis meditando extudit? Quid tanta Principiorum varietas ac multitudo, quibus tanquam fundamentis nituntur illæ, niſi dulces ſpeculationis diuturnæ fructus, qui aſpirantibus ad eandem laudem non læto minùs ubere proveniant.

Ergo Scholas veſtras deinceps claudite, incendite plena illa eruditionis annoſæ volumina, laborum vigiliarumque veſtrarum ſpem & ſolatium vel inviti deperdite, Philoſophi, Mathematici, Juriſperiti. Quidquid excogitatum à vobis ſolerter, quidquid ſcriptum ingenioſè, quidquid poſteritati feliciter tranſmiſſum eſt ad ſtimulandam juniorum curioſitatem, ad ſuſcitandos ingenii igniculos, ad acuendam mentis aciem, nullius hodie ponderis ac momenti eſt. Valeant illa quæcumque ſufficiſtis diſcendi adjumenta, quibus inſtructi hactenus novelli Candidati, velut benignæ facis ad lumen, tenebricoſos ſtudiorum per Mæandros tutò inceſſerunt. Ecce nova lex à peritioribus Magiſtris edicitur, novum mandati genus emanat. Permittendi ſunt propriis viribus teneri recenteſque animi, præceptis illi vel documentis non egent, quibus Natura dedit ingenium, quod cogitando, meditando, ſpeculandoque exerceant. Exurgent brevi ex ſeria frequentique contemplatione novi Paſchalii, novi Cartheſii, quo prope modo prodeunt ex alveariibus apum examina, aut ſicut illi, quos de ſatis dentibus natos ferunt; cataphracti milites naſcentur ex improviſo, contra genus omne Præceptionum parati decertare.

Verùm eſto; neque Magiſtris, neque Præceptionibus egeant cæteræ diſciplinæ, ut perdiſcantur; ſatiſ-

que comparati videantur ex ſe ſe , qui ad eaſdem pertractandas accedunt , ſi vim inſitam bonæ mentis aſſidua meditatione promovere voluerint. At nemo tamen peritus Orator evadat , niſi magiſtram dicendi Rhetoricam adhibuerit. Nam cùm diſciplinæ illæ, quæ dicuntur eſſe in contemplatione poſitæ , principiis immutabilibus certiſque nituntur fundamentis, quæ nec locorum aut temporum varietati obnoxia ſint , nec à diverſis populorum moribus atque inſtitutis dependeant ; tum , quocumque terrarum diverteris, commodam habes ubique doctrinæ ſupellectilem ; quæ , peregrinus & hoſpes ipſe dum videberis , in eodem nata & comparata ſolo videri poſſit.

An eſt eadem Eloquentiæ ratio , Auditores? an eſt illa ſemper & ubique ſui ſimilis ? Itane unum eundemque tueri poteſt ac retinere apud omnes modum, ut ſe hominum indoli, moribus, ingeniis non accommodet ; ut non inquirat in ipſam rationem locorum ac temporum; ut non deguſtet mentes ſenſuſque eorum , quibuſcum actura ſit ; denique ut tam varias induere ſe in formas , tam multiplex ipſa videri non debeat , quàm illi ſunt , quorum uti commercio ac ſocietate tenentur?

Fulminat Athenis Demoſthenes Entheo ſemper plenus afflatu , excandeſcit in Philippum , invehitur in Midiam , debacchatur in Eſchinem , Solem , Stellas , Deo teſtatur . Nullas niſi vividas, acres, & ad perturbandos animos comparatas figuras adhibet . Si dicturus ad Populum Athenienſem , prodit in theatrum , illum admonet duriter , acriter objurgat, & nulla vel generis, vel potentiæ, vel dignitatis habita ratione, eodem omnes ponit in loco.

Contra Tullius mirabilis in ciendis affectibus percellit primùm animos Orationis amplitudine, gratia, lepore, magnificentia: mox inſinuat ſe ſolerter, & dum mentes ſuſpenſas tenet ac defixas rerum admiratione, aditum ſibi facit in voluntates, eaſdem tangit, demulcet, flectit, quacumque vel tangi , vel demulceri , vel flecti poſſunt; rapit illas denique vel reluctantes , & rapiendo ſuavitate quadam perfundit.

Unde porro tam diſſimile , tam diſpar in utroque Oratore dicendi genus ? an quià acrior ac vividior indoles in Altero, in Altero mitior ac temperatior fuit? Id certè prætexendum exiſtimet, qui diverſum Græci Romanique Populi ingenium non norit. At quoniam erat Athenienſibus animus ferox, ſuperbus, levis , invidus, turbarum ſeditionumque appetens , requirebatur illud dicendi genus , quo percuteretur tanquam ictus fulmine , & coactus pati rationis imperium , ſponte reciperet jugum , quod detrectabat. Ergo debuit Demoſthenis Oratio ferri more turbinis & audientium cogitationes evertere , occupare ſenſus , deſtruere præjudicia , aſſenſum extorquere . Hinc quot illi verba , tot fulgura diceres, quæ mentis oculos perſtringunt , aciem hebetant , caliginem offundunt : quot ſententiæ ſunt, tot procelloſos ſenſeris ac furentes Auſtros, qui quatiunt animam ſuis de ſedibus , & altiſſimas quaſque opinionum radices evellunt penitus atque diſſipant.

Romanis verò cùm erat natura mitior ac benignior , quæ vinci exarmarique humanitate ac modeſtiâ non erubeſceret, tum noverat ſatis Tullius, non tam mentes eſſe percellendas, quàm demulcendas voluntates, inſpirandum amorem potiùs eſſe , quam timorem incutiendum . Hinc

ille,

Digitized by Google

ille, quà ſenſerat tentari inflectique corda poſſe, convertebat illuc dulces illas gratiarum illecebras, quæ imparatos ſuaviter occupant, irretiunt volentes, vim inferunt minimè repugnantibus; & dum rerum omnium chariſſimam auferunt libertatem, neſcio quid libertate dulcius in ipſa ſerviendi neceſſitate ſufficiunt.

Agite nunc, quotquot eſtis oſores Præceptionum, & omnis bonæ diſciplinæ emendatores; cujus erit ex vario multiplicique dicendi genere illud ſeligere potiſſimum, quod unicuique conveniat magis; & quoniam accommodare ſe hominum indoli, moribus, inſtitutis debet ille, qui Oratoris munus ſuſcipit, quis rudem & imperitum rerum tyronem erudiet? quis vim legum explicabit, inſtitutorum rationem evolvet, populorum conſuetudines, ritus, Religiones interpretabitur? quis in tanta caligine præferet facem, & intricatas tot difficultatum ambages reſolvet? Anima, credo, ſpeculatrix, ſuiſque unis attenta motibus intelliget, quid cæteri opinentur; rimabitur ſenſus varios, de moribus exterorum cognoſcet, quo ſit pacto affectus quiſque, odorabitur; quò feratur, quò inclinet, quas adduci poſſit in partes, ex ſuis ipſa cogitationibus, ſententiis, affectionibus metietur? Ergo ſit Ars aliqua neceſſe eſt, quæ hac provincia defungatur, quæ in ſcrutandis naturis hominum, variiſque ac diſtantibus inter ſe moribus cognoſcendis verſetur.

Sed quid vetera requirimus? Hæc ipſa, quæ reperitur apud varios Europæ populos ingeniorum morumque diverſitas, quàm diverſa efficit hodieque dicendi genera, quæ nulla naturæ vis, niſi Artis inſtructa præſidiis unquam aſſequatur! Cui veniat in mentem, quantumvis illam meditando torqueat atque excruciet, Eloquentiæ genus illud, quod apud Orientis populos in uſu eſt? Illi propioribus vicini ſolis veluti radiis afflati, luminoſis ubique fulgentem ornamentis Orationem ambiunt: diceres mortalitatis oblitos in cœlo ſemper verſari, tam ſe efferunt ſupra id omne quod terrenum eſt, & nihil præter Divinitatis ipſius nomina meditantur aut ſonant!

Elatam verò, turgidam ac faſtuoſam Hiſpanicæ gentis in dicendo gravitatem æmulari cogitabit aliquis, ſi naturam unam in conſilium adhibuerit? Quot illis verba, tot effata; quot dicta, tot oracula ſunt. Nec Deus ipſe, ſi quid Carolo Quinto Hiſpanorum Regi creditur, humano ore loqui ſi velit, magnificentiùs vel ſentiat, vel loquatur.

Quod ſi reviviſceret hodie Tullius, & Romæ, quam olim Eloquentiæ ſuæ rapuit in admirationem, redderetur; an Romam in ipſa Roma jam agnoſceret, aut apud Romanos hujus temporis foret in pretio, niſi priſtinum dicendi morem dediſceret, & novam, ſectatus Eloquentiæ formam ſe ſe hodiernis Romanorum moribus accommodaret? Nam quis diſertus inter eos inprimis & Eloquens? Qui tam ſubtilis in cogitando, ut mentis aciem effugiat; cujus laus non tam à ſolido ſinceroque judicio, quàm ab imaginandi ſolertia, non tam à ſimplici & ingenua naturæ imitatione, quàm à ſpecioſis fucatiſque luminibus repetitur. Quem crebræ frequenteſque Antitheſes, argutiæ & acumina verborum, mollia pexæ juveniliter, & ad pompam phaleratæ Orationis lenocinia commendant: denique qui blandiri auribus feliciùs & adulari noverit, is diſerti Oratoris palmam ferat, & reliquis facilè præponatur.

Nos verò Galli, qui videmur nobis veram Eloquentiæ ſpeciem ac for-

mam ſic effinxiſſe animo, ut, quod ſentimus cumque vel loquimur, ſublimitatem & excellentiam cum nativo lepore, gravitatem & magnificentiam cum ingenua ſimplicitate præ ſe ferat; an arbitramur laudem hanc, quam vindicamus nobis, ita naturæ ſolius eſſe propriam, nihil ut arti debeat? ut ut eſt; diffiteri certè non licet, quin hæc ipſa Eloquentiæ gloria, quam feliciter partam ambitiosè oſtentamus, brevibus unius imperii anguſtiis circumſcripta ſit, neque ulteriùs propaganda videatur, niſi Artis beneficio novam veluti formam induat, & ſe ad variam populorum indolem, diverſos eorumdem mores aptet ac fingat. Quod niſi fecerit, Auditores, nihil eſt apud nos tam grande, quod Orientalibus tenue, depreſſum, humile videri non poſſit. Quam ſectamur in dicendo nativam ſimplicitatem, hanc Hiſpani tanquam alienum quiddam à dignitate ac majeſtate Orationis deſpicient; temperatum denique moderationis & ſapientiæ legibus dicendi genus, quod ſequimur, veluti mediocris ingenii partum Itali cavillabuntur & illudent.

Nunc fate; quis naturam admonebit ſuis uſque defixam commentationibus, quoties mutationem aliquam Eloquentia patietur? Eſt enim illa rerum earum de genere, quæ certam ac ſtabilem conditionem non habent; ſed quod ingeniis ac moribus uſuvenit, ut converſionibus ac viciſſitudinibus obnoxia ſint, id ipſum Eloquentiæ ſoleat adhæreſcere. Sic parens Oratorum Plato levem & in verbis poſitam, Pericles deinde graviorem & fœtam rebus Eloquentiam eſt confectatus. Fuit Craſſo, Cottæ, Antonio multum diſcrepans dicendi genus ab eo, quo Romani veteres utebantur. Quid Plinium, Caſſiodorum, Symmachum, Pacatum, Mamertinum, Ennodium loquar; quantùm à Ciceronis magnificentia, vi, lepore, gratia defecerunt! Tamen ſuis illi omnes placuere temporibus, nec placere potuiſſent, niſi conſuluiſſent Artem illam, quæ in excubiis veluti poſita, & variis attenta mutationibus admonebat ſedulò, quid ſequerentur, & quam inirent viam temperandæ Orationis eorum moribus, quibuſcum viverent.

Ecquid porro de nobis ipſis dicemus, Auditores? An una ſemper eademque Eloquentiæ ratio placuit in Gallia, aut pretium habuit & commendationem? Fuit tempus illud, neque tam diſſitum eſt adhuc à nobis, cùm doctrinæ vis & eruditionis ſincera laus partem in Eloquentia potiſſimam ſibi vindicaret. Quo in genere ſuſpexit olim Gallica Curia, & gratiſſima cum voluptate meminit etiamnum hodie Bignonium, Virum tam excultum Literis omnibus, ſic in divino civilique Jure verſatum, ita contritum totius cùm ſacræ tum profanæ Antiquitatis notitia, ut ab ipſius ore tanquam ab uberrimo fonte perennes doctrinæ rivi profluerent. Neque verò vel aruit in ipſo, vel ſtetit fons ille rerum omnium copioſiſſimus, ſed propagatus feliciter in nepotes Literariam Rempublicam fertilibus aquis pergit inundare. Teſtis ille mihi, quem gratul tur ſibi Præſidem Academia Scientiarum, quem & avitæ eruditionis digniſſimum heredem ſic agnoſcit, ut ab eodem ditatum ſermonis lepore ac gratia patrimonium fateatur.

Mox verò ut excoli cœperunt hominum noſtrorum ingenia, & quemadmodum reliquis in rebus, ita & in Literis politiorem elegantiam adamare, viſa eſt etiam ire comptior & or-

ornatior Eloquentia, & Orationis floſculos ac veneres diligentiùs conſectari. Neque verò parum illa debuit his temporibus Guillelmo Lamonio Senatus Principi, qui, ut erat ipſe elegantiſſimo ingenio, & omni genere Literaturæ politioris excultiſſimo, quoties perorabat in Senatu, quod frequenter faciebat, ſic doctrinæ forenſis apparatum condiebat ubertate & amœnitate ſermonis, ut tam perfectus Orator, quàm cumulatus omni laude Magiſtratus audiret.

Quo certè minùs quis mirabitur, Lamonium Filium, qui de Patrono Æquitatis ejuſdem arbiter ac judex factus eſt, * uti in omnibus, ſic in dicendi gratia viſum fuiſſe Parenti ſimillimum, dum Æquitatis Jura unà cum Talæo, quem ereptum nobis requirimus, ſuſtineret. Suſpexit Curia multos per annos geminum illud Fori lumen, & in utriuſque patrocinio Gallia decus ac præſidium experta eſt. Talæus, peracri quanquam vir ingenio, minùs natam ad Eloquentiam indolem, longo conſtantique labore ſic perfecerat, ut Orator natus videri poſſet? Lamonius natura diſertus & eloquens novam ab eruditione gloriam & politiorum Artium cultura mutuabatur. Illius vivida, preſſa, incitata ferebatur Oratio; hujus magnifica, ſublimis, limata incedebat. Talæo, quod ab actionis elegantia deeſſe poterat, id gravitas verborum, & ſententiarum majeſtas facilè compenſabat; Lamonio laudes ad cæteras hæc ſingularis virtus accedebat, ut, quæ graviter diceret ac copiosè, vocis & actionis dignitate decoraret.

* ab Oratoris in Senatu Regii munere ad Infulati Præſidis dignitatem conſcenderat.

Neque prætermittendus ille nobis quem ſucceſſorem habuit Lamonius, quem & ſublatum ante tempus non Curia tantùm, cui diſertiſſimè peroranti toties applauſit, ſed boni omnes, quos patrocinio adjuvabat, deſiderare non ceſſant; quamvis in chariſſimo Fratre vivam ac ſpirantem ſui ipſius imaginem reliquerit. Erat in eo naturalis, non fucatus nitor, ſano ſolidoque judicio plena mens, quæ nunquam declinaret à vero, ſed in difficillimis intricatiſſimiſque rebus propoſiti tenax uſque damnaret, quod damnandum erat, quod erat abſolvendum, abſolveret.

D. Fleuery.

Atque utinam Oratores illi præſtantiſſimi meditationibus noſtris permiſiſſent tot abſoluta Eloquentiæ ſanioris exempla, quàm uberes inde præceptionum utilium fructus Rhetorica noſtra colligeret; quos novi illi correctores & emendatores ſtudiorum, quantumvis ſpeculando ſe excrucient, nunquam comparabunt.

Saltem ſi ſtudiorum ratio officiorumque neceſſitas paterentur adeſſe nos in Foro aſſiduos, quoties aut in momentis controverſiarum expendendis, aut in quocumque alio argumento verſantur, qui Actoris Regii partes jamdudum exercent, quàm multas liceret obſervare virtutes, unde Eloquentiæ Candidati ſibi exemplum ſumerent! In altero copioſum mirarer, fertile, inexhauſtum dicendi genus, tantam ad pervidendas, expediendas, reſolvendas cauſarum ambages facilitatem, ut cùm imparatus plerumque accedere cogatur ad dicendum, paratiſſimus tamen ſemper videatur acceſſiſſe.

In Altero, qui ſtare maluit cum Patronis, quàm ſedere cum Judicibus, conciſam ac preſſam Eloquentiam proponerem. Is enim, uti perhibetur apud Ciceronem extitiſſe famoſus ille Scævola, cùm peracutus eſt ad excogitandum, quid in jure aut in æquo verum ſit, aut non ſit, tum verbis ad rem cum ſumma brevitate decidendam mirabiliter aptus eſt. De Clar. Orator.

Sed omnium inſtar foret auguſtiſ-

ſimi Senatus Princeps Harlæus, qui admirandæ quidem, at vix ac ne vix tamen aſſequendæ exemplum Eloquentiæ quotidie ſufficit; tam illa nobile quidpiam ac ſincerum præfefert: certum antiquæ nobilitatis rectique animi ſpecimen; cujus hæc ſingularis in dicendo virtus eſt, ut vox redundet nulla, nulla non videatur axiomatis habere locum poſſe: quem laudatorem qui haberemeruit, is præconem alium non ambiat, adeo ſegetem laudandi omnem brevi elogio exhauſtam fuiſſe, quantumvis laudis ambitioſus fateatur.

Quanti eſt, Auditores, ad Eloquentiam, ut opes iſtæ non pereant; ſed ars ſit aliqua, quæ diviſas in multis ita colligat, ut contra novitatis faſtidia, & nativam temporum inclinationem eiſdem ſecuritatem præſtet.

Nam ſi ad Linguæ Gallicæ perfectionem tuendam promovendamque pertinere viſum eſt, ut ex præſtantiſſimis delicatiſſimiſque ingeniis Academia inſtitueretur, quorum ex arbitrio refigerentur vocabula, quæ ſeneſcerent, & nova, quæ procudiſſet uſus, in honore haberentur. Si ſocietatis illius auctor atque inſtitutor Richelius, vir ille excelſæ mentis præſtantia, dexteritate ingenii, eruditionis laude, amore Religionis, rei Gallicæ ſtudio, rebus cùm pace, tum bello præclarè geſtis inferior némini, nihil ad propagandam nominis ſui famam, nihil ad Galliæ ipſius honorem, cui ſerviebat unicè, fecit illuſtrius, quàm cùm ſermonis patrii gloriam ab injuria temporum & viciſſitudinum neceſſitate vindicavit; ſupervacaneum & inutile videbitur eſſe Artem aliquam quæ præſit variis Eloquentiæ vicibus, eaſdemque regat ac moderetur. Neceſſarium cenſebitur Tribunal illud, in quo ſeverum ſiat de locutione, de vocibus examen; nullum erit quod de rebus ipſis pronunciet? Intererit plurimùm ad Gallici nominis dignitatem, nullum ut teratur uſu vocabulum, cui nobiliſſimi pariter ac ſcientiſſimi conſeſſus ſuffragatio ſuum decus ac pretium non fecerit? Interim Reſp. literaria non exiſtimabit eſſe rerum ſuarum, à maledicentium contumeliis tueri Rhetoricam, quæ, pro ratione temporum dum admonet, quid deceat, quid conveniat magis, quod placeat in Foro dicendi genus, quod delectet in Aula, quod ſacris etiam in concionibus ſit aptius ad perſuadendum, ſuam Eloquentiæ aſſerit laudem, eidemque fatales inter rerum omnium viciſſitudines, à quibus nec ipſa præſtari poſſit incolumis, certum quoddam jus perennitatis impertit.

Hactenus, Auditores, quàm non inutilis ad Eloquentiam Rhetorica videri debeat, demonſtravimus. At inclamant adverſarii; non inutilem modò, ſed & perniciosam juventuti à nobis Artem exerceri: id porro quàm perperam in nos jactitent, altera Orationis parte demonſtrandum.

Nam unde tandem tam exitioſi juvenum animis videri debemus nos Rhetores? ſcilicet, inquiunt illi, Juventutem occupamus in nugis, dum melioribus ſtudiis ac diſciplinis eſſet imbuenda; quo fit ut teneri recenteſque animi, dum nihil niſi puerile ſapere docentur, pravas induant quacumque de re opiniones, & res maximè ſerias, etiam cùm adoleverint, tractare pueriliter aſſueſcant. Nam quid aliud facimus, inſultant illi ferociter, dum puerorum memoriam inani præceptorum multitudine obruimus, dum barbara mille nomina ingerimus, dum mentis aciem in tornandis conformandiſque Periodis obtundimus, dum illuſtrandam Figuris ac Tropis orationem II. Pars.

præ-

præſcribimus, dum in ludicris argumentis ſtylum ſolertiamque deterimus?

Intelligere potuiſtis, Auditores, ex iis quæ de Præceptis Rhetoricæ jam diximus, num ſit illud unum quod agamus in Scholis? At hoc ipſum, quod reprehenditur, an inventum Juventutis in perniciem debet reputari?

Liceat appellare ad veſtram fidem, Auditores; liceat interpellare eos in noſtra cauſa, qui ſuam gravioribus in rebus perſpicaciam atque æquitatem approbant. Veſtrum eſt arbitros eſſe ac judices hodiernæ controverſiæ; veſtrum eſt cognoſcere, quam ineamus in inſtituenda Juventute rationem; ne dum liberos veſtros noſtris curis ac laboribus erudiendos pro veſtra humanitate traditis, tam ſingulari benevolentia abuti videamur.

Ergo non licebit Juventutem in ſcribendo laudabiliter occupare? damnoſum videbitur, quos inſtillando præcepta exſuderimus, ingenii igniculos excipere; &, ne diſſipentur illi, eiſdem veluti pabulum in ſcribandis argumentis miniſtrare? abutimur otio Juventutis, dum in ludicris Exercitationibus animos ad majora præparamus? Nam cur in nobis unis damnabitur, quod in reliquis Artibus laudem ferat atque commendationem? Non exercentur in delineandis calamo vel carbone figuris levioribus, quos pingendi gloria incendit atque extimulat? Non ipſi ſtatuariæ artis magiſtri imitantur in cera vel argilla vultus illos, quos vivo ducere de marmore, vel in ære ſpirantes cudere meditantur? Non decurrunt centies in Circo, qui ad palmam equitando partam aſpirant? Non Heroes fortiſſimi ludicris in certaminibus experti ſunt, quod medias inter hoſtium acies eſſent aliquando præſtituri? Non ipſe Dux Burgundionum fortiſſimus edere voluit in Caſtris Compendienſibus ſpecimen aliquod illius fortitudinis atque ſapientiæ, quam non ita multo poſt in Briſaci expugnatione, quam in regendis Regiis exercitibus exhibuit? Nos interim, quorum ſtudio atque induſtriæ formandi inſtituendique Juvenes permittuntur, quorum alii cùm in orandis, tum in referendis cauſis, alii in erudiendis populis, alii in habendis ſacris concionibus operam ſuam atque ſolertiam olim collocabunt; abuti cenſebimur eorumdem otio, aut etiam hebetare mentis aciem, ſi jam tum auſpicemur levia quædam Artis illius rudimenta, quam grandiores pertractabunt? Si varia ſufficiantur illis Oratiuncularum argumenta, in quibus ſe ingenii acies exerceat? ſi jubeantur identidem magnorum Oratorum ſuſtinere perſonam, & de gravibus rebus, etiam in ampliſſimo cœtu, habere ſermonem? Si Scholæ noſtræ nonnunquam mutentur in Forum, & ſpeciem referant auguſti Senatus, ubi ſit alter qui accuſantis, alter qui defendentis partes tueatur? Ubi nec deſit etiam, qui quod dictum eſt utrinque verboſiùs, id preſſiùs retractet denuò, & judicis atque arbitri partes ſuſtineat? Si ponantur in medio controverſiæ ejuſmodi, quæ fictæ ſint licet ac ludicræ, plerumque tamen in contentionem cadunt, & in judiciis ipſis verè ac feriò agitantur?

Id tamen in nobis ſi reprehenditur, nullo habebuntur loco tot eruditæ Quintiliani Exercitationes in gratiam Juventutis elucubratæ? refigendus erit ille mos jam inde ab Auguſti temporibus uſurpatus & ad nos prorogatus uſque, ut ſcribendo Candidatorum Rhetorum ſtylus acuatur? Irridendus Demoſthenes, qui ſic

mens imbuta fuerat, plurimùm laboris adhibere contigerit?

Veſtram fidem, veſtrum judicium, ampliſſimi Senatores, viri omnium ordinum, quotquot hìc adeſtis, ſapientiſſimi, qui veſtra, qui cæterorum experientia feciſtis aliquod noſtrorum ſtudiorum periculum; an perſenſiſtis ad hunc uſque diem noxiam juventuti extitiſſe, quam inimus ejuſdem inſtituendæ & erudiendæ viam? Non ita ſe res habet; aut certè indulgentes vos nobis plus æquo, ne dicam parum ſinceri, qui, quoties venitis ad nos, quod honori ducimus, hanc ipſam, quam profitemur, Artem tam extollitis; qui eum, quem obſervamus, morem veſtro calculo comprobatis; qui noſtra ſtudia reliquis omnibus, quibus Juventus incumbit, facilè anteponitis; qui nihil tam commendatis induſtriæ noſtræ, ſi qua eſt, liberorum veſtrorum, aut propinquorum, aut amicorum in gratiam, quàm ut pretioſum, ſic enim vocatis illud, unius anni aut etiam biennii tempus, quod ponendum habent in Rhetorica, crebris & aſſiduis Exercitationibus conteratur; quibus nihil tam placet, nihil tam jucundum ſolet accidere, quàm ſi agitare cauſas interdum vobis præſentibus, & auſpicari jam tum Oratoris officium jubeantur?

Sed quid ego vos indulgentes nobis plus æquo, aut etiam minùs ſinceros appellem, niſi veſter animus cum lingua conſentiat? Næ prudentes vos parum, parcite ſi dicam, Auditores, næ vos eorum Juvenum, quibus cum aliqua neceſſitudo vobis intercedit, parum amici, quos damni illius memores, quod ex noſtra diſciplina pertuliſtis, non pigeat eandem ipſis providere inſtitutionem, & adoleſcentes vobis chariſſimos pernicioſiſſimis ſtudiis permittere. Ecce novum exurgit Academiæ genus, novum aperitur Lycæum, nova inſtituitur Palæſtra, in qua ſe juvenum animi feliciùs exerceant. Illuc adite celeres, convolate frequentiſſimo comitatu, perducite juventutem veſtram ad felices illos fortunatoſque fontes, unde tam uberes Eloquentiæ rivi profluunt; ſufficient illi, unde omnes bibant affatim, & diſerti Oratores repente prodeant. Præſidet illic quovis Apolline Numen præſentius, quo feliciter afflati eos haurient ſpiritus, qui dicendi vim, ubertatem, elegantiam inſpirent.

Fallor; ſuſpicione diſſimulationis caret tam publica vox, & communis ſapientiſſimorum hominum ſuffragatio: & quantumvis explodendas & eliminandas conclament exercitationes noſtras Magiſtri recentiores, retinendum putant antiquum morem, nec ſibi illudi patiuntur.

Hìc verò, ſi liceret, Auditores, inveſtigare ſenſus hominum, & intimas ſubire atque expiſcari meditantium altiùs animorum cogitationes, inquirerem ego lubentiùs quod illi ſibi propoſuerint novi ſtudiorum emendatores conſilium. An quia pulchrum eſt unum videre cæteris acutiùs, &, quod omnium fugit perſpicaciam, id ab uno potuiſſe deprehendi? At periculoſæ plenum eſt opus aleæ interponere ſe judicem, ubi nulla controverſia eſt, & cùm nullum erroris veſtigium appareat, emendare velle errorem. An facere fucum ſperaverunt doctrinæ ſuæ novitate, veteris inſtitutum dum carperent; &, quia novitas ipſa multas habet, hac præſertim ætate, ad demulcendos animos illecebras, an magnum hinc ſibi ad tuendam ſuam hæreſim fore præſidium crediderunt? At neſcio quo accidit ipſorum fato, ut Claſſicum fruſtra cecinerint importuni buccina-

cina-

cinatore, neque Reſp. Literaria queſta ſit quemquam à ſuis partibus deſeciſſe, ut ad alienum vexillum tranſfugeret. Quid ergo dicemus eſſe? An adulari fortè voluiſſent præſtantiſſimis quibuſdam Oratoribus, quos caruiſſe norunt Academiarum luce, & intra domeſticos parietes prælusiſſe ad illam gloriam, quam dicendo conſecuti ſunt?

Abſit, Auditores, ut debitam illis, ſi qui ſunt ejuſmodi, laudem præreptam velim. Imò fatebor ultro eoſdem videri tanto laudandos magis, quanto difficiliorem viam ad laudem ingreſſi ſunt. Verùm quot illi ſunt, amabo, qui partum Eloquentiæ decus uni induſtriæ ſuæ debeant? qui primordia gloriæ illius, quam adepti ſunt, ab Rhetoricis Exercitationibus non inchoaverint?

Hinc verò triumphent adverſarii, per me licet, & exemplis tam ſingularibus ad explodendam inſtituti noſtri rationem abutantur. Quaſi verò, quod prodigii cujuſdam loco eſt, id trahi in argumentum debeat, & paucorum exemplum poſſit experientiæ multorum prævalere.

Quàm ampla enimverò mihi ſurgeret Orationis ſeges, ſi vellem, aut ſi potiùs multitudo ſineret, appellare conſpicuos tota Curia & omnium ſuffragio præſtantiſſimos Oratores, qui prima eruditionis illius atque facundiæ, cui quotidie Senatus applaudit, poſuere noſtris in Academiis fundamenta, eoſdemque puriſſimos ac neceſſarios veræ ac germanæ Eloquentiæ fontes agnoſcere non dubitant. Nam quid aliud faciunt Exercitationes illæ, quibus in Rhetorica Juventus indulget, niſi ingenii igniculos veluti cineri doloſo ſuppoſitos excutiunt? niſi ſcaturientes undique nativæ ſolertiæ uberes rivulos ſedulò colligunt, & per defæcatos canales fluere eoſdem perdocent? Hinc fit ut eorum non pauci, cùm recedunt ab officina noſtra tanquam recentes ab incude nummi; & ipſam Fori auctoritatem non veriti ſpecimen aliquod partæ apud nos facundiæ præbent, rapiant oculos in admirationem ſui, & non rudis tantùm aut adumbrati leviter, ſed exercitati jam diù multùmque Oratoris formam exhibeant.

Teſtis adeſt locuples Juvenis ille Magiſtratus, cui in Præſidiali Curia Actoris regii partes tuenti univerſa Civitas toties applauſit; ſi tamen juvenis ille dicendus eſt, qui juvenile nihil habeat præter ætatem. Teſtis, inquam, ille locuples, quale ad ſummam Eloquentæ laudem Rhetoricæ Exercitationes momentum conferant. Adolevit ſcilicet inter nos felix illud ingenium, & natam ad magna quæque indolem pro virili parte promovimus. Neque verò jam tum nobis latuit, qualis & quantus Orator eſſet brevi futurus, & quàm in ipſo, quoties aut agitat cauſas, aut perorat, hodie mirantur omnes, quam ipſe miratus ſum non ſemel ingenii vim, ſententiarum gravitatem, ſermonis elegantiam, Actionis concinnitatem & affluentem omni lepore oris totiuſque hominis gratiam, id ipſum omne, quantum quantum eſt, Rhetoricis in proluſionibus & fictis in cauſis præferebat. Quò non pertinget ille, ubi numerus annorum acceſſerit? Quanquam quò evolare poſſit altiùs, quem communi voce jam ambivit Principem Patronorum Collegium, & dignum tam conſpicuo munere judicavit?

D. Chauvelin.

Ignoſcite, Auditores, hic ſi viſus ſim propenſiſſimo meo ſtudio indulgere pluſculum. Eſt hoc laborum noſtrorum ſolatium & merces non invidenda, ſi, quam nobiliſſimæ Juventuti educationem impertivimus,

tanti-

eandem rei Gallicæ honorificam, & populorum commodis fructuoſam nobis poſſimus gratulari.

Superſedeo pluribus, Auditores, & quoniam, neque ſupervacaneum, neque pernicioſum multo minùs videri debet Rhetoricæ ſtudium, uti falsò jactitant ac paſſim circumferunt qui nobis adverſantur; deſinant illi tandem aliquando fucum facere inanibus præſtigiis, & idoneam magis ſterilibus atque infructuoſis commentationibus materiem mutuentur. Non eſt tam exhauſta ſubtiliſſimis Philoſophorum ingeniis Metaphyſica, ut amplam exercendæ perſpicacitatis illius, quam nacti ſunt, ſegetem non inveniant.

Nos interim eiſdem, uti fecimus hactenus, vacabimus ſtudiis: ac licet flagitanti mihi jam dudum miſſionem, & volenti ultro decedere peritioribus ulteriùs fuerit in eodem ſtadio decurrendum, nihil immutandum putem de priſtino more docendi. Felix fortunatuſque ſatis, ſi, quibus placere impenſiùs velim, ſapientiſſimi omnium Ordinum Viri conſuetudini noſtræ ſuffragentur; doliturus, ut fatear quod res eſt, mirum in modum, ſi ſpe & expectatione noſtra deteriùs probari eiſdem contigiſſet.

RES

Digitized by Google

RES PROSPERAS HOSTIBUS MINUS GLORIÆ, QUAM ADVERSAS, GALLIS PEPERISSE.

Oratio habita Anno M. D. CCVII.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI CAROLO LE GOÛX DE LA BERCHERE, ARCHIEPISCOPO

Eidemque Primati Narbonenſi, Comitiorum in Occitania Præſidi nato.

C*Um hinc proficiſcereris* , ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *ad Occitaniæ Comitia* , *quæ Te perpetuum ſibi Præſidem gratulantur* : *meminiſti ſcitari Te ex me* , *amicè* , *ut ſoles ſemper cæteris in rebus* , *quæ ad me pertinent* , *quod demum habendæ pro more Orationis argumentum ſelegiſſem* : *& quoniam non licebat Tibi* , *quod feciſti non ſemel* , *& quod* , *pro ea*., *quam impendis mihi* , *humanitate*, *facere hoc etiam anno voluiſſes*, *perorantem præſentia tua cohoneſtare*; *juſſiſti*, *ut* , *quam vix ac ne vix quidem informaram animo* , *rerum dicendarum ſeriem* , *ut erat rudis adhuc & indigeſta moles*, *enarrarem*.

Parui ; *neque improbaſti conſilium* , *Tu* , *qui peritus es rerum æſtimator* : *&* , *quod* , *dum proponerem palam* , *Paradoxi cujuſdam inſtar viſum eſt hominibus non paucis*, *ipſe ſenſiſti inventum appoſitè ut perſuaderi poſſet*.

Addidiſti animos, *ut fatear quod res eſt*, PRÆSUL AMPLISSIME: *& fretus judicio tuo* , *cæterorum auctoritatem minùs pertimeſcendam putavi* . *Imò ſtimulaſti me vel inſcius* , *ut te Orationis ejuſdem* , *quæ jam in lucem prodit* , *interpellarem Patronum* ; *ſi qui fortè malè pertinaces in ſua hæreſi permanerent*.

Utinam opuſculum hoc meum morari oculos tuos poſſit ! *Neque verò id ipſum vererer mihi polliceri*, *ſi quid inſtillaſſes uberioris illius facundiæ*, *qua rapis omnes in admirationem tui*, *quoties ad dicendum accedis*. *Nam quis verba facere viſus eſt aut diſertiùs*, *aut politiùs*, *quàm*

facis;

facis; ſeu cùm Religionis ac Regni jura in Comitiis tueris, ſeu cùm in Aula ſingulos prope per annos honorifico Oratoris munere apud LUDOVICUM *defungeris.*

Scilicet eloquentiæ tanta vis ac gratia, qua polles, fructus eſt, cùm ſublimis illius vividæque mentis, quam inſevit natura, tum eruditionis ſummæ, quam aſſiduus labor, & conſtans divinarum pariter ac humanarum Literarum ſtudium peperit. Felix Eccleſia Narbonenſis, cui, dum impertit illa Tibi eum dignitatis apicem, quo vix ullus eſt in Gallia major, Tu viciſſim perfectum cumulatumque omni laude Paſtorem ſufficis.

At non ille, quo fulges, honoris ſplendor tam bene conveniens amplitudini generis tui, tam æqua virtutis tuæ merces, obliviſci te patitur bonitatem indolis & comitatem, qua unumquemque humaniter affatimque demereris. Id ego teſtari poſſim unus omnium optimè, quem hodieque reſpicis tam amicè, tam benevole complecteris, quàm ſi idem, quo gloriabar olim, Tibi me neceſſitudinis vinculum conjungeret.

Patere ſaltem, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *ut hunc qualemcumque nactus locum efferendi palam, quod fovebam in ſinu, memorem ac gratum pro conſtanti ac perpetua benevolentia in me tua animum ſignificem; meque tibi deditiſſimum profitear*

GAB. FRANC. LE JAY,
è Societate JESU.

RES

RES PROSPERAS HOSTIBUS MINUS GLORIÆ, QUAM RES ADVERSAS GALLIS PEPERISSE.

ORATIO VIII.

NOvum illud & inſolens videri poſſit, quòd perpetuam rerum ex voto fluentium ſeriem aliquo temporis ſpatio hoſtes interruperint; & quod non fuerat viſum bellis ſuperioribus, hocce præſenti bello fortunam ſibi non iniquam penitus fuiſſe gratulentur, Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides illuſtriſſimi, Ampliſſimi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatiſſimi. Id porro factum quo tandem dicemus fato? an, quod gentibus non ita paucis contigiſſe legimus, homines noſtri ſenſerint animos ſeneſcere, & vitæ mollioris otia priſtinæ virtuti antepoſuerint? At nemo, neque hoſtis ipſe ſorte ſua ſuperbus quantumvis ac ferox, talem inferre nomini noſtro labem ſuſtineat. An rediere tandem victis toties hoſtibus mares animi, & novos heroes ſuo in ſolo, veluti ex improviſo, natos eſſe glorientur? At neque inter eos, quos ambitioſiùs jactitat rerum dominos Fœderatorum Natio quemquam exhibet, cujus ſolertiam ac fortitudinem admiremur tantùm, aut eandem pertimeſcendam admodum arbitremur. An potiùs Regnorum omnium luctuoſam illam eſſe ſortem fatebimur, ut manere eodem in ſtatu nequeant; &, cùm venerint ad ſummum gloriæ faſtigium, nec habeant quò pertingant altius, neceſſe ſit eadem retrocedere tantiſper, & aliquam lætis in rebus moram experiri?

Ut ut eſt, abſit, Auditores, ut diſſimulem, Fortuna quid peccaverit, & quæ pepererit mala, velim excuſare. Fuerit illa levis & inconſtans præter modum, retardarit curſum æquabilem regni florentiſſimi, quod nullæ adhuc tempeſtates, nullæ procellæ conturbarant. At quæ felicitatis noſtræ arbitra voluit videri, fruſtra nocere gloriæ pertentavit. Nihil habuit gloria nominis Gallici inter adverſa quod perderet, &, quæ decus ſuum aſpiranti Fortunæ non debuit, nullum ab eadem reflante ſenſit detrimentum. Imò novum genti noſtræ ad gloriam aditum aperuit ſortis inconſtantia; &, cum defecit à noſtris partibus, ad alienas ut ſe converteret, plus nobis veræ laudis, quàm hoſtibus viſa eſt contuliſſe.

Igitur ne invideamus hoſti inuſitatam Fortunæ melioris indulgentiam, neque ceſſantis apud nos ſortis breve faſtidium incuſemus. Plus illi quodammodo debemus adverſanti, quàm faventi hoſtes debeant, &, ſi quam illi ex proſperis reſus habuerunt gloriam, majorem nos ex adverſis reportamus. Sic eſt, Auditores, neque vereor, ne quid pronunciare videar ambitioſè magis quàm verè; neve accuſer arripere velle ex adverſa fortuna jactantiæ cauſam, quam ſecunda non ſufficit. Veſtrum erit, expenſa mecum diligentiùs rerum ad hoc uſque tempus geſtarum ſerie exiſtimare tandem, hoſtine illudam iniquiùs, qui partam ab ipſo felicibus fatis gloriam elevem ac deprimam; an aduler nobis plus æquo, & fortunæ ſævientis invidia ad novam Gallici nominis commendationem abuſus ſim.

Hoc

Hoc igitur contendo, Res proſperas Hoſtibus minùs gloriæ, quàm adverſas Gallis peperiſſe. Quod utrumque gemina Orationis parte dum conficio, quæſo vos, Auditores, laborantem difficili, ſi unquam aliàs, ac lubrico in loco Oratorem ea, qua ſoletis, attentione ac benevolentia ſuſtentate.

I. Pars. Non eſt poſita levibus in rebus gloria, neque ſe ad illius apicem perveniſſe, quiſquam confidat, niſi glorioſis & inficiandis nemini facinoribus omnium admirationem rapuerit. Occupare urbes, felicem ſortiri certaminis aleam, oſtentare adjectas imperio provincias, non iſta ſunt tam certa veræ gloriæ monumenta, ut victis glorioſiùs vinci non contingat unquam, quàm victoribus vincere glorioſum.

Eſto, demus hoc hoſtibus, quod diffiteri non volumus, ut felicitatis noſtræ curſum morari potuerint: demulſerint illi Fortunam natura ſua levem & inſtabilem; &, quæ vexillis Gallicis videbatur in omne tempus mancipata, avolarit à nobis illa temerè, inimica in caſtra ut fugeret. Habeant, inquam, hoſtes ſibi quod plaudant palmarum ſuarum victoriarumque memores. Verùm niſi dignus & par expectationi fructus res feliciter geſtas excipiat; niſi gloriam illam, quam ſibi initio belli propoſuerunt, adipiſcendam, victores ferant; nihil eſt, quòd ipſum victoriæ decus tam glorioſis, quàm fortunatis in rebus reponendum putent.

Scilicet huc provecta videbatur fortuna hoſtium, unus ut expectaretur hic annus qui gloriam felicitati comitem adjungeret. Hæc ſpes illos ſua ſuſtentabat mirum in modum; neque tot inter adverſarios, quos Gallia patitur, videbatur quiſquam, qui decretorium tandem de nobis triumphum animo non præciperet.

Agite enimverò, an non Auſtriæ Duci partum jam Hiſpaniæ Regnum Germania jactitabat, & gemini exercitus, cui Victoria famulabatur, freta robore, opimam hereditatem ſpreto legitimi Principis jure ſibi pollicebatur? An non triumphabat Anglia, ſpem demum omnem recuperandi deinceps Imperii Britanniæ Regi adimendam confiſa, quæ conſtantibus ipſius ultoribus ſterilis jam diù & infructuoſæ defenſionis faſtidium ingenerari poſſe crederet? An non Hollandia dirimendam brevi ſperabat fatalem ſibi, ut fingit, Galliæ Hiſpaniæque concordiam, neque metuendum ultra ab importuna utriuſque gentis vicinia ſentiebat? An non & Hæreſis ſuſcitaverat apud ſe fortunæ melioris expectationem, &, quos probare hoſtes debuiſſet, fautores ac patronos nacta, veteres ruinas reſarcire meditabatur?

Dicamus quod verum eſt; an non & ipſi ſenſimus periculi, in quo res noſtræ verſabantur, magnitudinem? Et, quamquam neque deſpondere animum contigit, neque procellis ex omni parte ingruentibus infractos videri; tamen terribilis tot hoſtium apparatus, acceptæ cladis non unius recordatio, Victoriæ apud alienos exulantis conſcientia metum incutiebant non levem, & ſuſpenſas ancipitis exitus expectatione fluctuanteſque mentes agitabant.

At non erit ſemper, vel ut votorum ſummam aſſequantur hoſtes, vel ut contrariis utamur fatis. Imò nec interrupta brevibus ſpatiis auſpicati temporis felicitas noſtram gloriam obſcurabit. Sed quemadmodum Solis facies nunquam ſolet eſſe pulchrior, quàm cùm immerſus umbris delituit tantiſper, & diſſipata

pata

pata caligine puriſſimos mundo radios oſtentat : ita probata quodammodo rebus adverſis virtus Gallica, quod unum ad ipſius gloriam deeſſe videbatur, invaleſcet aliquando, & lætiorem ab ærumnis fructum reportabit.

Nam quod habuerunt hoſtes hoc anno rerum proſperarum emolumentum? quid omnes, quid ſinguli perfecere? An adegit Philippum V. Auſtriæ Dux ut calamitati temporum cederet; &, qui jam plaudebat ſibi, jam triumphabat palam tam opportunum nactus gloriæ conſummandæ locum, an demum extremam operi tanto manum admovit?

Gratulemur nobis potiùs, Auditores, & perennes habeamus gratias immortali Deo, qui talem adhæreſcere nomini noſtro labem non paſſus eſt, votorum compos Hoſtis ut fieret. Jam enim Philippi res in tuto ſunt, neque deinceps occurrit quidquam, quod ab æmulis fortunæ ſuæ pertimeſcat. Jam revolat undique hoſtilibus è caſtris Victoria, & officii non meriti, quod adverſariis præſtitit, tandem pœnitens, veteres domeſticoſque penates reviſit. Jam agnoſcunt dominantis imperium, qui jugum excuſſerant, & victoris experiri clementiam malunt, quàm rebellionis pœnas ſubire.

Plaude tibi, Philippe, neque fortis vel iniquæ contumeliam accuſa: fecit illa nimirùm, dum contradicit Tibi, ut, quod jura ſanguinis jam dederant, imperio dignus videreris; & quod natura ipſa non vindicaſſet, id ſingularis ſapientia tua, ingens animi vis ac robur, & æqua gravibus in periculis conſtantia meruiſſent.

Neque verò debita fruſtrentur laude, qui Tibi tam fidele obſequium, tam ſincerum rebus in difficillimis ſtudium exhibuerunt. Gallos dicam, an Hiſpanos tuos, Philippe? Quanquam ambo tui ſunt, digni ambo, quos eodem paternæ charitatis affectu complectare. Tu pervidiſti teſtis ipſe propenſiſſimam utriuſque gentis in Te voluntatem, parem in utriſque fortitudinem, conſtantiam atque æmulationem ſuſpexiſti.

Galli pugnabant foris duce Te atque auſpice, & impetentem imperii fines ultimos hoſtem ſuſtinebant: Hiſpani ſubeuntem ipſa regni penetralia viriliter arcebant. Illos præſentia tua & ſanguinis cognatio ad rem fortiter gerendam hortabantur: hos amor vicarius, & devota Principi ſuo fides acuebant abſente Te, & pares ſtimulos ſufficiebant. Non deterruerunt Gallos adverſi armorum caſus, quin urgerent hoſtem acriter, & pertinaces uſque rerum tuarum defenſores repugnantem Fortunam Virtuti cedere cogerent: non exterruit Hiſpanos urbem Regiam ingreſſus hoſtis, acerrimique tui juris aſſertores patriam ab injuſta vi liberarunt.

Diſcat Hoſtis ſpe fruſtratus ſua, quid ab æmula utriuſque populi conſtantia ſperandum ſit; &, qui videbatur ſibi non ita pridem rerum arbiter, jam concluſus intra breves unius Provinciæ anguſtias caveat, ne aliud non habeat commodum rerum proſperarum, præter pudorem ac dedecus auſis imprudentibus excidiſſe.

Jam quid promovit Anglus, Auditores, qui tot impenſis ac ſumptibus tam multas aluit hoc anno terra marique copias? Hoccine tandem, quod ambiebat jam pridem, eſt conſecutus, ut nos impenſæ amico Principi, quem ejecit ſolio per ſummum nefas, benevolentiæ pœniteret; aut ejuſdem in poſterum tuendæ caperet faſtidium? an poſt graves illos armorum tumultus, poſt

con-

concitatas ubique perturbationes Britanniæ Magnæ Rex junior graviorem hodie apud nos ſortem experitur., aut durius exilium dolet? an imminui ſenſit vel majeſtatis reverentiam, vel ſtudium in res ſuas, vel paternam Ludovici Magni charitatem? an, quoties venit in Aulam & præſentia ſua regales ludos cohoneſtat, ea voluptate non fruitur, ut verendus pariter & amabilis omnibus accedat; ut politioris ingenii, ſolertiæ, dexteritatis gratiam apud peritos quoſque rerum æſtimatores conſequatur?

Quòd ſi temporum iniquitas & operoſi belli moles gravior ſuum avito ſolio Principem reddere non ſinit; ſaltem illuceſcet olim dies ille, nec eximiæ junioris Principis dotes fallax aut leve augurium faciunt, cùm vel mutatis in meliùs animis, & depoſitis ſimultatibus Regem ultro ſuum Britannia excipiet, vel reluctans atque invita patietur. Interim fruere Gallici populi amoribus, Princeps magnanime, fruere Ludovici Magni benevolentia, neque te pœniteat regias ab eo virtutes, & egregiam regnandi formam didiciſſe.

Quid reliquos operoſiùs perſequar? an majorem hîc annus præſtitit Hollandiæ ſecuritatem contra futiles & inanes metus, quos timidæ plus æquo genti felix injecit Galliæ atque Hiſpaniæ concordia? an ille formidoloſus belli apparatus, quem eodem, quo antea, exitu erupturum in Flandriam ſperaverat, quidquam aliud peperit, niſi ut inertes & otioſos æſtate tota virtutis ac conſtantiæ Gallicæ ſpectatores ſufficeret? Imprudens & ſuæ ipſius felicitatis inimica, quæ rejecta partinaciter, quam toties obtulimus, ſecuræ pacis fiducia, quæſtuoſam quietem damnoſæ perturbationi poſthabuit!

Quid dicam de Luſitania, quam ampliſſimæ mercedis expectatio à noſtris partibus in deteriores inclinaverat; an uberiorem hoc anno quàm ſuperioribus neglectæ amicitiæ fructum percepit?

Tuque, ò Sabaudia, quam infeſtam gratis & hoſtilem, odiſſe tamen nobis non licet: quam non amare, vel ſi redamare te pigeat, non poſſumus: cujus benevolentiam, ſi ſineres, quolibet pretio bene redemptam duceremus; tantum Gallia, tantum tibi Hiſpania debent, debebuntque ſemper pro dulciſſimo pignore, quo per te utraque fruitur! Ecquid ſpem fragilem perſequeris, vel quam ambis ex ancipiti fatalique armorum alea gloriam, qua majorem ferre hoc anno quieta & amica non potuiſſes?

At Hæreſis, Auditores, turbidis abuſa temporibus, & graſſata diù quæſtum ut faceret, quid profecit? an de tenebris emerſa priſtinum in decus, unde exciderat, viſa eſt revocari? an ſedet illa Magiſtratuum in ſubſelliis? an militiæ præeſt? an publicis negotiis defungitur? an Hydra illa inter cædes nata & civili paſta ſanguine, vel noſtro, vel hoſtium ex cruore incrementum accepit? an excisas ruderum moles & populata ferro Erroris fana ſuſcitavit? an excuſſit jugum quod ferebat, &, ruptis vinculis receptaque libertate, noſtris in funeribus exultat?

Tamen quid dico, aut inflicta Religioni vulnera quid diſſimulem? Invaluit Hæreſis enimverò plus quàm par eſſet, non apud nos quidem, ſed apud hoſtes; & piæ Religionis opibus ac ſpoliis onuſta per ſummum nefas triumphat. Tu mihi teſtis, Sileſia, quæ nihil ejuſmodi vereri cùm debuiſſes, admiſſum intimis penetralibus doles Errorem, & tuis te ſpoliatam templis expoſtulas. Equidem

dubitare non poſſumus, quin magno luctu religioſi Principis, quem colis, duriſſimis temporibus cedendum fuerit; quin ſæpe ſit deteſtatus funeſtam bellorum neceſſitatem, quæ tam gravem pietati veræ perniciem important. At quod nequeunt hoſtes, vel dum ſibi plaudunt ac tantopere gloriantur, liceat gratulari nobis, apud quos nullum ejuſmodi probrum Religio pertulerit.

Ergo jactitent, per me licet, quantum volent, hoſtes Gallici nominis præteritis laureas ac triumphos: efferant etiam, ſi qua ſunt, victoriarum monumenta, & felicibus priorum annorum eventis aures noſtras importunè perſonent. Illos ego provoco ad hunc poſtremum annum, cui, tanquam fallaci ſcopulo, fortuna ipſorum lætior arriſit.

Quanquam intra breves anni unius anguſtias quid demoror? Itane reliquorum annorum laudem, quam ſibi hoſtes arrogant, citra contentionem ac controverſiam conceſſerimus? Habet certè cumulata victoria ſpecioſum quidpiam ac magnificum, quod victores exornet non mediocriter, & rei geſtæ memoriam apud ſeros nepotes commendet. Age; ſi quis potitus victoria ſubeundam legem victis imponat: ſi eoſdem ad eas adigat anguſtias, ut moleſtum quid ſibi & contumelioſum pati cogantur: ſi victi deperdidiſſe quidpiam priſtini roboris ac ſplendoris, aut partam olim heroicis facinoribus laudem obſcuraſſe videantur: ſi pertæſi iidem belli longioris, aut armorum impetus deinceps ſuſtinendo impares, pacis aut petendæ turpiter, aut ejuſdem repugnanter perferendæ neceſſitate obligentur. Hoc vincendi genus, Auditores, quis dubitet tam glorioſum eſſe victoribus, quàm victis ignominioſum debet videri?

At quid ejuſmodi ſibi gratuletur Hoſtis, vel dum lætioribus fatis uſus eſt? an hoc ſibi ſumpſit, legem nobis ullam ut imponeret? an oblitos ſenſit dignitatis illius ac gloriæ, quam parta laureis ac triumphis fama nobis toties aſſeruit? an pertinaces minùs ad reſiſtendum, ad audendum minùs alacres, minùs promptos ad oppugnandum expertus eſt? an ſupplices vidit, aut belli diuturnitate fatigatos Gallico nomine indignum quidquam poſtulare?

Nos porro non ſic olim vicimus, Auditores; neque tam parcam nobis gloriæ ſegetem victoriæ noſtræ contulerunt. Vidimus effractis ſemel revulſiſque locorum illorum repagulis, quæ conditionem, ut vincerentur, non habebant, concurrere invicem nationes integras, &, vel implorare victoris fidem, vel revereri dociles imperium, vel prævertere iras ſuppliciter, vel meritas pœnas deprecari.

Vidimus populos non tam victos juſto bello, quàm emendatos ſalubriter dediſcere tumidos faſtus, &, dum reluctantes vi cederent, etiam vincentis clementiam prædicare. Vidimus conflata non ſemel noſtram in gentem fœdera, quæ ſociatas totius Europæ vires ſecum traherent, paucis interjectis menſibus, perculſa armorum noſtrorum robore diſſolvi, turbari, diſſipari. Vidimus belli paciſque arbitram Galliam victis gentibus partim rogantibus impertiri pacem, partim nolentibus imponere.

Quid memorem excitas rerum noſtrarum gloria ab extremis reducti orbis partibus nationes Principis illius, per quem tot miracula fierent, ambire benevolentiam, & amicum cum ipſo fœdus inire? quid dicam mutatas in meliùs provincias, quæ nobis ſubjicerentur, errores ſuos exectari? quid loquar

triumphantem ubique Religionem, quocumque intuliſſemus arma; & ſingulas vincentis Galliæ victorias totidem pietatis veræ trophæis conſignari?

Pulchrum ac glorioſum eſt vincere, Auditores, cùm tam illuſtria victoriarum monumenta relinquuntur. Quid porro Galliæ hoſtes æquale, quid ſimile, quid aliquatenus ſaltem affine rebus è proſperis partum oſtentent?

Sed quid revocamus tam operoſè quæ vetera ſunt, quaſi recentibus exemplis egeremus? Omittamus ultro quæ geſta ſunt à nobis, dum proſperis rebus uteremur. Partam ex adverſis gloriam quanto majorem, quàm hoſtes ex proſperis, habeamus, Pars Orationis altera demonſtrabit.

II Pars. Eſt hæc in adverſis rebus pars ſolatii non levis, Auditores, ut iis, quos exercent graviùs, & commodam redimendi ſe ſe ab injuria fortis facultatem, & ampliorem veræ ſinceræque gloriæ ſegetem, quàm res ſecundæ, ſufficiant. Nam cùm ea laus, quam felix rerum eventus parit, non tam pertineat ad eos, quos Fortuna cumulat, quàm Fortunæ ipſius propria ſit; quæ autem provenit ex infelici ſorte gloria, eam ſibi vindicent totam, qui adverſa patiuntur; neceſſe eſt, ut majus quiddam ſit atque illuſtrius ex adverſis laudem, quàm ex proſperis meruiſſe.

Id ipſum verò cùm probant pleraque veterum hiſtoriarum monumenta, tum certè Romana gens tam cladibus ſuis quàm famoſa victoriis teſtatur. Ecquando enim major & illuſtrior Roma extitit? an cùm, aſpirantibus ad votum fatis, nationes immanitate barbaras, infinitas numero, robore inſuperabiles domuiſſet? cùm armorum ſuorum terrore diffiſis terra marique populis pavorem ac metum intuliſſet? cùm imperii fines longè latèque propagaſſet? An non potiùs ſummum gloriæ faſtigium viſa eſt contigiſſe; cùm ad Trebiam ſuperata, ad Traſymenum victa, ad Cannas profligata ſuis veluti emerſit de funeribus, tantoque illuſtriorem egit de hoſtibus triumphum, quanto perditiùs ab iiſdem afflicta conciderat?

Atque hinc mihi videor multò æquiorem aſſerere poſſe Gallicæ genti ex adverſis rebus gloriam: quòd illa non hoſtem unum, ut vetus Roma, ſed multiplicem; non inertem & molliori luxu atque otio diſſolutum, ſed alacrem & victoria ſuperbum ac ferocem; non uno tantùm in loco, ſed, ubicumque detrimentum aliquod ſenſerat, debellandum habuerit.

Relegamus enimverò neque reviſere animo ac cogitatione pigeat loca illa, in quibus non tam iniquum Martem, quàm adverſam ſortem ſenſimus. Metus omnis abſit, Auditores, nihil ſe nobis deinceps objiciet quod offendat oculos, nulla ſuperſunt monumenta, quorum ad aſpectum obductæ malè cicatrices recrudeſcant. Non eveniet nobis, quod olim Germanico contigit; ut, cùm triſtes Varianæ cladis reliquias in Germania reviſeret; cùm albentes Romanarum legionum oſſibus campos, cùm aggeſtas cadaverum moles ſexto poſt anno intueretur, nihil præter gemitus miſerabiles, aut lugubre inanis officii miniſterium inſepultis ſuorum Manibus perſolveret. Imò, imò lætius aliquod & amabilius ſpectaculum nos manet, quocumque ſe ſe ferent oculi, mutatam in melius rerum faciem uſurpabunt, & infectas aliquando terras noſtro ſanguine, in laureas creviſſe, pullulaſſe in palmas deprehendent.

In Germaniam, eredo, pigebit penetraſſe altiùs; & fatalem illum attingere ſcopulum, cui felicitas Gallica ante aliquot annos offendit; poſtquam res illic noſtras tam glorioſè reſtituit Fabius alter Maximus, & ipſo Fabio major: qui non cunctando, ut Dictator ille Romanus, ſed currendo, ſed volando, pene dixi ludendo labem omnem, ſi qua noſtro nomini adhæſiſſet, penitùs abſterſit? Nam quis ſibi perſuaſiſſet unquam, regionem illam, quam, perenne felicitatis ſuæ monumentum, tueri tam acriter hoſtes decreverant; cujus aditum tot vallatum foſſis, tot munitum aggeribus, tot defenſum præſidiis, impervium humanæ fortitudini crediderant, regionem, inquam, illam tam citò recipiendam eſſe à nobis, eandem altero poſt anno faciendam vectigalem, adigendam eò poſtmodum, ut Gallicum exercitum ſuis aleret ſumptibus, & gravioris belli impenſas perſolveret?

Fecit hæc Villartius, Auditores, vir ille ſibi conſtans ſuique ſemper ſimilis, quia ſemper & ubique victor: de quo jure dubites, an ſit in meditando prudentior, quàm aut in aggrediendo fortis, aut felix in exequendo: qui nihil putavit unquam tam operoſum ac difficile, quod perfici non poſſet: qui perfecit ipſe non ſemel, quod non tentari, ne dum fieri poſſe videretur: quem miles ambit Ducem operis quantumvis ardui, certus non tam ſe ad pugnam pergere, quàm ad victoriam: cujus denique ad ſingulare præconium vox illa Ludovici Magni ſufficiat; qui mirantibus non ita pridem quibuſdam Aulicis, imò & metuentibus, ne Villartius regios exercitus periculoſæ nimis aleæ exponeret, haud hæſitanter ſubjecit; tantum ſe Villartio confidere, quantum ipſi milites confiderent.

Sed quid ego vos in Germania diutiùs moror, Auditores? petamus Flandriam perpetuum illud tot ab hinc annis Gallicæ virtutis pariter ac felicitatis theatrum, niſi peccaſſe ſemel in nos Fortunæ contigiſſet. At qualem ex hoc adverſo caſu gloriam tulerimus, nec Hoſtis ipſe diffiteri poſſit; qui magno inſtructus apparatu, numeroſis florentibuſque copiis & ingenti pecuniæ ſumma, quam Britanni contulerant, eodem poſt aliquot menſes cùm rediiſſet, nihil minùs meditans, quàm in ipſos Galliæ ſinus penetrare, hæſit attonitus Gallici exercitus ad aſpectum; & inſidiatus æſtate tota nequicquam, qua vim faceret, non modò non eſt auſus tentare rurſum pugnæ aleam; ſed oblatam à nobis ſæpius rei viriliter gerendæ occaſionem conſtanter declinavit. Ecquis in tanta Gallici exercitus confidentia Gallos illos agnoſcat, quos Fortuna iniquior paulò ante tam nequiter deſeruit?

Hæc tibi debita laus, Vindocine, neque alius viſus eſt ad tuendam Flandriam magis idoneus, quam qui Italiam tandiu, tam prudenter tamque feliciter defenderat. Quàm dulce debuit eſſe Tibi, qui nihil ſic ambis, ut frui omnium benevolentia, quia benevolentiam omnibus impertis, cùm tam propenſos in Flandria militum in Te animos perſpexiſti, quam ſtudioſos tui in Italia perſenſeras? Avellebaris ægrè quidem ab iis, quos paratos noveras audere quidlibet duce Te atque auſpice: quos recipiebas deinceps in tuos, iis tu novos animos, novam alacritatem præſentia ſuſcitabas. Nemo illorum fuit, Imperatorem Te cùm perderent, qui patronum eodem tempore, qui amicum, qui parentem perdere ſe non quereretur: quibus eras imperaturus, iis Tu patronus optatus jam diù, amicus

idem

idem ac parens accedebas. Veniebas onuſtus palmis ac laureis, quas Italo in ſolo meſſueras: nec feracem minùs trophæis inveniſſes Flandriam, niſi cedere retrò maluiſſet Hoſtis, quàm congredientis impetum experiri. Excipe igitur, Princeps inviĉtiſſime, flagrantiſſima non militum modò, ſed totius Galliæ, ſed ipſius Ludovici Magni ſtudia propenſiſſimaſque voluntates, Tu, qui nullum unquam ex laboribus, nullum ex victoria, nullum ex impenſo toties ſanguine fructum ac præmium, præter amorem ac benevolentiam voluiſti.

Hiſpaniam verò quid ſubire deinceps nos vetet, Auditores, quam glorioſus ac recens Aurelianenſis Ducis triumphus tantopere decoravit? Equidem fateor jam abſterſa ſatis videri poterat, ſi quam inimicæ ſortis invidia Gallico nomini maculam inuſiſſet, ex quo tanta hoſtium ſtrage, tanta rerum noſtrarum gloria ad Almanzanum pugnatum fuerat. Venerat Hoſtis enimverò fortiſſimo Angliæ, Bataviæ ac Luſitaniæ comitatu fretus, finem longiſſimis laboribus ut imponeret: præerat numeroſis exercitibus Aſminaſius, vir inani tumens faſtu; qui non dubitabat palam profiteri, non ingredi ſe dubiam incerti certaminis aleam, ſed apertum victoriæ campum; cujus is demùm foret exitus, regiam urbem ut occuparet. Atque ut dictis faceret fidem, jam erant expediti triumphales currus, qui victorem deducerent: aderant lecti fœminarum greges, quæ citra offenſionis periculum pugnam ſpectarent propiùs; & peracto mox certamine ſiſtris ac tympanis triumphanti applauderent. At quàm diverſus extiterit pugnæ exitus ab eo, quem ſperabat, docuit victus cæſuſque pœne ad internecionem hoſtilis exercitus; cujus vix pars ulla ſuperfuiſſet incolumis, niſi inito certamine fugam ſtatim capeſſiviſſet Luſitanus Equitatus, credo, ne deeſſet, qui de ſociorum clade quantocyus admoneret.

Neque verò hîc ſtetit tam commodum eluendæ culpæ nacta locum Victoria, quæ ſub hoſtilibus vexillis erraviſſet. Voluit illa fidem, quam fefellerat, aggeſtis laureis ac palmis nobis in omne tempus mancipare. Nam quid Valentiæ, quid Arragoniæ Regnum dicam ad obſequium legitimi Principis revocatum? quid loquar in Luſitania urbes plurimas victricibus armis expugnatas? Gens ignara propriæ felicitatis, & ſuo dolore digna; quæ perturbationi quietem; fidem neceſſitudini quæſtuoſæ poſthabuit!

Hîc fortè mirari vobis contingat, Auditores, aut etiam expoſtulare, nullam factam eſſe à me Barvichii mentionem, qui tantam in tanto opere partem ſibi vindicat. Quaſi verò prætermitti à nobis poſſit Vir ille, cujus inviolatæ fidei, conſtanti ſtudio, indefeſſæ virtuti tantùm Gallia, tantùm Hiſpania debere ſe profitentur. Neque verò patuit uſpiam illuſtriùs, quid ſagacis Imperatoris ſolertia, quid invicti bellatoris animus poſſet; tam utrumque feliciter, tanto Galliæ & Hiſpaniæ bono Barvichius exhibuit: Dignus profectò, qui magnificum virtutis muneratorem in Ludovico pariter ac Philippo inveniret: quorum ab altero inter Magnates Hiſpaniæ jam pridem adſcriptus, ab altero nobiliſſimæ in Gallia Provinciæ nuperrimè præfectus eſt. Tamen in tanta, quanta ſe offerebat, rei gerendæ feliciter opportunitate, quis crederet temperantem adeo, & modeſtum extitiſſe Barvichium; ut Aurelianenſi Duci, quem magnis itineribus properare ad certamen didicerat,

cerat, vincendi gloriam ultrò deferret? At neque vinci ſe paſſus eſt contemptu laudis generoſus Principis animus; qui veritus, ne, dum faceret moram, certaminis opportunitas elaberetur, auream hanc & poſteritatis dignam præconio vocem protulit: *Malim ego carere gloria quam victoria parit, quàm ut Hiſpaniæ Rex victoria ipſa careat*. Non tamen vel ſic declinabis gloriam, quam fugis, Princeps generoſiſſime, neque tantæ moderationis ac temperantiæ præmio privabere. Ecce jam recluſit tibi portas ſuas Cæſar Auguſta, non militum numero, non fragore tormentorum, ſed nominis tui terrore, & rerum tuarum fama perculſa.

Verùm non erat hæc digna Te ſatis, neque meritis tuis gloriæ par ſeges. En tibi vaſtus magis & magis illuſtris campus aperitur, in quo excelſæ mentis tuæ animique robur ingens ſe ſe exerceat. Attigiſti fatalem heroicæ virtutis ſcopulum: Ilerdam oppugnas, quam olim non expugnarunt illi, quorum Tu nomen & partam tot triumphis famam venereris. Saltem ſi commoda Cœli tempeſtas fineret animo indulgere: ſi effuſa undique aquarum copia obſidii labores promoveri pateretur: ſi rebus operi tam arduo neceſſariis abundares! Imò Ludovici Magni mens conſcia periculi, quod adires, & metuens charo capiti, cujus prodigium te nimis jam ſenſit, hortatur, rogat conſilium ut differas: opportunum magis tempus exſpectes, donec commeatus & apparatus omnis ad rem accelerandam idoneus ſufficiatur. Quanquam jam revulſa tormentis, igne, manu, ferro mœnia faciunt aditum: jam Imperatoris conſtantia miles factus audacior in urbem per vim irrumpit, & permiſſa potitur præda. Reſtabat operis moles gravior, Arx occupanda, in quam hoſtis confugerat. Hæc inacceſſis rupibus defenſa, munita propugnaculis, multiplici vallo circumdata, ſpem victoris eludebat, & retardabat impetum. Nihilo tamen inde ſegnior Aurelianenſis Ducis animus urget propoſitum; &, quantum creſcit difficultas operis, tantum invaleſcit ardor & inceditur. Hic verbis, exemplo, præmiis ſtimulare militis audaciam: & quoniam opes jam exhauſerat operis diuturnitas, propriam impendere ſupellectilem. Neque tamen miretur quiſquam generoſum Principem non pepercisse tot ſumptibus, qui nuper in Italia nec ſanguini pepercerat. Non ſtetit contra tam validos impetus obſtinata quantumvis hoſtis pertinacia: cedere demum cogitur, & Aurelianenſem Ducem victorem agnoſcit. Quid jam gloriæ tuæ deeſſe poſſit, Princeps generoſiſſime? Hactenus pacis artibus eminentiſſimus tenebas unus collecta, quæ diviſa conſpicuos efficerent; & felix ad omnes diſciplinas indoles, quod eſt in unaquaque facultate ſummum, tibi vindicabat: nunc tam celebri triumpho nobilis demonſtraſti, quanto belli ſtudiis ſores præſtantior.

Liceat & illud, Auditores, inter adverſa noſtra computare, quod intactas adhuc Galliæ provincias oppugnare hoſtes præſumpſerint: quod freti rebus ex ſententia fluentibus laceſſere portus noſtros, imò pertentare Gallorum fidem non dubitaverint. Nam quid injurioſum magis eſſe nomini noſtro poſſit? Verùm hoc ipſum, quod iniquum querimur, quantum ceſſerit in Galliæ decus, ſenſit hoſtis ipſe, & infrenduit.

Vidit enimverò quàm non impunè finibus in ſuis Galli impugnentur: quàm ſincera & incorrupta fide vigeant: quàm ſint amantes ſui Principis,

cipis, & alienæ dominationis oſores. Nam quis fuit terra marique conſpirantium populorum animus obſeſſæ Toloni ut ſuccurrerent, Teſſæo duce atque imperatore, cujus prudentiæ Salvyorum Provinciam Ludovicus Magnus crediderat? quis impetus ad arcendum hoſtem? quibus parcitum ſumptibus ad defenſionem comparandam? Vidiſſes novos quotidie exſurgere munimentorum labores, villas in caſtella, caſas in propugnacula, mapalia in fortiſſimos aggeres repente commutari: à fronte, à tergo, à lateribus injiciebantur moræ, quæ retardarent hoſtem, & infringerent impetum: nemo non ſenſit eſſe ſe militem: nullus in agro ſuo non putavit arcis tuendæ partes ſibi fuiſſe commiſſas. Tamen ſperabat hoſtis demulcendos Salvyorum animos, inflectendos largitionibus, commeatus propoſitis præmiis eſſe exorandos: atque hac mente, opinor, tantam pecuniæ ſummam à Britannis extorſerat. Quàm Tu aliter, Ludovice, de Salvyorum fide augurabare, quibus Teſſæum præfeciſſes? quàm meritò ſignificaſti palam tam ſæpe, quantùm in ſincero illorum obſequio, & in perſpecta meritiſſimi Ducis vigilantia poneres! Non feſellit te ſpes tua. Regum maxime; expertus es, ſi unquam aliàs, quàm ſecuro verſentur in vado vel extremæ Regni tui provinciæ, quæ Gallos defenſores nactæ ſint. Gaudeat hoſtis, & ſuam ſibi ſalutem gratuletur; qui, ſoluta prudenter obſidione, Ludovici Magni Nepotem expectandum non duxerit. Qui tales metus fecit vel abſens, qualem perturbationem præſens attuliſſet?

Agite, Auditores, quid videtur vobis? an ego magnificus nimis rerum noſtrarum oſtentator, qui Gallis majorem ex adverſis rebus, quàm Hoſtibus ex proſperis gloriam vindicarim?

Quin etiam, ita me Superi ament, nihil hìc propius eſt, quàm ut ærumnas noſtras, ſi quibus conflictati ſumus, felices ac fortunatas appellem; quarum tam lætus, tam glorioſus exitus extiterit.

Jam ergo diſcat Hoſtis, quàm fruſtra, quàm temerè Gallos deinde oppugnandos putet; quibuſcum aut dimicandum ſemper habeat adverſo Marte; aut, ſi æquiorem ſemel atque iterum belli aleam ſortitus ſit, non illos modò contrariis fatis non infractos ſentiat; ſed iiſdem videat majus è damnis ſuis gloriæ incrementum acceſſiſſe.

Parco hìc dicere, Auditores, quid nobis viciſſim Fortuna contulerit, dum hoſtibus tanto adverſatur graviùs, quanto favere blandiùs viſa fuerat. Sileo claſſem illam tanto extructam apparatu, tot impenſis ac ſumptibus in exitium Tolonis conflatam: quæ, poſtquam diù ſtetit inutilis obſeſſæ urbis in conſpectu, regreſſa demum eſt infeliciter, multò infeliciùs ad oras pœnè Gallicas, temeritatis in pœnam, cum Præfecto ſuo peritura. Mitto claſſem aliam, quæ præſidia commeatuſque Luſitanis deferebat: cujus pars melior à nobis occupata, pars altera aut depreſſa, aut miſerabiliter incenſa eſt.

Sed quid hìc inanis Fortunæ munus commemoro? Agnoſcamus Dei omnipotentis manum; qui procellis levioribus concuti Galliam & amicam Galliæ Hiſpaniam non paſſus eſt, niſi ut utriuſque damna compenſaret beneficiis illuſtrioribus, & ærumnas qualeſcumque felicitatis abundantia conſolaretur. Nam quid ad utriuſque gentis ſolatium, gloriam, felicitatem aut melius, aut lætius, aut magnificentius contingere poterat, quàm

Digitized by Google

quod in medio perturbationum æſtu Galliæ pariter atque Hiſpaniæ amicus ac liberalis Deus impertiit? Quo pignore gemini populi tutorem ſe ac defenſorem apertiùs declararet; quàm cùm iiſdem ferme temporibus Gallis Britanniæ Ducem, Hiſpanis Aſturiarum Principem conceſſit?

Vidit enimverò Gallia, Auguſti Principis natalibus, propagatam longiùs in Borbonio ſanguine Regni ſucceſſionem: neque defuturos ex ſtirpe tam verenda novos ſemper ſurculos, qui ſuarum rerum in decus & ornamentum effloreſcant: videt Hiſpania adeſſe ſibi tandem in conceſſa recens prole, quem votis ſollicitabat jam diù certum heredem: &, quam in Carolo II. exciſam ſucceſſionem doluerat, in Philippo V. feliciùs cumulari. Senſit Gallia ampliorem in Britanniæ Duce domeſticæ quietis fiduciam: & in continua Principum ſuorum ſerie tutiſſimum ſibi contra inteſtinas diſſenſiones præſidium gratulata eſt: ſentit hodie Hiſpania ſublatam feliciſſimo Principis Aſturiarum ortu rebellibus populis continuandi belli occaſionem; & injectam adfuturæ brevi tranquillitatis expectationem præcipit. Plauſit ſibi Gallia plures in Regio Puero rerum ſuarum nacta defenſores; & ad urgendum hoſtem, quem patitur, acrioribus ſe incitari ſtimulis experta eſt: plaudit ſibi in media conjurantium hoſtium æmulatione heredem novum Hiſpania conſecuta; & ad tuenda fortiter legitimi Principis jura majorem fiduciam atque alacritatem oſtentat. Exultent ſanè triumphentque felices nimiùm imperii utriuſque Populi: mutuis ſe ſtudiis atque officiis tueri invicem ament & ambiant: & in pretioſo, quod utrinque ſibi gratulantur, pignore fortunatum concordiæ perennis & invidendæ nequicquam potentiæ atque felicitatis omen excipiant.

At tu beneficium tuere, Regnorum arbiter ac rector Deus! Totum enim hoc tuum eſt, unde vel ſperare, vel gloriari, vel triumphare liceat. Perge reſpicere benigniùs Gallicum Hiſpanicumque Imperium, &, quem utriuſque præfeciſti vindicem ac defenſorem, Ludovicum. Quòd ſi viſum eſt tibi lætam florentium rerum ſeriem interturbare tantiſper: ſi placuit Regem optimum rebus adverſis conflictari; ut, qui ceterarum virtutum præclara documenta Principibus in ſolio conſtitutis jam dediſſet, iiſdem moderationis ac patientiæ exhiberet exemplum. Habes quod volebas, ò Deus! quàm modeſtum in proſperis Ludovicum perſenſeras, tam patientem in adverſis rebus expertus es. Jam ſi rogare quidpiam liceat religioſi Principis gratia, ſi devotiſſimæ tibi gentis preces non reſpuis, quod te poſcimus omnes etiam atque etiam, bonus annue. Nihil iniquum petimus aut ambitioſum nimis; nihil quod Chriſtianus orbis ſibi non gratuletur acceptum. Injice amorem Pacis diſſidentibus dudum Principibus, Tu qui corda Regum ad arbitrium flectis: provide longam ubique tranquillitatem ac pacem: &, qui nihil tam ambit, quàm Pacator orbis, paciſque Fundator ac quietis appellari, Ludovicum ſoſpitem diù multumque atque incolumem conſerva.

GAL-

GALLIAM

MAGNUM HABERE IN SEIPSA

ADVERSUS QUOSCUMQUE CASUS

SUBSIDIUM.

Oratio ſcripta & habenda ſub finem Anni M. DCC. IX.

Niſi ſerviendum fuiſſet diffidentiæ quorumdam hominum, qui, Rebus Gallicis, eo tempore, minùs ex voto fluentibus, ne ullam quidem ſpei bonæ partem admitterent.

ORATIO IX.

Solemnis illa vox eſt, non ad vanam inanemque Gallici nominis elata commendationem, ſed communi populorum omnium ſuffragio confirmata, illud eſſe Galliæ fatum, ut à nemine vinci poſſit, niſi à ſe ipſa. Nam cum propter tacitam laudis æmulationem graviſſimis omnium ætatum memoria tentata fuerit oppugnationibus, & ſummum rerum ſuarum in diſcrimen adducta; non modò non ſuccubuit illa periculis, aut aliquod ſplendoris ſui detrimentum experta eſt; ſed novum è damnis ſuis robur, majus gloriæ incrementum ſemper accepit.

Tamen quid eſſe dicam, Auditores, aut quo deſignem nomine meticuloſorum quorumdam hominum diffidentiam; qui delapſam è ſummo felicitatis pariter ac dignitatis apice Galliam noſtram ita mentiuntur, ut reſurgere denuò, & priſtinum gloriæ faſtigium affectare non poſſit? Egone ad propulſandum, quod infertur nomini noſtro dedecus, abutar illius loci magnificentia, qui rerum noſtrarum decore toties perſonuit; & ſentientem æquiùs de Gallicæ gentis præſtantia conſeſſum hunc celeberrimum inauditis ad hunc diem vindiciis fatigandum putem?

An, quod olim Græcum Oratorem feciſſe legimus, cùm populum Athenienſem inſtantis ad portas Philippi metu perculſum argueret, juberetque avitæ virtutis meminiſſe; idem ego in cauſa tam diſpari renovare aggrediar; & Gallos non avitæ modò, ſed & ſuæ ipſorum virtutis ac confidentiæ immemores exſtimulem? Quàm durum eſſe nobis debet atque aſperum, quibus nihil præter laureas ac triumphos contigit ex hoc loco gratulari, commodare vocem hodie recreandis ſuſcitandiſque diffidentium hominum animis, & extremum hunc fortè opellæ qualiſcumque noſtræ laborem tam alieno à noſtra conſuetudine atque indole argumento impendere?

Quanquam ſerviamus tempori, Auditores, &, quoniam ita res videtur poſtulare, arguamus metus injuſtos ac degeneres, & Galliam ab opprobrio vindicemus. Veniet tempus illud, cùm feliciorem nacti campum qui perorandi munere deinceps defungentur, triſtiſſimam hodierni temporis penuriam lætiſſima rerum ubertate ac copia compenſabunt. Nos interim neque levis fructus, neque pœnitenda laboris merces conſequetur; ſi, ad ſuſtentandos fati melioris expectatione Gallorum animos, id evincere liceat, quod propoſuimus Orationis argumentum, Galliam magnum habere in ſe ipſa adverſus quoſcumque caſus ſubſidium.

Tria ſunt, Auditores, quæ meticuloſos homines angunt inprimis ac torquent. Ajunt imminere hoſtes Galliæ finibus, & in ipſa regni viſcera impetum minitari. Addunt eandem

dem premi annonæ charitate, & opum indigentia. Denique clamant excidiſſe illam ab ea gloriæ fama, qua per univerſos Europæ populos fruebatur. Hinc graves metus, hinc perennes querelæ, hinc triſtia quædam omina, quæ pavidas mentes percellunt. Ergo nihil offert deinceps Gallia, quod & amoveat metus, & compeſcat querelas, & funeſta, quæ jactantur, omina depellat? Sic eſt Gallia ab omni ſubſidio deſtituta, ut neque coercere hoſtium impetus, neque ſublevare penuriam, neque priſtinum tueri gloriæ ſplendorem poſſit?

At qui ego contendo, Auditores, neque vereor, ne quis veſtrum mihi fidem deroget, tantùm eſſe in una Gallia ſubſidii, ut, vel ſi ad eas redacta eſſet anguſtias, quas homines boni comminiſcuntur, his medendo incommodis ipſa ſufficiat.

Habet illa nimirum in fortitudine militum & Ducum experientia, unde vim hoſtium infringat, hoc Primum. Habet in ubertate ſoli & privatorum opibus, unde copiam reſtituat & abundantiam: hoc Alterum. Habet in Religione ſua ac pietate, unde priſtinum gloriæ decus tueatur ac conſervet; hoc Poſtremum. Itaque quantum & quàm multiplex adverſus quoſcumque caſus, cùm à militibus pariter ac Ducibus, tum ab ubertate ſoli privatorumque divitiis, tum ab inſito toti genti Religionis ac pietatis ſtudio Gallia, quaſi ſuo ipſius è ſinu pariat ſubſidium; triplici Orationis parte demonſtrabo; quæ, dum pro viribus exequor, quæſo vos, Auditores, pro veſtra humanitate dicentem ſublevate.

I. Pars. Non fuit ea ſemper Galliæ felicitas, ut perenni rerum ex voto fluentium ſerie frueretur; neque tam conſtanter metuendam ſe ſe gloriæ ſuæ æmulis exhibuit, nihil ut ab iiſdem viciſſim haberet identidem pertimeſcendum. Namque hîc refricare liceat vel ingratam temporum illorum memoriam, cùm graves fortunæ reflantis æſtus experta in exitium vergeret proprior, neque tam pro tuendis ſuis finibus, aut partis armorum gloria monumentis, quàm pro aris ipſis ac focis ab hoſtium injuria vindicandis certaret. Saltem eruditi iſta recordatione temporum diſcent timidi plus æquo Nepotes, quale ſuis in Majoribus Gallia præſidium habuerit.

Vidit illa mortuo Carolo VI. Francorum Rege ſuis in penetralibus triumphantem, & in urbe regni primaria exterum Regem inauguratum, ad reliquum totius imperii principatum convolare. Is, poſthabitis inquietæ Britanniæ litoribus, oſtentabat ſe ſe Gallico in ſolio, & populorum votis in Regem acceptus ita devinxerat animos, ut obliti, quid legitimo Principi deberent, nec mutatæ conditionis pœniteret, nec ſuam in alienum aut fidem, aut obſequium, aut pietatem deſiderari paterentur.

Parebat Anglo Normannia; exceperat jugum Picardia: victorem agnoverat Campania; Cenomanenſis ager ultro ſerviebat; Aquitania denique pœne integra novi Regis in nomen legeſque juraverat. Quin etiam adjiciebant animos, hinc Dux Burgundionum Galliæ apertus hoſtis, inde Armoricæ Dux tanto metuendus magis, quanto peritior ſimulandi artifex audiebat. Interim Carolus VII. qui patri ſucceſſerat, ſibi relictus uni, & recenti ad Vernolium attritus clade vix paucas ultra Ligerim provincias numerabat tanquam ſuas. Huic nec milites præſto erant, quos in hoſtem duceret, nec in promptu pecunia, qua aleret exerci-

xercitum, nec Proceres, quorum in fide conquieſceret. Tamen propoſitum urgebat Anglus, & rebus proſperis ferox numeroſiſſimo exercitu Aurelias, unicam conſiliis ſuis moram, unum infortunati Regis propugnaculum, obſidebat.

Quid ageret Carolus tam luctuoſas inter anguſtias omni præſidio deſtitutus, & in reducto Turonenſis tractus oppidulo triſtiſſimum Galliæ fatum expectans? An cedendum putet duris temporibus, & regni partem permittat Victori, reliquam ab ejuſdem injuria ut vindicet? Verùm Anglus nec juſtas, nec dignas majeſtate regia conditiones offerebat. An remotum in aſylum confugiat, ubi ſe tuetur? Reſtabat quidem Provincia Lugdunenſis intacta: at neque commigranti viaticum, neque pares reſiſtendo vires ſuppetebant. An ſuccurrat demum laborantibus Aureliis; audax facinus & neceſſarium; at tentatum fruſtra non ſemel & contra morem gentis infeliciter.

Ergo peribit funditus res Gallica? ergo nullum in fortitudine militum, in Ducum experientia ſubſidium inveniet? Quanquam quid loquor? Tot inter infelicis Galliæ nebulas ecce Dunenſis Comes ſtirps Longavillææ Domus quaſi ſol novus exurgit! ecce comitem ſibi magnique facinoris adjutorem Santralium obſeſſis approbat. Parum erat laborantibus Aureliis auxilii quidpiam humanitus advenire, niſi etiam divinitus accederet. Venit in partem operis Puella Dux nutanti Galliæ ſubmiſſa Divis auctoribus, quos imperii cuſtodes ac præſides reveremur. His Ducibus quanta rerum & fortunæ commutatio! ſentit Anglus impetum, miratur, ſubitam fati converſionem, multiplicem Gallorum eruptionem non ſuſtinet. Quid multa? ſibi timere viciſſim, qui tandiu metum fecerat, rebus diffidere, obſidionem ſolvere, terga vertere, cædi, fugari, ſpoliari omnibus provinciis, quas vel invaſerat perperam, vel jure ſuo retinebat; ac nihil præter turpe dedecus & ignominioſam fugam in Angliam reportare: triſte quidem ac ſalubre, ſi quid gens illa ſaperet, documentum; eſſe Galliam infelicis inſtar ſcopuli, ad quem Anglica vis illidat miſerabiliter, & fatale ſeriùs, ocyùs naufragium patiatur.

Agite, viri meticuloſi; eò ne tandem venimus ut luctuoſa Caroli VI. aut VII. tempora experiamur? An in medio Galliæ ſinu dominatur hoſtis? an regni partem occupat? an Regum noſtrorum patrimonium reſtrinxit? an certamus hodie pro tuendis focis ac mœnibus? an nulla reſtant ex omni parte victoriarum noſtrarum monumenta? Nam quò reciderunt ad hoc uſque tempus fœderatorum hoſtium conſilia? quid fecerunt tot populi, qui ſe feciſſe nihil credunt ipſi, niſi noſtras expilent provincias, & triſtia paſſim invidiæ furoriſque ſui trophæa erigant?

Quanquam durum eſt id ipſum licuiſſe hoſti, quod fecit; durum eſt ereptum nobis fuiſſe quidquam, quod virtute partum, emptum victoriis, felicitate quodammodo mancipatum videbatur? Sit ita ſane: ergo ſucciſa ſpes omnis, nec ullus ad fortem meliorem aditus relinquitur? erit illa tam perpetua gentis noſtræ calamitas, ut vincere Fortunæ ludibrium atque damna ſarcire non valeat? nullum ad eam rem Gallorum militum fortitudo, nullum ſpondet Ducum experientia adjumentum? Ergo Nepotes à Majorum virtute degeneravimus? ergo militiæ rudes ſumus, imperiti diſciplinæ, & molli ex otio ad tractandas res bellicas traducti?

Sci-

Scilicet non iidem illi ſumus, quos paucos ante annos tam ſæpe reveritus hoſtis eſt cladis auctores ſuæ, quos Europa vidit ubique victores, quos orbis univerſus fatorum arbitros ſuſpexit; quorum periculis ac laboribus ſuam tranquillitatem Gallia, ſuam nomen Gallicum gloriam, Ludovicus Magnus rerum geſtarum magnitudinem debuit? Non iidem illi ſumus, quibus nihil erat tam invium, tam intentatum, quod non aggrederemur confidenter, vitiliùs exequeremur? quibus certare, idem erat ac vincere? Nam cur Galli milites nunc forent tam diſſimiles ſui, tam mutati in alios homines, tam inſitæ innatæque virtutis obliti? Sed omittamus quæ vetera ſunt, & ex hoc præſenti anno Gallici militis fortitudinem æſtimemus. Nihil affingam ego præter verum, nihil ambitioſiùs loquar ad pompam, nihil quod non palam & in confeſſo ſit apud omnes, prædicabo.

Teſtes vos appello, quotquot eſtis; non certatum nuper in Alſacia viriliter, aut non patuit omnium oculis Gallici militis vis ac robur Rumerſenſem ad pugnam, ubi tam audacter provocatus hoſtis, tam impugnatus validè, tam conſtanter ad internecionem preſſus ac fugatus; ut ex octo millibus hominum, qui Mercio Duce convolabant ad victoriam, omnes aut cæſi, aut capti, aut ſubmerſi aquis perierint: vix è communi clade reverſis ad ſuos paucis, qui triſtem ſociorum cladem nunciarent? Tamen conflatus erat exercitus ille victus ad Rhenum, partim ex Hungaris ferocibus, partim ex Equitibus illis cataphractis, qui nec cedere, nec vinci, ſi quid Germanis creditur, didicerunt. Eant nunc, & quid de militum noſtrorum fortitudine ſentiant ipſi; diſſimulent, quantum volent; erepta certè profligatis hoſtibus vexilla, actus in prædam univerſus tot copiarum apparatus, ipſa Mercii ſupellex fugienti rapta ſatis eloquentur.

Quid repreſſum eadem virtute dicam hoſtem ad Brigantium, dum in Delphinatum molitur aditus, & Dillonis aut fallere ſolertiam, aut illudere fortitudini confidit? Quid laceſſitum loquar exutumque caſtris ad Girundam, & ſalubri fuga ſalutem coactum querere, quam in ſuſtinenda militis audacia non inveniſſet? quid Anchinum memorem in Flandria Duce Nangio, quid Varnetonenſe oppidum ab Artagnano tam celeriter armata manu occupatum, ut, qui liberandis obſeſſis veniebant, æquata jam ſolo mœnia didicerint? Omitto dicere quàm ſæpe levioribus in pugnis ſe ſe Gallica virtus erexerit; quoties æſtate tota incurſum acriter in pabulatores, & magna eorum ſtrages edita; quàm nullis omnino in locis certatum utrinque ſit, ubi non exſtet aliquod Gallicæ virtutis monumentum.

At quid dicemus, Auditores, de recenti illa tamque cruenta ac pertinaci pugna, cujus Hannoniæ campi teſtes exſtitere? In qua merito dubites, utra pars victrix fuerit, an victa; cujus gloriam, vel ſi hoſtis ſibi vindicet, rurſum tam carò vincere abnuerit; quam non alio nomine ſuam illi fatentur, niſi quòd ipſis cumulatas inter ſuorum moles pernoctare licuerit. Pugnam dico illam, quæ tumidos hoſtis ſuperbi faſtus repreſſit; quæ depulit errorem illum, ut crederet, langueſcere Gallorum in animis priſcam virtutem, cui impune poſſet illudi: quæ vel ab invitis conſciam hanc veri vocem extorſit. *Gallos hodie vidimus ac ſenſimus*. Etenim ubi Gallicæ virtutis ſpecimen editum illuſtrius eſt?

Jam permixtus Anglo Batavoque

Ger-

Germanus exploſis bellici tormenti fulminibus ſibi fecerat aciem, in noſtram aditum, victoriæ lætum omen ominatus. At ubi mortem pro victoria, pro trophæo nactus tumulum excidere ſpe ſua ſe videt, redit copiis auctus recentibus, & majori cum furore non exitu feliciori certamen redintegrat, adeo creſcit viciſſim Gallo militi vis & audacia, & nullus cædendi mactandique finis, aut modus eſt! Piget hoſtem ſui dedecoris; inſtat nihilo ſegniùs iterum atque iterum; verùm dum ulciſci cladem ambit, ſuorum ſtragem auget ac cædem. Jam nobis pro vallo fiunt projecta miſerabilem in modum & acervatim congeſta hoſtium cadavera; & inter morientium gemitus ac deſperantium iras pugnamus. Tamen neque victis ac corruentibus abeſt furor aut vindictæ cupido; adhuc enſes in manibus, in oculis ſpirantes minæ, in vultu mixta dolore ferocitas! Interim improviſo ſaucius vulnere victoriæ ſubtraheris, Villarti, & diù multumque luctatus cum dolore, defectis viribus pugna eriperis, ac tecum pariter tuis pugnæ ardor eripitur. Atque, ut eras idem arbiter atque incentor victoriæ, re abſente factum eſt, ut non vinceremus, at militum noſtrorum fortitudine atque militari obedientia præſtitum, ne vinceremur.

Ex hac militum noſtrorum alacritate Ducum ipſorum experientiam ac virtutem æſtimate. Subodorari prudenter conſilia hoſtium, eadem ſapienter antevertere, impugnare diviſum ſolerter, quem ſuſtinere collectum non poteras, fuit hoc militaris ſcientiæ facinus eximium, Burghæe; qui ſic illexiſti Mercium ad certamen, antequam Sabaudicis legionibus jungeretur, ut, dum Germanici Imperii florem ac robur tua virtute profligares, Alſaciam & Liberum Comitatum, quo geminum exercitum irrupturum eſſe præſenſeras, tua prudentia tuerere: dignus profecto, quem Ludovicus Torquatæ utriuſque militiæ decoraret inſignibus, atque hoc virtutis ac prudentiæ tuæ præmio præludere ad majora videretur.

Neque te prætermittam, Noalli, paternæ cùm fortitudinis, tum experientiæ tam diligens æmulator; qui nuper trajecto per intricatas & inexplicabiles vias exercitu, periculi ſecurum hoſtem tam feliciter ſuis in caſtris oppreſſiſti; ut relicta ſupellectili, nec ſumpta ad fugæ apparatum mora, ſuam equorum velocitati ſalutem credere cogeretur.

Neque vos ſilebo pariter, Artagnane, Bezonſi; Te quidem, qui repentino Varnetonenſi excidio cæteris ad rem fortiter tota æſtate gerendam quaſi vexillum ſuſtuliſti: Te verò, qui ſuſpicatus ſagaciter in Hiſpania fallaciam ac dolum, Gallum militem ab imminenti clade ſervaveris. At non levem editæ jam aliàs multis in locis fortitudinis, atque induſtriæ mercedem ambo recepiſtis, quos Ludovicus Mareſcallorum in ordinem tranſcripſit.

Verùm enimvero inter celebrandos genris noſtræ Duces quàm novo, quàm inſolito fulgore percellor? Inter has Galliæ noſtræ tenebras, quas quidam præter cæteros, ſi Superis placet, oculati deprehendunt, geminum ſydus elucet; quorum alterum altero ſplendidius ne ſit, an præſentius, non facile dixerim: Villartium dico, Auditores, ac Bufflerum, quos appellaſſe, laudaſſe eſt, tantum in utriuſque cùm fortitudine tum experientia præſidium Gallia & adfuiſſe ſenſit, & adfuturum deinceps pollicetur. Bufflerus vigil & erectus, ſomni impatiens ac quietis; Villartius tranquillus ac quietus, etiam inter ar-

arma ludos celebrabit. Illum ubique præſentem cerneres; hunc præſentem crediderìs, vel cùm abſuerit longius. Ille magnum quid meditans ſemper & in eo totus vel hoſti ſtruit inſidias, vel ab eodem ſtructas eludit; hic nunquam lætior & magis expers curarum, quàm dum grande quidpiam molitur ac perficit. Senſit in Buflero Gallia nihil eſſe limitibus ſuis pertimeſcendum; ſenſit hoſtis in Villartio vel ſuis penetralibus omnia eſſe metuenda. Si arcendus hoſtis, ſi ſuſtinendus gravis impetus, habes in Altero firmiſſimum propugnaculum, quod nulla vis evertat, aut frangat; ſi laceſſendus idem aut impugnandus, habes in Altero, qui nihil invium putet, nihil inacceſſum patiatur. Ille vinci neſcius; hic certus vincere. Ille tutamen; hic decus. Ille Galliæ Clypeus; hic Enſis. Bufflerus ſervaſſet nobis Inſulas, ſi contra vim ſolam obſidentium certandum habuiſſet: Villartius cumulatam ex omni parte laudem in Flandria retuliſſet, niſi convolantem ad victoriam vulneris acerbitas retardaſſet. Quanquam perennes tibi gratias, ò Deus, qui alterum ex periculoſa defenſione incolumem, alterum è cruento vulnere ſoſpitem in dubia Galliæ tempora ſervaveris.

Hactenus quantum Gallia adverſus ingruentes hoſtes tum in fortitudine militum, tum in Ducum experientia præſidium habeat, demonſtravimus: nunc quale ſubſidii genus adverſus annonæ caritatem & divitiarum penuriam ex ubertate ſoli & privatorum opus expectet, excutiamus.

II. Pars. Habet hoc publica calamitas, Auditores, nunquam ut illius ſenſus acrior eſſe ſoleat, quàm cùm ad res privatas pertinet. Everſiones urbium, provinciarum excidia, regnorum converſiones, fatalem armorum aleam nemo ferè doleat, cui tam luctuoſa detrimenta nihil incommodi pepererint. At ſi communis mali partem aliquam in ſingulos refundi contigerit, jam id ipſum, quod ferebatur æquiùs, incipit intolerandum videri. Quare tanto minùs mirum & inſolens videri debeat, eſſe hodie tam multos, qui de caritate annonæ, & opum penuria conquerantur, quanto pauciores invenire ſit, qui ſe ab iſta temporum difficultate præſtare incolumes poſſint.

Tamen quid querimur tanquam proprium Galliæ noſtræ malum, quod non modò cæteris Europæ populis non parcit, ſed in eoſdem ſævit acerbiùs? Agite; qui penuriæ illius, quam patimur, auctores arguuntur atque artifices; an illis ita proviſum eſt, ut de acerbitate temporum nihil expoſtulent? An eorum agris indulſit hyems mitior? an violare fructus ac ſegetes extimuit? an avari agricolæ votis & expectationi reſpondit? an, quam dolemus eſſe apud nos tam raram, pecunia ipſa ſic apud eos abundat, ut indigentiæ noſtræ inſultent? ſed leve eſt illud miſeris ſolatium, quod miſeriæ ſuæ ſocios habeant. Ergo ſcrutemur præſentius aliquod calamitatis noſtræ ſolatium, nec aliunde quàm ex ipſamet Gallia eruamus. Interim vos ignoſcite, Auditores, ſi retractare rurſum videar iniquiora quædam Annalium noſtrorum tempora, quibus Gallia graviores multo annonæ pariter opumque anguſtias experta eſt.

Quàm fatalis hic fuit, quàm luctuoſus Galliæ dies, quo Franciſcus I. tentata infeliciter recuperandi Mediolanenſis Ducatus alea, cæſoque ad Ticinum Gallico exercitu, victus ipſe captuſque Madritum traheretur, & ſuam triſtiſſimis fatis Galliam relinqueret! Etenim ad illam deſolati imperii orbitatem quanta rerum calamitas accedebat? Exhauſtum bellis prio-

prioribus ærarium, acciſæ populorum opes, Regni ordines univerſi, qui immenſos ſumptus funeſtiſſimæ expeditioni impenderant, crudeles inter anguſtias verſabantur. Quin & ſupremus malorum omnium cumulus hic fuit, ut ſæviret hoc anno tota Gallia hyems atrox & exitioſa, quæ vitiatis ad radices ipſas maceratiſque ſegetibus, miſerrimam in omnes provincias famem induxerat.

Sed quid ego hæc perſequor, dum amores ſuos ac delicias mœrens Aula, afflicta civitas parentem optimum, tota Gallia tutiſſimum rerum ſuarum columen requirebat, & duriorem cæteris ærumnis Regis fortiſſimi ferebat abſentiam? At unde in communi Populorum inopia Galli eruerent auri ſatis & argenti, ad ſatiandam incredibilem ambitioſi Principis avaritiam, quam nobiliſſimæ ac pinguiſſimæ Imperii noſtri provinciæ non explerent? Quanquam ignoſcendum Carolo V. Auditores, qui pulcrè noſſet, quantum haberet apud ſe pignus, & quanto à nobis poneretur in loco. Sciebat non ſatis grandi redimi eum pretio poſſe, qui pretium omne excederet. Neque vero avaros vel in paupertate ſua Gallos Franciſcus agnovit, ac licet rerum domini, abſente Rege, neque gratioſi forent apud populos, neque ea committerent, quibus amorem ac benevolentiam mererentur; vicit tamen ſincera in Regem pietas ſimultates & odia, & vicies centenis aureorum millibus Principis optimi libertas redempta eſt. Quis in ea rerum omnium penuria credidiſſet tantum erui poſſe ex privatorum opibus ſubſidium? At non iis ſe continuit finibus populorum liberalitas? Redditus ſuis regnoque Franciſcus ſenſit ex ipſa indigentia creſcere abundantiam, & novis auctus ex inſperato præſidiis ita cœpit invaleſcere, ut, & ad renovandum bellum acriùs quàm ante, & ad coercendam rivalis ſui ambitionem paratior accederet.

Sed, ò rerum vices ambiguas, Deus immortalis! quibus amicam gentem periculis identidem objicis; quibus ærumnarum modis eandem exerces & probas! Ecce jam non frigoris inimica vis, ut ante, ſed æſtus importuni per quinquennium perennitas triſtius prioribus malis calamitatis genus per univerſas Galliæ provincias importat. Regnabat æſtas una, neque aliam toto anno tempeſtatum viciſſitudinem agnoſceres, niſi quam dierum inæqualitas efficeret. Hinc terra perpetuis incenſa caloribus, qui nec quieſcere illam ſinerent, nec darent locum coquendis ſuccis vitalibus, quos premere hyems aliquandiu & compeſcere debuiſſet, vireſcere ante tempus contra nativam indolem, & ſteriles herbas producere. Hinc arbores, foliis cadentibus, pullulare ſtatim flores in præpoſteros, quos nulli fructus ſequerentur. Hinc procreari intra terræ viſcera vermium ac belluarum repentina vis & copia quæ vix ortum germen è ſemine depaſcerent. Uno verbo hinc ſævire omnium ubique agrorum ſterilitas, tanto gravior, quanto longior!

Nolite exiſtimare, Auditores, hæc comparata fuiſſe à me diligentiùs ad conſolandam aut mitigandam hodierni temporis acerbitatem. Nihil hìc loquor non exaratum publicis Literis, nihil Scriptorum noſtrorum fide non confirmatum. Vidiſſes dominante in agris fame infinitam miſerorum multitudinem ex pagis, ex oppidulis inundare urbes, obſidere domos, opplere vicos ac plateas, & à civibus fruſtra precari calamitatis ſuæ ſolatium, quod ipſi ferre ſibi non poſſent. Alii pallore longo ac pedore obſiti, lividis & media jam in morte natantibus oculis, circuire

paſſim

paſſim compita, & gemitibus ac lamentis omnia latè loca perſonare. Alii torrida macie lutidi, mortuis cadaveribus, quàm vivis corporibus propiores horrorem ubique ac metum geminare; alii ab infectis dapibus & inuſitatis ante hunc diem cibis tumidi, exangues per artus teтram obviis & plenam noxia contage animam afflare. Alii, quos ægri ac vacillantes pedes non ferrent, humi jacere languidi, & mortem inter ac vitam luctari. Alii quibus difficilius erat vivere, quàm perire, in funereo illo mortis vitæque confinio, id ipſum dolere, quod nec vivere liceret, nec mori.

Quid pueros dicam matrum inter ubera mammam appetentes, pro lacte ſaniem ac ſanguinem, pro vita mortem exſugere? quid matres ipſas defixis miſerabiliter in infantes oculis contabeſcere luctu, & inter funereos ſobolis amplexus animam exſpirare? Quid exortam loquar è contagio cadaverum graſſantemque per populos fœdam luem atque peſtilentiam, quæ, cùm nullum à medentibus levamen pateretur, certam contaminato ſpiritu mortem afferebat?

Hæc vetera ſunt, Auditores; fuerunt hæc miſera quidem nec deploranda ſatis, regnante Franciſco I. tempora, quibus ſic exhauſtam omnibus adjumentis Galliam fuiſſe diceres, nihil ut deinceps poſſe videretur, quàm laborioſam deflere egeſtatem. Quid ſi in iſta rerum calamitate profuderit illa nihilominus è ſinu ſuo divitiarum ſatis, unde Rex optimus duos liberaret filios, quos paternæ fidei obſides Carolus V. apud ſe retinebat? quid ſi numeroſis terra marique exercitibus metuendum Principibus æmulis Franciſcum oſtentarit? Quid ſi nunquam Aula florentior aut magnificentior, quàm regnante Franciſco I. viſa ſit? Teſtantur hodieque tot ſuperba monumenta, tot regiæ ædificiorum moles, tam profuſa in literatos homines liberalitas temporum illorum copiam & abundantiam; &, cùm nullis impenſarum ſumptibus Princeps munificentiſſimus parceret, non modò non exhauſit, aut alieno ære regium obligavit ærarium, ſed refertum opibus moriens cumulatumque ſucceſſoribus tranſmiſit. Tamen his temporibus, Auditores, nondum habebat Gallia cum Peruanis Mexicaniſque aut affinitatem, aut commercium; neque aureis ex fodinis uberiorem ipſis etiam dominis fructum ferre didicerat.

Hinc exiſtimate per me licet, num locus eſſe debeat querelis illis gravioribus, quas annonæ caritas hoc anno ſuſcitavit? Num tam accisa, tam deplorata videatur Galliæ conditio, ut nulla fati melioris expectatio affulgeat. At enim peccavit hic annus, inuſitata quædam acerbitas hyemis & diuturna frigoris malignitas miſeram in agros ſterilitatem invexit. Emortuæ paſſim arbores, rei frumentariæ penuria duriſſimi temporis etiamnum admonent, & ingratam quotidie memoriam refricant. Durum id quidem, Auditores, at itane ſerpſit hoc malum, nullas ut contagis expertes provincias reliquerit? Teſtis Aremorica & Andegavenſis regio, teſtis inferior Normannia, teſtis Sueſſionenſis ager tractuſque Carnutenſis, ubi alendæ toti Galliæ par frugum copia ſuccrevit.

Sed eſto; fuerit communis ubique ſterilitas: an continua tot annorum ubertas ac copia nihil ad mitigandam unius anni egeſtatem contulit? an hic ipſe annus fuit ex omni parte tam ſterilis, tam infructuoſus, ut Hyemis unius vitium, Veris, Æſtatis, Autumnique benignitas non correxerit? Nam ubi tandem tellus non

red-

reddidit cum fœnore, quod per breve tempus negaverat? quibus non aperuit illa ſinum divitem, & nativæ fœcunditatis ſpecimen non dedit? Diceres pœnituiſſe illam ſuæ contra naturam atque indolem tarditatis, & ad recreandam, quam feciſſe videbatur, ægritudinem fœcundum ubique pectus concuſſiſſe.

Hic ego parcam provocare vos ad recentem præteritorum temporum memoriam; non jubebo vos meminiſſe, ut ante annos aliquot, cùm ſterilis & infructuoſa meſſis ſpem Galliæ feſelliſſet, exorta repente frugum omnis generis, ac fructuum copia tantam quocumque locorum intulerit ubertatem, quantam lætæ fœcunditatis diuturnitas afferre potuiſſet. Verùm hoc unum velim circumſpicere vos, quàm bonas ubique frugiferæ Cereris in proximam æſtatem Gallicum ſolum ſpes jam faciat. Interrogate eos qui veniunt ex agro, ut commiſſum terræ viſceribus ſemen exoriatur feliciter ac pullulet! ut omnis arbor ad profundendos uberes fructus jam parata, increpare morantes Zephyros videatur; ut ipſa corpora vividum in ſe neſcio quid, & uberioris anni felix augurium quodammodo præſentiant! Non ingratum nos Galli aut avarum aramus ſolum; habet hoc tellus noſtra ſupra reliquos regionum tractus ſingulare, ut alienis opibus non egeat, neque ſuis tantùm ſufficiat incolis, ſed ad alendam ditandamque exterorum inopiam nata ſit. Atque utinam, qui exercent illam atque excolunt, ipſi minùs ingrati & avari minùs invenirentur, poſſet illa quieſcere identidem, & ſine cujuſquam damno tantiſper otiari.

Verùm an æquiores debent videri qui rem Numariam in Gallia periiſſe clamant, nec ſpem reſtituendæ illius affulgere. Equidem quis neget, Auditores, eſſe hanc fatalem armorum aleam, ut graviſſimis ſumptibus obnoxia ſint, tamque publicæ opes ac privatæ decreſcere ſoleant, quàm diuturna belli ipſius pertinacia eſt. Tamen ſi vel ipſis Franciſci I. temporibus, quibus regiæ pariter ac privatorum opes tam luctuoſo fuiſſe loco Hiſtorici noſtri teſtantur, nihil Galliæ defuit, vel ad reſarciendas graves ruinas, vel ad tuendum Regni Regiſque ſplendorem; exiſtimabimus iiſdem illam præſidiis eſſe nunc deſtituendam? Ne faciamus hanc ætati noſtræ contumeliam, Auditores, ut vel calamitoſior vel pejor prioribus ſeculis habeatur. Nihil nos ſumus ab antiqua virtute degeneres, &, quæ Majores noſtros difficillimis in rebus opum, fortunarum, ſui ipſorum prodigos ſenſit Gallia, ſimiles in Nepotibus ſenſus, par ſtudium, eaſdem voluntates experietur. Prodibunt tandem, quacumque parte defoſſæ lateant, opes illæ, quas populorum ſecuritas, regni ſalus, amor & gloria Principis ſibi vindicant. Erumpet natum veluti repente telluris è viſceribus Aurum & Argentum, & in publica commoda liberaliter profundetur. Vincet inopiæ metum ſpes & confidentia, opum amorem patriæ charitas, privatas utilitates ratio communis rei ſuperabit.

Quanquam quid vetera Majorum noſtrorum exempla repeto, cùm præſentibus abundemus; vel quid ex levibus conjecturis æſtimo prodigam populorum in uſus publicos liberalitatem, dum conſignata tam inſigniter ipſorum munificentiæ argumenta ſuppetunt? Agite, Auditores, nam cur ego dubitem gentis noſtræ ſtudium & æmulationem ambitioſiùs prædicare? Agite, inquam, ex quo funeſtum fatalis belli flagrat incendium, quàm ſtudioſos publicæ rei populos Gallia, eoſdem quàm amantes ſui Prin-

Principis ſibi gratulatur? Quibus enimvero impenſis parcitum ac ſumptibus ad arcendum hoſtem, ad alendos exercitus, ad tuendam regiæ familiæ majeſtatem? Cedo vel ætatem, vel ſexum, vel conditionem, quæ non venerit in ſocietatem publicæ beneficentiæ, & de ſuo contuliſſe plurimùm in rem communem gloriari non poſſit? Da Proceres in Aula, Bellatores in caſtris, Magiſtratus in foro, mercatores in tabernis, artifices in officina, quos oneris ſua pars non contingat? Quàm multi ſunt, qui dignitatis oneroſæ gradum adepti ſine pretio ſerviunt, & non mercenariam, ſed gratuitam operam collocant, nullius rei, præter laudem & gloriam, avari?

Eſt aliquis hodie qui pro communi cauſa ſe non habeat duriùs, non parciùs vivat, non habitet modeſtiùs, in veſtibus, in menſa, in ſupellectili, in apparatu domeſtico plurima de luxu, de voluptate, de commodis, ipſa de neceſſitate non ſubtrahat? Laudet Roma Fabricium ſuum, qui aurum vel argentum ad menſam non ferret. Quàm multos habet hæc civitas, quàm multos Aula Fabricios, quos fictilibus cœnare non piget, dum auream & argenteam ſuppellectilem ad ſublevandam rei Numariæ penuriam ultro ac volentes impendunt? An ergo levia fuerunt iſthæc hactenus Gallicæ rei ſubſidia? an profuſæ privatorum opes tam liberaliter parem in futurum tempus, ſi res poſtulet, charitatem ac benevolentiam non præſtent? Felix quidem populus, qui Principi nec ingrato, nec immemori fortunas ſuas commodet! Feliciorem audeo dicere Principem, qui tam amantem, tam prodigum ſui ſuarumque rerum populum experiatur! Abſolvamus, Auditores, & quantùm in religione ſua ac pietate ſubſidii habeat Gallia vel ad recuperandam, vel ad tuendam nominis ſui gloriam, paucis demonſtremus.

Nihil tam incentivum ſui eſt, Auditores, nihil quod æmulationi tam obnoxium eſſe ſoleat, quàm gloria. Enimverò habet illa neſcio quid, quod perſtringit oculos, & ambitioſos natura ſua animos illicit. Hinc cùm illud ſemper fuerit ſingulare veluti Gallorum fatum, ut dignitate nominis ac ſplendore reliquis in orbe toto nationibus facilè præcellerent; nulla gens extitiſſe viſa eſt, quæ aut acriores aut conſtantiores hoſtes habuerit. Verùm quid æmulatione ſua plerumque promoverunt; niſi ut novam amplioris gloriæ ſegetem afferrent; aut ſi offuſis aliquando tenebris obſcurare tantiſper noſtri nominis gloriam viſi ſunt, nativa Gallicæ gentis pietas & conſtans amor Religionis obductam brevi depulit caliginem, & priſtinum lucis ſplendorem reſtituit. II. Pars.

Eò venerat ille Gallici nominis ſplendor regnante Philippo Auguſto, ut capere deinceps incrementum poſſe non videretur; adeo metuendam hoſtibus ſuis Galliam Rex fortiſſimus fecerat! Pulſus ultra Garumnam longiùs, & in reducto concluſus terrarum angulo vetus ac perennis Gallorum æmulator Anglus, nec revellere cancellos, nec prætergredi limites, quos poſuerat parta de ipſo multis in locis victoria, confidebat. Tamen qui Philippo ſucceſſerat Ludovicus VIII. paternæ virtutis ac gloriæ heres digniſſimus novum regno decus, novam feliciſſimi regiminis admirationem cœperat conciliare. Cùm heu! breves populorum deliciæ, Ludovicus in primo ætatis ſucciſus flore filium impuberem Ludovicum IX. ſub pia matris tutela reliquit.

Etſi autem Blancæ nihil deerat ab

iis

ris virtutibus, quæ conciliant regnis auctoritatem & gratiam : tamen Galliæ Proceres iniquiùs paſſi fœminæ imperium, quaſi contra fas & leges nere Lilia viderentur; dum unuſquiſque ambitioni ſervit & moderandi regni jus ſibi arrogat, ad eas infelicem Galliam anguſtias adduxerant, ut pœne veniret hoſtis in ludibrium, in ruinam certè minimè dubiam inclinaret. Verùm pietatis in gremio & Religionis in ſinu educatus Ludovicus IX. magnum laboranti Galliæ ſubſidium præparabat. Is enim, quem Regina Blanca, frendente nequicquam Magnatum æmulatione, ſalubribus ad bene pieque regnandum documentis informaverat, vix habenas imperii cœpit moderari, cùm Gallia deſiit eſſe, quod erat; aut potiùs priſtinum, quem per tenebricoſa quædam tempora videbatur amiſiſſe, ſplendorem reſumpſit. Pulſus domituſque rurſum Anglus, qui pueritia Regis & procerum abuſus diſcordia ſe ſe erexerat: extincta Albigenſium Hæreſis, quæ regni fines ultimos infecerat: compreſſa ac pacata Optimatum æmulatio, quæ civiles intra ipſa Galliæ viſcera, & bello quovis extero perniciosas magis diſcordias ſuſcitarat. Denique compoſitis ubique rebus omnibus tantam eximia Regis optimi ſanctiſſimique pietas ac religio auctoritatem, reverentiam, admirationem orbi Gallico concitavit, ut ſecurus deinceps tam à domeſticis quàm ab exteris hoſtibus Ludovicus metuenda terris Orientalibus Lilia deportaret.

Non eſt ea Galliæ noſtræ conditio, quantumvis graves fortis adverſæ caſus pertulerit, Auditores, vel ut exciderit penitus ab ea gloria, quam res olim fortiter feliciterque geſtæ pepererant, vel ut hoſtibus ſuis parum hodieque reverenda videatur. Senſerunt ipſi nuper non abeſſe ab iis mares animos, à quibus fortuna recederet; &, quod vix nobis ipſi auderemus gratulari, hoc ipſum ſentire de Gallis & profiteri non dubitant. At ſi, quod inficiari non eſt animus, perpetuæ tempeſtates ac procellæ, quibus Gallia jactatur, aliquas Gallico cœlo nubeculas obduxit, ſpondet conſtans ac ſincera Regis optimi pietas ac religio, adfuturum brevi amicum ſolem, qui obſitam caliginem diſcutiat, & priſtinæ lucis vim ac fulgorem reſtituat. Deus ille, quem nos colimus, Auditores, Exercituum arbiter, & moderator eventuum, qui res proſperas pariter & adverſas eadem manu dividit: Deus ille vel amicos interdum probat, & gloriæ illius, quam tribuerat affatim, partem ſubtrahit aliquam, ſi fors, quos ſenſit modeſtos in proſperis, eoſdem in adverſis patientes approbet.

Revocate animo, Auditores, nam cur dulciſſima præteritorum temporum recordatione præſentium acerbitatem mitigare quoquo modo, & conſolari non liceat? Revocate, inquam, longam illam annorum ſeriem, per quos Gallia aut ſuaviſſimis tranquillæ pacis, quam orbe toto fecerat, gaudebat fructibus; aut perpetuam ex rebus bellicis gloriæ ſegetem ſibi videbat accreſcere. Qualem inter proſperos illos rerum omnium eventus vidimus Ludovicum! Quales invicto ipſius animo parta tam ex pace quàm ex bello felicitas & gloria ſenſus inſtillabant! An inſoleſcere lætis in rebus, aut victis hoſtibus inſultare? an felices illos providentiæ, fortitudinis, fortunæ ſuæ partus ſibimetipſe gratulari? an perſonantibus undique plaudentium populorum præconiis permulceri plus æquo viſus eſt? Imò quis illo inter erecta paſſim gloriæ ſuæ monumenta modeſtior? quis in audiendis pacis conditio-

ditionibus paratior? quis in coercendo, laborantis orbis in gratiam, victoriarum curſu temperantior extitit? Arbiter olim Europæ totius quem cupidiùs ambivit auctoritatis ſuæ atque potentiæ fructum, quam ut pietatis ſtudium ubique accenderet; Galliam ſuam Hæreſum monſtris purgaret; avitum Religionis veræ cultum aut reſtitueret, aut ampliaret; Religionem ipſam in longinquas orbis reducti plagas propagaret?

Tu, qui penitiſſimos cordis humani ſenſus noſti, & altiſſimas mentium cogitationes ſcrutaris, eſto mihi teſtis, ò Deus, qualem ipſe feliciſſimos inter rerum proſperarum exitus religioſiſſimum Principem perſenſeris? Cùm potentiſſimas conjuratæ in Galliam Europæ copias Ludovici virtute contereres; cùm multiplicares ipſi victorias, cumulares triumphos, palmas ac laureas aggereres; cùm auguſtam ipſius familiam numeroſiſſima ſobole fœcundares; cùm alterum è Nepotibus florentiſſimo Imperio Regem præficeres; cùm eundem optatiſſimis Pronepotibus Proavum fortunares; an oblitus ſui eſt Ludovicus, aut tui? an beneficam ignoravit manum? an non reveritus illam eſt, ut par erat, & ſuæ felicitatis pariter ac gloriæ conciliatricem profeſſus eſt?

Quoties vidiſti illum proſtratum ante aras ſuppliciter, demiſſis modeſtè ac collacrymantibus oculis, ſupinis manibus, vultu ad pietatem compoſito ſinceras tibi referentem gratias, dum miſſis per univerſam Galliam Literis populos beneficentiæ tuæ admonebat; dum ædes ſacræ tuis laudibus perſonabant; dum erepta victis hoſtibus trophæa ad perennem rei memoriam templorum tholis appendebantur.

Tibi viſum eſt, ò Deus, felicem illum rerum ex voto fluentium curſum interrumpere tantiſper; ſubſtraxiſti nonnihil ex illa gloria, quam addicta Gallicis vexillis victoria pepererat; an ſenſiſti diſſimilem ſui Ludovicum? an mutatus in contraria invicti Regis animus eſt? an placidæ mentis æquabilitas ex illa tot eventuum inæqualitate viciſſitudinis quidpiam ac varietatis contraxit?

Cùm pugnatum fuiſſe infeliciter, & aſſuetos vincere ſuos exercitus potuiſſe vinci nuntiaretur: cùm luctuoſo ſuaviſſimi Pronepotis funere perturbari gaudia ſua, & ſpem regni dulciſſimam eripi ſibi cerneret: cùm Auguſto Nepoti graviſſimas inter tempeſtates ac procellas fluctuanti metueret: cùm præpoſtera ſæviret annonæ ſterilitas, & triſtiſſimam ipſi Galliæ perniciem minaretur: an dolere viſus eſt præter modum Princeps religioſiſſimus? an adverſam de manu tua ſortem tulit iniquiùs, quam proſperam exceperat? an conſtantis obſequii erga te ſui ipſum pœnituit? an ingrata negotiorum in mole de ſuo in Religionem ſtudio quidquam remiſit? an abuſam malè turbidis temporibus & res novas molientem Hæreſim minùs fortiter compeſcuit ac repreſſit?

Quid ultra poſcis, ò Deus? Habes, quod volebas, tam patientem in adverſis Ludovicum, quàm modeſtum in proſperis. Poſueras illum jam diu Principibus in ſolio conſtitutis præclariſſimum heroicarum virtutum ſpecimen, eundem hodie Chriſtianæ pietatis ac conſtantiæ perfectiſſimum exemplar exhibuiſti. Quid ſupereſt, niſi ut, quam Heroi Gallico tribueras olim gloriam, eandem Chriſtiano Principi tuearis ac conſerves? Agitur, parce, ſi dico, ò Deus, agitur tui ipſius nominis gloria, Ludovicus ut floreat, quem inter cæteros Chriſtiani orbis Principes acerrimum

mum

Digitized by Google

mum tuæ gloriæ vindicem atque aſſertorem nactus es : qui ſæpius profeſſus eſt palam, Religionis tuæ decus ac gloriam ſua ipſius aut regni ſui ſalute ſibi eſſe chariora : qui toti Galliæ pietatis ad exemplum atque incitamentum prælucet ; qui nuſquam oblitus ſuæ dignitatis ac majeſtatis viſus eſt, niſi cùm in præſentia tua abjectus ultro ac depreſſus ſacræ tuæ charitatis atque miſericordiæ monimenta veneratur. Redeat ergo fidelis conſtanſque cœptorum ipſius comes Victoria, quam hoſtes tui exulaſſe à nobis tam ſuperbè jactitant ; redeat ubertas & abundantia , quam , tua inprimis cura, Gallicus Populus ſuæ in Regem optimum fidei ac charitatis mercedem ſibi redonari poſtulat : redeat ſplendidior illa Imperii hujus gloria , pietatis ac religionis incremento tantopere profutura. Denique quod unum beneficæ dexteræ tuæ pretioſiſſimum munus eſt, redeat per te longa pax, amica pax, quam fruſtra quæramus armis, fruſtra, niſi tu illam unus Pacis largitor dederis , votis omnibus appetamus.

UTRA UTRI PRÆSTET
ELOQUENTIA
SACRA, AN FORENSIS.

Oratio habita Anno D. M. D.CC X.

VIRO ILLUSTRISSIMO
LUDOVICO CHAUVELIN
IN SUPREMO SENATU ORATORI REGIO.

Unum te ambiebam inprimis orta Sacram inter & Forenſem Eloquentiam controverſiæ judicem atque arbitrum, VIR ILLUSTRISSIME, *& momenta utriuſque in ampliſſimo conſeſſu expenſurus, neminem optabam impenſiùs auditorem contingere, quàm qui Regii apud Senatum Oratoris munere, tanta cum dignitate defungitur.*

Præſenſiſti amici vota: atque ut eras madidus adhuc totus ac diffluens à recenti cauſa, quam disertè pro more tuo, & magno omnium plauſu egeras, advolaſti ad nos quantocyùs, & dicentem præſentia tua non mediocriter recreaſti. Scilicet intuenti Te mihi, VIR ILLUSTRISSIME, *recurrit ſtatim animo, quod ipſe miratus eram non ſemel, quàm concinnus eſſes in agendo, quantus orantis ab ore lepos, quàm amœna ab homine toto gratia profueret, quoties in Senatu diceres; &, qui mutuatus aliquando fueras à nobis prima bene dicendi rudimenta, Tu viciſſim, quod eſt in hac arte perfectum & abſolutum, moderatorem olim tuum, vel inſcius, exemplo admonebas.*

Neque verò hoc unum deberet ibi velim, VIR ILLUSTRISSIME; *patere me curioſiùs à te ſciſcitari, quod in ambiguo reliquimus, tuam de tota controverſia ſententiam. Nam quis pendentem adhuc ſub judice litem meliùs dirimat, quàm qui difficillimis in cauſis latentem inter errorum umbras, & implicatos juris tricarumque nodos veritatem tam ſolerter eruit; qui, in apertam Fori lucem cùm primùm prodiit, quaſi novum ſydus peculiari Superum beneficio procreatum fulgere viſus eſt; qui Orator perfectus ea ætate ſuſpicitur: qua cæteri vix in Oratorum numerum aggregari ſolent, qui Patronorum Collegio tanto gratior Princeps acceſſit, quanto eundem cupidiùs ante annos aliquot communi voce jam ambierant.*

Neque

Neque vereor, ne conſtitutus in propria cauſa judex Eloquentiæ Forenſi impenſiùs faveas, quàm Sacræ. Novi candorem animi tui & æquitatem, quæ cum ingenii tui perſpicacia, ſublimitate, elegantia certare poſſit. Atque hoc ipſum, quod profitemur, vidit Rex ſapientiſſimus, qui Te ſuum in Senatu Oratorem cùm ſelegit, eundem voluit prærogativa ſingulari Judicis officio defungi.

Nihil eſt ergo quòd ſubterfugias de controverſia noſtra pronunciare. Hoc dabis amico veteri, VIR ILLUSTRISSIME, *quem ſententiæ tuæ tam paratum ſuffragatorem fore profiteor, quàm cæteris in rebus deditum tibi atque obſequentem.*

GAB. FRANC. LE JAY,
è Societate JESU.

UTRA UTRI PRÆSTET,

ELOQUENTIA SACRA, AN FORENSIS.

ORATIO X.

Vaſtum habuit ſemper & plenum magna rerum ubertate campum, in quo feliciter decurreret, Eloquentia, cùm Sacra, tum Forenſis, Illuſtriſſimi Eccleſiæ Principes, Præſides Illuſtriſſimi, Ampliſſimi Senatores, Viri omnium Ordinum Ornatiſſimi. Verùm in vario dicendi genere utra utri præſtet, aut majorem adepta laudem ac gloriam videri debeat; neque memini diſputari uſpiam curioſiùs, neque rem controverſam penitus atque ambiguam definiri.

Expectatis hìc fortè, Auditores, ut ego, ſin minùs pro facultate ingenii mei, quod ſenſi ſemper quàm eſſet exiguum, ſaltem pro magno uſu, & longa illius artis, quam profiteor, exercitatione, hujus controverſiæ judicem atque arbitrum me conſtituam. Neque hoc verò ſi tentare videar, quiſquam è vobis mihi non indulgeat, quem contritum per tot annos, defunctumque multis laboribus perſenſiſtis. Nam quis in hac umbratili palæſtra ſudavit tandiu vel alſit? quis in ludicris ingenii doctrinæque certaminibus plura ſtipendia meruit? quis è Rhetorum Collegio exacta jam in hoc ſtadio luſtra quatuor enumerat? An non ergo, quod donatis jam rude & multarum palmarum nobilibus Athletis olim conceſſum fuit; ut extra diſcrimen aleæ poſiti de pugilum cæterorum fortitudine atque ſolertia judicarent, hoc mihi in hodierna contentione pariter liceat, citra cujuſquam offenſionem, meum interponere judicium?

Quanquam abſit, Auditores, ut ea, quam vel annorum numerus, vel ipſa canities peperit, abuti auctoritate videar. Malim ego rem totam veſtris permittere arbitriis. Exiſtimate vos ipſi, utra priores ferre partes debeat Eloquentia Sacra, an Forenſis. Nam quos in hac cauſa cognitores ac judices cupidiùs ambiam, quàm clariſſimos Viros, qui nos præſentia ſua recreant ac cohoneſtant? Quocumque enim feram oculos, video in hoc ampliſſimo cœtu clariſſima Fori lumina, video multa ſacrarum exhedrarum ornamenta, quibus utriuſque Eloquentiæ vis, pondus ac momentum ignota eſſe nequeant. Ac licet ex eorum numero non paucos mihi gratulari poſſim, qui in hoc exercitati Lycæo & ex noſtra diſciplina profecti ſuffragari meæ ſententiæ pro ſua humanitate non abnuerent; tamen illi noſtris manibus atque induſtria informati primùm rudiùs, tantos deinceps ingenio ſuo, labore atque ſolertia fructus fecere, ut ab eorum judiciis pendere non verear, nec in diſcipulis olim meis, meos hodie magiſtros venerari.

Duo ſunt inprimis, Auditores, quæ Sacram inter & Forenſem Eloquentiam contentionem movere, & cujuſpiam, ſi qua eſt alterius in alteram, dignitatis atque præſtantiæ poſſunt præbere fundamentum. Primum petitur ab earum rerum natura circa quas agitandas utrumque dicendi genus verſari ſolet. Alterum oriri poteſt ab iis ipſis, quibuſcum res ejuſmodi tractantur. Habent nimirum Eloquentia tam Sacra quàm Forenſis variam ac diſſimilem rerum ſegetem, quibus in exercendis occupentur: eſt etiam utrique varium ac diſſimile genus hominum, in quos vires ſuas exerant. Hinc

ratio multiplex commodi pariter atque incommodi naſcitur, unde alterutrius in gratiam liceat pronunciare. An igitur natura rerum circa quas utraque dicendi facultas verſatur, facit, altera ut alteri videatur præferenda? An indoles eorum, apud quos utrique dicendum incumbit, uni potiùs quàm alteri prærogativam arrogat? An ab argumento ipſo, an ab audientium conditione repeti debeat alterutrius præſtantia, gemina Orationis parte excutiemus. De rebus, quas Eloquentia cùm Sacra, tum Forenſis agitant, priore quidem loco; de iis verò apud quos viciſſim dicendum habent, poſteriore differemus.

I. Pars. Ac primùm quidem quanta ſe objicit rerum illarum ſublimitas, quæ materiem Eloquentiæ Sacræ ſuppeditant! quanti eſt in iis argumentis verſari, quæ reverentiam ex ſe ſe, admirationem, & ſacrum quemdam metum inſpirant! quàm juvat habere in promptu immenſam ubique dicendi ſylvam ac ſegetem, quam exhaurire non poſſis! quàm commodum eſt orationis ſuæ præſidia nunc è Cœlo, nunc ab Inferis accerſere! An in iis rebus tractandis aut jejunum aut indiſertum eſſe Oratori liceat?

Agite enimverò, Audiores, numquid illa videri poſſit infortunata vel ſterilis meſſis eorum, qui ſacris è pulpitis verba faciunt, quorum ſors ea eſt, nihil ut niſi grande, niſi immenſum, niſi ſublime unquam ſapiant? Illi dicendo ſupremi Numinis majeſtatem attingunt; quid nobilius? ejuſdem virtutes infinitas explicant & efferunt; quid plenius? Oracula interpretantur; quid illuſtrius? promiſſiones exponunt, quid optabilius? minas aperiunt; quid terribilius?

Hinc porro quanta Oratori Sacro conciliatur auctoritas ac reverentia! quantum Eloquentiæ ipſius pondus ac momentum accedit! Nam quis defendum illi ultro honorem non putet, qui tam honorifica legatione defungatur? quis dare fidem loquenti abnuerit, quem divinæ voluntatis interpretem agnoſcat? quis affirmanti quidpiam reclamet ac contradicat, qui Veritatis ipſius teſtimonio niti cenſeatur? At licet in explicandis aperiendiſque Religionis myſteriis implicata multa, abſtruſa pleraque, plurima, quæ humanam fidem excedunt, ſacer Orator eloquatur; quis tam dociles & ad omne promptos obſequium non afferat animos, ubi tantam ipſa argumenti dignitas gratiam ac reverentiam accerſit?

In tanta rerum ſublimium ſegete ac majeſtate, ullane in Oratore Sacro poſſit eſſe mediocritas? qui nihil habet dicendum niſi magnum & admirabile, an nauſeam pariat atque faſtidium? divini verbi vis tam potens an præconis in ore robur amittat? Certè non videmus deteri quidpiam de fulgore auri, quacumque manu tractetur: nihil perdit ſaporis ſui liquor optimus, vel ſi canalis ille, per quem defluit, pretium ex ſe ſe non habeat.

Abſit, Auditores, ut verendum divini Oratoris munus, quod ego ſemper duxi magno ponendum in loco, vellicare, vel eos ipſos qui tam honorifica provincia defunguntur, arguere vel inſectari confidam. Verùm omiſſa atque ejurata maledicendi prurigine, liceat mihi inquirere, cur in tanta rerum dicendarum majeſtate vileſcant ſæpe eorum non pauci, nihilque ex fulgore præter fumum dare videantur.

Dicamus quod res eſt: ambitioſi ſumus ingenii noſtri oſtentatores, ac nihili facimus quidquid nativa ſimplicitate exurgit, aut efflorеſcit propria pulcritudine, niſi inventis noſtris luceat

ceat aut etiam ſplendeat quadam dicendi novitate. Atque hæc prurigo mala Sacros Oratores tanto ſollicitat magis, quanto proprii minùs privatique juris res agitant. Scilicet dives ille ſit quantumvis ac ferax, quem exercent, dicendi campus, obvius eſt & apertus undique; multorumque veſtigiis conſignatus jam diù, rarum offert tramitem, per quem aut ſolus, aut cum paucis inſiſtas. At ſpernitur ea laus quæ vulgaris eſt, nec avidum gloriæ pectus ea merces exſatiat, quam partiri cum aliis neceſſe ſit. Igitur operæ pretium facturos ſe arbitrantur, ſi ſe à vulgo ſecernant, & in communi argumento ea dicant, quæ minimè communia ſint.

Quantæ porro molis eſt apetire ſibi novos viarum aditus, & in iiſdem decurrere tam feliciter, ut in errorem non incurras! Rarum, mihi crede, genus illud hominum: & quod de Oratoribus ſui temporis ajebat Tullius, tam infrequens, ut vix ſingulos ſingulæ ætates ferant.

Gratulemur equidem ætati noſtræ, Auditores, quæ, ut in reliquis cujuſcumque generis artibus viros tulit ſuperioris cujuſdam ordinis ac dignitatis, ita nec caruit Sacris Oratoribus, qui tritam cæterorum veſtigiis viam prætergreſſi, inuſitato ad gloriam tramite pervenerunt. Plaudat illa ſibi etiamnum hodie per me licet, & peritum, ſi quod eſt aliud, in æſtimandis hominum ingeniis Aulæ judicium oſtentet, quæ ſe Oratoribus ſuis beatam ac felicem arbitratur.

Sp Fle-chier. At lugeat, ut par eſt, illa amiſſum recentiſſimè Sacrum Oratorem, qui plurimos luxit ipſe tam diſertè, & receptas cœlo felices animas tam novo, tam ſingulari, tam idoneo præconio toties decoravit. Beatam ò nimis Nemauſenſem Eccleſiam, dum ſollicitum in illo, vigilem, aſſiduum, beneficum Paſtorem nacta ſibi meritò gratularetur! miſeram hodie, quæ ducem in eodem tutiſſimum, ſapientiſſimum moderatorem, parentem optimum deſiderat! Tamen Eloquentiæ Sacræ non periit totus; vivit, vivetque diù diſertiſſimis in Orationibus, neque ætas vel ſera de eximia tanti Oratoris facundia minùs, quàm de cumulata ſacri Præſulis virtute conticeſcet. Verùm inexpertum illud Eloquentiæ genus dum affectant multi; dum nova dicendi ratione novum nomen ambiunt, quàm aberrant graviter à vera germanaque laude! qualem animo Eloquentiæ Sacræ ſpeciem informant! quàm ſui ipſius diſſimilem, & quibus perſonatam larvis obtendunt!

Placet illa imprimis nativo cultu & ſimplici, alieno & ab arte comparato non eget: proprias habet opes ex ſeſe, peregrinas non ambit gazas. Virginem ſuapte natura formoſam diceres, quæ nunquam appareat pulchrior, quàm cùm ornata minùs incedit: cui apparatus omnis plus auferat decoris ac gratiæ, quàm tribuat.

An non enimverò fatalis illa eſt plerumque eorum conditio, qui Oratoris Sacri munus obeunt, ut, dum laudis avidi plus æquo prætervolare vulgus Oratorum, & ſingulari commendare ſe dicendi ratione nituntur, non tam genuinam Eloquentiæ Sacræ copiam ac majeſtatem, quàm futiles ingenii ſui fœtus obtrudant?

Alii oblectandis auribus magis, quàm erudiendis animis attenti, ſine nervis orationem mancam atque elumbem effutiunt: in accuranda periodo ſeduli, in componendis Antitethis diligentes, in rimandis caſtigandiſque voculis curioſi, politis

Aca-

Academicis fiunt, quàm Sacris Oratoribus propiores. Alii in pingendis adumbrandiſque moribus toti, de virtutibus ac vitiis ita diſputant, ut non tam doctrinam Chriſti pertractare, quàm Socraticam inſtituere ſcholam videantur. Alii proſcripti jam ſæpius erroris fautores uſque pertinaces hoc moliuntur unum, unum hoc ſtudent; ut præjudicia ſua tueantur, ut per latebras ac cuniculos aut novum deſperatæ cauſæ ſubſidium parent, aut eludant ictus, aut detorqueant tela, aut in proſcriptionis auctores atque artifices exoletis jam diù vindiciis facti invidiam atque odium declinent.

Inde igitur ab ipſo argumento repetenda eſt Sacræ Eloquentiæ difficultas, quòd neque Oratori Sacro liceat à divini verbi ſimplicitate deficere ſine vitio, neque Religionis dignitatem repræſentare ſine quadam dicendi majeſtate ac gravitate ſententiarum. Quo in genere eluxere omnino pauci, qui parabili nec longè accerſita oratione verbis ſuis fidem facerent, neque tamen humili ac pedeſtri ſtylo reperent humi, dum cœleſtia meditantur ac prædicant.

P. Bourdaloue. Talem ætate noſtra vidimus ac ſuſpeximus Virum illum, qui prudentum eruditorumque hominum judicio, Oratorum ſui temporis facilè princeps audiebat. Is ita ſibi temperavit in dicendo, ut neque de ſimplicitate ſermonis majeſtas, neque de majeſtate ſimplicitas quidquam detereret. Non verborum floſculos, non argutias orationis ſectari; nec tamen aut ruſticitatem amare, aut placere ſibi in inculta negligentia. Ita ingenii ſui indole comparatus erat, ut comptus eſſet à natura, non calamiſtris inuſtus. Non ille ſervire mulierculàrum palato, aut cirratorum auribus; ſed eruditæ multitudinis genium ac guſtum ſequi. Non aſperitas ſermonis inerat, ſed temperata lenitate ſeveritas; non lima exactior, ſed neque ſcabra aut hiulca oratio. Quo fiebat, ut hominum animos pertraheret, quò vellet, ſiquidem fuci expers erat ac ceruſſæ; neque tamen audientium abs ſe frequentiam abalienaret aut moveret delicatioribus faſtidium, ſiquidem nativa quadam pulchritudine eminebat.

Et verò quid difficilius quàm inter hos Eloquentiæ fines ita conſiſtere, ut neque ſtyli exquiſita munditiès fidem dicenti detrahat, neque horridior ſermo pariat nauſeam audientibus? Quo quidem in dupilci genere eo peccatur frequentiùs, quòd qui ſunt amœniore ingenio nati, vix abſtineant ab exquiſito ſermonis apparatu, qui verò inter abſtruſiores diſciplinas edocti ſunt, neglecti plerumque & incompti incedere videantur. Hinc æſtimate, Auditores, Eloquentiæ Sacræ incommoda, cujus perfectam atque omni ex parte abſolutam formam nemo attigerit, niſi qui hæc duo contraria inter ſe ac pœne pugnantia conjunxerit, ſimplicitatem dico ac majeſtatem dicendi.

Jam verò quid de Forenſi Eloquentia dicemus, Auditores? Illius quidem hæc ſors eſt, ut nihil ex argumenti ſplendore pariter ac majeſtate difficultatis contrahat. Fuerit hæc olim Athenienſis Romanique Fori dignitas, ſuum ut decus & ornamentum non magis ab Oratorum ingeniis atque induſtria, quàm ab ipſa argumenti amplitudine Eloquentia traheret: cùm graviſſimæ generis cujuſcumque res in contentionem Fori controverſiamque incidèrent: cùm momenta pacis ac belli, Regum Principumque fortunæ, publica negotia, Magiſtratuum jura, hono-

honorum ac dignitatum rationes nuſpiam, præterquam in Foro, expenderentur, agitarentur, definirentur!

Extimuit Philippus victor orantem Athenis Demoſthenem, eundem graviſſimum rebus à ſe proſperè geſtis obicem ſenſit; &, quem armata totius Græciæ manus triumphantem non retardarat, is vix ſuperabilem in uno Oratore moram expertus eſt. Vidit Roma Tullium, unius linguæ præſidio, dominari populorum animis, coercere improborum audaciam, ſtatuere ac refigere pro arbitrio leges, donare faſces vel auferre, eripere armatam perniencioſorum civium, quàm irati victoris è manibus, inclinanti in ruinam Reipublicæ ſalutem, fiduciam, incolumitatem præſtare.

Nunc verò quæ tandem ſuperſunt in Foro priſcæ dignitatis veſtigia, & quò veteris Eloquentiæ ſplendor recidit? In componendis privatorum negotiis occupatur Oratorum ſolertia, neque ullam pœne ingenio ſuo aut facundiæ parem cauſam habent. In jus vocas? eo. Vadaris? ſequor. Quid tum poſtea? de agelli finibus, de ſarciendis tectis, de ſtillicidiis inſtaurandis agitatur controverſia. En meſſem quam Forenſis Eloquentia invadat! En campum in quo exultet!

Verùm ſi minùs feliciter comparati videntur ab iis rebus, quas pertractandas habent Forenſes Oratores; ſi neque tam vaſtam neque tam feracem ac ſpecioſam nacti ſunt dicendi aream, itane reliquis deſtituta præſidiis hæc Eloquentia dicenda ſit, ut argumenti, ut ſic loquar, anguſtias atque egeſtatem, ipſa cùm dicendi varietas ac novitas, tum petitus ab arte lepos, tum orationis gratia atque concinnitas abundè non compenſent? Age; quàm varia, quàm multiplex dicendi ratio Oratori Forenſi ſe offert, qui nunc accuſandi vices obeat, nunc defendendi partes tueatur: qui jam in dicendis cauſis rerum agendarum hortator, jam converſis ſtudiis earumdem diſſuaſor accedat: qui modò controverſias juris excutiendas habeat, modò in revincendis probandiſque factis inſudet?

Quid dicam de ipſa argumenti novitate, qua Forenſis Orator non mediocriter adjuvatur? Magnus quidem eſt, & nullis pœne definitus terminis campus ille, quem Orator Sacer decurrendum habet; at quàm tritus idem, quàm ſæpe multorum veſtigiis impreſſus! Quis eſt tam hoſpes, tam peregrinus ſacris in rebus, qui Oratoris mentem ſtatim non occupet, & ab orationis exordio rerum dicendarum ſeriem non præſentiat? De Inferis agendum eſt ſacro è pulpito? at præconceptam à me vel à teneris unguiculis mentem Orator non ſuperabit. De cœleſti patria perorandum? at non æquabit oratione injectam mihi ab ipſa pueritia expectationem. Scilicet qui ſacram ad concionem conveniunt, audierunt ſanè centies iiſdem de rebus differentes. Magnum quiddam eſt vincere in hac parte audientium faſtidium, & in argumentis jam cognitis aliqua novitatis ſpecie animos permulcere.

Quanto potior eſt Oratoris Forenſis conditio, cui vel in uno dicendi genere tanta varietas & rerum novarum ſeries occurrat? Agite enimverò, quàm multiplicem quotidianæ litigantium controverſiæ pariunt cauſarum ubertatem? quàm multa ſingulis prope diebus naſcuntur in Foro inuſitata prorſus & inaudita dicendi argumenta, quæ curioſitatem excitant, ſtimulant attentionem, & ipſam dicentis acuunt induſtriam?

Co-

Cogitate, ſi poteſtis, quam diverſa ex contentione fortunarum, ex pactis, ex fœderibus, ex conjugiis, ex hereditatibus, procreentur quæſtiones, actiones novæ inſtruantur, in quibus ingenium & ſolertiam Cauſidicus exerceat. Hæc porro quanto minus trita ſunt ac pervulgata, tanto delectant magis ac placent. Hinc videas compleri ſedilia, concurrere multitudinem, denſari turbam hominum, & ab ore dicentis pendere plurimas horas ſine faſtidio, qui concionis ſacræ moram breviorem non ferrent.

Accedit & illud Oratori Forenſi commodum non vulgare, Auditores, quòd plus ab arte ipſa præſidii, quàm ſacer mutuetur: quòd orationis omnes floſculos, omnes veneres ac gratias non modò ſectari impune poſſit, ſed nec tolerabilis quidem habeatur, niſi aurium delectationi ſerviat. Nam quanto implicatiùs & minùs jucundum dicendi genus illud eſt, in quo laborat is Orator, tanto plus amœnitatis requirit, unde temperetur identidem, & Eloquentiæ politioris ſuavitate condiatur. Hinc apud illos Figurarum uſus & frequentior & audacior; hinc illa lætiſſimarum rerum ſeges tam à veterum hiſtoriarum monumentis, quàm ab ipſis Fabulis Poetarumque fictionibus petita, quàm ſolerti ac perita manu Orator Forenſis nunquam adhibet, quin oratio comptior & ornatior exiſtat. Nam quid hìc loquar Furiarum officinas, Sirenum voces, Circæa pocula, Ulyſſis labores, manſueſcere dociles Amphionis ad ſonum feras, & alia in genus; quæ Tullius graviſſimis etiam in cauſis, cùm de capite fortuniſque Clientum ageretur, non ſine incredibili audientium voluptate adhibebat?

Mitto liberales jocos, quos Orator Sacer, quam providere debet ſedulò ne uſurpet unquam, tam prudenter poteſt in loco Forenſis emittere. Neque verò Tullium eundem, vel dum res tractabat maximè ſerias, puduit identidem ſpargere lepidos & urbanos ſales, quibus id evincebat nonnunquam, quod fortiſſimis argumentis non expugnaſſet. Nec erubuit ób eandem cauſam appellari à Catone Conſul ridiculus: adeo noverat experientia, non placere tantùm ac delectare in Oratore Forenſi lepidam dicacitatem, ſed Ridiculo plerumque quàm acri fortiùs ac melius res ſecari!

Et verò quinam audiuntur in foro lubentiùs? qui conſequuntur plauſus confertæ multitudinis? quos ſibi patronos clientes ambiunt, niſi qui litium tricarumque auſteritatem feſtivitate ingenii & ſermonis elegantia temperare norunt? Unum proferre poſſem à multis, quibus etiamnum hodie abundat Curia, unum, inquam, cui jampridem applaudit illa, nec applaudere deſinit, quia novam in dies plaudendi ſegetem ſuppeditat; cujus de lepore ac gratia nihil anni recedentes ademere; qui tam diſertus, tam factus eſt ad dicendum, nunquam ut feſtivus magis ac gratus videri ſoleat, quàm cùm adverſarium excipit ex tempore, & imparatam defenſionem agit; qui quàm optabilis in foro patronus, tam amicus dulcis, tam gratus hoſpes, tam genialis conviva primariis quibuſque Magiſtratibus congreditur; qui numeroſæ ſobolis parens ſuaviſſimum hoc pactus eſt ſolatium, ut in liberis paternam gloriam, & ſuæ eruditionis ac politioris facundiæ æmulationem videat adoleſcere; qui denique, ſi vel in Athenienſi vel in Romana Republica natus eſſet, tam facilem ſibi ad honores ampliſſimos, quàm

DuMont.

quàm iſtorum temporum Oratores, aditum aperuiſſet.

Hæc eſt igitur Oratoris cùm Sacri tum Forenſis conditio, Auditores, ut in iis argumentis, quibus tractandis incumbunt ambo, plus dignitatis alter ac majeſtatis, alter plus varietatis nactus videatur. Habet Orator Sacer vaſtum dicendi campum, ſed eundem tritum ac pervulgatum: habet arctiorem Orator Forenſis; at eundem novitatis gratiâ præcellentem. Ille cavere debet inprimis, ne rem grandem ex ſe ſe, petitis impenſiùs ab arte ſubſidiis, elevet ac deterat: hic ut tenue natura ſua argumentum Artis luminibus & ornamentis decoret: illius oratio gravis ſemper & auſtera ſit; hujus lepida identidem & jocoſa feratur & incedat. Magnus in utroque diuturnuſque labor requiritur, ad cumulatam perfecti Oratoris laudem aſſequendam: major cautio, ne laboris aſſidui contentionem in altero immoderata laudum cupiditas, in altero lucri amor ſordidus dedecoret.

Tamen non caruit, aut etiamnum caret noſtra hæc ætas perfectis Oratoribus, qui tam Forum quàm ſacras exhedras eloquentia ſua commendarunt. Atque ut abſtineam ab iis qui in utroque curriculo tam laudabiliter hodie decertant, certè prærerire non poſſum geminum illud Eloquentiæ Forenſis ac Sacræ lumen, quod ereptum nobis tanto deſideramus acriùs, quantò illuſtriùs in utroque ſuſpeximus exemplum pariter ac documentum; Lamonium dico ac Burdalæum. Neque enim fas eſt alterum ab altero vel poſt mortem ſejungere, quos tam antiqua, tam arcta, dum viverent, neceſſitudo conjunxit. Amabat Burdalæum Lamonius, & ſibi gratulabatur inprimis, qui talem haberet amicum. Pari in Lamonium affectu Burdalæus ferebatur, & eo, quo decebat, loco tam illuſtris Viri benevolentiam reponebat. Hos porro nexus indolis ſimilitudo, par in utroque fides ac probitas, mira voluntatum conſenſio, & in conditione vitæ tam diſpari, non abſimilis conſuetudinis ratio vinxerat. Ille dicendi laude clarus in Foro, totius Curiæ animos rapiebat in admirationem ſui: hic divini verbi præco mirabilis non viſam hactenus, nemini imitabilem Eloquentiæ formam exhibebat. Erant in utroque dotes illæ cùm à natura, tum ab arte, quæ perfectum cumulatumque Oratorem faciunt. Lamonius ſublimitate ingenii, perſpicacia excelſæ mentis rebus obſcuris ex ſeſe, perplexis & ingratis lucem, dignitatem, gratiam acceſſebat: Burdalæus acres, vividos, celeres animos natus ſacri eloqnii majeſtatem totam, quanta eſt, audientium mentibus offerebat. Nihil latebat illi quod ad perfectam Juris utriuſque ſcientiam, ad reſolvendas quaſcumque cauſarum ambages pertineret: huic nihil ad plenam divini juris intelligentiam, ad retegendas abſtruſi cordis latebras deeſſe videbatur. Illius magnifica, nobilis, elata oratio; hujus vivida, ſublimis, incitata. Ille ſermonis elegantiam, hic majeſtatem referebat; ille recreabat animos actionis amœnitate, hic geſtus ac vocis gravitate percellebat. Alterum ambiebant omnes controverſiarum ſuarum judicem atque arbitrum; alterum vitæ morumque moderatorem peroptabant. Lamonius adeunti ſe nemini conſilium, opem, patrocinium abnuebat: Burdalæus imis pariter ac ſummis ſeſe in omne obſequii genus ultro impendebat. Digni ambo, quos ſuſpiciat poſteritas, & abſolutæ Eloquentiæ & Amicitiæ fidelis exemplum!

Hæ-

Digitized by Google

Hactenus agitavimus, Auditores, an ab argumento, quod Eloquentiæ cùm Sacræ, tum Forenſi tractandum incumbit, altera ſit alteri præferenda. Nunc, an ab iis, apud quos utraque dicendum habet, præſtare alterutra videatur poſteriore orationis parte perpendamus.

II. Pars. Quàm ſunt diſſimiles ſui invicem Orator Sacer & Forenſis, tam diverſa utrique concio, turbaque audientium ſolet contingere. Hinc video concurrere multitudinem hominum infinitam, & multo antecomplere ſedilia, quàm Orator Sacer ad dicendum accedat: inde ſe offerunt homines pauci, quos diù multumque Orator Forenſis præſtolatur, incertus an ſit admittendus ad dicendum, an tempus in aliud remittendus. Hìc conditionis cujuſcumque, ſexus, ætatis magna varietas; illic, præter viros, penè nullus, eoſdemque judices occurrit. Ex altera parte fulget auri aut gemmarum plurimùm, & dicentis oculos amœna quædam colorum varietas recreat: terret ex altera pullatorum Procerum majeſtas & canities venerabilis. Multos trahit in templum inanis curioſitas: cognoſcendæ veritatis amor omnes in Forum adducit. Illi veniunt plerumque ut cenſuram; hi ſemper ut æquitatem exerceant. Habet id commodi Orator Sacer, ut reluctantes ſentiat paucorum animos; id incommodi Forenſis, ut inveniat multos præjudicata opinione laborantes. Convictis ſemel animis, qui dicit in Foro, nullo negotio voluntates ad agendum inclinat: qui verba facit in templis, ſæpe pertinaces invenit, & eoſdem ſequentes deteriora, qui meliora probaverant.

Verùm infinitus ego ſim, Auditores, ſi hærere velim in ſingulis. Ergo demus hoc Oratoribus Sacris, ſi tamen hoc omnes jure ſibi gratulantur, ut dicant ſemper apud confertam multitudinem; ut paſcant oculos admirabili illa varietate, quam apparatus magnificentia efficit. Hoc ſibi Oratores Forenſes vindicent, quòd neque curioſos inaniter, neque cenſores pravè, ſed cupidos veri & amantes æquitatis Auditores nacti ſint. Illud ſcrutemur porrò diligentiùs, in quo laborant ſtudiis paribus, aut certè laborare debent, hinc Forenſis quidem, ut verbis aſtruat fidem, & inclinatis in partes ſuas animis perſuadeat quod demonſtrandum ſuſcepit: indè Sacer ut propenſis jam ſponte ſua ad aſſenſum mentibus, voluntates ipſas cogat ad complendum reipſa opere, ac faciendum id, cujus ſuaſor & hortator acceſſit.

Sic enim ſtatuo, Auditores, eſſe hoc Sacram inter & Forenſem Eloquentiam ſingulare diſcrimen, ut hæc ad convincendas mentes nata ſit tota, illa ad permovendas voluntates. Agite, Præſides Illuſtriſſimi, Ampliſſimi Senatores, (liceat enim mihi, cum ea, qua par eſt, reverentia, interpellare vos, & veſtrûm ipſorum judicium perſcrutari:) agite, inquam, quid ab Oratoribus veſtris, cùm agunt cauſas in Foro, requiritis? quid ab eorum ingenio, eruditione, ſolertia expectatis? quem inter cæteros bene feliciterque geſti muneris tuliſſe laudem arbitramini? Scilicet qui rem, de qua movetur controverſia, planè, breviter, nitidè expoſuerit; qui, quod erat obſcurum, retexerit; quod implicatum, diſſolverit; quod plenum tricis atque ambagibus, expedierit, qui cauſam momentis ſuis fulcierit; qui legum vim, conſuetudines regionum, populorum inſtituta, &c. quæcumque ad conſtitutionem cauſæ demonſtrandam pertinuerint,

Digitized by Google

rint, diligenter explanarit. Quod ubi perfecit ſemel, ubi nihil prætermiſit ad cognitionem controverſiæ neceſſarium; quid ultra deſideret veſtra vel perſpicacia, vel æquitas? quid cunctemini dirimere litem veſtris judiciis, & decretoriam inter contendentes ferre ſententiam?

Quod ſi Oratorem finitis in Eloquentiæ campo libetiùs decurrere; ſi per vos Cauſidico licet aliquando artis Oratoriæ amœnitatem atque elegantiam, &, quod illa ſuppeditat ad permovendos affectus inclinandaſque voluntates, præſidium uſurpare; hoc veſtræ humanitatis atque indulgentiæ eſt, Viri Illuſtriſſimi, qui fovendam ſtimulandamque putatis in Oratoribus præſertim junioribus æmulationem atque induſtriam; qui cenſetis hoc pertinere ad dignitatem & magnificentiam Fori, ut non incompta penitus, inconcinna & inornata afferatur oratio. Vel ſi vos etiam juvat ac delectat culta, nitens & arguta Eloquentia; quis hoc vobis invideat aſſiduitatis veſtræ contentioniſque leve ſolatium, ut fatigatæ perpetuis litigantium rixis ac jurgiis aures dicendi ſuavitate pauliſper recreentur?

Valeant enimverò veteris illius Areopagi rigida præter modum & auſtera nimis ſeveritas, quæ nullum omnino Eloquentiæ locum eſſe patiebatur, &, quæ tam metuebat ſibi ab Oratorum lenociniis, nihil ut præter nudam & informem rationum molem atque compagem admitteret. Ibi perennibus in excubiis collocata mentis acies tam ſedulò præcavebat ab illecebroſis inclinatæ voluntatis inſidiis, ut in dicente non tantùm actionis omnis venuſtatem atque decentiam, ſed quoslibet corporis motus, varioſque vocis inflexæ ſonos proſcriberet. Quanto potior Curiæ veſtræ ratio, Viri Sapientiſſimi, quanto conſuetudo laudabilior, qui, cùm in exercendis judiciis priſcam Athenienſium illorum ſeveritatem retinueritis, non ablegandam tamen è Foro diſertioris politioriſque Eloquentiæ amœnitatem, ſed potiùs omni ſtudio ac patrocinio veſtro tuendam judicaveritis.

Quam diverſa eſt Oratoris Sacri conditio? quanto gravius ipſi ſubeundum onus incumbit? Parum eſt depuliſſe mentis caliginem, eandem illuſtraſſe veritatis æternæ luminibus, niſi voluntatem ſic inclinet pariter, ut illa vel fugiat, vel ſectetur ultro, quod fugiendum vel ſectandum ipſi proponitur. Quanquam dicamus quod res eſt; vix ullus eſt Oratoris Sacri labor in expugnandis eorum mentibus, apud quos dicturus eſt.

Veſtram ipſorum fidem, Auditores. Ecquis venit ad concionem ſacram cum præjudiciis, aut quis facilè non deponat illa, ſi quem peritum nactus erit doctrinæ cœleſtis interpretem? Scilicet divini verbi illa vis eſt & auctoritas, ut reluctantes etiam trahat ad ſeſe, neque liberam mentis relinquat diſſentiendi moram. Imò vel in iis rebus, quæ ad inſtitutionem vitæ, morumque emendationem pertinent, date mihi aliquem tam ſervientem liberæ conſuetudini, tam amantem deliciarum, in cunctis officiorum partibus tam oblitum ſui; tam negligentem, tam incurium, cui non perſuadeas eſſe aliquid melius quod ſequatur? qui arcanis ſtimulantis naturæ, rationis Religioniſque motibus admonitus non accuſet ſemetipſum tacitus, & moratam vitæ formam, immoderata cupiditatum licentia potiorem eſſe non judicet? qui laudator ultro non accedat virtutis ac probitatis, quatumvis pertinax vitiorum ſectator exiſtat,

Nihil

Nihil eſt ergo quòd Orator Sacer deſudet tantùm in erudiendis expugnandiſve mentibus, quæ nec ſuſcipiunt ægrè, quod inſeveris, nec expugnari ſe tam graviter patiuntur. Sed aggrediatur ille voluntatem neceſſe eſt. Hic oppugnandus hoſtis, vincendus idem ac debellandus eſt; aut ſpes triumphi nulla certanti relinquitur.

Hinc æſtimate, Auditores, quid Oratori Sacro, quid Forenſi præſtandum ſit; quorum alteri trahenda in partes ſuas mens audientium; alteri voluntas, quò velit Orator, adducenda ſit. Quod utrinque dum exequuntur ambo, uter ferat majorem laudem & alteri præferendus videatur, operæ pretium eſt expendere.

Rem arduam imprimis & laborioſiſſima contentione plenam ſuſcipit Forenſis Orator, qui conſequi dicendo meditetur, ut, quod æqui bonique cenſet ipſe, id ipſum omnes pariter cenſeant, ut reclamantem ſententiæ ſuæ neminem experiatur; ut, quod ſtatuendum, vel refigendum eſſe judicarit, hoc vel ſtatuatur cæterorum calculo, vel Oratoris ad arbitrium continuò refigatur. Quales enimvero ſunt illi, quos inclinare debeat ad aſſenſum, & ad ſuos ipſius ſenſus induendos illicere pertentet? Cogitate verendum illud Magiſtratuum concilium, apud quos Orator, identidem junior, cauſam difficilem, implexam, dubii ancipitiſque juris acturus eſt! Repræſentate vobis viros illos, ingenio, eruditione, prudentia, longo rerum forenſium uſu exercitatos; quorum ſagacitatem atque perſpicaciam nihil fugiat; quibus inani phaleratæ orationis apparatu facere fucum non poſſis; qui larvas inter & adſcitum extrinſecus ementitæ veritatis habitum, quod verum ac ſincerum eſt, deprehendere didicerunt; qui controverſiam totam, de qua movetur quæſtio, penitiùs ipſis plerumque cernunt, quàm Orator ingenioſus quantumvis, & diù multùmque meditatus valeat perſpicere.

Mitto præjudicia, quæ nonnunquam illi afferunt ad cauſam tam varia, tam pugnantia inter ſe, quàm multi ſunt judices, qui ad dirimendam litem conveniunt. Non illa quidem, aut errore, aut ullo mentis vitio parta, ſed quæ ratio ipſa, legum ambiguitas, regionum conſuetudines, juris formulæ, captioſæ Procuratorum artes procrearunt. Interim ſeſe moveat Orator omnem in partem, exerat ingenii vim, ſolertiam expediat, adhibeat omnem delicatioris Eloquentiæ ſupellectilem; ſit vehemens, acer, ſublimis in dicendo: Non carebit ille quidem laude ſua; dignos ingenio, dignos facundia, dignos eruditione plauſus feret; etiam politus, elegans, diſertus habebitur. At, niſi ſolidis rationum momentis ac ponderibus præjudicia omnia expugnaverit; niſi cauſam ipſam ſuo firmamento ac robore inſtruxerit; niſi ſepultam inter altas errorum tenebras & ambiguos tricarum nodos veritatem ſolers eruerit; niſi eandem nudam, qualis eſt, & nativa luce coruſcantem judicum mentibus oſtentarit; nihil aget Orator, nihil promovebit, cauſam non vincet. Atque ut inſidentes alto pelago ſcopuli, quos circum tumidi fluctus obſtrepunt, non moventur impetu vel murmure, ſed varios inter reciprocantium aquarum tumultus mole ſua ſtant. Ita Cauſidicorum clamores obtundunt quidem aures Judicum; at mentem ipſam non evertunt, non commovent.

Ergo veritati uni perſcrutandæ ſtudeat, cujus apud eos habenda ſit oratio,

tio, quos una veritatis ratio percellit ac movet: ſic illam ſpoliet ab omnibus ſimulationum involucris, ut defæcata refulgeat animis, moraſque reſcindat omnes, quæ cohibere aut retardare aſſenſum ſolent. Id porro quam difficilis operæ eſt? Quis Orator tam felix in dicendo, ut tam multas inter veritatis umbras ac ſimulacra, id aſſequatur quod verum eſt, &, quod ipſe ſenſit ac vidit, id exhibere poſſit tam purgatum ab omni diſputationum contentione, ut audientium animos afficiat pariter, & quadam neceſſitate vel reluctantes ad ſuffragandum impellat?

At Orator ſacer, Auditores, cujus eſt ita movere voluntates hominum, ut ea ſectentur illi, vel fugiant, quorum auctor, vel diſſuaſor accedit, an molitur quiddam arduum minùs & minùs operoſum? Laborioſa quidem res eſt, fateor, & plena difficultatis expugnare mentem: ſed ubi refulſit ſemel illius oculis veritatis ſplendor, vincitur illa nihilominus, neceſſitate quadam ineluctabili inclinatur in verum. At voluntas ſui potens uſque & actionum ſuarum domina, nullius imperium timet. Habet illa quidem molles aditus quibus circumveniri poſſit: demulceri ſe ultro blanditiis, illecebris capi, imò vim amicam interdum fieri ſibi non tam ægrè patitur. Verùm nec ſervire, nec ferre didicit jugum. Dat legem, ipſa non accipit; victrix illa ſemper ſuberborum hoſtium, victorem agnoſcit neminem.

Igitur Sacri Oratoris eſt ſcrutari diligenter molles illos aditus, per quos oppugnari voluntas poteſt, odoretur neceſſe eſt varium illud illecebrarum genus, quibus illa capitur, ſi vis adhibenda ſit nonnunquam, norit ille penitus, ita lenitate vim ipſam temperare, ut amica ſemper, nunquam ingrata videatur! Hinc vero quantum Oratori negotium faceſſitur, qui rimandas habeat & quaſi deguſtandas voluntates tot hominum, quibuſcum nulla ſocietas, nullum ſibi commercium eſt; quorum indolem, ſenſus ac mores ignorat; qui cùm ingenio, tum ſtudiis, tum conditione diſſimiles, nec eadem exiſtimant, nec ſentiunt, nec expetunt, nec volunt!

Equidem ſciò, ut eodem fere modo ſumus omnes à natura comparati, & ex eodem conficti limo, ita eadem pœne fugere ſingulos aut proſequi, eadem odiſſe vel amare, atque adeo magnum in ſe ipſo Oratorem habere præſidium, ad præſentiendum, qua potiſſimum parte moveantur cæteri, aut in quid propendeant, ſi ſuis ipſe motibus attentus rimetur proprias animi latebras; ſi penitiores cordis ſui receſſus ſcrutatus diligenter, inſpiciat ipſe quid velit, quò feratur, quibus afficiatur magis, unde metuat, vel ſperet; doleat vel lætetur; iraſcatur aut placetur; oderit vel amet. Tamen id ipſum noſſe, quàm paucorum, eſt, Auditores, hoc ſtudere unum, hoc feliciter aſſequi, ut oratio non tam ingenii aut eruditionis, quàm naturæ ipſius fœtus videri poſſit! Quibus demum hanc laudem in hac ætate noſtra ſacrorum Oratorum tam feraci gratulabimur?

Fuit hæc enimverò, inter dotes plurimas Oratoris illius, quem immaturo raptum fato luximus jampridem, vera ac ſincera laus, qui naturas hominum vimque humanitatis omnem ſic attigerat: ita perviderat cauſas omnes, quibus voluntas impellitur aut reflectitur, qui tam habilis erat ac peritus in retegendis explicandiſque pectoris humani latebris, nihil ut ſentire videretur, niſi quod natura ipſa ſentiret; adeoque cognatione naturæ & quaſi concentu quodam P. Cheminais.

dam

dum atque conſenſu eoſdem omnino motus affectuſque in audientium animis efficeret.

Jam quotus eorum eſt, præter eos quos civitas ſuſpicit & admiratur Aula, quotus, inquam, eorum eſt, qui perſonam Oratoris Sacri etiam cum aliqua dignitate ſuſtinent, qui in rimandis pectoris humani latebris ciendiſque opportunè motibus ſolers audiat? Video declamatores multos, qui in hominum vitia acriter invehuntur, & rigidam morum cenſuram gratis exercent. Video qui magnam eruditionis ſacræ ſupellectilem circumferunt. Video qui clamores efficiunt apud multitudinem, & magnificum ex tota civitate concurſum populique effuſiones trahunt ad ſe, quas ſacrarum ædium amplitudo vix capit. Video qui verborum pompa, leporumque ac gratiarum phaleris politorum hominum delicatis auribus blandè aſſentantur, hoc felices ſatis, ſi placeant.

Egregiam verò laudem! Huccine recidat Oratoris Sacri dignitas, qui pro Deo ipſo legatione apud homines fungitur! Liceat hic mihi, adverſus iſtos futilis gloriolæ aucupes, uſurpare Horatianum illud in Pictorem imperitum, qui in exprimendis ad vivum nugis artem ponebat ſuam, dum naufragium, ſuperati operis ſummam, leviter adumbrabat. *Et fortaſſe cupreſſum ſcis ſimulare? quid hoc, ſi fractis enatat exſpes navibus, ære dato, qui pingitur?* Placent enimverò Oratores polituli? quid hoc, ſi is, qui audit, nullis conſcientiæ ſuæ ſtimulis acuitur? ſi nulla vitiorum turpitudine percutitur? ſi nullo virtutis ſtudio inflammatur? Quid hoc, ſi peracta concione tam cupidus appetenſque rerum caducarum, tam iniquus alienæ laudis æmulator, tam perditus luxu ac voluptate receſſerit, quàm ſi ad ludicram aliquam declamationem conveniſſet?

Sed tranſgreſſus ego fortè videar officii metas, & non tam Oratorem agere, quàm cenſorem. Redeo ad propoſitum, Auditores, neque enim unam hanc difficultatem patitur Orator Sacer, quod voluntatem ſuperbam natura, & ſuæ libertatis amantem expugnandam habet. Ecce vincendi ſe offerunt hoſtes multo plures, qui voluntatem ipſam obſident, & inextricabilibus nexibus ſæpe revinciunt. Fingite vobis numeroſam illam variarum cupiditatum cohortem, quæ duriſſimam mortalium in cordibus dominationem exercent. Hinc ambitio pugnat, illinc avarities: hîc degener livor iram acuit, illic crudele odium vindictam ſuſcitat: hinc deſidia mollis torporem ac veternum fovet, inde fera libido funeſtas faces incendit. Quis Orator tam ſolers, tam ſciens pugnæ, in illo bellandi genere tam peritus, qui vel aggredi tot monſtra, vel etiam ſolus cum ſolo congredi non pertimeſcat? Cedo mihi aliquem, qui non apud ſe, dico, ſed alienis in caſtris frænet ambitionem, avaritiam coerceat, iram temperet, odium extinguat, libidini moderetur? Quid? cùm laceſſendi ſimul & profligandi uno impetu tot hoſtes, qui ſe conſpirantibus ſtudiis, & junctis quaſi umbonibus tuentur ac defendunt?

Hoc ipſum eſt tamen, quod Orator Sacer præſtandum in ſe recipit, dum inſectatur vitia, dum virtutis amorem inſpirat, dum corruptos liberiore licentia mores revocare ad ſanctiſſimam diſciplinam contendit. Quod niſi exequatur feliciter, niſi in deliniendis cicurandiſque belluis illis ferocibus, aut iiſdem reprimendis domandiſque fortiter ſolertiam, vim, operam opportunè collocet: quis erit Eloquentiæ Sacræ fructus,

Digitized by Google

Auditores? quò demum ars illa præſtantiſſima pertinebit, niſi ut paleſtræ cujuſdam umbratilis aut theatralis ſcenæ formam atque imaginem exhibeat?

Tamen abſit, Auditores, ut difficultatum metu deterriti ab ingrediendo tam laudabili curriculo refugiant, quos egregiis ad obeundum Oratoris Sacri munus natura inſtruxit præſidiis, & divinæ gloriæ nobile ſtudium incendit. Nihil tam arduum tamque operoſum eſt, quod labor improbus & amor ingenuæ laudis non vincat; tantoque ſolet eſſe fructus ex victoria dulcior, quanto cariùs redimi illam oportuit.

Quod ad me attinet, expendi pro virili parte propoſitæ Quæſtionis controverſiam. Intellexiſtis primùm, quid Orator Sacer, ex argumenti quod tractat, ſimplicitate ſimul ac majeſtate; quid Forenſis ex tenuitate rerum forenſium artiſque Oratoriæ ſubſidio commodi pariter atque incommodi traherent. Senſiſtis deinde quantùm utrique laboris incumberet ab audientibus, alteri qui mentem ac præjudicia mentis evertenda, alteri qui voluntatem cum cupiditatibus haberet expugnandam. Quid reſtat, niſi ut pro veſtra perſpicacia atque æquitate rem totam decretoria ſententia dirimatis? Eſt hoc operum veſtrorum, Viri utriuſque Ordinis ampliſſimi, qui tam eximium rerum iſtarum guſtum nacti eſtis: quorum ex arbitrio cæteri uniuſcujuſque in dicendo facultatem æſtimant: quibus debent ingenii, eruditionis, Eloquentiæ famam, ſi qua fruuntur, Oratores tam Sacri, quàm Forenſes. Ego certè honori ducam inprimis veſtrum in ea re, uti in cæteris, judicium venerari.

CAU-

CAUSÆ FORENSES.

PRÆFATIO.

HOc genus Exercitationis ab annis quibuſdam in noſtras Scholas invectum tanta totius Literariæ Reipublicæ gratulatione exceptum eſt, nihil ut ad ſtudioſæ Juventutis utilitatem meliùs inſtitutum fuiſſe videatur. Enimverò quicumque in ſpem gerendi olim Magiſtratus, aut orandi in Foro cauſas adoleſcunt, quanto cum ſuo fructu in iſtis umbratilibus cauſis auſpicantur, quod maturiorem ætatem aſſecuti Forenſibus in controverſiis habebunt agitandum. Nec minùs ad Eloquentiam Sacram præſidii conferunt ludicræ ejuſmodi concertationes, quibus in informandis huc præcipuus jubetur incumbere Tyronum labor, ut, quas agunt cauſas, validis rationum momentis fulciant, & teneris ornent ad ciendos motus animorum affectibus; quod utrumque Sacris in Oratoribus plerumque deſideres.

Hinc nunquam ſine certo plauſu prodeunt in Scenam hujuſmodi Cauſarum Actores, tanto digniores laudem ferre, quanto plus ſuæ in eas elaborandas induſtriæ contulerunt. Etenim nullus exiſtimet unum hunc eſſe, quem pariunt Exercitationes illæ fructum, ut Adoleſcentes declamare doceantur. Multo magis in iiſdem tentatur mentis acies, quæ, quàm mirabiliter in inveniendo ſcribendoque ſe prodat, peritam moderatoris manum præſertim nacta, nemini ſuſpicari contingat, niſi qui felices in ætate vel tenera ingeniorum partus periclitatus ſæpe expertuſque fuerit.

Ego certè, qui intermiſſum hunc in Scholis jam inde à Quintiliani temporibus exercendæ Juvenum ſolertiæ morem poſtliminio revocavi, in eoque promovendo non inutilem penitus operam collocaſſe videor, profiteri non dubitem, partem in iſtis Cauſis Forenſibus habuiſſe plurimam illos Adoleſcentulos, qui ſub noſtra diſciplina inſtituebantur, nec ſine jure ſuo, dum Cauſas illas palam agerent, Actoris pariter & Scriptoris nomen ſibi vindicaſſe.

Si quis autem mirabitur in iſta Cauſarum Forenſium collectione, aliquas Gallicè actas inveniri; meminerit ille, ſic promoveri à nobis pro virili parte Latini ſermonis ſtudium ac gloriam, ut incultam jacere ac ſordidam patriam Linguam minimè patiamur.

Hoc unum deinceps optandum reſtat, ut, qui Juventuti erudiendæ præſunt, langueſcere non ſinant Exercitationem illam, unde tam uberes omnium judicio ad veram germanamque Eloquentiam fructus exiſtunt.

CAUSÆ FORENSES.

CÆTEROS INTER GALLIÆ POPULOS QUIS FERRE PRIMAS DICENDUS SIT?

CAUSA PRIMA.

In genere Deliberativo.

ARGUMENTI EXPLICATIO.

Certatur inter præcipuos Galliæ Populos de Provinciæ, quam quiſque Patriam agnoſcit, excellentia. Cauſa defertur ad Judices, apud quos ſinguli pro Gente ſua diligenter perorant.

ACTORES.

VASCO.

AREMORICUS.

NORMANNUS.

PARISINUS.

PICARDUS inexpectatus & improviſus Interceſſor.

JUDEX.

VASCO.

AMbulanti mihi nuper cum quibuſdam è coætanis meis ſermo fortè incidit, de Provinciæ, quam quiſque patriam agnoſceret, excellentia, & gravis deinde orta controverſia eſt. Hic enim Aremoricam, Normanniam iſte, alter Pariſios patriam habet. Ego, quod beneficium reputo maximum, pro quo & immortales habeo Superis gratias, in Vaſconia ſum natus. Animis inter diſputandum incaleſcentibus, temperavi mihimet non mediocriter, Auditores; Nam, ſi ventum eſſet ad manus, & rem decerni ferro paſſus eſſem, disjudicata lis jam foret, & ſingulos, quotquot erant, Muſcas ut, contrivissem.

At, ut eſt bona Vaſconum indoles, putavi parcendum eſſe iræ & ſanguini, & controverſiam totam ingenio potius, quàm armis, apud vos arbi-

tros ac judices eſſe dirimendam. Ac licet paucos è vobis Vaſcones agnoſcam, ego tamen pro Vaſconibus Vaſco dicturus nullius judicium reformido; imò cæteris ultro volenſque permiſi, meditati diù multumque ut ad dicendum accederent; dum ipſe ex tempore, & pauca tantùm gentis meæ in gratiam ſine ullo ordine diſſererem.

Sed quid agam, Judices? unde potiſſimum exordiar tam breves inter, quas mihimetipſi præſcripſi, orationis anguſtias? quem putatis ſervandum eſſe mihi dicendi modum? Ita multa ſtatim occurrunt, quæ Vaſconum gentem poſtulant cæteris omnino gentibus anteponi! Vultis ut incipiam ab ingenii dotibus? vultis ab indolis animique præſtantia? vultis à gratia corporis? hæc enim omnia in Vaſconibus ſumma nuncupantur, & revera ſunt.

Agite enimverò, quanta vis ingenii in unoquoque noſtrûm, quàm ſingularis perſpicacia, quàm ingenuus lepos elucet! Ut excogitamus feliciter! ut ſcribimus lepidè! ut acutè venuſtèque narramus! Atque id, quod dico, Judices, uſque adeo verum eſt, & ab omni ſuſpicione vel mendacii, vel inſolentis jactantiæ prorſus alienum; ut, ſi quid factum ſolerter, aut dictum ingenioſè, id continuò Vaſconibus tribuatur, quaſi, mirabile quidquid eſt, credi non poſſit, niſi de Vaſconibus memoretur. Scilicet nemo naſcitur apud nos, niſi ingenioſus; &, quod in aliis rarus ac ſerus eſſe ſolet longioris ſtudii & improbi laboris fructus, id nobis inſitum à natura ipſa nullo labore noſtro videtur.

Quid Vaſconum ſolertia ac ſagacitate notum magis ac magis decantatum? Eſt aliquid uſpiam tam invium, quò non penetret? tam intricatum, quod non expediat? tam arduum, quod non ſuperet? tam elatum, quò non evolet. Aliis opus eſt multis præſidiis rem ut faciant; opes, auctoritas, gratia niſi adfuerint, vel aggredi ſuſtinent nihil, vel in mediis conatibus miſeri deficiunt. Nos ſola freti ſolertia atque induſtria ad magna quæque Togæ vel Militiæ munera pervenimus. At in bello præſertim, Judices, quales ſumus! Quot Vaſcones, tot Cæſares dixeris; quibus veniſſe ac vidiſſe ſatis eſt, ut viciſſe pariter videantur.

De forma corporis atque elegantia dicerem pluribus, niſi jam actum agerem. Facite vel ex me uno de reliquis conjecturam, Judices; inſpicite diligenter à capite ad calcem; diffuſam toto corpore gratiam conſiderate. Neque mirum eſt, ſi in omni palæſtra atque exercitatione excellimus, ſi cantamus bellè, ſaltamus eleganter, ludimus venuſtè, tractamus arma ſcienter; ſi in equo ſedemus Alexandro Magno pulcriùs. Ipſa loquendi ratio ac vocis ſonus eas habent illecebras, ut Vaſconibus, placere idem ſit ac loqui. Quid ad hæc Normannus, Judices? Ingenium, credo, ventitabit vobis, ſeu fallacias potiùs ac dolos, quibus incautos decipit, non Vaſcones. Prædicabit indolem aſſentationis melle conditam, qua ſimplices ac bonos ineſcat, non perſpicaces, quales nos ſumus, ac cautos.

Quid Aremoricus? gens hominum minimè mala, Judices; de qua religioni ducerem, maledixiſſe: at non ea perſpicacia mentis, quæ venire nobiſcum in certamen poſſit. Tale gentis ingenium, mihi credite, quale corpus eſt: bonum quidem ac probabile, non ita argutum, ædepol, ac delicatum.

Unum video Pariſinum, Judices, qui umbratili quadam vel ingenii,

Digitized by Google

vel indolis elegantia facere fucum poſſit. At qui genus hominum penitus inſpexerit, is vernis ac recens natis floribus meritò dixerit ſimiles. Illi ſcilicet dum exoriuntur aut adoleſcunt, perſtringere oculos ſolent; verùm cùm crevere tandem, omnem pariter cum annis leporem ac venuſtatem deperdunt.

Plura parco dicere Vaſconum in gratiam, dicant illi viciſſim pro ſe, ſi quid habent, aut potiùs, ſi conſultum ſibi velint, æternùm conticeſcant.

AREMORICUS.

Et erit aliquis poſtea, qui linguæ volubilitate atque ubertate ſermonis Vaſcones longè principes eſſe neget? Audiiſtis, quotquot hic adeſtis, Viri illuſtriſſimi, & ſuſpexiſtis incredibilem dicentis induſtriam, venuſtatem oris, multiplicem ac variam peregrinæ vocis inflexionem, & mirificam totius hominis confidentiam. Quas quidem dotes neque nos craſſiores Aremorici, neque quiſquam eorum, opinor, qui in hodierna cauſa deſcendunt Actores, confidat æmulari.

Me certè (quid enim inficiar) non minùs, quàm unumquemque veſtrum affecit Orator ille Garumnæ, qui me ſic oblectavit, ut cauſæ meæ ne minimùm officeret. Etenim notum eſt omnibus, quàm parùm habere ſoleat ponderis, quidquid id genus homines garriunt, adeo eorum indoles tota ad illudendum eſt comparata; adeo ſibi vindicant, tanquam pro jure ſuo, ut falſa pro veris, incredibilia pro certis impune garriant.

Itaque, quod in hac Oratione tua à veritate deflexeris, id in te adeo non reprehendam, ut potiùs laudandum exiſtimem. Feciſti pro gentis conſuetudine, morem patriæ retinuiſti; ſuſtinuiſti apud omnes conceptam de te expectationem; dixiſti ingenioſè, confidenter; riſit percelebris hic clariſſimorum Virorum cœtus; plauſit dicenti, gratulatus eſt; habes juſtam laboris mercedem; hac laude fruere, quam tibi non invidemus, dum nos de Principatu, quò certè non aſpiras, te non jam adverſario, ſed, ſi volueris judice, decertabimus.

Igitur, Auditores, ut ad rem noſtram veniamus; cùm non ea ſit tam felix noſtræ gentis indoles, ut jocularibus præſtigiis, quod à Vaſcone ſatis lepidè factum non negem, animos veſtros oblectare poſſim, eò me converto totum, ut veris ac ſolidis, quod ille neglexit, argumentis demonſtrem, quantùm Provinciæ noſtræ homines cæteris antecellant.

Atque utinam per tempus liceret omnes gentis noſtræ dotes, decora omnia, quæcumque vel domi, vel foris tam prudenter, quàm fortiter facta ſunt, commemorare, antiquitatem originis referre, laudare nobilitatem, facilè quivis veſtrum intelligat, Aremoricæ noſtræ Principatus gloriam deberi. *Sed* quoniam temporis anguſtiis ſerviendum eſſe ſentio, neceſſe eſt breviorem inire me viam, & vim Orationis omnem his præſertim momentis coercere.

Credo, Auditores, veſtrum dubitare neminem; ut animus in homine pars longè nobiliſſima reputatur, ita, qui præcellat animo, eum cæteris omnibus potiorem videri. Animi verò ipſius quis neget virtutes cenſeri præcipuas Fortitudinem & Bonitatem, quas ego Aremoricæ gentis tam proprias eſſe contendo, ut reliqui in tota Gallia populi venire laudis hujus in contentionem non debeant.

Digitized by Google

Ac de Fortitudine primùm dicturus, quàm multa referre poſſim avitæ laudis monumenta, quibus gens noſtra fortitudinis gloriam ſibi vindicat. Hoc ipſum, quod ab omni pœne ævo vulgo ferimus Britones nomen, unde nobis inditum, vel quid aliud ſonat præter victoriarum inſignia, quas noſtri homines de majore Britannia olim reportarunt. Impatientes illi ſervitutis, & ſuæ libertatis amatores, jugum, quod imponere barbari meditabantur, detrectavere viriliter, & repreſsa felicibus auſpiciis hoſtis ſuperbi ferocia, rerum fortiter geſtarum famam unà cum ipſo nomine in Gallias tranſmiſere. Hinc verò quantum rebus Gallicis decus ac præſidium acceſſit, dum armorum noſtrorum laude ſecuritatem toti imperio præſtamus ac gloriam. Fuit ulla gens in Gallia tam famoſa ſuis Ducibus, tam invicta bello, tot victoriis ac triumphis nobilitata? Sed quid ego hæc memorem, quæ notiora ſunt & hiſtoriarum luce magis illuſtrata, quàm ut cuiquam obſcura eſſe poſſint. Mitto pariter, quot heroas illa procrearit. Vos mihi inſtar omnium eritis, tu Gueſcline, tu Cliſſoni, quos ego cùm appello, intelligitis ipſam fortitudinem fuiſſe appellatam: qui quandiu ſummam rei bellicæ Præfecturam in Gallia geſſerunt, quantum imperio toti nomen, quantam apud omnes Europæ Populos Gallicæ virtuti famam peperere!

Quanquam prætereantur memoria, per me licet, quæ vetera ſunt, Auditores; Aremoricæ gentis fortitudinem ex noſtris temporibus æſtimate. Agite, in his bellorum æſtibus, in illa ſævientium undique armorum diuturnitate, cui nullum adeſſe finem ac modum tam graviter expoſtulamus; quis demum in tota, quàm latè patet, Gallia populus ſtrenuam magis ac magis utilem navat rebus noſtris operam Aremorica gente? quis ſe tam formidabilem conjuratis in nos hoſtibus exhibet? quis tam certam, tamque continuam ipſis cladem ac perniciem importat? Unam teſtabor urbem, eamque in noſtra Provincia non primariam, unde plus fortitudinis ac roboris, quàm ex reliquis totius regni partibus emanat. Macroviopolim dico, Judices, cujus vel audito nomine, an non redit vobis in mentem, quantùm noſttorum hominum fortitudini Gallia debeat.

Nam quid ego hic memorem purgata infeſtis prædonibus maria? quid loquar raptas ex hoſtibus diebus prope ſingulis & in portus noſtros prædas advectas? quid capta, vel depreſſa, vel incenſa omni numero majora tam Batavorum, quàm Britannorum navigia enumerem? quid relatas toties navalibus in præliis victorias extollam? An cuipiam videbor vel ambitioſus præter modum, vel jactantior, quàm par ſit, dum hæc prædico? an quidquam dictum eſt à me, quod veſtris auribus atque oculis uſurpare quotidie non liceat?

Senſerunt certè hoſtes ipſi, quàm funeſta ſibi, quàm exitioſa foret vel iſta pars Aremorici populi, qui ad evertendam funditùs Macloviopolim nihil intentatum aut doli, aut ſceleris reliquerunt. Meminiſtis, Judices, quibus Britanniæ Hollandiæque parata ſumptibus, quot impenſis fabricata terribilis illa machina fuerit, quæ nitrato fœta pulvere, ſulphureis plena cadis, vimque ferri immenſam, & varia necis inſtrumenta complexa ineluctabilem mœnibus, ipſiſque adeo civibus ruinam portabat. Tanti videbatur ad communem inimici fœderis ſecuritatem ac ſalutem eſſe momenti, ſi urbem

unam

unam perderent funditus atque everterent. Sed de fortitudine noſtra ſatis, Auditores, quam non inſana temeritas, ut Vaſcones, non utilitatis ratio, ut Normannos, non ambitio futilis, ut Pariſinos exſtimulat, ſed una indolis bonitas procreat & incendit; quod alterum, quantùm pertineat ad gentis noſtræ commendationem intelligite.

Neque enim exiſtimate, Judices, ſi quid fortiter geſtum eſt unquam à nobis, aut temerariam, aut avaram, aut ambitioſam fortitudinem extitiſſe. Nos belli neceſſitas, aut æquitas, nos charitas Patriæ & ſociorum ſalus ad arma capienda hortantur & incendunt. At non ita ruimus in hoſtem præcipites, ut in medio armorum æſtu innatæ bonitatis obliti videamur. Hoſti armato quàm occurrimus audacter, devicto ſubjectoque tam clementer ignoſcimus. Viciſſe apud Aremoricos finis belli pariter & irarum eſt.

Quòd ſi vel inter arma, quæ ferociæ & atrocitatis habent plurimùm, tam placabiles hoſtibus, tam humani Aremorici eſſe ſolent; quanta amicos ipſos charitate, quàm ſingulari benevolentia complectuntur! Ubi viget uſpiam, quàm apud nos, aut fides antiquior, aut ſocietas arctior, aut amicitia conſtantior? Devinxeris tibi unum è noſtris aliquem, neque hoc tam difficilis operæ eſt, hunc tibi perpetuum in tempus devinxiſti. Neque verò id profiteri vereor de nobis, tam inſitam videri noſtris animis humanitatem ac bonitatem, ut quidquid utrique repugnat ac contrarium eſt, id vulgò à noſtris moribus alienum eſſe cenſeatur. Id porro tam verum tamque apud omnes in confeſſo eſt, Auditores, ut ſi quid unquam alicui noſtrorum hominum excidat nativæ bonitati minùs conſonum, quod vix evenire videas, niſi fuerit ille peregrinæ malitiæ contagio corruptus ac depravatus, hunc in Aremorica natum eſſe nemo non neget. Adeo, quàm ſolemne eſt, ſi quis ſe jactantiùs extulerit, Vaſconem, ſi quis commodis impenſiùs ſtudeat, Normannum, ſi quis ſe amet pluſculum, Pariſinum appellare; tam inſedit hæc omnium animis opinio, Aremoricum, niſi qui bonus ſit, eſſe neminem!

Ergo quis nobis hanc invideat laudem, ut boni inter cæteros Aremorici cenſeamur? Pariſini, credo Palmam hanc nobis auferent, & placidam indolis ſuæ comitatem prædicabunt? Equidem, fateor, Auditores; non ſunt illi feroces natura ſua, nec inhumani: temperato inprimis mitique nati in ſolo moderationis nonnihil atque etiam comitatis ab ingenio loci mutuantur. Tamen quis inficias eat, eſſe illos plerumque amantes plus æquo ſui? quo fit, ut, dum ſe admirantur ac depereunt præter modum, minùs ad colendos alios & amandos comparati videantur.

Superſedeo pluribus, Judices; & quoniam Fortitudinis ac Bonitatis gloriam Aremorici pro jure ſuo ſibi vindicant, ſtatuite, quàm meritò gens noſtra cæteris Galliæ populis præferenda ſit.

NORMANNUS.

Fuit hoc ſemper luctuoſum neſcio quod virtutis fatum, Judices integerrimi, ut perpetuis malevolorum hominum obtrectationibus objiceretur. Id tamen, an querar apud vos hodie, an mihi potiùs gentique meæ gratulabor, dum quotidianis adverſariorum calumniis video Normannos provocari? Durum eſt quidem atque intolerabile, non poſſe virtutem ſequi, niſi cum invidioſa homi-

num

num gente conflictandum ſit; hanc verò fortem habere cum ipſa virtute communem, debet perhonorificum videri. Nam cùm nulla ſit in univerſo terrarum orbe natio, cui plus vel ingenii, vel indolis bonæ natura inſeverit, quàm nobis; idque ipſum inficiari palam adverſarii non audeant, hanc ineundam duxerunt de Normannis maledicendi viam, ut dotes illas præſtantiſſimas, quibus excellimus, pejorem in partem inverterent.

Audiiſtis ipſi veſtris auribus, quàm duriter & acerbè nos habuerint, quanto cùm dedecore traduxerint, quàm malitioſè geminas illas virtutes interpretando in proxima vitia detorſerint. Quare ut apertè vobis perſuadeam, Judices, nullam eſſe in Gallia gentem, qua Normanni ſuperiores videri non debeant; hoc unum mihi faciendum incumbit, ut illas, quibus inſitam nobis, tum ingenii præſtantiam, tum indolis bonitatem impetunt, criminationes diluam, & ab una invidia profectas eſſe demonſtrem.

Ac de ingenio quidem noſtro ita ſentiunt homines malevoli, ut nos, dum nec hebetes planè, nec plumbeos naſci profitentur ultro, ea, quam adepti ſumus, facultate abuti criminentur. Næ liberales illi profectò, qui ſaltem aliquam ingenii laudem nobis non inviderint. Viderunt enimverò Accuſatores non imperiti, quàm temerè ſtoliditatis ac ſtultitiæ Normannos inſimulaſſent, apud quos nemo, niſi ingenioſus ac prudens naſcitur. Norunt non eſſe de nihilo, quod ſuam in Normannia ſedem poſuiſſe Sapientia nuncupetur. At ecce inclamantes audio, & exprobrantes nobis, quòd callidi præter modum ac vafri, quòd rebus noſtris nimiùm attenti, quòd in ſtruendis dolis ac fallaciis ſolertes plerumque & eruditi videamur. Magnum enimverò crimen, Judices, propter quod, non debita modo ſupra gentes cæteras excellentia privari mereamur, ſed in longinquas etiam, ſi Superis placet, terras amandari.

Id tamen, dum objiciunt illi, quid faciunt niſi innatam nobis prudentiam atque induſtriam invident? Dolet illis nimirum, quòd in rebus ſingulis cernamus acutiùs, quàm ipſi poſſunt homines oculati atque perſpicaces; quòd tueri res noſtras ſapienter, quòd eaſdem ſolerter promovere noverimus; quòd apertum latus offeramus nemini; quòd laqueos ac pedicas, quibus illi circumveniri ſe ſinunt, cautè declinemus. Nempe, ut placeamus viris illis honeſtiſſimis, ut eorum aucupemur gratiam, ut eorum probari judicio collaudarique digni ſimus, imitabimur ſtuporem ipſorum atque imprudentiam; circumduci nos patiemur alienis fraudibus, cedemus de jure noſtro, & pretioſum illud, quod accepimus, & Superis ipſis acceptum gratulamur, ſapientiæ munus inerti languere in otio ſuſtinebimus? Hoc porro velle, quàm iniquum eſt, Judices integerrimi, quàm alienum eſt ab aurea illa mediocritate, quam nos ſedulò Normanni profitemur?

Agite, enimverò an dotes illas, quas gentes cæteræ natali ſolo acceptas debent malignè deterimus? An Aremoricis quadratos pugnos, lacertos ingentes, paratum adverſus quaslibet nodoſorum etiam fuſtium procellas caput, contractam idoneamque luctæ vel pugillatui corporis brevitatem? an Vaſconibus Hiſpanicam ac turgidam otis conformationem, ſcurrilem plerumque jocandi modum, peregrinum vocis ſonum & ad captandos ineptorum riſus aptiſſimum; an Pariſinis cultus illos elegantiores, linguæ ſubtilitatem, umbra-

bratilem deſidiam invidemus? His dotibus gaudeant, per me licet, dum divina ſaltem Normannicæ ſapientiæ particula frui nos patiantur.

Quanquam quid hæc perſequor operoſius, Judices? Hoc ipſum, quod temere criminantur in nobis rerum noſtratum ſtudium, itane gentis Neuſtriacæ proprium eſt, ut, ſi vitium illud eſt, eo præter Normannos laborate nemo videatur. Dicite, amabo vos, quæ natio, quæ gens, quæ tellus eo infecta veneno non eſt? An Vaſcones, qui lætioris fortunæ ſortem, ſi quam adepti ſunt, hanc uni plerumque induſtriæ acceptam debent? An Pariſini, apud quos tam multis in locis rei ſolerter faciendæ diſciplina traditur? An Aremorici, quibus eſt illud veluti propoſitum quoddam heroicæ prudentiæ facinus, fallere ut Normannum poſſint?

Atenim rurſus objectant, neque enim ullum faciunt maledicendi finem, qui Normannos impetere tam malitioſè ſolent; atenim, inquam, rurſus objectant, malis utimur ad res noſtras artibus, mendacia, dolos adhibemus, cùm opus eſt; neque dubitamus aut veritatis, aut bonæ fidei diſpendio, quod è re noſtra ſit, procurare. Quæ vox illa tandem, aut ubi ſunt illi Normanni, quibus id objici meritò poſſit? O ſi quos ejuſmodi infelix aliquis Neuſtriæ angulus eduxiſſet! ut exularent ſtatim à nobis, ut peregrinas longiùs in oras amandarentur! ut Pariſinorum, aut Vaſconum in grege cum ejuſdem farinæ hominibus deliteſcerent! ut meritas nequitiæ ſuæ pœnas exſolverent! Neque enim minùs amica Normannis probitas, & fides minùs incorrupta, quam expers fuci dolique prudentia.

Et fructus ſunt illi ſcilicet ſuaviſſimæ illius indolis, quam nobis etiam invident homines malevoli, & quam inficiari palam, quia non poſſunt, criminari ſaltem, & pravum in ſenſum conantur detorquere. Notum eſt omnibus, quàm idoneam hominum ſocietati, quàm aptam ad vitæ communis uſum, quàm facilem ac flecti ceream aliena voluntate indolem nacti ſimus. Hoc quidem non negant Normannicæ virtutis æmulatores invidi; ſed puſilli abjectique in nobis animi indicium calumniantur. Scimus collaudare quæ bona ſunt, quæ mala ſunt, prudenter diſſimulare; arridere gaudentibus, lugentibus amicè collachrymari. Hoc quoniam hominibus illis non placet, Normanni, inquiunt, natio comœda eſt, larvata, perſonata. Facit morum noſtrorum ſuavitas, amabilitas indolis, ingenii quædam comitas & affabilitas, ut in benevolentiam cujuſque adrepamus, devinciamus animos, & potentibus illecebris in partes noſtras pertrahamus. Quid ajunt Pariſini? quid Aremorici dictitant? quid Vaſcones mentiuntur? Quod facimus cumquè mera cavillatio, mera adulatio eſt. O infelices Normannos, quibus, cum ſuaviſſimo virtutum comitatu, virtutis fructu frui non liceat!

Tamen in Normannos inſurgant, quantùm volent iniqui obtrectatores, nihil nos vel ingenii, vel indolis, quam accipimus à Superis, pœnitebit. Atque ut norint adverſarii noſtri, quantùm & bonitati cauſæ & judicum æquitati confidamus, parcemus in eos maledicta congerere, qui nos maledictis appetierunt; & una virtute contenti, virtutis etiam præmio, ſi oporteat, ultro lubenterque carebimus.

PARISINUS.

Quid priùs miret, aut quid mitari magis conveniat, Judices æquiſſimi? novamne ac ſingularem prorſus iſtorum hominum in dicendo confiden-

dentiam, an veſtram in eiſdem audiendis humanitatem atque patientiam? Nam quis ferat, amabo vos, eò veniſſe temeritatis peregrinos atque alienigenas, ut in urbe totius orbis facilè primaria de principatu originis contenderent; ipſoſque civitatis ejuſdem indigetes Judices atque arbitros non vererentur, quorum non judicium modò, ſed vultus etiam atque oculos pertimeſcere debuiſſent?

Equidem diù multùmque dubitavi, Judices, num futiles inani verborum pompa oratiunculas confutandas aggrederer, & tam perſpicuam apertamque Pariſini juris antiquitatem ullo orationis præſidio confirmarem? Verùm ne fortè ex meo ſilentio occaſionem illi raperent efferendi ſeſe jactantiùs, pauca Pariſinorum in gratiam Pariſinus ego ſic loquar, ut non tam jus tueri dubium contra temeritatem atque audaciam, quàm oblatum collaudendæ patriæ locum videar lucro appoſuiſſe.

Tamen nolite expectare, Judices, ut verendam civitatis hujus antiquitatem, quam à Trojano Paride quidam repetunt, ut ſuperbam monumentorum varietatem, ædificiorum magnificentiam, palatiorum multitudinem extollam; ut nobilitatem populi, opes, fortunas vobis oſtentem. Hoc unum habeo dicere, quod citra omnem jactantiæ ſuſpicionem prædicari de civitate Pariſienſi, de nulla alia pronunciari poſſit; quòd non Europæ tantùm, ſed totius orbis caput haberi debeat; quòd Galliæ oculus, ſedes majeſtatis, aulæ domicilium, præclararum artium officina, ingenii politioris habitaculum, doctrinæ palæſtra, leporis, elegantiæ, venuſtatis, inſtitutionis bonæ ſchola omnium calculo nuncupetur.

Et verò ubi gentium tandem Regum majeſtas tanto apparatu ac ſplendore ſe prodit & explicat? ubi viſitur politior Aulicorum cœtus? ubi vigent acriùs Literarum ſtudia? ubi liberales diſciplinæ diligentiùs excoluntur? ubi perficitur ingenium accuratiùs? ubi Juventus feliciùs educatur? ubi denique lepor, elegantia, concinnitas magnificentiùs dominantur?

Jam percurre, ſi voles, ſingulas Galliæ provincias; Europam totam perluſtra. Sed quid Galliam, quid Europam dico? orbem etiam univerſum ſcrutare diligenter. Invenies aliquem uſpiam populum, apud quem aut indolis ſuavitas major, aut amabilior morum docilitas, aut propenſior vividiorque ad omnem virtutis cultum alacritas eluceat, quàm apud Pariſinos? Hìc pietas ſine affectatione, gravitas ſine arrogantia, magnificentia ſine oſtentatione, candor ſine fallacia, prudentia ſine ſimplicitate, ſuaviſſimus denique virtutum omnium comitatus ſine ullo vitiorum contagio effloreſcit.

Verùm quid hìc immoror, aut quid adjiciam plura ad gentis noſtræ commendationem, dum illi ipſi, qui Pariſini populi gloriam verbis elevant, eandem factis omni prædicatione efficaciùs extollunt? Quotus enim quiſque eorum eſt, qui verſari Pariſiis non amet & annumerari nobiſcum non glorietur? Quo ſtudio noſtræ conſuetudinis ſuis illi de provinciis Pariſios convolant? quàm ægrè, quo bonæ urbis deſiderio in eaſdem recedunt aut neceſſitate temporum, aut rei familiaris inopia? Videas qui parcè vivant apud ſe, duriter ſe habeant, qui deliteſcant rure multos per annos defraudentque genium, ut comparare aliquid unciatim poſſint, unde victitare nobiſcum aliquandiu Pariſiis liceat. Scilicet notum hoc ipſis ſpectatumque eſt, & meritò quidem, Judices, tam-

diu

diu ſe rudes atque impolitos fore, donec in hac noſtra urbanitatis ac leporis officina culti fuerint ac perpoliti. Videre mihi videor famoſas illas, & omnium gentium præconiis celebratas Athenas, quò ex univerſis orbis partibus ſpectatiſſimi quique viri ita confluerent, ut nemo vel ad ingenii, vel doctrinæ, vel elegantiæ famam poſſet aſpirare, niſi in illa artium omnium palæſtra priùs fuiſſet exercitatus.

Inficias eant per me licet, & orationi reclament meæ vel Normanni, vel Vaſcones, vel Aremorici, quorum hìc magnam video vel intra domeſticos hujus Lycæi parietes multitudinem congregatam. Eſt eorum aliquis, quem noſtræ urbis pigeat? cui deſit hìc aliquid ad bene beatèque vivendum? qui præclarè ſecum actum non putet, ſi domeſticos Pariſiis penates figere in perpetuum liceat?

Quare videte, amabo, Judices, ſi qui forte hìc eſſent, quod ego non crediderim, gentem in noſtram minùs liberaliter affecti, ne, ſi quid pejus in Pariſinos ſtatuant, ſibi ipſis contradicere, &, quod ſua agendi ratione palam approbant, id tacitè malignis ac ſinceris parum judiciis improbare videantur.

PICARDUS.

Inexpectatus & improviſus Interceſſor.

Ergo ſic deſpicimur nos Picardi? dum illi de Principatu acriter inter ſe contendunt, nos interim inertes ac lenti otiabimur? ò Picardorum fors luctuoſiſſima! Itane vero inventum eſſe neminem, qui noſtras partes ageret, & illatam provinciæ noſtræ injuriam vindicaret? Exoriatur aliquis in tam florenti juventute dignus ultor noſtri nominis! Nemo ſe offeret? nemo illorum hominum faſtuoſam ſagacitatem retundet? Tamen non inulti moriemur. Ipſe, ipſe, quamvis ſciam in tota gente noſtra inferiorem eſſe me neminem, pulpitum conſcendam. Date locum, atque imparatus licet, ex tempore perorabo. Si natura negat, dabit indignatio, unde exultantes juveniliter deriſores illos aggrediar, ſuperem, dejiciam.

Itane vero contemnendi vobis videmur, homines belluli ac polituli? Ut mihi moviſtis bilem, dum fucata ac ceruſſata oratione nugas hìc veſtras divenderetis! Hic ingenium ſcilicet, ille corporis elegantiam, alius fortitudinem, alter auream indolis bonitatem, quaſi res ſuas oſtentarunt. Atqui ſcire vos oportet, hoc eſſe Picardorum fatum, ut nulli veſtrum hac in re cedere videantur.

Ac de ingenio primùm: quoniam illi tam acriter diſputant, atque res inter ſuas nobilem illam ſupellectilem annumerandam putant; agite, quæſo vos, Judices, qua tandem in re poſitam ingenii vim, aut quem ingenioſum eſſe creditis? Eumne, qui conſectetur ambitioſius inanes ſententiarum floſculos, magnificam verborum pompam, futilem ac ludicrum totius orationis apparatum, quem illi tam inſolenter extulerunt? Ille, ille ingenioſus eſt, qui præditus bono, ut ajunt, ſenſu; qui bene comparatus à critirio, qui rectam ſingulis in rebus adhibere norit judicandi normam ac regulam. Hanc porro laudem nobis quis invideat, Judices, aut quis venire nobiſcum in contentionem confidat?

Elegantiam corporis ac politulam formæ venuſtatem, quam Vaſcones & Pariſini tantopere jactitant, nihil moror: novi quam parum iſthæc ad veram laudem pertineant, &, quæ ipſi non fecimus, vix ea noſtra puto. Tamen nolite ſuperbire inſolentius ele-

ele-

elegantuli homunciones; ſunt & in patria noſtra, qui nihil in ea re vobis cederent. Ac licet fieri de cæteris ex me conjecturam non velim; tamen nihil video, quod in hac noſtra mediocritate tantopere ſit contemnendum.

Quanquam ferrem æquiùs, Judices, elegantulos ac politulos haberi puſiunculos iſtos, niſi etiam & fortitudinis laudem ſibi impudenter arrogarent. Egregium enim verò fortitudinis domicilium, tantula delicatorum hominum corpuſcula! Næ conſultam parum illi æſtimant naturam, Judices, quæ tanto hoſpiti tale præparaſſet hoſpitium! Qui plenos nervis ac robore lacertos, amplum ac ſpatioſum pectus, latos humeros, ac cætera corporis firmamenta oſtentare poſſunt, illi, per me licet fortes ac generoſi nuncupentur. Sed quid ego hæc diſputo verboſiùs? Eſt aliquis veſtrum, qui facere cum Picardis fortitudinis periculum velit? qui conſerere nobiſcum manus audeat? ſiletis, obſtupeſcitis? Ne Vaſco quidem hiſcere contra quidquam confidat? Prudenter vos quidem ac conſultò facitis; neque ii pariter ſumus, quibus rixæ contentioneſque placeant.

Tamen hoc reſtabat unum, Judices, ut illi candorem ac bonitatem indolis Picardis inviderent. Quo quid iniquius, amabo vos, quid alienum magis à communi hominum opinione jactari poterat? Quaſi ſit aliquis uſpiam, qui neſciat, tam eſſe propriam Picardiæ bonitatis laudem, ut boni κατεξοχὴν Picardi nuncupentur! Atque utinam non tam boni ſemper, Judices! Si quis eſt in noſtra gente nævus, is ab una bonitate profectus potuit videri. Quanquam nihil piget; juvat, vel aliquo nominis noſtri diſpendio, bonitatem tueri tanquam noſtram poſſe.

Non ego vos morabor oratione longiori, Integerrimi Judices. Facite, quæſo; ut quanto contumelioſiùs deſpectam in hac controverſia gentem noſtram ſenſiſtis, tanto illuſtriorem in Picardos ſententiam feratis.

ARBITER ET JUDEX

Controverſia.

Non eſt illud novum & inſolens, quòd inter eos, qui varias orbis regiones incolunt, de prærogativa patriæ, quam ſinguli agnoſcunt ſuam, frequentes ac vividæ contentiones oriantur. Eſt hic ipſius naturæ ſenſus, quæ, ut neminem patitur eſſe eorum immemorem, à quibus vitam accepit, ita nec terram illam, quam quiſque naſcens primùm aſpexit, cujus adolevit in ſinu, cui munera debet, quibus fruitur, ſinit obliviſci. Quare adeo reprehendendum non putem ſtudium illud, quo tuendæ & ſupra cæteras extollendæ patriæ ſuæ nobiliſſimi Juvenes exarſerunt, ut dignum laude, dignum ingenuis ac liberalibus animis eſſe judicem. Verùm nec cæcus, nec injuſtus eſſe debet hic amor natalis ſoli, qui vel temerè ſentiat de ſuis alieniſque rebus, vel iniquum de iiſdem judicium ferat.

Equidem ſenſimus vos, quotquot eſtis, oculatos inprimis ac perſpicaces in pervidendis rerum momentis, quæ ſingulorum cauſæ ſuffragari poterant. Non latuit Vaſconi nativa illa ingenii ſagacitas atque ſolertia, quam rebus ſuis promovendis illi Galliæ ulterioris incolæ non infeliciter adhibent. Extulit inprimis inſitas genti ſuæ dotes corporis & animi, quæ perſtringere oculos & facere fucum ſolent: prædicavit confidenter præfractam illam urbanæ frontis

tis audaciam, quam nullus repulſæ metus perturbet, nec tentati temere plerumque operis irritus labor infringat. At non vidit, aut certè diſſimulare viſus eſt externa illa, quibus Vaſcones gloriantur, vel corporis, vel animi ornamenta, non abſimilia videri naſcentibus identidem ex improviſo in media aeris regione facibus, quarum illud fatum eſt, ut curioſitatem primò moveant & admirationem; mox dum reſolvuntur & evaneſcunt, vanitatis ſuæ atque inanitatis admoneant.

Meliorem in Aremorico fidem experti ſumus. Nam ingenii politioris elegantiam, facundiam in dicendo, in jocando dicacitatem rebus in ſuis numerandas non putavit. At fortitudinis gloriam atque indolis bonitatem ita ſibi vindicavit tanquam ſuas, ut in utraque non modò cuiquam non cederet, ſed etiam ſuperiorem agnoſceret neminem. Hoc porro tamne verum eſt, quàm ille profitetur? Abſit ut Aremoricæ genti, quam magno ſemper duxi ponendam in loco, ego detraham, aut quidquam laudis illius, quam meretur, deterere videar. Scio minimè malos eſſe Aremoricos; imò probitatem in ipſis, fidem, devotum in amicos ſtudium agnoſco & veneror. At propenſam illam ad bene merendum voluntatem, qua potiſſimum illi gloriantur, numquis expoſtulare verè poſſit ſic exhauſtam videri ſuæ gentis in gratiam, ut ejuſdem minùs ad cæteros pertineat? Quod ſpectat ad fortitudinem, quam rebus pelago præclarè geſtis conſignatam inprimis fuiſſe Aremorici jactitant, nemo certè hanc ipſis invideat laudem, aut de regno Gallico bene meritis ultro non gratuletur. Tamen ad acuendos ſtimulandoſque heroum iſtorum animos pluſne virtus ipſa, quàm utilitatis illecebra valeat, contentioſam movere quæſtionem abſtinemus.

Laboravit in eo tota Normanni induſtria, ut; quam malitioſi homines inuſtam ſuæ genti ſubdolæ mentis, ſuiſque commodis ſervientis animi calumniam depelleret. Dolent illi nimirum hoc ſibi vitio dari, quod apud ipſum ſummæ ſapientiæ ſpecimen eſt; tamque inſitum homini putat eſſe res promovere ſuas, dum occaſio commoda ſe offert, ut miretur id in ſe tanquam vitioſum incuſari, quod in omnes, quodcumque nacti ſunt ſolum, cadere neceſſe ſit. Hoc porro ſi Normanno condonabimus, ut candidæ & ingenuæ mentis laude perfruatur; ſi neque eo incuſandus nomine videbitur, quòd utilitati propriæ ſtudeat præter modum; an continuò Principatus prærogativam feret, & cæteris, quibuſcum ipſi hodie contentio eſt, anteponendus cenſebitur? Non eſt, mihi credite, tam ambitioſa gens illa, ut priores partes ſibi vindicet, ſi modò ingenii ſui atque indolis obtrectatoribus os occluſerit. Imò quoniam ita comparatos Normannos experiuntur, ut ſola virtute contenti, virtutis præmio ultro lubenterque carere ſuſtineant; ne ipſis hanc invideamus gloriam, ut cum cæterarum virtutum comitatu ſingularis modeſtiæ conſcientia perfruantur.

Et Picardum laudis æmulatio ſtimulavit: homini ſi creditur, debetur genti ſuæ contentionis hodiernæ palma, nec ſine gravi offenſione Picardia potuit principatu fruſtrari. Extemporalem ingenii fœtum, acres animos, nec impolitam, pro gentis indole, Orationem ſuſpexiſtis. Tamen putatis rem actam ſeriò, aut tantam eſſe Picardo fiduciam, ut reliquos inter Galliæ populos prærogativam ambiat? Ego non temere forſan ſuſpicer, feciſſe innatum patriæ amorem, & inſitæ bonitatis mentem con-

conſciam, ut doleret nullam haberi de provincia ſua quæſtionem, & Picardos nullo reputari in loco, qui ubi agitur de gloria, ſilentio prætereirentur. Quare, ne qua ſit hominibus bonis expoſtulandi cauſa, noverint eſſe ſe eo apud nos in pretio, quo decet, tamque verendos apud omnes, quam amandos videri.

De Pariſinis una moveri deinceps controverſia poſſit, Judices, & quem inter omnes, qui primas ſibi vindicant, tenere debeant gradum, dirimendum ſupereſt. Mihi porro viſa eſt, credo item & vobis, dicentis oratio pro tuenda urbe regni primaria, verecunda inprimis ac modeſta, qui non tam in celebrandis gentis ſuæ moribus, quàm in ipſa locorum, quæ nactus eſt commendatione moratus ſit. Tamen quis neget Pariſinos habere multa, quæ citra cujuſquam vel invidiam vel offenſionem laudanda videantur. Eſt uſpiam urbs aliqua, quæ tam moratos, tam candidos, tam in omni vitæ commercio commodos cives & expetendos ferat! ubi ſuavitas indolis amabilior, politioris cultus elegantia, feſtivior ingenii viget amœnitas? Eſt aliquis in provinciis educatus tam feliciter, qui ſibi ad humanitatis ipſius perfectionem deeſſe aliquid non putet, quandiu Pariſinos inter excultus ac perpolitus, inde bonarum artium guſtum ac ſaporem non contraxerit. Sed quoniam iſta pro jure ſuo ambitioſiùs ſibi non arrogat Pariſinus Orator, hæreamus inter eos limites, quos ipſe ſibi præſcripſit. Laudavit antiquitatem hujus urbis, majeſtatem, apparatum, magnificentiam; commendavit multitudinem civium, nobilitatem, elegantiam, comitatem. Extulit tot celebres Academias, in quibus excoluntur ingenia, erudiuntur, perficiuntur, tot officinas omnis generis artium, quæ naturam æmulantur tam ſolerter, pœne dixi, vincunt ac ſuperant. In quo quis ipſius Orationi reclamet, aut venire dignitatis in contentionem confidat? Quanquam ex ipſo litigantium judicio, quid de Pariſinis ſentire conveniat, æſtimemus. Agite, quotquot eſtis; ſi veſtra vobis provincia tantùm placet, quid juvat immorari Pariſiis cum faſtidio? Repetat unuſquiſque Penates ſuos, & illic beatam ac felicem ſine rivali vitam exigat. Quid exteras inviſaſque ſedes tot ſumptibus incolitis, quibus bene eſſe licet natali in ſolo, & veſtros inter populares amorem patriæ dulciſſimum explere? Sin verò vos tanta gentis veſtræ ceperunt tædia, & vivere nobiſcum & noſtris inſtitui moribus lucro apponitis, fateamini neceſſe eſt, nullum in tota Gallia populum eſſe Pariſinis præferendum.

HORATIUS SORORICIDA.

CAUSA SECUNDA.

In Genere Judiciali.

ARGUMENTUM.

Parta de tribus Curiatiis victoria, cùm eorum onuſtus ſpoliis Horatius urbem ingreſſus eſſet, in Sororem Virginem incidit, quæ deſponſa uni ex tribus Curiatiis fuerat. Illa cognito ſuper Fratris humeros paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat, ſolvit crines, & ſuo ſponſum nomine mortuum flebiliter appellat. Movet feroci Juveni animum comploratio Sororis in victoria ſua tantoque gaudio publico, ſtrictoque protinus gladio Puellam transfigit. Horatius perduellionis reus accerſitur à Duumviris, & morte damnatur. Provocatione certatur à Duumviris ad Populum, qui Horatium abſolvit.

ACTORES.

M. VALERIUS, Alter è Duumviris Horatii accuſator.

P. HORATIUS, Perduellionis reus.

P. HORATIUS, Horatii Perduellis Pater ac Defenſor.

TULLUS HOSTILIUS, Rex Romanorum.

M. VALERIUS,

Alter è Duumviris P. Horatii Accuſator.

SI quis unquam, Rex æquiſſime, voſque adeo, quotquot hic adeſtis, Quirites, moleſtam ac difficilem accuſandi provinciam, & odioſum detrahendi etiam de amico officium expertus eſt; nunc mihi certè invifum inprimis accuſatoris nomen & plenum acerbitate duriſſimæ munus debuit videri. Etenim ſentio totam oneris illius gravitatem, quod mihi ratio communis utilitatis imponit; video quàm alienum ſit ab ipſa humanitate, virum optimè de patria meritum, libertatis publicæ vindicem ac tutorem, eundem mihi arctiſſimo neceſſitudinis vinculo conjunctum Perduellionis reum accuſare.

Ve-

Verùm idem ille patriæ amor, cujus cauſa Horatius ſuum præſentiſſimo periculo caput objecit, cui ſororis unicæ vitam putavit eſſe immolandam, idem, inquam, amor ille patriæ me cogit, ut debitas ab eo pœnas repetere non dubitem, cui lauros perennes parta cum victoria Populi Romani libertas videtur poſtulare.

Igitur miretur nemo, ſi, quam celebrandæ recenti victoriæ vocem ultro commodarem, eadem nunc ad increpandum victoris parricidium, & poſcendam judiciorum ſeveritatem utendum judicaverim. At Te, Rex ſapientiſſime, voſque integerrimi Judices, conſiderare diligenter velim, quid præſens tempus à vobis, quid tota retro poſteritas per me depoſcat; veſtrum eſt in hodierno exemplo ſtatuere, quid de ſcelere omnium maximo ſit deinceps ſentiendum.

Hìc verò diſputare tecum acriùs, Horati, non velim, quàm parvi fuerit animi, quàm indignum conditione tua, quòd vir in Puellam, armatus in inermem, quòd ferox ac recenti inflatus victoria in afflictam, & vix dum extincti ſponſi morte deſolatam inſurrexeris; atque hinc vide, quàm non ego ſim iniquus reo, quàm non moleſtus accuſator.

Alia ſunt, Quirites, gravioris cujuſdam ponderis ac momenti, quæ orationem ad ſe convertant totam, nec in aliis rebus evagari patiantur. Id porro flagitii genus, quod veſtram hodie vindictam exigit, eſt ejuſmodi, Judices, ut quoniam in civitate noſtra nullum habuit ad hunc uſque diem exemplum, nulla in auctores pœnarum ratio decreta ſit. Putarunt nempe ſapientiſſimi majores noſtri, tam alienum eſſe à Romana virtute parricidium, ut nullo coerceri ſupplicio, nulla propoſita pœna deberet prohiberi. Quod enim vel ipſa communis hominum parens ac magiſtra vitæ natura omnium in animis jam diu proſcripſiſſet, idem non videbatur cadere in civem Romanum poſſe, qui hoſtilem fundere ſanguinem, non propinquum, aut etiam fraternum didiciſſet. Si tamen tam ſanctos refringere limites unius hominis non pertimuit audacia; ſi vidimus hodie ſub oculis noſtris admiſſum, quod fieri poſſe nemo veſtrum æſtimaſſet; videte, Judices, niſi quamprimum obſiſtat juſta ſeveritas, ne malum impunitate creſcat, & tam pernicioſum inuſitati facinoris exemplum latiùs propagetur.

Etenim ea eſt Romani Imperii conditio, ut licèt propinquitatis vinculo, ac communione ſanguinis cum populis circumadjacentibus gaudeamus, graves tamen cum ipſis interdum gerere inimicitias, & mutuas ruere in cædes vel inviti ac reluctantes adigamur. Nam cùm rerum feliciter geſtarum gloria ſoleat vicinorum oculos perſtringere, &, quidquid æmulorum laudi ac potentiæ accedit, idipſum auferri ſibi exiſtiment; nulla vel affinitatis neceſſitudo, vel ſanguinis propinquitas impediat, ne, dum alienis viciſſim incrementis volunt obſiſtere, graviſſimas utrinque dimicationes ſuſtineant. Quæ cùm ita ſint, quis non videt; quis non intelligit, nemini deinceps fore licitum, ſuorum ut lugeat funera, & ſublatos armorum fato propinquos deſideret? adeoque Jus illud omne, quod innatum nobiſmetipſis videri poſſit, ut noſtram in propinquos charitatem ac pietatem ſignificemus, unius temeritate facti, unius hominis ſcelere atque inſolentia penitus eſſe ſublatum?

An verò privatum hominem tantùm habere cives in ſuos juris, ut duriſſimum cæteris omnibus jugum imponat? Tunc igitur, Horati, hoſtilem impetum à patriæ mœnibus repuliſti, ut eandem domeſtico furore violares?

tunc victoriam de hoſtibus reportaſti, ut eadem civium in perniciem abutereris? tunc conclamatam jam pœne hujus urbis libertatem vindicaſti, ut eidem tali facinore gravioris ſervitii metum injiceres? O urbem miſeram! ò infelicem patriam! ò acerbam nimis gentis noſtræ conditionem, cui neque vinci, neque vincere ſine civium pernicie ac libertatis exitio deinceps licebit! Quid enim poſthac Juventus Romana natura ſua ferox, & impunitatis expectatione confirmata non audebit? quos cupiditati ſuæ fines, quos impotentiæ frenos imponi patietur? Quis erit victori modus, cui rerum bene ac feliciter geſtarum gloria novam innatæ ferociæ inſolentiam adjiciet? Victoriæ ſcilicet ac trophæorum in umbra tutus cædes, rapinas, parricidia, &, ſi quod aliud robuſtioris improbitatis excogitari facinus poteſt, impune perpetrabit.

Atenim infelix Soror ſpolia deſponſi ſibi conjugis ſanguine cruentata ſine dolore aſpicere non potuit: ò ſcelus! occiſum à Fratre luxit conjugem, ò impietas! flebilibus lachrymis ſponſi manibus parentavit; ò flagitium nullo ſatis gravi ſupplicio expiandum! Tune ergo, Horati, pietatem vitio, virtutem crimini vertendam arbitraris? an non aliquid de victoriæ ferocia remittere te, ut liberum Sorori tuæ dolorem permitteres? an non vel patriam ipſam tantiſper oblivisci, ut aliquid naturæ, aliquid pietati conjugum indulgeres?

Sed eſto: peccarit illa; dum cruenta ſponſi ſanguine ſpolia execrata eſt. Nihil ne ſibi vindicet muliebris infirmitas, nihil ſexus imbecillitas exoret? Nihilne ſibi poſtulet ignoſci amica Soror, quæ conjugis in Fratre interfectorem agnoſcat? Non ergo viſum eſt ſatis, ſi immoderatè dolentem verbis caſtigares, ſi nimium & intempeſtivum amorem reprehenderes, niſi auctoritate propria Judicis ac tortoris vice fungereris, niſi per ſummum nefas propriam in Sororem ferociter inſurgeres, niſi crudeles ac parricidales manus tam propinquo ſanguine cruentares?

Sed quid adjiciam plura? Vides enimverò ſatis, Rex æquiſſime, pro tua, quæ ſingularis eſt, perſpicacia, vides, quid æquitati, quid patriæ, quid regiæ auctoritati, quæ omnia Horatius violavit hodie, debeas. Itaque parco ulteriùs perſequi tantæ atrocitatis ſupplicium; cui vix ulla par pœna poſſit inveniri? Non peto iterum atque iterum parricidii tam atrocis auctorem capitali ſententia multari, quem humana jam divinaque jura morte damnarunt. Unum oro, ne te pigeat vel victorem plectere, qui parricidii immanitate victoriæ gloriam obſcuravit. Nihil te retineat libertas Populo Romano vindicata, quæ non tam Horatii virtute parta, quàm ſingulari quodam Romanæ urbis fato, vel conceſſa, vel potiùs conſervata videri poſſit.

P. HORATIUS
Perduellionis Reus.

O duram rerum humanarum viciſſitudinem! ò deplorandam fortis levitatem & inconſtantiam! Ecce reus capitis veſtrum in judicium acceſſor, Quirites, qui veſtra omnium capita ab interitu vindicavi! Mihi fatalis & funeſtus dies hic clauditur, qui tam ſerenus, tam fortunatus primum illuxit! Ecce in ſervitutem libertas, victoriæ campus tetrum in carcerem, triumphi pompa lugubrem in apparatum, currus victori debitus in infame patibulum commutatur!

Noli tamen exiſtimare, Rex fortiſſime, neque vos, Quirites, quotquot hic adeſtis, arbitrari; hac me veniſſe

niſſe mente veſtrum in conſpectum, vel ut facinus, de quo nunc arguor, excuſem, vel ut paratam pro eo facinore pœnam indigna prece coner declinare. Loquitur pro me ſatis mactatus hac ipſa manu ſuperbus hoſtis; cauſam agit meam parta recenti victoria communis libertas; Patria ipſa ſervitutis metu vindicata, in tanto liberatoris ſui periculo, nec conticeſcit, nec vitam, quam me exorare pigeat, non precatur. Nam cur ego vel vitam orem, vel mortem deprecer, qui nec dignum morte egerim quidpiam, nec quidquam indignum vita patraverim? Scilicet vertatur hoc mihi in probrum & in dedecus, quod glorioſiſſimum debuit reputari?

Atenim occiſa Soror, & manu Fratris occiſa. Fateor, Quirites; nec fateri me pudet: nec facinus, ſi liceat, infectum velim. Feci enimverò, non temerè, ſed judicio; non per iracundiam, ſed deliberata voluntate; feci quod Patria quacumque propinquitate ſanguinis propior ac carior poſtulabat. Urbis dedecus, labem patriæ, peſtem atque exitium publicæ libertatis ſuſtuli, mactavi, exterminavi.

Et hoc mihi tanquam indignum homine Romano facinus quiſquam exprobret? Soror illa ſit mihi nimirum, aut hoc nomine digna reputetur, quæ vivere ſuperſtitem è tribus fratribus unum expoſtulat? quæ mactatos hoſtium furore fratres, ſui ipſius oblita ſanguinis non dolet? quæ ſublatum hoſtem patriæ libertatis deſiderat? quæ redemptam viliſſimo ſanguine ſalutem urbis atque tranquillitatem conqueritur? Saltem ſi remotis arbitris ſola, ſi privatim, ſi concluſis in ædibus dolori indulſiſſet, ſi abſtinuiſſet prodire in publicum, ferendum id quoquo modo videri potuiſſet, Quirites, & imbecillitati muliebri fortaſſe condonandum. At vero niſſe illam frequentiſſimum populi totius in conſpectum; Romæ exultantis ac triumphantis gaudia intempeſtivo luctu, plauſum gemitibus, lachrymis lætitiam, feſtas omnium acclamationes importunis querelis interturbaſſe! Non erubuerit infelix mulier dolere palam de communi libertate, quam vel fuſo ſanguine bene redemptam fratres ſui lætatentur! Victoriam illam omnium in oculis deteſtata ſit, quæ ſalutem huic urbi, ſecuritatem Populo Romano attuliſſet? Hanc inuſſerit familiæ noſtræ labem, ut una partam tanto pretio ſervatæ Romæ gloriam nobis inviderct! Maluerit illa ſalvum eſſe conjugem, quàm eripi quemquam è ſuis de periculo, quàm patrem ſervari ſuperſtitem, quàm victricem Romam gaudere libertate? Et hoc Romanus impune, hoc libertatis vindex & aſſertor, hoc Horatius victoriæ compos pertuliſſet? non vindicaſſet vel proprio in ſanguine illatam Romanæ gloriæ injuriam! turpem ignominiam, patriæ probrum ac dedecus, ſegnis ac lentus ſpectator aſpexiſſet?

Sed quid ego hic moror? ſi novum illud & inſolitum Romanæ libertatis ſtudium pœna dignum eſt; ſi fœminæ imbellis vita videtur libertate potior, ſi aſſertor ejuſdem libertatis nullum aliud virtutis ferre præmium debuit, præter infame patibulum; ſi ſtatuiſtis apud vos victorem Horatium ſupplicio capitis, infortunatum patrem luctu perdere: nihil ego mortem deprecor, Quirites; quæcumque mihi ſubeunda ſint ſupplicia, non imparatum Horatii pectus invenient; neque glorioſum non putabo, poſt ereptam fortiter hoſtium è manibus Patriam, pro eadem ſtrenue ac viriliter, vel turpiſſimum dedecus perferre. Hoc ſaltem dabimus futuris deinde ætatibus ſalubre documentum, quanto vir Romanus patriæ ſtudio flagrare de-

beat; diſcent vel ex me, nihil eſſe tam durum, tam infame, tam acerbum, quod perpeti ultro non oporteat, quoties patriæ ſalus aut gloria poſtulabunt. Unum eſt mihi vel in turpi morte ſolatium, Quirites, quòd facinoris illius mei approbatores non paucos, patrem verò amantiſſimum etiam gratulatorem nactus ſim; doliturus, ut ingenuè fatear, mirum in modum, ſi præter ſpem atque expectationem tanti viri ſuffragium abſuiſſet.

Cæterùm gaudete, Quirites, parta laboribus meis gloria; gratuletur ſibi quiſque receptam ex graviſſimo diſcrimine libertatem. Fruatur beato tranquillitatis otio, quòd domitus hoſtis ac victus videtur attuliſſe. Nemo me extinctum doleat acerbiùs, quàm mihimetipſe dolendum putem. Unum oro vos atque obteſtor, ſi quid recentis victoriæ beneficio meruiſſe videar; ut, cùm pendentem ab infami patibulo videbitis Horatium, meminiſſe non pigeat, eundem illum eſſe, qui vos omnes, qui urbem hanc pulcherrimam, qui patriam denique univerſam à turpiſſimo ſervitutis jugo liberavit.

P. HORATIUS

P. Horatii Perduellionis Rei Pater.

Etſi, quirites, devoti pro charitate patriæ tres liberi eam afferunt miſero parenti fiduciam, ut non fruſtra pro unico afflictæ domus ſolatio deprecator accedat; tamen & ignorarem ipſe me, & ultori patriæ publicæque libertatis aſſertori injuriam facerem, ſi vel eo jure tam legitimo ad hodiernam infelicis Horatii defenſionem utendum arbitrarer. Nolite igitur expectare, Quirites, ut ego per miſerabiles afflicti parentis lachrymas, per orbatæ ſenectutis acerbitatem, per immolatam libertati veſtræ tergeminam ſobolem paratas filio pœnas amoliar, & exciſæ gentis expectationem unicam mihi conſervatam velim. Unum oro vos, Quirites, unum ego te, Rex fortiſſime, obteſtabor, ut in cauſa infortunati filii una Patriæ ratio habeatur, & quod vel ex ipſius gloria, vel ex ejuſdem utilitate futurum cognoveritis, id ſtatuere in eum non pigeat.

Nihil obſto, Quirites, eripiatur miſero Patri dulciſſimum ingraveſcentis ætatis præſidium; mortem oppetat infelix Horatius, ſi patriæ gloria, ſi redempta civium libertas, & Romæ triumphantis exultatio patiuntur. Scilicet id ſibi glorioſum Roma arbitretur, ſi liberatorem ſuum perdat atque exterminet, ſi iis abutatur in Horatii perniciem legibus, cujus victoria viguerunt? ſi ſanguinem illius effuderit, per quem tot capita debitæ neci victimæ ſervata ſunt. Nam ubi tandem, Quirites, triſtiſſimum peragatur ſcelus? quodnam inauditæ hactenus ſævitiæ theatrum eligatur? an intra Civitatis hujus mœnia, quam ex hoſtium manibus virtute ſua ſervavit incolumem? an inter confertas Romani exercitus acies, quæ victoriæ teſtes triumphanti tam lubenter applauſerunt? an in hoſtili campo, quem Curiatiorum ſanguine cruentavit? Dignum enimvero ſuæ in bene meritos de patria cives pietatis aut etiam æquitatis documentum exteris gentibus Roma ſufficiat! quæ contumeliam pro laude, pro mercede ſupplicium, mortem pro triumpho rependeret! Æquitatem dico, Quirites; nam quid egit, amabo vos, infelix Horatius, quod judicio capitis debeat expiare?

Non excuſabo factum, Judices, aut præfervidæ juventutis ferocitatem obtendam, imò, imò: tametſi videbor fortaſſe durus & immiſericors parens,

rens, tamen dum me Romanum eſſe memini, nihil vereor facinus illud approbare, quod in alio Romano quocumque collaudaſſem. Quin & vos ipſos, Quirites, aut ſuffragari filio meo jam oportet, aut patiam vobis ipſius gloria ſalutem execrari. Nam quo Juvenis animo, quo ſtudio ad vindicandam veſtrum omnium libertatem exarſit, eodem infelix frater ad inferendas ſorori cruentas manus incenſus eſt. Sit ille parricida, ſit crudelis, & inhumanus etiam frater, at non potuit, imò non debuit æquiùs ferre vel ſororem, quæ redemptam fratrum ſanguine patriæ ſalutem ac libertatem doluiſſet. Non putavit fortiſſimus Juvenis extinctos penitus ac profligatos Romanæ libertatis hoſtes, illa dum viveret, quæ ſuam Romano Populo laudem & gloriam invidiſſet, quæ duriſſimum ſervituris jugum victoria potius exiſtimaſſet, quæ veſtris omnium capitibus exitium, patriæ ruinam, Romæ turpiſſimum dedecus peroptaſſet. Vel ſi ſceleris habendum loco, tam malè de patria meritam occidiſſe; patrem plectite, Quirites, non filium. Me, me adſum, ſcelus qui feci; hos ego juniori Horatio ſenſus, hos animos, hunc amorem in patriam inſtillavi filio, ut ſalutem publicam rebus omnibus duceret antiquiorem.

Si tamen filio meo vertendum in dedecus, etiam in pœnam, quòd debitam patriæ charitatem amori fraterno prætulerit, quòd non de hoſtibus modò, ſed de ipſa etiam natura viriliter triumpharit, videte, quæſo, quantùm veſtræ urbi totique imperio detrimentum ſitis allaturi. Nam quis deinceps aut curet patriæ gloriam, aut tuendæ publicæ libertatis gratia ſubire vitæ periculum ſuſtineat; cùm illuſtria civium merita ſenſerit tam malè compenſari? Quis expectet mercedem aliquam, qui beneficium, quod eſſe poterat omnium præſtantiſſimum, noverit triſtiſſima morte mulctatum? Quis potiùs ſibi non metuat, cùm vel ipſa patriæ charitas ſupplicio digna cenſeatur? Neque enim Horatius infelix aut odio aut iracundia provocatus adverſus ſororem exarſit; unus patriæ amor incitavit juvenem, unum ſalutis publicæ ſtudium impulit. Non credidit, Judices, tam indignos animo Romano ſenſus carere ſupplicio poſſe, oblitus eſt illam eſſe ſororem ſuam, ut perimeret hoſtem; imitatus ſapientiſſimum hujus urbis conditorem Romulum, qui Remum fratrem novæ urbi inſultantem propria manu confodit. O mutata jam in pejus tempora! Ecce capitis reus nunc accerſitur, qui triumphare meruiſſet! hoc imminet victori præmium, ut infamem religatus ad palum carnificis manu pereat! Tanti eſt amaſſe patriam, tanti eſt pro ſalute communi ſuam ſuorumque vitam devoviſſe!

Nihil eſt, quòd adjiciam plura, Quirites; ſi tam glorioſum facinus vobiſque tam utile dignum morte cenſebitis. I, Lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium Populo Romano pepererunt: caput obnube liberatoris hujus urbis, & infelici trunco ſuſpende. Verbera vel intra pomærium, modò inter pila & ſpolia hoſtium, vel extra pomærium modo inter ſepulcra Curiatiorum. Quò enim ducere Juvenem hunc poteſtis, ubi ſua eum decora à tanta ſupplicii fœditate non vindicent?

TULLUS HOSTILIUS
Rex Romanorum.

Geminum hodie, Quirites, vidit Romana civitas ſub oculis ſuis prodigium,

gium, geminum in eodem cive facinus aſpexit? alterum omni prædicatione majus; alterum bonis funeſtum ac luctuoſum. Hinc rapit in admirationem omnium animos inſignis Horatii victoria, qua Patriæ vindex, & publicæ libertatis aſſertor immortalem nomini Romano gloriam peperit; inde movet indignationem horrendum ejuſdem parricidium, quo ſororis interfector feſtivæ diei celebritatem funeſtavit. Neque verò neceſſe eſt, ut utrumque facinus, quod omnium oculis innotuit, operoſiùs perſequar. Nam quis veſtrum ignorat, Quirites, quanto rerum in diſcrimine libertas noſtra verſata ſit? quis non intelligit quantum relatæ ab Horatio victoriæ Romanum imperium debeat? Quis ſuas fortiſſimo Juveni opes, fortunas, vitam, ſecuritatem ac pacem acceptas non refert? Imminebat enimverò graviſſima patriæ noſtræ pernicies, & Roma ruinæ ſuæ proxima ſervitutis æternæ periculum adierat. Jam conclamatum videri de ſalute noſtra, jam deſperare omnes rebus ſuis, & abjicere animos, jam exultare hoſtes, & ſublatis armorum fato duobus Horatiis, quaſi de parta victoria triumphare. Cùm repentè mutatæ in melius rerum facies, & unius hominis induſtria pariter ac virtute ſervitii periculum depulſum eſt. Hoſtes arma ponere, leges noſtras accipere, vectigal perpetuum ſolvere coegimus.

O diem fauſtum! ò victoriam omni præmio majorem, niſi atrociſſimum facinus illius ſplendorem ac gloriam obſcuraſſet! Redibat Horatius inter lætas populi exultantis acclamationes tergeminis Curiatiorum ſpoliis ſuperbus; venit obviam infelix ſoror, non gratulabunda, ſed dolore amens & luctu perdita, quæ Curiatiorum in funere ſponſum requireret; agnoſcit inter hoſtiles exuvias arma interfecti conjugis: ire iterum in gemitus ac lachrymas, inclamare ſponſum inſolabiliter, & victoris ferociam increpare. Movet ſuperbi Juvenis ſtomachum intempeſtiva comploratio & præpoſterus in publico gaudio fletus: mox naturæ oblitus & ſanguinis, eodem, quo hoſtes, gladio ſororem interficit.

Hìc verò quid ſtatuendum cenſebimus, Quirites? Quam mercedem victori, quod ſupplicium reo decernemus? Alterum facinus laudem & præmium poſtulat; Alterum contumeliam & vindictam exigit. Utinam fieri utrumque à nobis poſſit, & debitam fortitudini lauream tribuere, & ſuas crimini pœnas ſtatuere liceat! Utinam Romæ liberum ſit, hinc punire ſontem; inde victorem compenſare! At quoniam idem omninò civis & mulctandus à nobis, & præmio donandus objicitur, veſtrum eſt judicare, Quirites, pluſne valere apud nos ad condemnationem debeat ſceleris gravitas, quàm facti gratia ad abſolutionem.

Equidem, ſi ſpectetur ipſa tam inuſitati facinoris atrocitas, dicta cauſa eſt; humana divinaque jura conſpirant, ut is tollatur de medio, quem nulla Legum reverentia, nulla naturæ vis, nulla ſanguinis communio retinuit, quominus inauditum hactenus parricidium perpetraret. Inſurgit auctoritas publica privatum in hominem, qui fundere Romanum ſanguinem, quaſi pro jure ſuo, præſumpſit. Denique poſtulare videtur à vobis communis bonorum omnium ſecuritas, ne recludi eo facto ad cædem atque impunitatem viam patiamur.

Verùm ſi pœnas luit parricidii reus infelix Horatius; ſi nihil de ſolita Legum ſeveritate remittendum putatis illius in gratiam, qua ſe ratio-

tione accepti beneficii gratam ac memorem. Roma exhibebit? quo victorem præmio afficiet? qua vindicem ſalutis ac libertatis aſſertorem mercede remunerabit? Gemet Horatius plagas inter ac verbera, dum Roma ipſius beneficio ſervitutis metu libera ſibi plaudit ac triumphat? Mortem oppetet ille carnificis manu, dum illa partam ejuſdem victoria ſalutem atque incolumitatem ſibi gratulatur? Interim infelix pater, qui ſuis in hoc imperium meritis, & ſpectata in patriam caritate vix æmulandum unquam poſteris exemplum dedit, ſuperſtitem unum de tot liberis extremo affici ſupplicio conſpiciet, & uno ſeſe die quocumque afflictæ domus ſolatio deſtitutum conqueretur? Quanquam nihil dolet, aut deſiderat quos veſtra ſalus ſibi victimas depopoſcit: hanc ipſam filiam fratris gladio ſublatam non requirit, quæ de veſtra gloria viſa eſt plus æquo doluiſſe. Hoc ſaltem non feret benevolentiæ illius ſuæ atque caritatis emolumentum, ut quem fata tot inter ac varios ancipitis fortunæ caſus ſervarunt incolumem, eundem ſervandum non puteris. Hæc ſunt, Quirites, quæ diſceptari hactenus in utramque partem magna animorum contentione audiiſtis. Reſtat ut decretorium in hac cauſa judicium ſtatuamus.

Ego certè licet admiſſum ab Horatio Juniore facinus non approbem, intelligamque mearum eſſe partium cavere diligenter, ne ſceleris ejuſmodi impunitas temeritati atque audaciæ auctoritatem importet; tamen adeo multa concurrunt in hoc judicio, quæ vel ſontem videantur abſolvere, ut eidem pariter ſuffragari non dubitem. Enimverò excuſari non poſſit, per me licet, ipſa tanti ſceleris atrocitas; at excuſatione penitùs non vacat peccantis animus, qui, vel dum exceſſit ultionis legitimæ & jus & modum, laudabili caritatis patriæ ſtudio viſus eſt exarſiſſe. Nam cur tam durus, tam crudelis, tam inhumanus extitiſſet in ſororem, niſi Patriam ſorore ipſa cariorem habuiſſet? Jam verò quam ille tandem ſui erga nos beneficii mercedem ferat, niſi periculo capitis eximatur? Nihil vindicata populo Romano libertas liberatoris in gratiam exorabit? Illum patiemur interire, per quem ſervitutis periculum morte ipſa gravius evaſimus? Verùm non unius Horatii res hìc agitur, Quirites, agitur cauſa publica, ne tam ſingulari præſidio civitas noſtra deſtituatur. Perire tanta virtus non poteſt, quin cum ea pariter maximum imperii Romani decus & ornamentum depereat. Fecit hodiernæ victoriæ gloria, ut vel una Horatii fama plus ad terrorem Romani nominis, quàm ingentes copiæ valitura ſit. Caveamus igitur, ne nobis invideamus ipſi bonum illud, quo fruimur; ne retinentes plus æquo præpoſteræ ſeveritatis ſubtrahamus ſtimulos Romanæ Juventuti ad audendum pro patria viriliter, ſi compenſari tam malè ſpectatà in patriam merita conſpiceret. Sit illud potiùs bonis omnibus incitamentum, ut, dum rei bene geſtæ gratia vel reum abſolvi viderint, illuſtriora virtutis ſuæ præmia poſſint expectare.

His ergo adductus rationibus, Quirites, abſolvendum pœna capitis Horatium judico; vos ſententiam hanc meam veſtris ſuffragiis confirmate.

FI-

FILII LUCII JUNII BRUTI CONSULIS AB IPSO PATRE MORTE DAMNATI

CAUSA TERTIA.

In genere Judiciali.

ARGUMENTUM.

Cùm pulſi Roma Tarquinius ejuſque Liberi fuiſſent ſtudio & opera L. Junii Bruti, qui primus exactis Regibus Conſulatum geſſit: ejuſdem Bruti uterque filius clandeſtina de revocandis in urbem Tarquiniis conſilia inierunt. Verùm retecta fraude vocati ambo Patris ipſius ad Tribunal, eodem judice capitis pœna mulctati ſunt.

ACTORES.

L. JUNIUS BRUTUS Conſul.

SERVIUS. Brutorum Accuſator.

TULLUS. Brutorum Defenſor.

JUNIUS BRUTUS. Filius conſulis pro ſe & pro Fratre perorans.

SERVIUS.
Brutorum Accuſator.

Quàm gravem hodie, quàm acerbam conditionem experior, Judices, qui vel impoſiti mihi muneris partes negligere debeam, vel Juvenes fortiſſimos, eoſdemque longo uſu mihi conjunctiſſimos cogat accuſare. Equidem diù multumque dubitavi quid agerem, interque validiſſimas utrinque neceſſitudinis atque officii rationes ſuſpenſus animus, quid ſtatueret, ſatis non videbat. Accedebant aliæ cauſæ non leves, quæ metum acuerent augerentque ſollicitudinem. Hinc criminis ipſius atrocitas, patriæ ſtudium, libertatis amor ad repetendas à nocentibus pœnas ſtimulabant, inde ſpectata multis in rebus utriuſque Juvenis magnanimitas, parentis optimi reverentia, ipſum Bruti nomen tam charum huic urbi, tam verendum, ad miſericordiam inflectebant. Tamen vicit demum Patriæ charitas; & communis utilitatis ratio privatæ benevolentiæ vim ſuperavit. Memini me in hoc apice dignitatis conſtitutum, unde ſecuritati hujus urbis, & totius

Po-

Populi Romani commodis invigilarem, non poſſe quidquam indulgere vel chariſſimis Juvenibus, qui Patriam ſervitutem in novam trahere, & dulce libertatis munus auferre cogitaſſent.

Ignoſcite igitur mihi, infortunati Juvenes, ego ſi durus accuſator accedam, qui ſtudioſiſſimus utriuſque patrones eſſe voluiſſem; ſi conjuraſſe videar veſtram in perniciem, qui pro ſalute veſtra fortunas omnes, auctoritatem, vitam ipſam ultro devoviſſem. Verùm heu! jubet Patria, fortunis omnibus, omni neceſſitudine, vita ipſa charior id exequi muneris, quod fidei noſtræ commiſit, & vel invitum ac reluctantem cogit ad ea deſcendere, quæ, & ab indole prorſus aliena ſunt, & propenſiſſimæ meæ erga vos voluntati repugnant.

Qua in re ſuſtentat me me ac reficit ſapientiſſimi fortiſſimique Conſulis exemplum, qui ſuo in Rempublicam ſtudio, quam nuper in libertatem vindicavit, ſobolis vel ſuæ facinus improbat, & parentis affectum lubens exuit, nihil ut præter ſeveram Judicis perſonam ſuſtineat. Infelicem te profectò, Brute, nam liceat mihi dolere tecum dolores tuos, infelicem te, qui filios tam tui diſſimiles procrearis! Nam quis, vos, furor, Filii degeneres, in cives veſtros, in Rempublicam, in parentem armavit? Ubi pudor? ubi pietas? ubi religio? ubi patriæ libertatis amor? ubi debitum parenti obſequium ubi reliquæ virtutes tam illuſtribus Majorum veſtrorum exemplis conſignatæ tandem exulant? Ergo vos genuit pater, ut hoſtes patriæ infenſiſſimos haberet? vitam vobis dedit, ut libertatis oſores turpiſſimos nanciſceretur? Tanto utrumque ſtudio, tam ſingulari diligentia domi educavit, nihil ut ex liberali diſciplina, præter dedecus ſempiternum, reportaretis? Nihil erat aliud, quod traheretis ex parente, nihil quod ab eodem diſceretis? Miſerum certè, iterum atque iterum dico, & infortunatum patrem, qui tam alienos ab indole ſua filios genuerit! miſeros liberos, qui nihil paternæ virtutis potuerint æmulari!

Quo vos igitur nomine appellabimus, vel quo tandem colore recentiſſimum furoris veſtri monumentum deſignabimus? Nam quid retexam funeſtiſſimæ conjurationis memoriam? Dicta dies erat cruentiſſimæ carnificinæ: convenerant perduelles gladiis facibuſque, & omni armorum genere inſtructi: conflatus ex perditiſſimis ac flagitioſiſſimis hominibus exercitus, quorum alii ære alieno cùm oppreſſi eſſent, ſolvendo impares, alii propter ſcelera Senatus conſulto proſcripti, Romam reverti non audebant. Eminebant inter cæteros ſigniferi proditionis ambo Conſulis filii, furentes audacia, ſcelus anhelantes, & turpiſſimum de noſtra libertate triumphum præcipientes. Inſtabat feralis illa hora, quæ urbis aditum Tarquiniis recluderet. Sed quid ego hæc revolvo, quæ vidit optimus quiſque, & perhorruit?

O Dii immortales! tantane indolis, morum, voluntatis, ſtudiorumque inter eos diverſitas atque diſcrepantia intercedat, quos ejuſdem ſanguinis communio ſociavit! Parens hoc ſtuduit unum, dum vixit, ut de patria bene mereretur; primum hoc fuit liberorum facinus, ut patriam everterent. Ille oppreſſam iniquo ſervitutis jugo urbem non tulit; hi redditam priſtinæ dignitati ferre non potuerunt Brutus; ut hoſtem patriæ procul expelleret, nullam habendam propinquitatis & ſanguinis rationem eſſe duxit; Bruti proles gemina jura naturæ ſanctiſſima deſpi-

deſpicit, ut eundem pulſum revocet, & cum eo triſtiſſimum in omnes exitium inducat. Tarquinium, monſtrum illud bonorum in perniciem natum, prolem ejuſdem parenti non abſimiliem civis optimi prudentia ac ſingularis ſolicitudo longiùs à nobis exegit. Civium perduellium exitiale facinus, luem illam pernicioſiſſimam, niſi malum Superi avertiſſent, reſtituebat. Gratias enimverò, immortales Dii, vobis hujus urbis ſervatoribus, quorum ſine præſidio nullam jam urbem, nullam patriam haberemus.

Videte ergo, Judices, quo vos eſſe animo in perduelles oporteat. Penſate, ſi quam merentur illi gratiam, per quos non ſtetit, quin cives, quotquot ſunt, optimi immiſericorditer mactarentur. Nam quæ ſpes reſtabat alia, ſi Tarquinius denuo rerum dominus factus fuiſſet? Si rurſum cum impiis liberis in hac urbe regnaſſet? Quem poſuiſſent illi furori ſuo modum? quid intactum aut integrum à cæde & ſanguine reliquiſſent? Pereant ergo illi, qui perire omnes bonos cives voluerunt. Quod ferant tam grave ſupplicium, quod inferius ſcelere ſuo videri non debeat? Neque vos retineat miſeri parentis orbitas & luctus ex orbitate ſecuturus. Equidem fateor, Judices, aliud civis optimi, patriſque amantiſſimi probitas, animus, ſtudium & amor libertatis præmium repoſcerent. Non deberet ille luctum pro gaudio, pro mercede ſupplicium, pro triumpho geminæ ſobolis, & cum ea totius domus excidium pati. At Brutum novimus, Judices; ſcimus quo ille incenſus in patriam, quo in unumquemque veſtrum ſtudio ſit, qui ſe affinem, qui propinquum eſſe obliviſci viſus eſt, dum de paranda nobis libertate ageretur. Neque verò ſe patrem eſſe meminerit, dum illata veſtræ libertati labes erit vindicanda. Naturam ipſam ultro jubebit obmureſcere, ut unam Conſulis vocem audiat, neque aliud expectabit vigilantiæ, ſollicitudinis & impenſæ ſalutis præmium, quàm ut bene mereri de vobis ac de patria liceat.

Quare nihil ego te monendum putem, ò Brute, ut viriles in hac cauſa animos induas; non is es qui alienis indigeas conſiliis. Felicem te, ſi vel parens non fuiſſes, vel ſi utrumque præmatura mors jam dudum eripuiſſet! Quantam tibi lachrymarum ſegetem, quàm feralem ambobus cladem ſublatam gauderemus. Sed quid ego hìc doleam, quod ipſe non doles? Pàlam exhibe qualis ſis, ò Brute; exere Conſulis auctoritatem, ut nocentes plectas vel filios. Nullum apud te miſericordiæ locum inveniant, qui ſe omni miſericordia prorſus indignos præſtiterunt. Priùs ipſi debitam parenti pietatem ac reverentiam exuerunt, neque tu paternum amorem exuere dubites. Talem te experiantur illi, qualem te eſſe voluerunt. Cæterum nihil te pœnitear tam indigna carere ſobole; tot tibi ſubſtitutos in eorum locum puta liberos, quot cives à ſervitute vindicaſti. Nihil illi tentabunt, quod cogatur Brutus improbare; &, quæ filiis in perduellibus merito deſideraſti, in illis devotum obſequium, reverentiam ſingularem, & tenerrimum amorem, dum vives, experieris.

TULLIUS
Filiorum Bruti Defenſor.

Si quis aut errore lapſos aut inconſulta abreptos levitate Juvenes infortunatos tuum ad Tribunal accuſaviſſet; tuliſſem æquo animo, Conſul vigilantiſſime, & Accuſatoris

ipſius

ipſius ſtudium collaudaſſem, qui filios amicè commonendos & paterna charitate emendandos parenti optimo detuliſſet. Neque enim is ego ſum, qui vel inficiari velim, quod nec miſeri Juvenes ipſi diffitentur, vel eos alicujus imprudentiæ reos non putem, qui pulſos auctoritate publica Tarquinios revocare in urbem voluerint. Verùm cùm vidi perduellionis crimen inferri optimis Adoleſcentibus, quorum ſpectatiſſimus in patriam amor eſt; cùm ſenſi eoſdem argui violatæ paternæ charitatis, qui Patrem ſuis ipſorum oculis, ipſa etiam vita cariorem habent, non potui mihi temperare, quin conflatam utriuſque in caput tantam invidiæ labem amolirer, & quos probata ſemper agendi ratio aut abſolvit, aut ſaltem excuſat, eos apud æquiſſimum Conſulem, eundem ac patrem amantiſſimum defenderem. Ergo patiatur Accuſator, vir temerè perſpicax & religioſus præter modum damnari à me præpoſteram ſuam ſagacitatem, quæ crimen viderit, ubi non eſt, & ſeveritatem nimiam increpari; quæ vel nulla, vel leviſſima dignos pœna ad graviſſimum quodque ſupplicii genus poſtularit.

Tu verò, Conſul æquiſſime, vide, etiam atque etiam precor, ne, dum patriæ plus nimis cupidus ac ſtudioſus videris, non ſatis in filios tuos pius habeare. Hanc mihi veniam annue, ut tibi ponam ante oculos, quod, per inſolentis facti dolorem expendere fortaſſe non licuit, Filios tuos, neque tam culpandos eſſe, quàm putas, neque etiam, ſi graviore culpa ſe ſe implicuerint, ideo eſſe damnandos.

Ac primùm quidem, quis capitalis reos criminis, niſi hominum ſit immitiſſimus, eos exiſtimet, qui, ſi peccaſſe dicendi ſunt, non ex conſulto, neque ex mera improbitate, ſed uno abrepti ætatis impetu peccaverunt. Non te fugit, Juni Brute, quàm cerea ſit, & in omnem partem verti facilis adoleſcentia; quàm multa vel hoc ſolo nomine ipſi ignoſcenda ſint. Matura ætas, cùm ab officii partibus diſcedit, digna ſanè eſt, in quam acerbiùs invehatur, quæ nec conſilii inopiam, nec impotentis animi impetum prætendere meritò poſſit. Aſt teneram ætatem labi, quam firmum judicium, quam rerum uſus rectè vivendi magiſter nondum erudierit, quis, amabo, miretur tantùm? Quid aliud præter infelicem caſum ab eo expectes, qui, cùm in lubrico loco poſitus ſit, non habet, quo nitatur ac ſe ſe ſuſtentet? Atque ut omnibus certum ſit, eos, quorum hic cauſam ago, nulla indolis perverſitate depravatos, ſed teneræ potius ætatis inſcitia ac levitate adductos à recta via declinaſſe, age, quod eſt illorum crimen?

Nihil ego diſſimulare velim, Judex integerrime: ſit verum illud quod Accuſator objectavit acriùs; pulſos parentis conſilio Tarquinios revocare voluerint, contraria paternæ voluntati ſtudia ſecuti fuerint; cur aliam facinoris illius cauſam, præter inſcitiam & inſitam juventuti levitatem, fuiſſe ſuſpiceris? Nempe ſi perpendiſſent filii tui, quo apud nos loco parentum voluntas eſſe debeat, quantùm ab eorum imperiis deflectere ſcelus reputetur, tantum in ſe crimen admiſiſſent, qui de revocandis in urbem Tarquiniis ſola compulſi pietate cogitarunt? Hoc ipſum tanto cum ſtudio tentaſſent exequi, ſi ſacratiſſima paternæ pietatis jura hac ratione violari à ſe perpendiſſent!

Atenim meliùs in affines, quàm in patriam vel in parentem ipſum affecti

viſi

viſi ſunt. Tuam hic fidem, Juni Brute, te ipſum conſtantis liberorum in te amoris teſtem appello. Eſt aliquid, in quo devotiſſimam filiorum erga te pietatem aliquando requiſieris? Sed quid ego te, Brute, tantum interrogo? Loquatur ipſa civitas, loquantur ſpectatores, quotquot hìc adſunt, & Juvenum tam in parentem, quàm in patriam pietati ſuffragentur. Quid de utroque Bruti filio videtur vobis, Quirites? Veſtrum enim eſt hac in cauſa ferre teſtimonium, qui talem Bruto prolem toties invidiſtis; qui tales huic imperio tamque cupidos rerum noſtrarum defenſores precati eſtis? an illi aut perduellionis rei, aut paternæ charitatis obliti vobis videantur? Ex quo igitur juvenilis ardor, qui nonnunquam etiam invitos rapit, tanti criminis loco computatur? ex quo damnant leges tanquam capitale quidpiam, ſi quis hominibus ſibi cognationis vinculo conjunctis per imprudentiam adſuerit? ex quo denique, quod ætatis levitas, non malitia voluntatis admiſit, tam grande piaculum cenſetur, ut ſola morte poſſit expiari?

Quanquam ſit atrocius crimen illud, quod commiſere, quàm revera eſt, digni ſint illa morte, quam irrogandam Accuſator cenſuit. Felices illi ſaltem, Juni Brute, quòd te Conſule, te parente damnari non poſſint! Quid enim crudelius foret, quàm aſſertorem publicæ libertatis in Liberis cædi? quid iniquius, quàm Reipublicæ columen prolis excidio ſubverti? quid indignius, quàm pium ac communem patriæ parentem in nefaria ſobolis ſtrage crudeliter mactari? ſic eſt, Judices, vel ſi naturam audire Brutus renuat, tamen pater eſt. Quantumvis patriæ ſoli vivere ſe profiteatur, vivit tamen in Liberis, & in meliore ſui parte vivit; neque petere Liberos quis poteſt, quin & parentem ipſum petat.

Næ tu ergo durus nimis Accuſator es, qui non tam filiorum, quàm parentis ipſius ſanguinem hac tua oratione tam ſevera, tam rigida poſtules. Adeone omnem humanitatem exuiſſe te, ut, dum geminam Bruti ſobolem cruentam ad necem repetis, parentem libertatis tuæ generoſum aſſertorem ſalutiſque defenſorem acerrimum in vitæ diſcrimen adducas? Dirum ſcelus, Superi, ſi eſt apud vos pietas, avertite!

At vos, Judices æquiſſimi, quorum aſpectu ſuaviſſimo ſentio me recreari non mediocriter, & melioris fati ſpem ſuſcitari; feretis æquo animo ſpes Junii Brutii omnes, unà cum Liberis ejuſdem cadere? tam durum ſiccis oculis ſpectaculum ſuſtinebitis? Hoc Bruto præmium vindicata pro libertate refertis? Hanc illi tot laborum, quos pertulit, tot periculorum, quibus ſe ultro propria objecit, mercedem dabitis? Et dum liberos veſtros vobis ejus auxilio atque ope ſervatos gratulamini, dolebit ille ſolus avulſam ſibi prolem, vobis probantibus atque arbitris, inhumaniter periiſſe?

Sed mori utrumque patriæ leges jubent, reclamat crudelis Accuſator. Quaſi verò tam ſæva tamque immitis ſit aut fuerit unquam Patria, ut ſuorum ſanguinem ſitiat; aut apud eam gentem verſemur, quæ placari miſeris neſciat ac mitеſcere? Eos Patria cadere velit ſcilicet, in quibus parentis nomen ac gloriam reveretur? quos præſentiſſimo ſibi olim ſubſidio fore confidit? qui, ut paternæ laudis, ſic & virtutis in ſpem adoleſcunt? Hæc te, Juni Brute, expectatio tam læta recreet, & aſperatum in reos Conſulis animum temperet ac leniat. Da

geminæ ſoboli locum, ut, ſi quam hodierno facinore inuſſerunt paterno nomini labem ac maculam, hanc ſuo in Rempublicam ſtudio & rebus præclarè geſtis totam abſtergant. Noli invidere patriæ dulciſſimum in ipſis decus certiſſimumque præſidium, &, quod amori paterno non indulgeres, hoc conſpirantibus omnium ſtudiis condonare non pigeat.

Adeſte, infortunati Liberi, ſuccedite propiùs, & lugubris ille apparatus, qui jam movit unumquemque noſtrum, etiam parentem ad miſericordiam inflectat. Intuere ſobolem, Brute, reſpice lachrymas ſinceri doloris indices, & vultus illos, quos luctus obſidet ac deformat, diligentiùs contemplare. Miſereat te temeræ, incautæ, & nondum ſatis expertæ juventutis: reputa tecum, quàm ſis excitaturus apud omnes gentes crudelitatis opinionem, niſi te exorari, niſi te placari permiſeris. Te igitur, per charitatem patriæ, per dulce parentis nomen, per tuam ipſius gloriam, per quidquid jucundum tibi & acceptum eſſe poteſt, oramus atque obteſtamur, ne, dum propter eximias virtutes apud poſteros celebraberis, durior in Liberos ac crudelior audias. Quid proderit prudentiam tuam laudari, celebrari fortitudinem, extolli ſummùm in patriam amorem, ſi clementia una atque humanitas deſiderari videatur.

Moveat ergo te paterna pietas, moveat triſtiſſima filiorum tuorum conditio. Satis huc uſque dediſti patriæ, ſatis dediſti officio Conſulari: memento tantiſper, quid naturæ, quid ſanguini debeas, neque te patrem eſſe pigeat ac prædicari.

LUCIUS JUNIUS BRUTUS

Conſul ac Pater.

Sedeo miſerrimus Pater Judex duos inter filios nefariæ conjurationis artifices; aut crudelitatis labem, reos damnando, aut ſocordiæ notam, nocentes abſolvendo jam jam ſubiturus! Proh! quàm variæ, Patres Conſcripti, diſtrahunt ancipitem curæ! Ut huc, illuc fluctuat incerta mens, dum hinc naturæ, illinc Patriæ vox tacitum pungit ac ſtimulat. Etſi enim, Patres Conſcripti, immanis flagitii, quod à filiis patratum eſt, horror attonitum percellit animum, atque, ut par eſt, exaſperat; nondum tamen ſic obdurui naturæ & ſanguini, ut eſſe me patrem vel perduellium filiorum non ſentiam. Quanquam inultam relinques Patriam, ò Brute, cujus defenſor acerrimus modò viſus es? Juſtiſſimas afflictæ urbis querelas aſpernabere, quæ ſuum in Romano Conſule præſidium ac fiduciam habet? Nihil te violatæ libertatis amica vox commovebit, quam erexiſti jacentem, perditam recreaſti? Imò, imò movent hæc omnia mirum in modum, Patres Conſcripti, neque me paternus amor ita perturbat, ut non videam ſatis, quid urbi, quid patriæ, quid officio, quid libertati debeam.

Adeſte, Filii; ſtate patris ad tribunal. Quanquam parcite, ſi filios dico, Patres Conſcripti, ſi filios agnoſco vel nocentes. Vultus, frons, oculi, corporis habitus, nomen utrique inditum, hæc filios omnia, hæc parentem probant. Utinam & patris animus, fides, conſtantia, patriæ charitas & facta pariter adeſſent! quæ quoniam video in vobis deſiderari, quid ego vos deinceps filios appellem?

Hæc

Hoc ſtuduit pater præter cætera, ut impoſitum per tot annos liberis cervicibus jugum dejiceret; vos turpiſſimæ ſervitutis amatores idem illud, quantum fuit in vobis, repoſuiſtis. Ego non jacentem modò, ſed intermortuam libertatem curis meis ac laboribus, ipſo capitis periculo ſuſcitabam; vos reviviſcentem fauſtis ominibus, & aura liberiore jam gaudentem appetiiſtis. Ego perditiſſimos Adoleſcentulos, funeſtiſſimam Juventutis noſtræ corruptelam, libidinis, impudicitiæ, furoris impii faces expuleram, ejeceram, exterminaveram; vos tutari eoſdem conſilio, adjuvare opibus, conflata patriæ in perniciem conjuratione poſtliminio revocare non erubuiſtis. Ego unà cum Regis nomine dominantem jam diù in hac civitate tyrannidem videbar æternùm proſcripſiſſe; vos publicæ tranquillitatis oſores, Tarquinio ſervire turpiter, quam parta frui libertate maluiſtis. O dignos Bruto parente filios! ò ſtudioſos paternarum virtutum æmulatores! Tales ego filios non abnuam, non ejurem, non abominer; qui ſceleratorum civium ſtudia amori patrio, proſcriptorum commoda meis periculis, exulum incolumitatem paterno capiti præpoſuerunt? Nam quo tandem ceſſiſſet Pater, Degeneres, ſi redditus huic urbi Tarquinius per vos fuiſſet? Quæ ſpes deſolatis rebus & afflictæ ſaluti ſupereſſet, ſi felicem veſtra conſilia exitum habuiſſent? Viveret hodie infelix Brutus; ſi regnare rurſum, quod ambo tantopere promoviſtis, Tarquinio licuiſſet?

Ite, ite; alium quærite, ſi poteſtis, qui vos habere filiorum loco velit, qui compellari ſe à vobis parentis nomine patiatur. Providete vobis aliquem, qui tutari rebelles, patrocinari perduellibus, fovere caput in ſuum conjuratos ſuſtineat. Scrutamini in hac Urbe, quam perdere, quam evertere penitus, quam delere ex hominum memoria cogitaſtis, ſcrutamini, inquam, veſtigate, conquirite, qui adeſſe vobis in hoc diſcrimine, qui ferre opem laborantibus, qui imminentem veſtris capitibus procellam avertere paratus ſit. Quod ad me attinet, nequiſſimi proditores, nihil expectate deinceps quidquam, præter auſteram Conſulis ſeveritatem, feralem paremque meritis rigidiſſimi Judicis ſententiam, & cruentam, ſi fuerit opus, tortoris barbari immanitatem.

Nam quid præſtem aliud, Patres conſcripti; quam gerere me perſonam, vel quos induere ſenſus jam decet; qui veſtro beneficio tuendæ, moderandæ conſervandæque huic Urbi præpoſitus, amoliri longiùs quod eſt noxium, propulſare viriliter quod eſt perniciosum, quod corruptum eſt, reſcindere penitus, pro ratione mei muneris, cogor ac teneor? An ſi naturæ vox parentis animum etiam inflecteret, ſi ſordidato ac luctuoſo illo Liberorum conſpectu adhuc commoverer, ſi plus apud me poſſet patris affectus, quàm dignitas Conſulis, ſi viderer molleſcere, dum ſeveri judicis partes exigitis, an, inquam, ferre vos poſſe id putem? an non inſurgat ſtatim in me Patria, & oblitum debitæ in ipſam charitatis accuſet? Imò, vocem illius audio, Patres Conſcripti; me, me inflicti recens vulneris admonet, & adhortatur tacita, ut mederi malo quamprimum velim. Audite voſmetipſi quid loquatur, quid expoſtulet, quid precetur.

Tu me refeceras, inquit, languentem, Brute, tu jacentem erexeras, recreaveras afflictam, captivam liberaveras, & amiſſam jam diù libertatem redonaras. Verùm orta eſt tuo

de

de ſanguine gemina peſtis noſtram in perniciem conjurata, quæ priſtinis affligere me malis meditatur. Vix dum apud me ſum, adeo repentinus novæ ſervitutis timor miſeram perterruit! Mihi ne ſecuram eſſe liceat, dum medio in ſinu fovebo perduelles, dum ſpirabunt monſtra illa, dum inultum ſcelus dominabitur? Age ergo tu, qui ſtrenuus libertatis meæ aſſertor extitiſti, pœnas repete, ulciſcere Patriam, cujus tutor ac cuſtos conſtitutus es. Ede ſeveritatis exemplum, unde habeant boni cives, quod ſequantur; mali perditique quod pertimeſcant. Diſcant ex te poſteri quo Patriam loco habere Conſules debeant, noverint ſcelerati liberi, quid vel ab ipſis parentibus ſibi ſit expectandum, ſi quando ab officio receſſerint. Nihil te parricidas ac perduelles plectere pigeat, quorum exitio ac ruina ſervabis Patriam, tuamque tam illuſtri fortitudinis exemplo fidem poſteritati conſecrabis.

Hi ſunt, Patres Conſcripti, quibus me Patria ſtimulis pungit atque excitat; cujus ego imperiis niſi me obſequentem exhibeam, neque judicio veſtro dignus, neque dignus munere, quo defungor, videri poſſum.

Vobis verò, Liberi, ratio ſupereſt una eluendæ culpæ, quam admiſiſtis, ſi paratas vobis pœnas ultro perferatis. Colligite animos ad ſubeundam mortem fortiter: oſtendite priſtinam ad duriſſima quæque fiduciam & alacritatem: deſpicite, ſi poteſtis, ſi quid roboris ſupereſt, quæ meruiſtis ſupplicia, & dignam patriæ everſoribus, parricidis, & perduellibus mortis ſententiam conſtanter approbate.

I, Lictor; colliga manus; utriuſque caput obnube; religa ad palum; virgas expedi; diſtringe faſces, & impacta viriliter in cervices haſta, inviſa Patriæ boniſque omnibus capita ab humeris revelle.

JUNIUS BRUTUS
Pro ſe & Fratre morituris.

Ubi ſum? & quas hodie videor translatus in terras? Conſulem alloquor, an Tyrannum, Parentem, an carnificem; Hominem, an belluam? Nam quid diſſimulem, Patres Conſcripti, & acerbiſſimam, quæ me angit, ægritudinem verear morti proximus aperire? Conſulem dicere te amas, Brute, & tyrannum agis? Parentis jucundum nomen affectas, & carnificis perſonam exhibes? Vis hominum haberi moderatiſſimus, &, quod bellua execrarentur ſcelus, ipſis belluis crudelior ac ferocior audere non dubitas? Scilicet vobis Conſul videbitur, Patres Conſcripti, qui patriæ non conſulit, ſed eandem evertit? qui leges à Romulo & a Numa ſapienter inſtitutas non tuetur, ſed abrogat? qui Regem ſuum ac conſanguineum non defendit ac protegit, ſed dejectum ſolio turpiter, privatum regno per ſummum nefas, patria etiam nihil tale meritum ejicit? qui promiſſam Populo Romano libertatem non modò non impertit, ſed unius legitimi Regis in locum duos Tyrannos crudeliſſimos ſubſtituit?

Durum eſt quidem, Patres Conſcripti, ſic invehi in parentem, &, quem natura ipſa verendum & amandum præſcribit, eundem maledictis laceſſere. At numquid ſuaviſſimis illis legibus nos eximit ac liberat immitis pater, dum filios abnegat, rejicit, execratur? dum paternæ charitatis oblitus tyrannum ſe nobis ac carnificem exhibet atque ultro profitetur? Quanquam ferremus æquiùs, Patres Conſcripti; nihil nos feralis, quam

quam in immeritos tulit, ſententiæ tantùm pigeret, niſi nos tanquam proditores patriæ, parricidas ac perduelles juberet occidi: non pœnas quantumvis graves, non cruentam mortem, ſed pœnarum ac mortis cauſam perhorreſcimus. Nam quid egimus, amabo vos? quod tandem ſcelus noſtrum eſt? quid admiſſum à nobis tam grave, quod niſi proditorum ac perduellium ſupplicio expiari non poſſit? An accenſas in Urbem faces intulimus? an civium quemquam deſignavimus ad cædem? an prodere patriam hoſtibus? an clandeſtina cum iis inire conſilia, aut quidquam amicæ libertatis in jura tentavimus? Vos qui cordis humani latebras & arcanos ſinus inſpicitis, Dii immortales, noſtis, ſi quid ſit ejuſmodi, quod miſeris adoleſcentibus exprobrari jure merito poſſit?

Vos ipſi nobis adeſte teſtes, Patres Conſcripti, quàm immunem à flagitio vitam egerimus; quàm expertes ſceleris vel in hac cauſa haberi debeamus. Niſi fortè crimen illud eſt, quod amicum, quod affinem, quod Regem noſtrum veſtris ipſorum ſuffragiis in ſolio conſtitutum, & per iniquam parentis æmulationem privatum regno ac patria conſolati parumper, & ſpe melioris fortunæ miſerum ſuſcitare voluerimus? Hoc illud piaculum eſt, Patres Conſcripti, propter quod mitis & humanus Conſul cives immeritos, cupidiſſimus geminæ ſobolis parens innocentes filios mactat ac perdit. Hac provocatus injuria Judex integerrimus, jura naturæ omnia perfringere non dubitat. Hac ſpecie ſceleris, hoc colore prætento, pulchrum eſt majeſtatem conſulis acerbiſſima tyranni violentia, amorem paternum carnificis crudelitate, hominis humanitatem ferarum ſævitia dedecorare.

Scilicet non dubitavit ille, ſi proprios in filios ſæviiſſet, quin cætera quæcumque nuper deſignavit ſuæ ferocitatis monumenta vobis probarentur: nec proprio ſanguinis ſui diſpendio voluit, quod erat à ſe factum per inſatiabilem dominandi libidinem, id boni publici ſtudio, & amore libertatis excuſare. Sic impunè ſibi fore credidit, quòd Regnum in majeſtatem attentaſſet, quòd legitimum Principem ſolio diſturbaſſet, quòd eodem pulſo turpiter & ejecto noſtris de mœnibus, eandem ipſe potentiam, ſolò nomine immutato, uſurpaſſet. Sic debitas ſævitiæ ſuæ pœnas declinandas eſſe ſperavit, qui nobiliſſimos Juvenes, affines ſuos, civitatis hujus præſidium, totius imperii ſpem florentiſſimam per ſummum nefas expulerat: qui Collatinum Collegam ſuum de ſe optimè meritum dignitate ſpoliaverat, qui bonos cives rerum noſtrarum ſtudioſos fortunis, civitate exuerat. Sic laudem à vobis, Patres Conſcripti, non dedecus, mercedem, non ſupplicium expectat, dum veſtra palam in bona, in fortunas, in auctoritatem, in libertatem, in vitam jam jam involabit! Debuimus priùs ambo cadere furori ipſius victimæ, quàm patratorum ſcelerum fructu tranquillus frueretur, & cætera, quæcumque meditatur, flagitia cum ſpe impunitatis certa pertentaret.

Cùm ergo deinceps vivendum ſit non cum Conſule, ſed cum tyranno, non cum parente, ſed cum carnifice, non cum homine, ſed cum bellua, nihil eſt, quòd juvare vita nos poſſit. Moriamur ultro, Frater; neque, poſt extinctam civitatis hujus gloriam vivere ultra appetamus. Serviant ingenui, qui voluerint ſub tyranno; vivant cives ſub carnifice; ſpirent homines ſub bellua; nos, Frater, nihil patiamur ejuſmo-

ejuſmodi. Subeunda quidem mors nobis eſt; ſed glorioſius eſt mori, quàm ſervire: perire ſemel optatius eſt, quàm in perpetuo metu vitam infelicem trahere. Nihil mori pigeat, quibus moriendi cauſa tam honorifica, tam egregium facinus vivendi finem attulit!

Pulſum per ſummum nefas Principem legitimum revocare, ſpoliatum bonis, ſolio, patria reſtituere in priſtinam dignitatem, Majeſtatis regiæ jus tueri pro virili parte tentavimus. Pulchrum eſt tam glorioſo operi ſuccumbere, & in mediis propulſandæ tyrannidis conatibus vitam dare. Exorietur tandem aliquis virtutis ejuſdèm æmulator, qui patrati in nos ſceleris pœnas repetat, qui manes noſtros, Superis volentibus, ulciſcatur: qui tyrannum ferociſſimum de ſolio dejiciat, qui carnificem crudeliſſimum bene morata de civitate expellat; qui belluam immaniſſimam inter homines vivere non patiatur; qui Regum expulſorem, perturbatorem libertatis, tortorem ac parricidam meritis, ut par eſt, pœnis viciſſim afficiat! Agedum, lictor; quid hæres lentus? Hac ſpe fretos, tam læta expectatione ſuſtentatos feri utrumque, & nihil ultra vitæ cupidos obtrunca.

POLYCRATES
SEU
AMORIS PATERNI IN LIBERIS TRIUMPHUS.
CAUSA QUARTA.

In Genere Deliberativo.

ARGUMENTUM.

Furente Thebanos inter & Athenienſes bello, Polycrates Athenienſis delapſus inter hoſtes, quatuor Filios, quos diſcriminis ſocios habebat, ad dimicandum fortiter adhortatus eſt, eumque inter cæteros ex aſſe inſtituit heredem, qui pro patre defendenda plura perpeſſus fuiſſet. Illi patrem incolumem præſtiterunt quidem, ſed vivi ab hoſtibus capti ſunt. Thebani, qui dolebant unum è ſuis aliquem fuiſſe à Polycrate brachiis, auribus, lingua, oculis mutilatum, Polycratis Liberos pari contumelia ſic affecerunt, ut natu Maximo inſigni Statuario & ſtrenuo militi amputarent brachia: Alterum egregium Oratorem lingua privarent; Tertio clariſſimo Pictori effoderent oculos: Minimum optimæ ſpei Adoleſcentem reciſis auribus exſurdarent. Polycrates tam triſti ſpectaculo perculſus ex dolore interiit. Litigatur apud Archontas, cui potiſſimum hereditas tribuatur.

ACTORES. Patroni quatuor.

I. Pro DEMARATO Statuario Manco.

II. Pro LOGODÆDALO Oratore Elingui.

III. Pro ZEUXIDE Pictore Excæcato.

IV. Pro ELPIDIO Adoleſcente Exſurdato.

JUDEX.

ORATIO.

Pro Demarato Statuario Manco.

SI ratio meritorum una, pietatiſque in patrem conſideratio, Judices, in hac cauſa haberetur; ut nemini dubium eſſet, huic potiſſimum è Liberis acceptam referri parentis vitam, qui manuum oppoſitu lethalem ab ipſius cervicibus ictum avertit; ſic

nec

Digitized by Google

nec controverſum ulli videretur, paternam hereditatem eidem eſſe veſtris ſuffragiis addicendam. Sed quoniam de acceptis patris cauſa damnis tantùm hìc agi Adverſarii inclamant, hoc denique Demararo Clienti ſupereſt meo, ut, cui ſua in Polychratem merita adſcribendam gratiæ nomine hereditatem poſtulabant, hanc ipſi ob accepta pro patris ſalute detrimenta omnium maxima, quodam compenſationis jure, adjudicetis.

Ajo enim, Judices, Demaratum ſic omnibus eſſe & Patrisfamilias & privati publicique viri manuum jactura privatum bonis, ut numeroſæ ſobolis parens ejuſdem educandæ facultatem amiſerit; ut inſignis Statuarius fama, quam ſibi comparaverat, penitus exciderit; ut optimus Civis interciſam defendendæ deinceps patriæ ſpem omnem conqueratur, quæ tria dum delibo tantùm, favete linguis, Judices, & dicentem ſuſtinete.

Atque hìc quidem, ubi de amiſſis fortunis agitur, recreat me non mediocriter, quòd eos ſim nactus Judices, qui, cùm patresfamilias iidem ſint, experientia edocti ſua intelligunt, quàm non ad utilitatem modò & amplitudinem, ſed ad neceſſitatem paterfamilias opes deſideret, ut ne in luctu & indigentia tenebriſque liberi contabeſcant. Quàm igitur deploranda, infelix Demarate, ſors hæc tua! qui præciſione manuum non excideris modò certa ſpe rei familiaris augendæ plurimùm, ſed ad inopiam jam extremam redactus ſis! Fuit heu! cùm te vix quiſquam tota Græcia Statuarius exæquaret arte, nemo certè ſuperaret, ſimulachra tua in pretio erant apud omnes, famam ubique habebant & nomen. Inde te ac tuos tacitè ſcilicet alebas, ridebant domi omnia: creſcebant Liberi in ſpem æmulandæ olim paternæ artis hereditatiſque copioſæ; adoleſcebant in Reipublicæ præſidium, ad generis ſui lumen columenque firmabantur. Nunc quanta ſubirò facta eſt hoc caſu domeſtici fati converſio! Cùm enim unicus Demarati fundus, cenſus familiæ, liberorum patrimonium eſſet in parentis induſtria, quæ domus unis parentis manibus ſteterat, his ſublatis funditus concidit; quæ his domeſticæ quaſi fortunæ artificibus vigebat, tota eſt iiſdem præciſis extincta.

Quanquam ferenda utcumque viſa eſt hactenus ſapienti cuivis divitiarum jactura? famæ autem nulla unquam fuit quamlibet levis amiſſio toleranda. Hujus ſpe unius innumeris laboribus læti defungimur, hac nos ipſi expectatione ſuſtentamus; hoc famæ demum nunquam intermorituro præmio vitæ brevitatem conſolamur: qua mercede qui exciderit, non video, quomodo & non ſit, & non habeatur miſerrimus. Excidiſti autem, Demarate, hocque tanto acerbiùs excidiſti, quòd tot præcones, tot reſtes, torque obſides famæ nactus eſſes immortalis, quot laudis ipſe auctor tuæ ſtatuas eſſes tota vita moliturus. Scitis, Judices, audiviſtis, & vidiſtis ipſi, quanta claritate increbuiſſet jam ipſius fama, quanta artis ſolertia celebraretur: nulla adeo regia, nulla palatia, nulla opera publica, imò nec Deorum templa ſine ejus ſimulachris videbantur. Ab his ornamenta civitates repetebant: novam quandam Heroum manes vitam reſumebant; ab his præſentia ſibi Numina poſcebant aræ, orbis terrarum, quantus eſt, miracula depromebat. Sic victura tandiu fuiſſet illius fama, dum gloria hujus urbis, dum Heroum memoria, dum Religio

gio Deorum vigebit tranſmiſſa ad poſteros ſempiterna. Hac nimirum ſpe dulciſſima immortalitati Demaratus laborabat; hac fovebat avidum laudis animum, fovendoque inter laborandum recreabat. Sed heu! ſpes hæc omnis intercidit, & quæ beneficio manuum cum omni poſteritate coæquanda erat fama, manuum amiſſione jam ſepulta evanuit.

Sed quid hæc moror? Utinam ſaltem relicta foret optimo fortiſſimoque civi utilem aliquam egenti ac laboranti patriæ facultas navandi in bello operam; ut qui ſuis eſt ſibique mortuus, gloriæ certè viveret! Sed adempta gloria prorſus omnis eſt, & hic infelici Demarato reſtat dolor acerbiſſimus, quòd patriæ pariter ac ſibi interierit. Senſiſtis, Judices, quàm peritus in arte ſtatuaria Demaratus fuerit; at non minùs in militari probavit ſe ſtrenuum, nec in officina feliciùs moderata manus ejus ſcalprum eſt, quàm in acie fortiter ferrum vibravit. Experti ſunt Thebani malo ſuo, noverunt ſalute ſua Athenienſes, quàm bonum in Demarato militem haberemus. Teſtes exuviæ de Thebanis raptæ, quas, totidem illuſtria virtutis ſuæ monumenta, domi ſuſpenſas aſſervat: teſtes laureæ, quibus à vobis in præmium fortitudinis decoratus eſt; teſtes cives bene multi, qui vel à ſervitute, vel à morte Demarati fortitudine vindicati ſunt. Sed ecce jam bellum acriùs recruduit: tuum, ſi unquàm aliàs, robur depromendum, Demarate: progredere ad bellum, tua nunc opera Patria indiget; inſtat hoſtis; ſtant in procinctu milites; te tuba invitat, inſonant claſſica, te Duces, te commilitones repetunt. I, curre, vola, ades labanti periclitantique Reipublicæ. Iret, Judices, rueret, volaret; rapit hunc animus, excitat patriæ deſiderium, gloriæ ſitis, laudis amor inflammat. At quid iret? Ubi manus? pretioſæ illæ victriceſque manus, inſtrumenta fortitudinis, terror hoſtium, Reipublicæ columen, civium ſalus! quid iret, niſi ut in hoſtes delapſus augeret prædam ac triumphum? quid in aciem volaret, niſi ad certam necem? Niſi quis putet fore illum ſubſidio ſuis, qui ſibi ipſe præſidio eſſe non poſſit? Sede ergo domi, Demarate, miſer, obſcurus, iners, fortunis, fama, rebus univerſis deſtitutus. Jace in tenebris, in ſordibus, in luctu, familiæ, tibi patriæque inutilis conſeneſce; hocque ad doloris cumulum ſit tui, quòd ne paternas quidem injurias tibi tuis graviores ulciſci liceat.

Quid reſtat igitur, Judices, niſi ut per acerbos liberorum ipſius, per afflictæ conjugis luctus, per urbem hanc, quam ſimulacris decoravit, fortitudine ſervavit, trophæis illuſtravit, orem vos obteſterque; ut tantam, tam gravem, tam luctuoſam fortunarum, famæ ac gloriæ jacturam, quam abſciſſis manibus Demaratus tulit, quoquomodo compenſetis; ſublevetis patriſfamilias egeſtatem, excellentiſſimi opificis extinguendum poſthac nomen recreetis, obſcuram civis optimi generoſiſſimique gloriam veſtra auctoritate illuſtretis, damna hæc ejus omnia paterna hereditate reſarciatis.

ORATIO.

Pro Logodædalo Elingui.

Si unanimi omnium conſenſu ſupremum ærumnarum cumulum videtur attigiſſe, qui ſuas proferre miſerias, & acceptas deplorare calamitates non valeat; quis ſatis poſſit, Judices, infeliciſſimam Logodædali lugere conditionem, qui reſecta,

per

Digitized by Google

per ſummum nefas, lingua, nullam amplius habeat conquerendi de ſua ſorte facultatem. Sinite igitur, Judices, ut vicarias agam hodie Logodædali partes, & ipſius, ſin minùs querelas, ſaltem infelices lachrymas vobis offeram; ſinite, ut, quam ratio, æquitas, juſque poſtulant, opem defenſionemque impertiam.

Scilicet defenſore careret ille, apud quem miſeri omnes certum acciſis in rebus præſidium ſemper invenerunt? Patrono deſtitutus adverſariorum numero & potentiæ cedere cogeretur, qui eo conſilio conceſſam ſibi à Superis eloquentiam putavit, ut miſerorum inopiæ ſubveniret, ut oppreſſam indefenſamque contra nefarios perditorum hominum impetus innocentiam protegeret, tueretur, defenderet? debitam tot virtutibus, & ſua imprimis in chariſſimum parentem pietate hereditatem miſer Logodædalus amitteret, quòd elinguis factus propter patrem pro ſe ipſo dicere non poſſit? Quanquam, quid eliguem te appello, Logodædale, qui diſertiſſimè, ſi unquam aliàs, loqueris? Loquitur enimverò Logodædalus, Judices, & vel avulſa palato lingua paternam ſibi hereditatem, tanquam fratrum omnium miſerrimo vindicat.

Nolite tamen arbitrari, Judices, huc me alienæ virtutis detractorem acceſſiſſe; nihil de tuis laudibus, Demarate, deteram, non elevabo generoſum animi tui facinus, tuam gloriam non conabor verbis attenuare. Tales artes deceant Oratores illos, qui cauſæ bonitate deſtituti, ambitioſis verborum phaleris facere fucum auditoribus ambiunt. Pulchrum eſt, nec piget fateri, manuum oppoſitu parentem à morte vindicare; pulchrius eundem à dira membrorum depopulatione, quæ vel ipſa morte durior eſt, defendere. Pulchrum eſt manuum diſpendio patri vitam conſervare; pulchrius eundem à ſuppliciis nece crudelioribus præſtare incolumem.

Neque hoc ipſo abuti velim ad Logodædali patrocinium, Judices, quòd reſecta lingua omnem ad famam & opes comparandas viam infelix Orator amiſerit. Silebo, quòd iſta calamitas inceptum tam feliciter ad immortalitatem curſum interruperit. Nam ſtatim reclamarent adverſarii, hoc habere Logodædalum cum fratribus commune, ut famæ & acquirendarum opum ſibi facultas erepta ſit; niſi fortè tanto infelicior Logodædali conditio videri debeat, quanto compendioſior ad colligendas opes, uberior ad parandam gloriam cæteris artibus Eloquentia ſit. Quid enim in Foro vitam aſſerit innocentibus? quid in Senatu, quid in Curia regit auctoritate, temperat legibus, moderatur conſilio Rempublicam, niſi regina Artium Eloquentia? Quid Togæ, quid Militiæ ſplendorem conciliat, niſi regina Artium Eloquentia? Domi illa cives in otio & pace continet, foris milites ad pugnam incendit, bonos recreat, affligit malos, ubique regnat. Quanta autem & quàm ſatis copioſa merces rependi poteſt ab inſonte reo ſalutis vindici! quantùm famæ & gloriæ debetur ac perſolvitur publicæ auctori Pacis, Juſtitiæ præſidi, conſiliorum arbitro, bellorum duci, moderatori omnium ac ſoſpitali. Hæc omnia ſcilicet Logodædalus amiſit, ut parentem ſervaret; hæc maluit perdere, quàm parentem Bona, fortunas, famam, ſuam denique conſervationem paternæ ſaluti ultro immolavit.

Sed quid plura diſputo? Id doleo, Judices, quòd avulſa lingua.

Logodædalus ab hominum ſocietate ad miſerrimam belluarum ſortem amandatus eſt, quòd inter homines, ex quo deſiit loqui, ſibi planè interiit! Nam qua potiſſimum re à brutis animantibus differimus? Niſi quòd illæ, dum ingenito naturæ ſtupore oppreſſæ ſilent inter ſe, & obmuteſcunt; nos latentes animi ſenſus aperire, & noſtram de re qualibet proferre ſententiam, variis de rebus inter nos confabulari, noſtros dolores, ſuaviſſimo cum amicis colloquio, poſſumus conſolari? Lingua enim interpres mentis eſt, cogitationum internuncia, animi præco, conſiliorum ſequeſtra, conciliatrix amicitiæ, nutrix & adminiſtra commercii, humanæ denique ſocietatis moderatrix & arbitra.

Atenim quàm luctuoſum eſt Logodædalo, quòd periit ſibi, tam dolendum damnoſumque vobis, quòd Reipublicæ periit. Scitis, Judices, quid pro communi bono valeat diſerta lingua. Id tu quoties experta es ò Reſpublica, quantos ex Logodædali eloquentia fructus percepiſti, cùm te juvaret conſiliis, dicendi gloria defenderet; cùm populos ad ſeditionem concitatos placaret, cùm ſtrictos in tuam perniciem gladios ex nefariis ſceleratorum manibus eriperet, cùm tibi periculoſiſſimo conflictatæ bello pacem tandiù exulantem reduceret?

Vos verò, boni omnes, lugete Logodædali miſerias; deplorate tanti viri calamitatem. Amiſiſtis patronum, perdidiſtis acerrimum veſtræ ſalutis defenſorem, qui flagitioſos cives non minore vexabat odio, quàm vos omnes amore proſequebatur.

Obteſtor ergo vos, Judices, per ſanctiſſimum illud, in quo ſedetis, Tribunal, per ipſos hujus Curiæ parietes, qui Logodædali voce toties perſonuerunt, & eundem amiſſum hodie deſiderare, ac mutis pro ipſo perorare verbis quodammodo videntur; per bonos omnes, quos tam fortiter tuitus eſt; per ipſos Superos, quorum religionem ac cultum tam impensè defendit; adjuvate Logodædalum, tantum fori lumen, veſtri Ordinis decus & ornamentum veſtram ſuſcipite in tutelam, & debitam ſummæ ipſius calamitati hereditatem adjudicate.

ORATIO

Pro Zeuxide Pictore Excæcato.

Etſi in id unum incumbere viſi ſunt, Judices integerrimi, qui ante me dixerunt Oratores, ut in deploranda eorum, quos defendendos ſuſceperunt, calamitate, ſpecioſiſſima quæque orationis lumina adhiberent, tamen ſatius ego duxi, ſi, neglectis Eloquentiæ pigmentis, non tam loquerer pro Zeuxide, quàm ſpectandum omnium oculis illum exhiberem. Neque vero dubium mihi eſt, quin effoſſi ejus oculi tam vehementer perorent, ut vos ipſi ad tam fœdum perculſi ſpectaculum, æſtimantesque jacturam lucis ex ipſa luce, qua fruimini, vel è judicibus tacitè fiatis patroni Clientis mei, atque ſuffragiis veſtris damna nulla in humanis rebus, cæcitate eſſe graviora decernatis.

Ac quamvis lucem nullam ab ordine mutuari neceſſe ſit in cæci cauſa, ubi malorum gravitas nec ordinem capit, nec modum, quòd effuſæ tenebræ omnia confundunt; dicam tamen ad æſtimationem jacturæ Zeuxidis, hunc perdita per cæcitatem lucis uſura, & mitioribus carere vitæ bonis, & durioribus mortis vivum ac ſpirantem malis affectum fuiſſe.

Querantur alii amiſſas opes, famæ

mæ damna gloriæque illi lugeant, quibus uti his bonis liceat, nec quibus majora ſint diſpendia, quæ doleant. Hæc Zeuxis non enumerat in vitæ bonis, quòd nec illa quidem, ſi affluerent, ut affluxiſſent Pictori celeberrimo, iis frui poſſet. Ecquis enim homini cæco relictus bonorum uſus, ubi nulla jucunditas, nulla delectatio, ubi luctus contra mœrorque æternus, ubi unæ ſuperant lacrymæ, ſuſpiria, gemitus? Tuum illud patrimonium, infelix Juvenis, tuus cenſus, tua hereditas. An enim dolori parcat ille, abſtergat lacrymas, ſuſpiriis modum ponat ullum? an non extabeſcat deſiderio, qui & oculos amiſit & lucem, quibus dolores levantur omnes?

Atenim hoc vobis allatum eſt, tanquam egregium ad tuendam Demarati cauſam præſidium, quòd filios, quòd uxorem, quòd numeroſam familiam haberet; hæc utinam ſibi poſſet Zeuxis vindicare, Judices! Demaratum mœrentem ſolatur uxor, nati recreant afflictum, tota familia mutuis ſtudiis exhilarat. Mœſtus ille, deſertus totos per dies anguſtos lares habitat; nec ullam niſi in lacrymis ſuis aut ſpem, aut voluptatem habet. Nam quid ei dulce aut jucundum eſſe poſſit, cui cæcitas uſuram ademit lucis & oculorum, quibus mundi hujus amœnitates deliciaſque delibat homo ac quodammodo poſſidet? Etenim quid quid eſt in aſpectabili mundo pulchrum, quid quid mortalium oculis ſubjecit, quid quid dedit hominibus utendum natura, & quaſi poſſidendum in commune, id ſic ademptum eſt Zeuxidi, ut exheredatus ab illa eſſe videatur.

Et hoc quidem eo gravius debet illi accidere, quod in informandis penicillo coloribuſque naturæ operibus verſatiſſimus, eorumdem pulcritudinem eruditionibus noverat oculis intueri. Sed quid hæc leviora perſequor? Oculorum vel ipſa ſedes, artificium & munus dignitatem eorum pretiumque ſatis indicant. Quantum enim vero ſtudium in iis elaborandis adhibuiſſe natura viſa eſt, quos variis integumentis ac veluti propugnaculis texit? quibus tamquam ſpeculatoribus, altiſſimum in capite aſſignavit locum, ex quo cuncta circumſpicerent & contemplarentur? In cæteris ſenſibus luſiſſe, ut ita dicam, viſa eſt; at omnem in efformandis oculis ſagacitatem atque ſolertiam exhauſit. Et verò quid in toto homine præſtantius, quid nobilius, quid pulchrius oculis? quid utilius, quid neceſſarium magis? Ii ſunt fideles animi internuncii, ex quibus reconditiores ſenſus percipiuntur. Quod lux in aſtris, in cœlo ſol, in ſole radii, id oculi in homine. Aſtra ſi privaveris luce, molem inutilem ſuſpendis cœlo, ſi cœlum ſole, ſi radiis exuas ſolem, publicum mundi oculum ſubducis, excæcas naturam, confundis omnia ac permiſces. Confodis homini oculos? vivum ac ſpirantem infodis ſepulcro, mortis anticipatæ tenebris involvis, pretioſiſſima rerum omnium vita vitæque bonis ante tempus expolias.

Etenim an illa vita eſt, an non habenda mors potiùs, qua quis dulciſſimo fratrum & amicorum conſpectu privatur? Hoc tamen eſt, quod patitur Zeuxis: Vivit, ſed ita vivit, ut mors ipſa foret illi expetenda magis quàm vita. Utinam, Judices, utinam inter mortuos foret! malorum finem in morte, poſt jactationes quietem, poſt procellas tempeſtateſque portum inveniret. Nunc autem vivit, ut perpetuis acerbæ vitæ doloribus excrucietur.

Saltem mortuus debitam bene actæ

vitæ

vitæ mercedem acciperet; hìc verò omne malorum genus ſpectatæ virtutis in præmium accipit: ſaltem mortuo campis in Elyſiis videre parentem fas eſſet, & impenſæ pietatis fructum ſuaviſſimum percipere; hìc mortalium omnium aſpectu caret. O mortem lentam & indocilem hominum precibus flecti! Reluctantes vocat, vocantes rejicit. Ratum eſt ergo; vives, Pictor infortunatiſſime! & vives, non ad miſeriæ ſolatium, ſed ad incrementum cladis ac cumulum. Fovebis in poſterum tuos in ſinu, ut nunquam in oculis geras; ſic aberis à te, ut manens apud te unum, nec ſine duce exire, nec alios inviſere unquam poſſis: ſic tibi coram tuis præſens, ut tanquam tibi tuiſque externus, nec te, nec tuos unquam videas. Vives, inquam, & vives in mortis malis; ut omnibus vitæ commodis careas; ſic mortis privabere commodis, ut in vitæ incommodis conſeneſcas.

Et erit aliquis tam crudelis, tam barbarus, tam ferreus, quem Zeuxidis ſors infortunata non moveat? qui Zeuxidem fratrum miſerrimum eſſe neget, aut etiam illius ſortem cum aliorum fato minimè comparandam eſſe inficietur? Oro vos igitur atque obteſtor, Judices, date Zeuxidi paternam hereditatem, ut non omnibus vitæ bonis ſpolietur. Date, ut levi aliquo in mortis malis recreetur ſolatio; date, unde vivat ille, qui cum tuendæ per ſe ac ſuſtentandæ vitæ facultatem non habeat, meritò ſperat de vobis fore, ut tanto ſuæ calamitatis incommodo veſtra pietas medeatur.

ORATIO.

Pro Elpidio Adoleſcente exſurdato.

Quæ res in hac, quam mihi hodie propugnandam ſuſcepi, cauſa moleſtiam dicenti parere nonnullam deberet, ea me, Judices, mirum in modum reficit, & novas ad perorandum coram celeberrimo conſeſſu vires, novos animos ſubminiſtrat. Abſit igitur à me, Judices, ut ſingulare Oratorum, qui prius ex hoc loco dixerunt, ſtudium, & miram in animis commovendis induſtriam reprehendendam putem, dum illi pro ſe quiſque Clientum ſuorum damna, tanta cum eruditionis & ingenii laude extulerunt. Gratulabor mihi ipſe potiùs, ut par eſt, ſuperiſque gratias agam ampliſſimas, quod eos à quibus metuendum Elpidio arbitrabar, patronos ipſius cauſæ totidem defenſoreſque acerrimos invenerim.

Nam ſi tanti eſt, uti revera eſt, hominem aut manibus, aut oculis, aut lingua carere ob ea quæ promanant inde incommoda; quanti demum fuerit, quæ ſequuntur ex ſingulis, ea in ſe mala unum pati univerſa? Quæ quoniam in Elpidio eximiæ indolis, ſpei optimæ, atque acerrimi ingenii adoleſcente licet cum mœrore intueri; nemo eſt profectò, qui non exiſtimare debeat, ſublato per hoſtes aurium uſu, fratribus ſuis gravius eum eſſe læſum, quòd hunc ipſum conſtet, & omnibus fratrum affectum fuiſſe malis, & bonis orbatum.

Magnum quiddam eſt, Judices, quòd Demaratus avulſis manibus, quod Logodædalus exciſa Lingua, quod Zeuxis effoſſis oculis toleraverunt: at mente unum eundem & mancum ſimul, & elinguem, & cæcum languere, id verò tanto gravius eſt,

eſt, quòd mala animi & ſunt, & jure habentur malis corporis multo graviora. Atqui ea ſors Elpidii eſt, qui cùm optimum ingenium, præclariſſimam indolem & liberalibus diſciplinis aptiſſimam nactus eſſet, exſurdatus ſit miſerabiliter, priuſquam ſibi liceret quidquam ediſcere.

O vicem adoleſcentis luctuoſam! o calamitatem omni commiſeratione dignam! Quid tibi, infelix Elpidi, quid ingenium illud tuum profuit? quid te juvit inſignis illa, qua te præditum amabamus, ſolertia? quò demum devenere dotes illæ omnes, quas tibi à Superis conceſſas gratulabamur; ex quo truncatis obtuſiſque penitus, ante artem ullam ſcientiamque perceptam, auribus, non excidiſti modò ſpe omni in reliquum vitæ tempus, ſed & incommoda fratrum omnia in animo experiris?

Nam quid aliud animo putatis eſſe artes rerumque notitiam, niſi quod lingua, manus & oculi corpori ſunt? Lingua viſa vel audita narrat; Artes iis, ut par eſt, narrandis præſunt. Manus res ipſas agit; Artes manum laborantem dirigunt. Oculi res aſpiciunt, pervident, intuentur; Artes, quo pacto vel viſis vel auditis utendum ſit, edocent. Externa quippe hæc membra ſunt inſtrumenta duntaxat ac veluti famuli quidam adminiſtrique mentis arbitræ, judicis, dominæ, artificis ac moderatricis; ac proinde, Judices, qui cognitione rerum deſtitutus ſit, eum mente cæcum quodammodo, elinguem & mancum eſſe neceſſe eſt.

Ah! video, Judices vos commoveri; video quis ſit veſter ea de re ſenſus. Intelligitis nimirùm, & meritò intelligitis eum, ſurdus cùm ſit, nulli Arti perdiſcendæ eſſe idoneum: agnoſcitis ereptam ipſi rei cujuſquam faciendæ aut cognoſcendæ poteſtatem: videtis eum eſſe ab omni facultate tam imparatum, quàm certum eſt Artium cognitione imbui neminem, & initiari rerum myſteriis poſſe, qui mente ſit deſtitutus.

Atenim, inquiunt adverſarii; quid eſt, quòd tam graviter expoſtulet Elpidius? quid eſt, quòd ſe tam infelicem prædicet? Lingua, manibus, oculis uti poteſt. At hoc extrema ejus miſeria eſt. Utinam, Judices, non uteretur, cui ad nullam omnino rem utilem & honeſtam iis uti liceat! Nam quid agat? quid loquatur commodè, qui rerum ſit adhuc rudis omnium & imperitus? ſi loquendi quandoque animum cupido inceſſerit, nihil niſi temerè & inconſultè loquetur, effutiet, deblaterabit. Si quid agendum ſe offerat, in quo eluceat ingenium; rerum ignarus omnium quid operetur? ſi ferendum de re aliqua, quam oculis uſurparit, judicium, nihil judicare prudenter poterit, qui antequam rerum cognitionem ullam aſſequeretur, aurium uſu crudeliter ſit ſpoliatus.

Quòd cum ita ſit, Elpidi, quid lucem ulteriùs ſuſtines? quid cum mortalibus diutiùs verſaris? Quin potius, judice me, cares publico? quin te domi otioſum, & inglorium contines? quin nuntium humano penitus conſortio remittis? ſin vero te hominibus domi ſubtrahere non datur, quære remotiores ſolorum nemorum latebras; pete inacceſſa ſylvarum loca, ibique te abde, conquieſce, conticeſce. Crede mihi, Elpidi, honeſtius tibi ita vivere ab omni cœtu disjunctum mortique proximum fuerit, quàm brutorum more, ſine ſenſu, ſine mente, ſine conſilio aut agere, aut loqui, aut videre.

Nequis veſtrum tamen exiſtimet, Judices, me dum Elpidii damna extollo, aliorum conditionem minimè de-

Digitized by Google

deflendam arbitrari. Eſt hæc, eſt certè omnium judicio luctuoſiſſima. Sed omni ſolatio non carent. Habent cæteri, unde levamen doloris ſui nonnullum petant. Aliquo quidem ſenſu indigent: at non omnibus: aliis uti poſſunt percommodè, ſive ad comparandas ſibi novas artes, ſive ad paratas antea perficiendas; poſſunt amicorum uti congreſſibus, poſſunt ſocietate mutua vitæ tædia fallere, & quod uno ſenſu exequi nequeunt, alio præſtare.

At verò quanto miſerior etiamnum eſt ſors Elpidii, cui habitandum ſemper apud ſe, latitandum in tenebris, contabeſcendum præ dolore? Qui nihil ſciat, nihil calleat, nec ſcire quidquam vel callere poſſit; qui nihil proferre queat niſi abſonum, nihil interrogare, niſi intempeſtivum, nihil agere, niſi imperfectum; qui denique perpetuos de ſe & præſens & abſens dare ludos paret.

Si vos igitur, Judices, ſi vos ſingula fratrum damna movent, uti neminem veſtrum eſſe puto, quem fortis illorum non miſereat, ſi in illo generoſitatem pietatemque in parentem laudatis, quòd manus ſecandas offerre non dubitaverit, ut imminentem patri chariſſimo ictum averteret; ſi hujus miſeriam lugeris, qui cùm magnam in perorando famam ſibi comparaſſet, elinguis factus eſt: ſi alium revera infelicem prædicatis, cui partam hactenus pingendo exiſtimationem ſuſtinendi diutiùs copia ablata eſt; moveat ille multo magis, qui ſingula fratrum incommoda pertulit. Potuiſſet Adoleſcens optimus tractare arma, & in ſolum pulveremque bellicum ex umbra palæſtraque domeſtica prodire, ſuamque in defendenda patria fortitudinem exhibere: potuiſſet in foro verſari cum laude, & ingenii pariter eruditioniſque ſpecimen edere: potuiſſet in altera qualibet arte ſtrenuum ſe atque habilem profiteri. Verùm neque militiæ nomen dare, neque dicendis cauſis operam ponere, neque ex doctrina ulla commendationem expectare jam poteſt. Quid igitur agat infelix? quò ſe vertat? quò confugiat? quid conſilii capiat? cujus opem imploret, niſi paternam ipſi, qualecumque doloris tanti ſolatium, hereditatem adjudicetis?

ORATIO JUDICIS

Controverſiam inter Fratres quatuor dirimentis.

Gravis penitus ac difficilis ex omni parte controverſia veſtris ſententiis hodie dirimenda proponitur, Judices. Dicendum jus inter cives quatuor eoſdemque fratres inter ſe conjunctiſſimos, huic civitati Juvenes chariſſimos, ſuo in Rempublicam ſtudio, ſingulari in parentem charitate ſpectatiſſimos. Nihil poſtulatur ab unoquoque, quod ſingulorum meritis non debitum, quod inferior eorum virtuti merces videri non poſſit.

Tamen nec licet nobis omnes facere voti ſui compotes, nec pronunciare unius ex illis in gratiam, quin cæteri læſos ſe fuiſſe aliquo jure ſuo conquerantur. Scilicet hereditas paterna non diviſa, ſed tota, non ex parte tantùm, ſed in ſolidum & ex aſſe ita ſingulos reſpicit, ut ſingulis minimè poſſit contingere. Inſtituit pater bonorum omnium heredem unum aliquem è liberis, qui amantior patris inter omnes, qui vitam ejuſdem libertatemque majore damno redemiſſet.

Certatum eſt ab unoquoque viriliter, non tam hæreditatis potiundæ gratia, quàm ut ardentiſſimum, quo fla-

flagrabant omnes in patrem, perenni monimento amorem conſignarent. Quo demum exitu? Fecit diſertiſſima Patronorum, qui pro Clientibus invicem dixerunt, Oratio, ne cuiquam lateat: & plerique veſtrum teſtes eximiæ fortitudinis, quam ſinguli fratrum edidere, ſuis ipſi oculis uſurparunt. At quo omnium diſpendio? quanto ſingulis ſtetit paterna ſalus ac libertas ab hoſtium furore vindicata? Hic præciſas manus vidit impiger, dum brachiorum oppoſitu capiti paterno fatalem ictum avertit. Ille captus ab hoſtibus, avulſa crudeliter lingua loquendi facultate privatus eſt. Alter effoſſis immiſericorditer oculis lucis uſuram perdidit. Ultimus reciſis per ſummum nefas auribus exſurdatus eſt. Parem omnibus crudele vulnus jacturam intulit. Demaratus Statuarius inſignis & ſtrenuus in bello miles exciſas fuiſſe opes ſuas ſpemque parandæ gloriæ omnem ablatam expoſtulat. Luget elinguis Logodædalus interclusum ſibi ad laudem aditum; &, quam labore multo ſibi fecerat diſertus orator eloquentiæ famam, perpetua ſilendi neceſſitate evaneſcere. Zeuxis pictor egregius orbatus oculis miſerabiliter non habet deinceps unde ſuſtentet vitam, aut partum pingendo decus tueri poſſit. Elpidius magnæ expectationis adoleſcens in ipſo ætatis flore exſurdatus, in ſumma rerum omnium inſcitia longum vitæ ſpatium nulli idoneus arti prorſus exiget. Senſit infelix pater miſeræ ſobolis calamitatem, & filiorum ad aſpectum ex dolore contabuit. Felix, vel dum moritur, ſi mederi ſingulorum incommodis, & pium in amantiſſimos filios animum potuiſſet conſignare.

Nos verò quid ſtatuemus, Judices, tam difficilis controverſiæ arbitri conſtituti? cui demum ex omnibus paternam hereditatem adjudicabimus tanquam miſerrimo inter cæteros, & majus pro paterna ſalute tuenda detrimentum paſſo? Equidem ſcio eſſe eorum neminem, qui dignus illa videri non debeat: qui eandem calamitatis ſuæ in ſubſidium ſibi non vindicet: qui ſua orbitate veſtros animos non inflectat ad commiſerationem ſui. At nullus ibi miſericordiæ locus eſt, ubi æquitatis unius ratio debet haberi. Non ſatis eſt miſerum in ſua ſorte quemlibet judicari, niſi fratrum miſerrimus æſtimetur. Huc ergo recidit totius contentionis caput; quis omnium fato ſuo infeliciſſimus debeat reputari. At hoc ipſum decidere, quàm arduum & operoſum debet videri!

Audiiſtis, Judices, quanta animorum contentione, quàm diſerta verborum copia, quàm exquiſita ingenii ſagacitate eruditiſſimi Patroni viciſſim certaverint, ſuis ut quiſque in Clientibus perfectiſſimam calamitatis ipſius imaginem elaborarent: At quid perfecerunt dicendo, niſi ut difficultatis nodum intricarent arctiùs, nedum exſolverint; niſi ut eloquentiæ ſuæ fulgore perſtrinxerint oculos, tenebras ipſas & inſitam controverſiæ caliginem non depulerint? Video vos incertos adhuc & ancipites, quid pro æquitate veſtra pronunciare liceat. Nihil leges, nihil civitatis ipſius inſtituta, nihil juris ipſius ratio ſuppeditat, unde ferre judicium in tanta cauſæ novitate atque inſolentia poſſitis. Nobili Statuario ac ſtrenuo militi manus abſciſſæ ſunt, quid durius? Perito Oratori avulſa lingua eſt, quid triſtius? Pictori celeberrimo eruti ſunt oculi, quid miſerabilius? Adoleſcenti lætiſſimæ expectationis aures amputatæ funeſtiſſimæ in omne tempus ignorantiæ fatum important, quid luctuoſius? Quid erat ſingulis me-

metuendum magis, quàm quod ſinguli patiuntur? vel quis calamitatis gradus illis accedat, qui ſummum calamitatis cumulum experiuntur? Sentio ipſe, Judices, quales inter anguſtias verſer, cui aditus omnis ad ferendam ſententiam intercluſus videatur.

Tamen expectatis, ut loquar, neque munus illud, quo per vos & apud vos hodie defungor, ſilere me patitur. Ergo, ne ludere ſpes veſtras, aut commiſſæ provinciæ defuiſſe videar; ne ſuprema Teſtatoris ipſius voluntas, quam magnæ religioni ſemper habuimus, caſſa & irrita ſit; ajo Polycratis hereditatem Elpidio fratrum minimo eſſe eo nomine adjudicandam, quòd omnium infeliciſſimus debeat æſtimari. Habent hoc Fratres cæteri in calamitate ſua ſubſidium non leve, ut ſe rerum geſtarum gloria conſolentur, & ea, quam ſibi apud omnes in ſua quiſque facultate pepererunt, fama doloris ſui acerbitatem mitigent. Obverſabuntur perpetuò Demarati oculis egregia illa artis ſuæ monumenta, quibus civitatem noſtram decoravit, &, quod dedit in bello fortitudinis eximiæ ſpecimen, audiet omnium linguis celebrari. Fruetur Logodædalus navatæ laudabiliter tam publicis quàm privatorum commodis operæ conſcientia, & ſuaviſſimo tot amicorum, quos olim conſilio juvit, eloquentia auitus eſt, commercio recreabitur. Neque ſuum deerit Zeuxidi Pictori celeberrimo ſolatium, qui perfectiſſimas rerum omnium imagines animo complexus eaſdemque coloribus ac penicillo imitatus tam ſcienter, ſe ſe dulciſſima illarum recordatione paſcet & cæcitatis ſuæ tenebras quoquomodò mitigabit.

At quid ejuſmodi ſimile manet infelicem Elpidium, qui in ipſo adoleſcentiæ limine exſurdatus, nec ulla potuit aſſequi ſuæ orbitatis adjumenta, nec habet in omne tempus, ſibi relictus uni, unde conditionem acerbiſſimum ſuſtentet, aut conſoletur? Quare Elpidio exſurdato, omnibus fortunæ animique bonis deſtituto paterna hereditas adjudicator. Verùm ne filiis poſthac omnibus ad paternæ obſervantiæ defenſioniſque laudem deſit incitamentum; ne Reſpublica civibus optimis & de ſe benè meritis defuiſſe videatur; ne careant illi calamitatis ſuæ ſolatio, & fortitudinis, atque induſtriæ ſuæ præmio defraudentur, tantundem ſingulis tribus Fratribus ab Republica parente optima de ærario ſufficitor. Omnes, quoad vivent, in Prytaneo aluntor. Mortui de publico efferuntor conduntorque perhonorificè communi ſepulchro: cui ad perpetuam rei memoriam inſcribatur.

Diis Manibus piorum Polycratis Liberorum Senatus Populuſque Athenienſis poſuere.

IPHI-

IPHICRATES ET ACOETES.

CAUSA QUINTA.

In Genere Judiciali.

ARGUMENTUM.

Erant in una eademque Civitate cives duo; alter nobilis & dives, Iphicrates nomine; alter ignobilis & pauper, Acoetes dictus. Terni ambobus Liberi, veteres ambobus odiorum cauſa fuerunt. Bellum civitati cùm incidiſſet, Dux copiarum creatus Iphicrates in caſtra hoſtium clam ſe recipit. Rumor oritur prodi Rempublicam. Acoetes è concione accuſat Iphicratem. Plebs indignata abſentis Iphicratis, quem proditorem putat, tres Liberos obruit lapidibus. Regreſſus in urbem paulò poſt Iphicrates, occiſo hoſtium Duce, petit ad ſupplicium Acoetæ Liberos, ipſum verò reum agit ex ea lege, quæ calumniatori irrogaret pœnam, quam ipſe intuliſſet. Acoetes morti ultro ſe offert, ut à Liberis necem depellat, pro Acoete ipſo interim Liberiſque ipſius alter perorat.

ACTORES.

IPHICRATES, Dux belli.

ACOETES, Iphicratis Accuſator.

SYNIGORUS, Acoetæ Defenſor.

CRITICUS, Judex.

IPHICRATES.

VEſtras, Judices, pro virili partè ultus ſum injurias, mea viciſſim, pro æquitate veſtra vindicate. En urbis mœnia obſidione ſoluta ſunt, fugatus eſt hoſtis, civis jam liber metu reſpirat. Mœret heu! in communi lætitia una victoris domus, per quem effectum eſt, ut unicuique

ve-

Digitized by Google

veſtrum liberis, conjuge, & incolumi patria frui liceret! Huic ne ſuos quidem liberos reviſere & amplecti fas eſt. Quòd ſi pro patria concidiſſent, ſi parentis ad latus ante muros urbis illis oppetere contigiſſet, eorum jacturam in tuendis ſuis civibus bene collocatam putarem, & liberorum honeſta mors patris orbitatem ſolaretur. Nunc eos in patriæ ſinu fraude circumventos, oppreſſos calumnia, falſum patris ob crimen turpiſſima morte periiſſe, quis ferat? Equidem cùm Reipublicæ defenſionem ſuſcepi, nullum mihi fore certamen exiſtimaveram, niſi cum hoſtibus patriæ; nullum niſi ab illis reformidavi periculum. Ecce mihi civis factus eſt hoſte crudelior; hoſtis enim meo contentus ſanguine innocenti liberorum ſanguini pepercisset.

Quid plura? noſtis injuriam, Judices, auctor in conſpectu eſt. Veſtrum eſt, pro legum noſtrarum æquitate, ſtatuere, ut par pari pœna referatur. Non ut moriatur Acoetes poſtulo. Vivat ſanè, quoniam vitæ meæ pepercit; ſed orbus parens vivat in everſa domo. Tres liberos abſtulit, tribus liberis careat. Meos furori ſuo immolavit victimas; ſuos meorum manibus placandis inferias repeto.

Quod ſi durum hoc & inhumanum eſſe cenſeat, cernat ille prolapſam & afflictam domum, quæ paucos ante dies tam læta exultabat prole, tam longa virorum illuſtrium ſerie hactenus floruerat, diſcat, quàm parùm meritus videar triſtiſſimam meæ orbitatis acerbitatem.

Electus à vobis fueram, Judices, Dux militiæ, deſperatis pœne patriæ rebus; victi ſpes noſtras his mœnibus tuebamur; eaque jam multis in locis diruta erant & aperta. Unum pro cunctis caput objeci; rem aggreſſus ſum dolo, quoniam manu vincere non licebat. Exceſſi urbe tacitus liberos meos Diis hujus urbis præſidibus commendans; vobis commendaſſem, Judices, ſi cum pluribus conſilium communicare periculum imminens ſiviſſet. Quis fuerit eventus, omitto dicere, neque vos, credo, vel conſilii mei, vel ſilentii pœnitet. Liberata civitas; victus hoſtis eſt, victor in urbem redeo.

Victorem qualis pompa, quis triumphus excipit! Tres Liberos, quos ad familiæ columen, ad defenſionem patriæ ſedulò inſtituebam, crudeliſſimo ſupplicio affectos audio patris ob defectionem. Non immoror, Judices, in hoc confutando crimine, quod facta mea, vel tacente me, ſatis refellunt. Licuerit Accuſatori iniquiſſimo concepta jamdudum explere odia; fidem meam, quæ ſpectata ſatis erat & cognita, revocare in ſuſpicionem, ſuſcitare in me furorem plebis, & nomini meo turpiſſimæ proditionis labem inurere. At quid innocentes pueri meruerant? Proferat Accuſator culpam aliquam, veſtigium aut umbram ſceleris, cui affines meritò videri poſſint. Conjuraverant, credo, in patriam? clandeſtina cum hoſtibus inierant conſilia? perniciem hujus urbis nefariè moliebantur? Quàm hoc non credibile in pueris, quantùm ab hujus ætatis indole, & viribus ejuſmodi ſcelus abhorret! Tamen fac eos proditionis reos eſſe. Nihil ne antiqua generis nobilitas, nihil familiæ ſplendor, nihil continua Majorum hanc in Rempublicam merita, nihil patris reverentia, quem populi ſuffragia hujus urbis copiis præfecerant, ſi non ad veniam, ſaltem ad commiſerationem, vel pœnæ temperamentum aliquod prodeſſe poterant?

Atenim video quid iniquus Accuſator voluerit, & qua ſit uſurus defenſione. Liberos fortaſſe meos innocentes non negabit; at mulctatum

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe in ſobole parentem contendet. Quam tandem ob cauſam, Judices? quod tandem ſcelus, quod admiſi facinus tam inexpiabile, ut illud mihi triplici morte luendum ſit? An quod vitam in apertum diſcrimen adduxerim, ut ſaluti veſtræ conſulerem? quòd deploratæ civitati ſuccurrerim? quòd miſcendum cum virtute dolum, ubi virtus ſola nihil poſſet, exiſtimaverim? quòd exierim ex hac urbe, exeundi verò cauſam tacuerim & conſilium? Nihil equidem video, Judices; quod vel in vita, vel in rebus geſtis tam crudeli pœna dignum ſit. Extremum huic urbi imminebat exitium: avertendum erat, averti. Reprimendus erat hoſtium impetus, repreſſi. Amputanda ferro publica calamitas, amputavi. Silendum inprimis erat, ne, ſi vulgaretur conſilium, exitu careret, ſilui. Ecquod in iis omnibus crimen eſt? ſi ſcelus eſt, vobis, Judices, illud ſcelus profuit. Cur ego plector ob illud ſcelus? cur fructus criminis communis civium, mea verò unius pœna eſt?

Sed eſto: creditus fuerim bona fide nocens; dederit Accuſatori egreſſus ex urbe fugæ ſuſpicionem: continuone ſpargenda res fuit in publicum, quaſi certa foret? Dubitandum, ſciſcitandum etiam ex aliis, explorandum certè, denique expectandum fuit, dum res innoteſceret. Verùm non ita prudens & lentus ſolet eſſe livor: neſcit conſilio, cunctatione, deliberatione uti. Paſcitur ſuſpicionibus vel leviſſimis; ſectatur umbras criminum, inſidioſa quæque arripit; dubia pro certis, obſcura pro compertis, falſa pro veris habet, & pro meris nugis tragœdias excitat. Exiit ex urbe Iphicrates? ſtatim proditor audit & transfuga. Verùm incerta res eſt; latet certè; divulganda nihilominus, vicatim oſtiatimque amici, inimici, familiares, ignoti conveniendique ſunt: imbuendæ mentes credulæ plebis, aures falſis rumoribus; ſuſcitandus furor, acuenda odia! Sed in quem? in abſentem. Adſunt innocentes liberi? mulctentur patris loco, ſeu potiùs mulctetur in ſobole parens. At quo ſupplicio? effero, immani, inaudito. Protrahantur è laribus domeſticis, quorum in tutela latent: permittantur ſeditioſæ multitudini: diſcerpantur patris abſentis nomen inclamantes; ſuam & patris innocentiam, ætatis ſuæ jura, familiæ merita, Deum hominumque fidem conteſtantes!

An hìc tandem conquieſcet ſicarii crudeliſſimi barbaries! Meum, meum quoque ſanguinem hauriat, ſi tanta illi cruoris ſitis eſt. Seu potiùs, Judices, debitas crudelitati ſuæ pœnas luat. Equidem dies ac noctes verſantur ob oculos cruentæ liberorum umbræ conquerentium, ſe à me deſertos periiſſe. Horum intueri vultus, voces exaudire mihi videor. Ubi eras, inquiunt, pater amantiſſime, cùm plebis furor in nos deſæviret? ubi nunc es? cur nos pateris inultos? ò diem mihi in ſumma felicitate luctuoſum! Victor, pro triumpho, ultionem repetere cogor; & necem eorum perſequi, quos vel capitis mei periculo cum cæteris civibus ſervaveram. Verùm, etiam ſi tacerem, an ſilerent leges veſtræ, quæ injurias paribus damnis compenſari jubent, & calumniatores, quibus reos afficere voluerant, paribus ipſos pœnis affici? An ergo vexator florentis familiæ, domus innocentis everſor pœnam à legibus crudelitati ſuæ conſtitutam effugiet? an ille furorem ſuum liberorum meorum ſanguine impune expleverit? an inulti jacebunt filii mei, dum ſui ſuperſtites orbitate, mea

Digitized by Google

fruentur? Non funus pro funere, luctum pro luctu, animam pro anima, ſanguinem pro ſanguine rependent? Liberi, quos hic lugeo, Judices, liberi veſtri ſunt, non tantùm quòd in Republica veſtra nati, quòd eo parente geniti, qui totus veſter eſt, ſed etiam, quòd meis vocibus & exemplo informati ad veſtram gloriam & defenſionem feliciter adoleſcerent. Liberos igitur veſtros, obteſtor, per hujus diei felicitatem, per hanc dexteram, quæ vobis præſidio fuit, Liberos, inquam, veſtros, & inexpiatum illorum ſanguinem, vindicate. Hunc à vobis triumphum expecto. Nolite pati eum, qui veſtra in cauſa vicerit, eodem die, vobis Judicibus, tam juſta in cauſa vinci.

ACOETES *Iphicratis Accuſator*.

Nemo veſtrum, Judices, huc me prodire exiſtimet, vel ut injectam crudelis accuſationis invidiam amoliar, vel ut inanibus lachrymis ac precibus imminens capiti meo periculum coner declinare. In his rerum mearum anguſtiis ſentio, quàm fruſtra utrumque pertentarem. Nam quid favere mihi jam poſſit, vel unde præſidium aliquod liceat expectare? Inſtat Iphicrates generis nobilitate conſpicuus; non habet Acoetes, niſi ut natales tenebras incuſet. Infert calumniam adverſarius divitiis, gratia, clientum auctoritate potens; ego deſtitutus omni patrocinio, & ſumma rerum inopia laborans quid opponerem? Ille inexpectato audacis facinoris exitu, & ſua inflatus victoria vindictam armata manu poſtulat; ipſe ad cæteras meas miſerias iniquiorem ſortem expertus nequicquam fatalem ictum deprecarer. Igitur fruere triumpho tuo, Iphicrate; habes & fatentem reum, &, quamcumque in me tuleris, ſententiam minimè detrectantem. Perime deſtinatam tibi jam diù victimam: exſatia veteres inimicitias, ſatura te noſtro ſanguine, nihil deprecor, nihil abnuo. Totum me tibi nimia patriæ charitas mancipat: hæc me nocentem fecit, ſi videor nocens. Felix hoc ſaltem nomine, quòd publicæ ſaluti, priuſquam tibi, infelix Acoetes occumbat! Rem peragite, Judices, vel Iphicrates potiùs ferrum ipſe noſtrum in pectus exigat. Verùm quid iras perſequatur longiùs, & innocentes meos Liberos neci deſtinet? Veſtram fidem, Judices; placet hic vobis Iphicratis impotens furor, cui non ſatis eſt, parentem ſi mactet, niſi eodem fato nihil tale meritam ſobolem involvat?

Infelix ego, qui non modò ærumnoſos calamitate mea Liberos, ſed & nocentes fecerim! Nam nocentes illi ſint oportet, qui repetuntur ad necem. Non ſatis eſt eſſe miſerum, qui plectitur, ni qua nocentem culpa effecerit. Aliud mihi de veſtra æquitate, Judices, ſentire non licet. Non eſt iſtud infortunatis hominibus tribunal, ſed nocentibus ſolis pertimeſcendum. Imò, imò ipſa calamitas certum apud vos ſemper præſidium habet: &, qui veſtris in judiciis nihil præter inviſæ ſortis injuriam afferat, is non ſibi contumeliam à vobis, ſed commiſerationem potiùs ac patrocinium accerſat. Ergo te paterna calamitas nocentem fecit, infortunata ſoboles, cujus hodie ſupplicium apud æquiſſimos Judices poſtulatur! Teſtem ipſum te volo, Iphicrate; neque vel hoſtis infenſiſſimi propria in cauſa judicium reformido.

Age quid aliud Liberis meis objicis, niſi quòd infelicem patrem habent? Culpam profer, propter quam

à te

à te damnantur. Clamitaſti quidem multùm, victoriam oſtentaſti, indignis tanto Imperatore querimoniis populum in me meoſque concitaſti. At cujus tandem ſceleris nomine devovendos furori tuo meos Liberos vindicas? Ede nunc etiam, ſi potes, quidquam ejuſmodi, vel ſaltem finge ſceleris umbram aliquam, quæ fucum faciat. Nihil eſt, quod timeas; tua te auctoritas, opum magnitudo, populi gratia ſatis tuentur; tibi ut comminiſci aliquod maledicti genus impune liceat. Quid ſiles? quid conticeſcis? En ego te adjuvabo, & tibi vel in Liberos meos accuſationis caput ſufficiam.

Age retexamus rerum ſeriem atque ordinem, quæ legitimæ accuſationi materiam ſuppeditare poſſint. An tibi infelices illi adoleſcentes machinati ſunt inſidias? An aſtiterunt patri in judicio cùm te accuſavit, aut ſuffragatores, aut teſtes? an populum in te concitarunt? an inſurrexerunt tuam in ſobolem? an lapidibus armati furiatæ plebis invidiam aut provocaverunt, aut adjuverunt? Quàm miſerum eſt infortunato parenti, Judices, ad eas redactum eſſe anguſtias, ut, dum filios tuetur ac defendit, etiam cogatur ſuggerere adverſario nocendi argumentum! Vide, Iphicrate, ut innocentiæ conſcientia ſecuros nos facit. Tuum eſt eligere ex iis omnibus aliquid, unde nocentes Liberi mei ſaltem videantur. Si nequis, fatere demum, quàm temerè, quàm injuſtè eoſdem incuſes, & inhumaniter jubeas enecari.

Quanquam, Judices æquiſſimi, dolet Iphicrates tergeminam ſibi periiſſe ſobolem, neque dolori ſuo ſatisfieri exiſtimat, niſi Liberos totidem meos interemerit, iteratoque toties ſupplicio, quam repetere à me vindictam nolle ſe fingit, eamdem multo crudeliùs exigat. Equidem parum humanus ego ſim, & parum ſincerus, ſi diſſimulem, quantam vel in victoria ſua dolendi ſegetem invenerit. Sed tamen culpandus hic dolor, qui niſi flagitio placari non poſſit. Verùm quid dolorem dico? furor eſt, ſævitia eſt, immanitas eſt. Te pudeat, Iphicrate, imitari barbaros, aut etiam crudeliores feras, quarum impotens ſitis & rabies, niſi ſanguine humano, non extinguitur. At ſi tantopere ſanguinem ſitis, quin petis dari tibi in victimam quotquot extiterunt filiorum tuorum interfectores? Collige lapides, quibus illi obruti ſunt: recenſe ſingula populi capita, qui unanimi pœne conſenſu ad patrandum facinus acceſſit. Aude etiam aliud, quod furori tuo magis conveniat: ipſos aggredere Judices, quorum ſub oculis, ipſiſque adeo minimè repugnantibus interempta tua ſoboles fuit. Tu mitiùs aliquid poſtulares, quàm ſi dedi tibi petas ad pœnam, qui nullam peractæ cædis in partem venerunt. Hoc etiam adjicietur tibi majus ad dolorem ſolatium, quo majorem ſanguinis copiam effuderis.

Videtis, Judices, ut nihil iniquum precer infortunatæ ſoboli, quam injuſto Iphicratis dolori ereptam velim. Hoc ergo ſperare liceat à veſtra æquitate ſolatium, ut eorum ſuſcipiatis defenſionem, quorum innocentiam perſpicitis. Non ego pro ipſis hodie deprecator accederem, niſi parentem haberent illum, quem nimia in patriam charitas calamitoſum fecit. Quanquam neque me ſortis hujus pœnitet, neque vereor etiam nocens appellari, ſi patriam amaſſe nimis ſceleri imputetur. Noli timere, Iphicrate, ne, vel me ejuſmodi crimine purgare velim, vel cruentam hac mercede mortem refugiam. Erit, ne dubita, erit mihi glorio-

rioſum occumbere, dum publicæ ſalutis reus occumbam; neque tam ſupplicium Iphicrates irrogaſſe videbitur, quàm immortalem gloriam peperiſſe. Unum hunc adjicite gloriæ pariter ac lætitiæ cumulum, ut, dum morior, dignos tribus in Liberis paterni ſtudii æmulos & hæredes vobis relinquam.

Sed quid moror? Comprehendite me, lictores, ducite quamprimum ad mortem; ſanguinem meum fundite; Quis ſcit, num fuſus Acoetæ cruor Iphicratis iras mitiget, aut etiam reſtinguat?

SYNOGORUS,

Pro Acoete ipſiuſque Liberis contra Iphicratem.

Quod Oratori novo atque in hanc judiciorum Palæſtram primùm deſcendenti maximè optandum eſt, & quod ad expromendam ſagacioris ingenii prudentiam conciliandoſque hominum animos pertinere ſolet, æquiſſimi Judices; id ipſum mihi nunquam ante hunc diem Forenſibus in rebus exercitato fateor defuiſſe. Nam cùm junioris patroni probabilitas cauſæ quam defendit, ſolertiam commendat, & audientium favorem ac gratiam demeretur, tum ego ſenſi, quàm lubrico, quàmque difficili verſarer in loco, qui venire unus contra omnes, & communibus ſuffragiis viderer adverſari. Quis enim hìc, Judices, niſi me totius populi clamores, cùm diceret Iphicrates, fefellerunt, vel ditiſſimi viri potentiam atque auctoritatem non vereri, vel victoris triumpho non applaudere, vel miſeri parentis orbitatem dolere non viſus eſt? Interim video infeliciſſimos juvenes omni ope auxilioque deſtitutos, quibus hæc una, durior ipſa morte, ſalutis ſpes relinquitur, ſi forte infortunati Acoetæ ſanguine placatus Iphicratis furor ab infauſtæ ſobolis cæde abſtineat. Video ipſum Acoetem non tam adverſariorum ſententia, quàm ſuo ipſius calculo condemnatum, & ſe ultro ac fortiter morti devoventem.

Quid agam, Judices? Eloquar? an ſilebo potiùs, & ſuis permittam fatis miſerrimam familiam, quam diſertiſſimi Oratoris facundia ſeveriſſimis judiciis fruſtra conatur eripere? Tamen occumbent inſontes Liberi? morietur infelix pater? & hoc apud æquiſſimos Judices, ſolitudinis atque innocentiæ contra auctoritatem ac gratiam tutores ac patronos? Ah! ſinite me exiſtimare meliùs de vobis: ſentio mihi novos adjici animos ad dicendum; adeo me veſtra omnium æquitas reficit ac ſuſtentat! Dicam ergo confidenter pro tribus Liberis adverſus iniquam Iphicratis poſtulationem; dicam pro parente contra ſe ipſum; dicam pro infringenda lege cujus vi reus impetitur; ac de ſingulis ita dicam, ut non tam privatorum hominum egiſſe cauſam, quàm publica totius civitatis commoda videar propugnaſſe.

Quanquam quid ego tres Acoetæ Liberos defendere rurſus aggredior? aut quid adjiciam ad ea quæ ſtudioſus parens idem & diſertus patronus tam feliciter peroravit? Nam quæ illa demum victoria tua eſt, Dux fortiſſime, quæ te tam cædis avidum, tam ſitientem ſanguinis effecit? Eſto: demus hoc tibi, peccarit in te vel ſciens ac volens infelix Acoetes, & dignum morte ſcelus admiſerit; en ſe ſe offert furori tuo victimam, paratus ultro luere quaſcumque pœnas irrogaris. Quin plectis reum, & appetentem ultionis animum exſatias? Nihil ille de tua crudelitate conqueritur, non delictum defendit, non cruentam mortem deprecatur. At cur in-

in-

in ipſius Liberos ſævire ardes? quam illi paterno in ſcelere partem habuerunt? Ede crimen, quod puniri morte debuit; aut culpa illi ſi vacant, cur inſontes ſupplicio deſtinantur? Nempe non ſatis unus ad pœnas videatur parens, niſi parenti ſobolem conjunxeris? non placet ille furorem tuum, qui ſemel tantùm mori pro conditione ſua poſſit, niſi tribus in liberis triplex lethi genus exſolvat? Atenim ereptam tibi tergeminam ſobolem doles? Crudelis dolor, qui niſi alterius dolore mitigari non queat! Victoriam tuam nobis oſtentas, & aſſertam per te patriæ ſalutem fuiſſe gloriaris? Equidem fateor; tibi multùm debet Reſpublica; ſed an navatam feliciter magis quàm prudenter operam compenſare non poteſt, niſi ſanguinem fundat innoxium? Teſtor te ipſum, Iphicrate, velles Rempublicam ex tua victoria plus detrimenti, quàm utilitatis percipere? velles perire tres Adoleſcentes optimos, qui ſuo quoque tempore victorias & ipſi multas reportabunt? an ideo tantùm vicisti, ut paulo poſt tua ipſius crudelitate vincereris? Quaſi vero digna ſatis victoriæ præmia Reſpublica non habeat, aut non ſatis amplum foret præmium decerpta laus, cum totius populi gratia conjuncta?

Sed quid ego hic diutiùs immorer, Judices, & rem jam actam ulteriùs perſequar? Venio ad eximendum parentem ipſum, quantumvis repugnet ille, & ſe ultro volenſque morti devoveat. Hìc verò finite me paulo liberiùs queri, quàm aut ætas fortaſſe, aut debita hujus loci auctoritati reverentia patiatur. Nam quis hic tumultus fervet? cur converſos video in miſerum Acoetem oculos, quaſi de ſalute ipſius conclamatum jam foret? cur homini innocentiſſimo vertitur crimini, quod à vero ſinceroque patriæ ſtudio profectum eſt? Non ergo ſtuduit ille patriæ, qui orbatam illam Imperatore ſuo cùm videret, & rem ad extremas anguſtias rediiſſe, monuit Rempublicam abeſſe eum, cui commiſſa urbis defenſio ſit? Aberas enimvero, Iphicrate, &, nemine in partem conſilii adhibito, in caſtra hoſtium profugeras. Interim trepidat civitas, tumultuatur populus, & ſuſpicatus quod non erat, furias more ſuo concipit, bacchatur per urbem, in Liberos tuos involat, lapidibus eoſdem obruit, qui parentem multo lubentiùs obruiſſet. Tu paulo poſt, perempto hoſtium Duce redis in urbem, felicior certè, quàm prudens, qui Rempublicam, niſi res tibi ex ſententia ſucceſſiſſet, in extremum diſcrimen adduxeras. Nam quid agat periculi metuens populus, qui præpoſitum ſibi Ducem defeciſſe ad hoſtes conqueratur? Quam ſpem habuiſſet aliam, niſi ut panderet portas hoſtibus, & matura deditione victoris clementiam imploraret? Scilicet periculoſa plenum alea conſilium clam eſſe voluiſti, ne vulgatum reſciret hoſtis? Non erat ergo in hac civitate prudens aliquis Magiſtratus, cujus fidei inuſitatum facinus crederes? qui facti conſcius, quod meditabare, placaſſet plebis animos, iras mitigaſſet, præſtitiſſet ſecuritatem, & lætioris exitus expectationem ſuſcitaſſet?

Tuam tibi calamitatem imputa, quam in Acoetem fruſtra refundis. Nam quid Acoetes fecit, Judices, quod facere bonum civem non deceбat? An ſtare debuit lentus & otioſus, qui periculi ſentiret magnitudinem? an non adire Magiſtratum, quem unum ſuccurrere poſſe afflictæ urbi intelligeret? Cedo quid aliud, Iphicrate, quod in Acoete re-

prehendas? Niſi fortè id etiam criminis nomine imputandum putes, quòd vir tenuis ac pauper uno publicæ ſalutis adductus ſtudio id auſus eſt, quod viri nobiles vel metu tui nominis, vel amicorum tuorum auctoritate deterriti facere refugiebant. Novum crimen, Judices, &, ſi quid Iphicrati credimus, extremo ſupplicio expiandum!

Si tamen mulctandum putatis, quod communis utilitatis gratia peccatum eſt, quis deinceps tanto cum periculo patriæ conſulet? quis difficilem accuſatoris provinciam implebit? quis contra potentum impetus ac nefarias molitiones obſiſtet? Atenim non amore patriæ, ſed capitali impulſus odio Iphicratem Acoetes accuſavit? Nempe virum in divitem, quem auctoritas, vis, gratia tutantur, pauper & ignobilis tantum audeat! Quanquam liceat hoc ipſum conteſtari judices, ſi qua odiorum ſemina ſuſpexiſtis? Agite enim, cùm apud vos Acoetes diceret, an maledictis accuſationem ſuam aſperavit? an indulſit inimicitiis? an quidquam contra Iphicratis exiſtimationem effudit? an in ipſo Liberorum ipſius funere viſus eſt triumphare?

Reſtat hoc unum, ut legis auctoritatem, qua perperam Iphicrates abuſus eſt, infringamus. O legem bene ac ſapienter inſtitutam, Judices, ut quiſquis pœnam alteri malè intulit, eandem & ipſe viciſſim ferat! Vide, Iphicrate, quàm parum reformidemus momentum legis illius quam intentas. Hoc profitemur tecum ultro dignum eſſe quovis ſupplicio injuſtum accuſatorem; non eludemus auctoritatem illam, quam profers: ſed age cur abuteris in Acoetem illa lege, quæ ipſum non petit? An cadit lex illa in eum hominem, qui injuſtus accuſator non fuit? aut injuſtus accuſator cenſebitur, quem nulla nocendi libido, ſed una publicæ utilitatis ratio ad accuſandum ſtimulavit? Ergo tu proba perverſam in Acoete voluntatem; oſtende ſignum immoderatæ cupiditatis; profer, ſi potes, maledictum aliquod aut calumniam, quam inter accuſandum effuderit. Hæc enim ſunt, Judices, quibus vulgò ſe prodit illa cupiditas, quæ frenum non patitur, neque ſe unquam intra juſtos moderationis limites continet, cùm expatiandi liberiùs locum nacta eſt. Ede, inquam, Iphicrate, repentinum aliquem, qui vel invictis ac repugnantibus excidit, vel odii, vel iracundiæ motum; vel noli reum legis agere, quem lata lex ſpectare non poteſt.

Abſolvo, Judices; & quoniam nihil video deinceps, quod vel miſero parenti, vel ærumnoſæ ſoboli faceſſere negotium poſſit, oro vos atque obteſtor, per æquitatem illam, quæ nemini unquam innocenti in hac civitate defuit, calamitoſæ familiæ partes acriter, ut ſoletis, ſuſcipite. Ne noceat infelici Acoetæ quòd ignobilis ac pauper, quòd ope deſtitutus ac gratia contra nobilem virum, divitem eundem ac gratiſſimum judicio contenderit. Nolite obſtruere aditum plebeis etiam hominibus, ut, ſi bene mereri de Republica poſſint, potentum auctoritate metuque deterreantur. Parcite lætiſſimum hunc diem, quem non tam Iphicratis victoria, quam addicta huic urbi felicitas peperit, innocentium cæde funeſtare. Satis ſit nobis, quòd ereptos infelici fato tres cives optimos requiramus; cavete deſiderium noſtrum novis funeribus cumulare. Tuque, ò Iphicrate, moderare tantiſper dolori tuo: fruere ſinceris lachrymis, quas tuæ calamitati omnes impertimus. Noli injuſto furore perturbare

com-

communem de tuo mœrore luctum: parce abuti pertinaciùs propenſiſſima totius civitatis in te voluntate miſerorum ad perniciem, & aliam tibi, quàm civium noſtrorum in ſanguine, triumphandi materiam apprecare.

CRITICUS JUDEX.

Novum cauſæ genus, & graviſſimis undequaque implicatum difficultatibus veſtris judiciis hodie dirimendum deferimus, æquiſſimi Judices. Hinc enim communis libertatis aſſertor & publicæ vindex ſalutis tergeminæ ſobolis orbitatem luget; quid miſerabilius? Inde peractæ cædis auctor innocens morti ſe devovet, dum Liberos ſuos triſtibus, quæ meruiſſe non poſſunt, fatis eripiat; quid generoſius? Denique civis optimus hoc uno reus nomine, quod patriam nimiùm amaverit, in judicium adducitur, & veſtris ſententiis interimendus proponitur, quid iniquius?

An nullum feret Iphicrates victoriæ præmium nec ſolatium orbitatis? reclamat æquitas, & conſuetudo noſtra prohibet. An adoleſcentes optimi & ab omni ſuſpicione criminis alieni pœnas luent? non cadit in hoc tribunal tam crudele facinus. An infelix Acoetes ſui in patriam amoris fructum hunc feret, ut vel ſortis iniquæ, vel juſti doloris victima concidat? quantum hinc detrimentum Reſpublica noſtra pateretur. Tamen niſi addicatur neci infortunata Acoetæ ſoboles, nec penſari labores ſuos, nec orbitatem ſuam reſarciri poſſe Iphicrates profitetur. Clamat Acoetes jura violari omnia, niſi Liberi ſui ſupplicio, cui ſe ſponte devovet, eximantur. Negat ærumnoſæ familiæ patronus affici eandem poſſe ulla contumelia, quin inde Reſpublica noſtra detrimentum ferat. Quid ſtatuendum putatis, Judices? quis veſtris ſententiis locus relinquitur? Quocumque feratur animus, pares undique anguſtias, par incommodum offendit. Retexamus breviter totius cauſæ ſeriem, Judices, & quoniam mihi omnium primo dicendum eſt, quid ſentiam, liceat ſingula partium momenta diligenter expendere, &, quod quiſque afferat cauſæ firmamentum, perſcrutari.

Imminebat noſtris mœnibus metuendus hoſtis: jam obſeſſa civitas fatalem caſum metuebat, & quanto minùs præviderat hoſtilem impetum, tanto magis impar ad declinandam perniciem ſibi videbatur. In hac rerum perturbatione præficitur defendendæ urbi Iphicrates natalium ſplendore ac divitiarum copia ſpectatiſſimus. Verùm non ita multo poſt urbem deſerit, & nemine conſilii in partem adhibito, hoſtium in caſtra noctu profugit. Rem comperit Acoetes obſcuro natus loco & rerum omnium egentiſſimus: continuò in Senatum advolat, nunciat defeciſſe ad hoſtes Iphicratem, & de parando obſeſſæ urbi præſidio Magiſtratus admonet. Miramur, obſtupeſcimus! Fruſtra quæritur Iphicrates, nuſquam eſt. Hinc creſcit perturbatio, augetur metus, tumultus invaleſcit. Mox impotens furoris populus Iphicratis in domum irrumpit, & raptos inde tres ejus Liberos lapidibus obruit. Redit Iphicrates, parta de hoſte, quem propria manu occiderat, victoria. Luctum pro gaudio, pro triumpho funus multiplex, pro mercede triſtiſſimam orbitatem invenit. Hinc juſtæ in Acoetem querelæ, quem veteribus adductum odiis ad talem ipſi inferendam calumniam defendit. Nempe crederet Populus, tam vecordem, tam oblitum ſui fuiſſe Iphicratem,

ut totius exercitus Imperator electus proderet hoſti patriam, niſi maledicta Acoetes ferret, & ſuis in Iphicratem conviciis populi furias ſtimulaſſet?

Exin approbare vobis niſus eſt facti ſui conſilium, & occultam fugam laudi atque ſolertiæ vertere. Erat in eo ſtatu civitas, dixit Iphicrates, ut niſi fraus doluſque virtuti miſceretur, populi ſalus videretur conclamata. Quanti porro intererat totum hoc, quod meditabatur, arcanum tegi; ne, ſi patuiſſet ſemel, & vincendi perderet opportunitatem, & ſe ſuoſque cives graviſſimum in diſcrimen adduceret.

Mox exhibuit pater miſeræ ſobolis innocentiam, cujus haberi rationem decuiſſet, vel ſi proditæ patriæ moviſſet ipſe ſuſpicionem. Nam cur, inquit, Liberi expertes paterni criminis pœnam luant? Quàm durum eſt ſuaviſſimo vitæ ſolatio patrem privari, dum ſuis civibus ſuæ ipſius vitæ periculo ſalutem & incolumitatem redimit? Vidiſtis lachrymas, audiviſtis gemitus, quibus deploravit orbitatem. Non putat ſanari poſſe plagam, quam amiſſa ſoboles intulit, niſi par Acoetæ ſoboles idem ſupplicium luat. Orat proinde, ut Acoetæ tres filii filiorum ſuorum Manibus immolentur. Legis adjicit auctoritatem, quæ pœnam injuſtam inferentibus parem pœnam rependit.

Neque verò ſobolis in periculo ſegnis Acoetes aut indiſertus fuit. Credit eodem jure eximendos ſupplicio Liberos ſuos, vel ſi nocens ipſe extitiſſet, quo volebat Iphicrates ſuis condonari, ſi patriam hoſti prodidiſſet. Imò, Acoetes adjicit; cur Liberos, quos alienos à paterno ſcelere, ſi quod eſt, Iphicrates non negat, quos neque inſidiarum arguit, neque odiorum incuſat, neque illatæ accuſationis reos criminatur, cur, inquam, Liberos meos neci poſtulet Iphicrates, qui ſuis vel nocentibus, propter ætatis imbecillitatem atque inconſiderantiam indulgeri veniam oportere cenſuiſſet? Injuſta ergo videri debet poſtulatio Iphicratis, iniquus dolor, qui niſi innocentum cæde poteſt mitigari.

At Acoetes ipſe, Judices, quanquam ultro morti ſe devovet, patrocinio non caruit. Non illum, ſi defenſori credimus, vel veteres inimicitiæ, vel nocendi voluntas, cujus nullum in accuſatione veſtigium eſt, ſed unum Reipublicæ ſtudium impulit, ut, quod pertinere ad communem ſalutem videbat, ſtatim admoneret. Nam cur fugæ ſuæ neminem participem fecit Iphicrates? non erat quiſquam in tam numeroſa civitate, cujus fidei conſilium illud crederetur potiùs, quàm in tanta rerum perturbatione proditionis ſuſpicionem credulæ, ut plurimùm, ac meticuloſæ plebi relinqueret? Sin tamen Acoetes puniendus videretur, qui nec deterritus potentiorum metu, nec Iphicratis auctoritate, tantum Reipublicæ ſtudium præ ſe tuliſſet; quis ſubire deinceps vellet tanto ſuo periculo damnoſam accuſandi aleam? quis ignobilis ac pauper nobilium ac divitum flagitia arguere ſuſtineret? Vim autem legis, quam extulit Iphicrates, ſic adverſarius eluſit, ut cùm latam in eos diceret, qui nocendi animo ad accuſandum accedunt, facilè Acoetem abſolveret, à quo tantam abſuiſſe voluntatis perverſitatem demonſtraret.

Expenſis triplicis cauſæ, quam expoſui rationibus expectatis, Judices, ipſe quid ſentiam; paucis declarabo. Eſt hæc fatalis quædam rerum humanarum conditio, ut, cùm in uſu vitæ quotidiano multa contra ſpem ac volun-

lun-

Digitized by Google

luntatem contingere ſoleant, neque præcavere ſingula, neque omnibus mederi incommodis accurata quantumvis diligentia poſſe videatur. Atque ut ab acceſitis longiùs teſtimoniis abſtineam, quàm multiplex in hac, quam agitamus, cauſa rerum inſolentium, quàm improviſa varietas ſe ſe objicit! Utinam, Iphicrate, conſilii tui ratio nobis patuiſſet, utinam licuiſſet præſentire facinoris genus illud, quod tacitus meditabare! Equidem laudare ſatis non poſſumus incredibilem illam animi tui conſtantiam, qua rem tam arduam, tam plenam periculis ſuſcepiſti. Admiramur ſingulare illud patriæ ſtudium, quod te in inveniendo ſagacem, in promovendo prudentem, in exequendo felicem effecit. At in tanto rerum tumultu, qui repentino diſceſſu tuo invaleſcebat, quis fervidum natura ſua & impotentem animi populum coerceret, aut prævideret etiam, quod erat acturus? Non erat is Acoetæ animus, dum Senatum fugæ tuæ admonuit, ut quidquam inde Liberi tui paterentur. Erat ſuccurrendum incommodo, quod abſentia tua pepererat. Fecit vir bonus, quod tu ipſe iiſdem rerum in articulis, pro tuo in patriam ſtudio, feciſſes. Totum hoc fortis iniquæ fuit, quidquid in ſobolem tuam peccatum eſt; neque tam tibi nocuit illa, quàm nobis, dum ſpem Reipublicæ lætiſſimam eripuit. Enimverò, Judices, quantum creſcebant civitatis hujus in decus Adoleſcentes illi, quibus fortiſſimus pater quotidiana virtutum exempla ſufficeret; qui facinoris hodierni ſpectatores didiciſſent, quo patriam loco optimus quiſque civis habere debeat. Gratulare tibi, Iphicrate, quod dolorem tuum Reſpublica doleat, ut ſuum, & ſuam tecum queratur orbitatem. Quanquam, Judices, aliud expectat à nobis Iphicrates præmium; aliam parta per ipſum civitati tranquillitas mercedem vindicat. Neque verò minùs eſſe nos liberales in remunerando decet, quàm ille fortis in vincendo fuit.

Nihil moræ eſt: opta tibi, Iphicrate, quod voles. Opes, gratiam, munera, & ſi quid eſt aliud virtute tua dignius poſtula. At patere unum hoc viciſſim Reſpublica te roget benevolentiæ monimentum, ut veteres oblitus iras, quidquid huc uſque rixatum fuit, obliterari ſinas. Noli funeſtare diem hunc tibi tam glorioſum, patriæ tant utilem, ſeris nepotibus tam prædicandum. Quos tibi repetis ad necem, non ſuſtineres humanitas tua immolari? Illos reputaſti inſontes, dum filios ipſe tuos ab omni injuria vindicabas, vel ſi nocens videri potuiſſes. Habes in Acoete, quem non credimus ullo nocendi ſtudio ad aperiendum, quod noverat, acceſſiſſe, habes, inquam, in Acoete devoventem ultro ſe tibi victimam. Satis tibi ſit jacuiſſe victum hoſtem, ut omnis pugna finem habeat.

Itaque, Judices, ut alamus in unoquoque cive de patria bene merendi ſtudium, ſic ſtaruo, tam Acoeres ipſe, quàm ejuſdem Liberi pœna eximantur. Erigatur Liberis Iphicratis inſigne monumentum, quod devotis publicæ ſaluti victimas apud poſteros commendet. Ipſe Iphicrates ſtet æneus in foro, & fuſus in auro hujus urbis præſes Genius Iphicrati gratulabundus accedat, & meritum caput coronet. Denique ne iniquiore animo orbitatem ferat Iphicrates; eligat ſibi unum aliquem è tribus Acoetæ Liberis, quem adoptet. Ac, ne plebejus homo cùm ſit, illuſtrem in familiam dedecus intuliſſe videatur, hunc Reſpublica adoptet ipſa priùs, & quibuſcumque nobilitatis inſignibus illuſtret.

HE-

HERODES

FILIORUM APUD AUGUSTUM CÆSAREM ACCUSATOR.

CAUSA SEXTA.

In genere Judiciali.

ARGUMENTUM.

Aquilejam Herodes cùm veniſſet, & exoraſſet ab Auguſto Cæſare, ut ſuas adverſum duos è Liberis ſuis querelas vellet cognoſcere; adductos coram Juvenes violatæ majeſtatis pariter ac pietatis, tentatique veneficii accuſavit. Sed cùm rem totam calumniis ſubnixam, & Regem ipſum culpa non carere Auguſtus intellexiſſet; animadvertiſſetque non eos tantùm qui judicio aderant, ſed & Accuſatorem Liberorum defenſione ac lachrymis commoveri; difficilem, pro ſua prudentia, ita diremit controverſiam. Objurgata Juvenum imprudentia, qui parenti dediſſent ſuſpicionum occaſionem, Herodem rogavit, ut ſuſpicari deſineret, & compoſitis utrinque ſimultatibus, Liberis reconciliaretur.

ACTORES.

AUGUSTUS Cæſar.

HERODES Judææ Rex.

ALEXANDER, } Filii Herodis.
ARISTOBULUS, }

HERODIS

in Filios ſuos Oratio.

Vides, Auguſte Cæſar, Regem infortunatum, miſeriorem patrem; cui regnum illud, quo fruitur beneficio tuo, nec dignitatem ac gloriam contulit, nec dulce parentis nomen, quod fors impertiit, affert ſolatium. Adſum paratus ultro

tro deponere, quod cæteri cupidiùs ambiunt; venio funeſtiſſima quæque precaturus illis, quos vel ipſo capitis diſcrimine tueri voluiſſem. Quo quid durius Regi? quid patri calamitoſum magis?

Tamen quid agam, Cæſar, his circumventus æmulis, qui nec regem, nec patrem eſſe patiuntur? Quæ ſpes demum adverſus ingratos ac perduelles Liberos, quod mihi præſidium ſupereſt; niſi apud te Cæſar, qui in tanta univerſi orbis mole, quam unus ſuſtines, nihil arbitraris tam tuum, quàm opitulari miſeris, & afflictos conſolari?

Equidem ſilui jam diù tanti ſceleris conſcius, & naturæ reclamantis, pœnaſque deprecantis vocem patiens audiebam. Siluiſſem etiamnum hodie, & oblitus ultro quodcumque dolebam æquiùs, veteres injurias condonaſſem, niſi ſummum nequitiæ gradum attigiſſent Juvenum impiorum rebellio atque perverſitas, & omnes paternæ charitatis ſenſus obmuteſcere coegiſſent.

Igitur miſerere, Cæſar, luctuoſam infortunati Principis conditionem; nihil te pigeat in partem mei doloris venire, & graves ærumnas, quas patior, pro tua humanitate mitigare. Quanquam, ut mei me pudet, coram invictiſſimo Principe ac confertiſſimo tot illuſtrium virorum cœtu ingratam accuſatoris perſonam ſuſtinere! ut refugit animus ab iis reprehendendis, quos mihi natura, pietas, ratio tam arcto neceſſitudinis vinculo conjunxerunt. Verùm niſi poſtulem quamprimum judiciorum tuorum æquitatem, niſi ſeveritatem legum contra filios degeneres petam adhiberi, aut Herodi miſero cedendum è vivis, aut gravior ipſa morte vita in omne tempus ſuſtinenda. Itaque patere, Cæſar, poni ante oculos tuos deſolatæ familiæ dedecus, & turpem mei ſanguinis ignominiam palam revelari.

Nihil eſt tam debitum parentibus, nihil, quod illi tam legitimo jure ſibi vindicent tanquam ſuum, quàm ut eos quos genuerunt, & acceptæ lucis non immemores, & collocati apud eoſdem beneficii non ingratos experiantur. Nam quis hoc leve nobis invideat laborum noſtrorum ſolatium? quis debitam inſtitutæ liberaliter juventutis mercedem abnuendam putet? Nemo non maledicat ſterili ſemper & infructuoſæ terræ, quæ ſpes ſerentis arantiſque fruſtrata, nihil præter infelices carduos ac ſpinas reddiderit. Et iniquo ferendos animo filios quis non arbitrabitur, qui ruſticitate indolis, & morum aſperitate parentis vota expectationemque fefellerint?

Quanquam incuſem ego memetipſe, & meo me dolore dignum ultro reputem, ſi piam in me parentis ſollicitudinem Liberi deſiderent. Sed agite, vos ipſos teſtes appello, Filii degeneres, patrem arguite, per me licet, ſi quid parcitum unquam paternæ charitati doluiſtis; ſi quid vobis à me defuit, vel divitiarum ad copiam, vel honorum ad ambitionem, vel ſtrenui laboris ad utriuſque felicitatem ex omni parte cumulandam. Quò poterat altiùs aſpirare utriuſque æmulatio, quàm ut alteri ſororis meæ, alteri Regis Archelai filia in uxorem contingeret?

Quid alia perſequar operoſiùs meæ erga vos liberalitatis, benevolentiæ, humanitatis, indulgentiæ monumenta? Noveram præferocem amborum indolem, aſperos rididoſque mores, animum intractabilem. An offenſus ego ſum? an habui vos duriùs? an parentis auctoritas æquitatis cancellos aut manſuetudinis fines exceſſit? Imò, quid tentatum à me non fuit, ut demererer vos mihi, ut inefca-

rem blanditiis, ut beneficiis demulcerem? Quid inexpertum reliqui infelix, quo mitigari poſſet ac placari innata utrique feritas? Tamen quid egi? quid promovi? quem fructum fero tot laborum? quod mihi præmium impenſi tam liberaliter amoris repenſum eſt? Alienavi duros ac feroces animos, non cicuravi; ſtimulavi invidiam, non placavi; inflammavi furorem, non reſtinxi. Pro ſolatio dolorem, contumeliam pro beneficentia, pro amore odium acerbiſſimum ſum expertus.

Piget dicere, Auguſte Cæſar, quàm ingratam, quàm plenam curis gravibus, quàm intolerabilem ex omni parte vitam Liberi perduelles patri reddiderint. Hæccine vita eſt, cum cupidis rixarum, & contentionum amantibus habere ſocietatem? in eorum eſſe contubernio, quibus nihil in oculis niſi torvum, nihil in verbis niſi procax, nihil in tota agendi ratione niſi præpoſterum & amarum ſit? qui Regis majeſtatem, auctoritatem patris aſpernandam arbitrentur? apud quos conſilia, preces, monita, objurgationes, minæ nullum pondus, nullam fidem inveniant? quorum ingenium ita ſit ad perverſitatem pronum, ita pertinax; nihil ut tam ambiant, quàm diſplicere, nihil tam vereri, quam placere, videantur.

Quanquam diſſimulandum id fortè, durum quantumvis & aſperum ſtudioſus & amans judicet pater, ſi privatus foret hic dolor, & publicæ tranquillitati nihil officeret. Verum nec tacitas eſſe inimicitias ſuas patiuntur filii degeneres, nec habent ſatis odiſſe patrem ac perſequi, niſi eoſdem populis ſenſus atque animos inſpirent. Non ſtetit per eos, Cæſar, quin perturbatam ubique regni pacem ac quietem lugeremus: adeo nihil prætermiſerunt illi, quod vocare patrem in invidiam poſſet, & graves in tota Judæa tumultus ac turbas ſuſcitare. Sollicitata palam & apertè populorum fides, tentatæ largitionibus provinciæ, diſſipati rumores mali, qui regnantis nomen ac famam violarent: injecti graves metus, qui perſtantes in obſequio provocarent ad rebellionem. Tædet nimirum ambitioſos Juvenes regnare tandiu ærumnoſum patrem, & queruntur tempus illud eſſe longius, quod regnandi cupiditatem moratur.

Hinc minùs mirum videbitur, quod adjiciam, Cæſar, tam oblitos fuiſſe ſui, tam exuiſſe utrumque naturæ ſenſus omnes, ut parentis vitæ inſidias ſtruerent, &, quem ſpoliare regno non poterant, niſi adimerent ei vitam, eundem de medio tollere cogitarent. Exhorreſcis, Cæſar, ad tam immane facinus, nec tantam cadere poſſe in Liberos meos crudelitatem putas, ut moliri ſimile quidpiam præſumpſerint. Nec ipſe minus obſtupui Rex & pater; nec ægrè minùs adducebar ut crederem, parricidas genuiſſe me Liberos; tam videbar mihi nihil commiſiſſe, propter quod tam impios experirer. Utinam aperire poſſim motus varios, quibus diſtractus contrarias in partes animus adverſum vanos metus, & injurioſas, ut rebar, ſuſpiciones diu multumque luctatus eſt. Incuſavi me non ſemel, qui præbuiſſem aures accuſantibus: arguebam piam eorum ſollicitudinem, qui referebant vera, deſpiciebam varios rumores, qui juvenum famam perſtringerent: neque tam verebar ſubire capitis periculum, quàm filios Parricidii reos ſuſpicari. At patuerunt tandem doli, retectæ fraudes, nefaria conjurationis impiæ conſilia in apertum prodierunt. Felix Herodes & in ſua calamitate fortunatus, qui fidos magis & amantiores ſui

dome-

domeſticos, quàm filios habuerit!

Poteram ulciſci ſtatim manifeſtum ſcelus, poteram, oppreſſis nefandæ machinationis auctoribus, ablegare longiùs ſollicitudinem omnem ac metum, & quod humanæ divinæque leges plectendi facinoris jus permitterent, id mihi Rex & Pater vindicare. Abſtinui tamen, Cæſar, & nimiæ vel credulitatis, vel ſævitiæ veritus ſuſpicionem, malui tuum ad Tribunal perduelles filios judicari. Tuum eſt, Auguſte Princeps, pro æquitate tua impenſiùs conſulere, ne perfidis Juvenibus impune ſit, perturbaſſe Regis ac patris tranquillitatem; & ejuſdem regno ac vitæ inſidias poſuiſſe. Agitur publicæ utilitatis ratio, ſecuritas Principum, parentum ſalus; quibus ſi non liceat tutos eſſe à Liberorum inſidiis, perpetuo in metu vivendum ſit, & quotidianum ab unoquoque capitis diſcrimen ſubeundum.

ALEXANDER

Filius Herodis natu Major.

Quam luctuoſo infortunatorum Liberorum fato fieri dicam, Auguſte Cæſar, ut cùm de noſtra ſorte poſſimus queri multo æquiùs, quàm patri expoſtulare de ſua liceat; nobis tamen in præſenti rerum noſtrarum diſcrimine poſitis, nec loquendi, nec ſilendi libera facultas relicta ſit. Enimverò, ſi tacemus, illatæ accuſationis rei videbimur, dignique ſuppliciis omnibus, quæ perfidiæ ac parricidii crimen meruit; ſi loquimur & innocentiæ noſtræ conſcii inuſtam labem diluimus, id facere non poſſumus, quin turpem aut malevolentiæ, aut nimiæ credulitatis notam patri accerſamus. Igitur quid agam? quid conſilii capiam? Infelices nos, quibus innocentes eſſe non prodeſt! Infeliciores quibus purgare inflictum ſcelus non detur, niſi ſceleris alterius probrum incurramus.

Tamen jubes nos loqui, Cæſar; nec æquitatis putas tuæ, reos indicta cauſa damnare. Utinam perorare apud te ſic poſſim, ut, quæcumque pro noſtra defenſione dicturus ſum, ea nec diſpliceant patri, nec ullam criminis ſuſpicionem nobis adhæreſcere patiantur.

Non ſumus nos, Auguſte Cæſar, tam parum memores paternæ charitatis, ut, quæ commemoravit parens optimus collata in utrumque beneficia, ea vel inficiari, vel elevare verbis meditemur. Fatemur ultro nihil parcitum fuiſſe piæ ipſius in ambos ſollicitudini, dignos ut ſe filios inſtitueret, & tam ſtudioſos haberet æmulatores virtutis ſuæ, quàm cupidum ipſi & amantem ſobolis patrem perſenſiſſent. Imò vicit expectationem noſtram parentis optimi benignitas, & impenſiùs affatim amor meriti rationem omnem votorumque modum exceſſit. Atque utinam grati animi memoriam liceret vel ſanguine ipſo conſignare! intelligeret parens, quàm procul abſit à Liberis ſuſpicio mala, nedum accuſationis probrum infligeret.

Nam cur accuſamur ab ipſo tam acerbè? vel quid miſeri commiſimus, propter quod accuſationis invidiam pateremur? ſcilicet dociles minus ac minus obſequentes extitimus? hoc enim primum objecit pater, primum hoc criminationis caput fuit. Verùm ecquando, vel quibus demum in rebus videri potuimus rebelles ac contumaces? Quàm durum eſt, Cæſar, declinari à nobis non poſſe ſceleris ejuſmodi ſuſpicionem, niſi cum aliquo diſpendio paternæ ſinceritatis & æquitatis! Eſt enim hoc accuſationis genus, ut ſtare non poſſit, niſi pater

nega-

negatum: ſibi fuiſſe probet obſequium; niſi rem, tempus & locum, in quibus agnovit contumaciam, deſignarit. Ecquod porro, Auguſte Cæſar, dum rebellionis crimen exprobraret acerbiùs, vel violati imperii, vel contemptæ majeſtatis, vel legis uſquam infractæ deprehendiſti veſtigium? An æquum eſt cenſeri nos rebellionis reos, ubi neque dictum, neque factum quidquam affertur, quod vel ipſam rebellionis umbram præ ſe ferat?

Sed parentis vitæ ac motibus obtrectavimus? Hoc alterum criminis caput, quod infert parens, grave penitus, & quavis pœna expiandum, ſi tam certò revinci poſſit, quàm facilè jactatur! Quanquam affirmat pater, & rem compertam probè defendit. Reverendum quidem nobis patris teſtimonium, fateor, neque temere inficiandum. Tamen an non potuit illudi credulus plus æquo pater, & falſis circumveniri rumoribus? Noſti, Cæſar, quàm multis Principum virorum aula obnoxia ſit hominibus malevolis, qui vel corrupti largitionibus, vel ſpe ineundæ gratiæ, vel ipſo nocendi ſtudio impulſi iniquos paſſim ſermones ferunt, & obvias aures maledictis implent atque onerant, quos tacitus livor urget, & æmulatio prava ſtimulat; quibus hoc uno nomine inviſa ſolet eſſe probitas atque innocentia, quòd nullum habent ipſi cum probitate atque innocentia commercium. Quàm miſerum eſt cum ejuſmodi geniis conflictari, quibus nec placere ſine crimine, nec ſine periculo diſplicere poſſis! Atque utinam, Cæſar patris ab aula genus iſtud hominum procul exulaſſet! non hodie vel mutatum doleremus ipſius animum, vel duram purgandæ criminationis neceſſitatem ſuſtineremus.

Venio ad aliud accuſationis genus, cui triſtis amborum indoles, aut etiam moroſa, ſi creditur, patri locum dedit. Tuam fidem appello, Cæſar; ex quo vertitur crimini, quod naturæ vitium eſt, non voluntatis? Sed eſto: voluntarius ſit ille mœror qui patrem offendit: an culpandus continuò, quem juſſit pietas, elicuit natura, amantiſſimæ parentis orbitas procreavit? Ergo ſublatam luctuoſo fato matrem optimam piis proſequi lachrymis non licebat; dum ereptam ſibi Reginam mœreret populus, afflictaretur aula, univerſi regni ordines extinctam quererentur? dum parens ipſe converſis in melius animis nocentem abſolveret, deſideraret amiſſam, & quovis pretio redonati vitæ voluiſſet?

Tamen damnetur tam juſtus filiorum dolor pariter & amor, plectatur etiam pœnis gravioribus, ſi modum exceſſit, ſi erupit in querelas, ſi probris non pepercit, ſi peractæ cædis auctores aut incuſavit, aut damnavit. Piget, Auguſte Cæſar, hæc operoſiùs confutare, quæ probari nequeant, nec, ſi probentur, rationem criminis habere poſſint.

Reſtat ultimum idemque graviſſimum accuſationis caput, quod ab affectato regno paratiſque parentis vitæ inſidiis jactatum eſt: cujus ſuſpicio vel levis ſi cadere in nos poſſit, hoc uno ſatis nocentes nomine, fruſtra cæteris in criminibus diluendis felices fortunatique videamur. Nam quis hoc ſuſtineat fuiſſe Liberos tam degeneres, ut parentis vitæ, vel regno funeſtum moliri quidpiam præſumpſerint? Idipſum verò quanto teterius ac crudelius eſt, tanto miſeriores nos puta, Auguſte Cæſar, quibus in amovenda tam horribili criminatione laborandum ſit. Tamen in iſta rerum noſtrarum

con-

conditione miſerabili, recreat nos hæc conſcientia non mediocriter, quòd æquiſſimum eundemque perſpicaciſſimum Judicem habeamus, apud quem non inveniant fidem maledicta ejuſmodi, niſi certis argumentis atque teſtimoniis revincantur.

Ergo proferantur argumenta inſidiarum; adducantur teſtes vel participes nefandæ conjurationis; prodeant deſignati cruentæ cædis artifices ac miniſtri; recitentur literæ; appellentur ſollicitati ad defectionem populi; probentur habita de flagitio tam immani cum externis colloquia; adſint quotquot ſunt fidei atque innocentiæ noſtræ obtrectatores, & palam arguere non dubitent, quos clam incuſare non erubuerunt. Vides, Auguſte Cæſar, quàm parum reformident judiciorum aleam, quos nulla ſceleris conſcientia ſtimulat ac remordet.

Sed fruſtra provocantur à nobis inſtructæ fraudis arthitecti. Timidum eſt natura ſua genus iſtud hominum, lucem refugit, & accommodatas machinandis dolis tenebras multo lubentiùs ſectatur. Quanquam ò ſtructam malè calumniæ nequioris fabricam! Egregiam enimvero regni capeſſendi viam, quod parricidio partum videri poſſit! ſcilicet æquis ferrent animis populi ſibi parricidas imperare? non exturbarent ſolio, quos maculatos paterno ſanguine conſpicerent? parcerent Liberorum vitæ, qui paternam tollere non pertimuiſſent? ſed quid populos moror? Tu, Cæſar, tutor ac vindex æquitatis, videres lentus ac ſegnis Liberos parentis cæde conſtupratos? Non vindicares illatam verendæ majeſtati injuriam? non abeſſes ultor tam deteſtabilis facinoris? non evocares reos tuum ad tribunal? non exterminares duo naturæ monſtra ac portenta? nobis regnare, aut etiam vivere, Cæſare incolumi, liceret?

Tamen ſi tam inconſultos nos credis, ut hanc moliri ad regnum viam cogitaverimus; ſi tam malos, ut tinctum patrio ſanguine ſolium placere potuerit; dicta cauſa eſt, Cæſar: plecte ſontes, ut merentur, & quovis ſupplicio perime. Sin utrumque pro tua perſpicacia & æquitate tam injuſta ſuſpicione eximis; oramus atque obteſtamur, ut hunc errorem pariter ex animo parentis evellas; ut eundem Liberis placare ac reconciliare non graveris; quo offenſo vel irato, nec regnum expetendum, nec ipſa tolerabilis vita videri poſſit.

ARISTOBULUS

Filius Herodis natu minor.

Vocaſti nos Cæſaris ad tribunal, Pater colendiſſime, accuſaſti apud eumdem læſæ majeſtatis, ac pietatis violatæ reos. Expectas ut communem in cauſam dicam aliquid, & quam frater non fruſtra imploraſſe viſus eſt optimi Principis æquitatem, hanc ipſe pari ſtudio interpellare aggrediar. Mihi certè quanquam nihil eſſet ambiendum magis, quàm apud eum judicem dicere, quem nemo ſceleris purus atque integer tutorem ac patronum non ſenſit, cujus in retegendis ſimulationum involucris perſpicaciam nemo non expertus eſt, tamen ignoſces, uti confido, Cæſar; ſi nullum optem alium ab ipſo patre hodiernæ contentionis arbitrum, nullius judicio malim, quàm ipſius ſententiis abſolvi.

Nam quem in tanto rerum noſtrarum diſcrimine confidentiùs adeam, quàm te, Pater, qui amantiſſimum te noſtri exhibes, dum utrumque acriùs inſectaris? qui injurioſas de nobis ſuſpiciones cupis deponere,

dum

dum eaſdem confirmare vehementiùs affectas ? Nempe, quibus parcitum voluiſti, cùm perdere nos potuiſſes, ſontes unquam credideris ? aut ſtatueris Liberis carere, quos ad Cæſaris tribunal adduxiſti ? Quanto æquius putem, quæſito longiùs judicio, nihil te ambiiſſe aliud, niſi ut apertæ defenſionis liberiorem locum ſufficeres; &, quod præſtare per te unum ſatis commodè non poteras, id per alium efficaciùs perficeres. Conſuluit parens optimus Liberorum famæ, &, quos omni ſuſpicione ſceleris eximere cogitabat, eos voluit publica & inficianda nemini ſententia inſontes pronunciari. Quos unus abſolviſſet pater, non purgaſſet penitus illatæ accuſationis opprobrio; & ipſe veritus, ne paterna charitas illuſiſſe judicem videretur, maluit apud alienum tribunal, quos innocenſes noverat, ab omni culpa vindicare.

Nam quid aliud de te ſentire nos doceat ? Tu Liberos crederes eò veniſſe feritatis & amentiæ, ut parentis vel regno, vel vitæ inſidiarentur ? Tibi vel levis tàm deteſtandi parricidii ſuſpicio incidiſſet ? illos cenſeres tuo procreatos ex ſanguine, quos vel ipſa tanti ſceleris umbra non perculiſſet? filios Herodes agnoſceret, qui parricidæ nomen ac ſenſus non exhorruiſſent ? ille ſui tam diſſimiles, tam alienos à moribus, tam averſos ab indole educaſſet ? Non credis, Pater; aliud cogitas; aliud dedimus obſequii, reverentiæ & amoris ſpecimen. Sed quid ego hæc ? quid immoror in amovenda illius flagitii labe, cui ratio, natura, ſanguis reclamant ? Conſule temetipſum potiùs, ni grave eſt, Pater; ſcrutare ſenſus intimos, ſecretiſſimas expende cogitationes, indolem, mores, vitam ipſe tuam attende; atque hinc conjice, qualem de Liberis ſententiam feras. Rarum eſt, & monſtro ſimile quidpiam, ut inertes fortibus, juſtis ſceleſti, parricidæ pietatis amantibus ortum debeant.

Tamen niſi liberos ſceleris expertes credis, niſi parricidii labem inficiantibus fidem habes, niſi ſuſcipis ipſe eorum defenſionem atque patrocinium, quos iniqua criminantium malevolentia premit ac funeſtat; age, quid moraris ? quin damnas reos, qui tibi innocentes videri non poſſunt ? Nihil eſt, quod alienum quæras arbitrum ac judicem. Nequeunt apud aliud quodvis tribunal abſolvi, quos apud te damnaveris: hoc ipſo nocentes ſatis ambo videbimur, ſi noſtram tibi approbare innocentiam non contingat. Plecte ergo utrumque pro arbitrio, Pater: ſume pœnas à nobis, quas voles, ſi flecti non placet: ſtatue ſupplicii genus quantumvis durum & aſperum; nihil deprecamur, nihil querimur, non provocamus alium ad judicem, neque tam miſerum cenſemus mori, ſi placari Pater alia ratione non valeat.

Quanquam quid loquor, aut me quis metus, & iniquus error illudit ? Ignoſce parens optime, ſi tam præpoſtera de te ſuſpicio incidit. Ignoravi parentis animum, quem Liberis implacabilem crediderim. Aliud ſentire de te nos jubes: vultus ille tuus qui jam mutari nobis in melius incipit, oculi illi quibus utrumque benigniùs reſpicis, & qui erumpentes lachrymas vix retinent, diffidentiam noſtram arguunt & novam fiduciam inſpirant. Non tibi liberum eſt, iratus quantumvis videri velis, ut tuam in filios charitatem longiùs diſſimules. En amor ſopitus malè renaſcitur, & impatiens ſe prodit. Patere cauſam ut agat paternus ille amor apud te noſtram;

ſtram; id exoret ipſe meliùs, quod oratio noſtra, quod ſinceri gemitus, quod aſſequi lachrymæ non præſumant. Sit ille nobis unus inſtar omnium patronus; ſi modò faciles aures oranti commodabis, diſcutiet brevi quaſcumque ſuſpicionum nubeculas, quas iniquior aura contraxit; tempeſtates abiget, & priſtinam mentis ſinceritatem meliore fato revocabit. Perſuadebit ille, quàm fruſtra metuendum tibi putes ab iis, quibus parentis ſecuritas pretio quolibet ſit potior; qui ſalutem tuam atque incolumitatem ſuo ipſorum ſanguine bene redemptam arbitrentur.

Sic erit, pater amantiſſime; & quam tu cumque in Liberos ſententiam feras, quidquid ſtatuere de nobis placuerit, nunquam ab amando patre temperabimus. Auferre nobis vitam quis poteſt, amorem nullus unquam auferet? Vivet ille ſuperſtes extinctis corporibus, ac ſi viventibus benevolentiam patris mereri non poſſit, deſiderium ejuſdem ſepultis vindicabit.

AUGUSTUS CÆSAR.

Magnum eſt illud, quod infertur hodie vobis accuſationis genus, Adoleſcentes chariſſimi. Quantum eſt enim Regis ac patris violaſſe majeſtatem! Ejuſdem regnum vitamque attentaſſe, quanto quid majus debet videri! Utrumque ſi tam verum evincitur facinus, quàm jactatur conſtanter, quæ poſſit eſſe tanto crimini pœna par; vel quem detrectent illi ſupplicii gradum, qui tale flagitium admiſerint?

Ego certè, qui poſtulor in hac cauſa Judex æquitatis, & læſæ majeſtatis pariter ac pietatis vindex interpellor, quo debeo eſſe in ambos animo? quis patrocinio aut etiam miſericordiæ locus relinquitur? Equidem veſtra hæc ætas, nobilitas generis, indoles utriuſque, quam ſuſpicor bonam, & veſtro dignam ſanguine, totum me vobis vindicant; & defenſoris partes tueri ſuadent, non judicis.

At qui poſſum, quantumvis ambiam indulgere propenſiſſimæ meæ in utrumque voluntati, niſi accuſationis illatæ probrum ac dedecus penitus eluitis; niſi veſtram mihi, iiſque omnibus quotquot hìc adſunt, innocentiam approbatis? Idipſum verò neuter ſic aſſecutus dicendo videatur ſibi, ſuſpicionem omnem ut amoverit. Non eſt in promptu declinare accuſationis odium, dum accuſatoris invidiam Rex non refugit, dum perſonam eandem pater, reclamante natura, non invitus ſuſtinet. Nempe Regem arguere falſi quis audeat? Quis inſitam parentum animis charitatem deſideret in patre?

Utinam enimvero deſcendiſſet huc accuſator aliquis, & reverendus minùs & minùs arcto ſanguinis vinculo vobis conjunctus, cujus ſuſpicari fidem liceat; in quo nocendi animum fas ſit incuſare! Quàm lubenter accuſationis vim ac momentum in accuſantis malevolentiam derivarem! Verùm quos nocentes profitetur Rex & pater, quis eoſdem liberet ſuſpicione criminis; quis patrocinari miſeris velit, quibus ſublata ratio ſalutis omnis ac conclamata videri poſſit?

Tamen diſſimulare non velim, chariſſimi Juvenes, quod ſenſi, dum ſuam uterque veſtrum cauſam ageret; neque offendetur, uti confido, vel regis, vel parentis animus, ſi profitear palam, quod ipſe iratus licet & implacatus ultor viſus eſt pariter perſentire. Placuit in vobis nativa quædam experſque fuci ſimplicitas, & ingenuus in dicendo candor, qui fraudis malæ partus eſſe non poteſt. Spirabat Oratio veſtra neſcio quid, quod latentes abſtruſi cordis ſinus recluderet: erat modeſtus in vultu pudor, quem conſcia mens non admittat in ſocietatem. Vidi profluentes uber-

Digitized by Google

ubertim lachrymas, quas amor eliciebat, non extorquebat metus. Interim mirabar ego tacitus, quo pacto nocentes eſſent illi, qui toti ad innocentiam compoſiti viderentur. Nam etſi perſonata plerumque incedit improbitas, & ad æmulandam virtutis imaginem eſt ingenioſa magis, quàm par eſſet; tamen frons, oculi, ſupercilium, vultus denique totus mentis ſermo quidam tacitus, ac fidus interpres haberi ſolet, qui fallit rarò, nec in errorem inducit. Neſcit fallacia veritatis perſonam longum tueri; ſe prodit ipſa, & vel invitis ac repugnantibus obmurmurat.

Quiſquis malus eſt, ſentit conſcientiæ ſtimulos, qui reum arguunt; reformidat aſpectum Judicis, non conſtat ſibi, dicendo perturbatur, & fruſtra confidentiam affectat, quam non habet. Id porro, quod mihi non eſt integrum non profiteri veſtram in gratiam, nolite ſic gratulari vobis, Adoleſcentes, quaſi hæc oratio mea vos abſolveret. Culpa vacare Liberi non poſſunt; quos reprehendit pater; & hoc nocentes ſatis debent videri, qui patris ad tribunal damnantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc divinæ leges humanæque poſtulant, ita Liberos vivere, ut ſuſpicionis vel umbram parentibus adimant. Sanctum eſt ſcilicet parentis nomen, nec ſine gravi Liberorum flagitio offenſionem patitur. Ergo noxa quis vos eximat, qui patri expoſtulandi de vobis occaſionem dederitis.

Unum reſtat jam vobis in parentis clementia præſidium, Adoleſcentes optimi. Illius eſt reos abſolvere, qui ſumendi pœnas jus habet. Ego, quod facere poſſum, & quod ultro volenſque præſtandum mihi vindico, viam ſterno vobis ad parentis gratiam, &, quam indulſiſſe me non pigeret, veniæ vobis deprecator accedo. Neque vero preces meas Herodes fruſtrabitur, aut quam ſuſcitavit ipſe, fiduciam illudet. Non is eſt, mihi credite, qui exorari non velit, & injurias veteres non condonet lubentiùs, quàm vindictam exigat. Imò nihil cupidiùs ambiat pater optimus, quàm ut perſuadere ſibi poſſit, inſontes eſſe, quos nocentes putabat, &, qui nihil dolebat gravius, quàm indignos ſe Liberos genuiſſe, patrocinantem vobis naturam multo æquiùs audiet, quàm iniquis de utroque rumoribus credidit.

Senſi enimverò totum parentis animum, dum ſuam ambo communi ſtudio cauſam dicerent; non temperavit ſibi quin commoveretur filiorum ad vocem: adgemuit mutuò gementibus, ſuamque in ipſo vultu perturbationem prodidit. Vidi & teſtes amoris non inficiandos fletus uberes, qui vel invito erumperent; juberentque judicem deponere, ut indueret patrem. Ponite in lucro tam feliciter affectam parentis optimi voluntatem, Juvenes chariſſimi; procumbite ſuppliciter ad pedes, amica prenſate genua, &, quam doletis tam graviter amiſiſſe gratiam, certate pietate veſtra promereri..... * .....

Quàm augurabar verè, Adoleſcentes optimi, non ægrè inflectendum patrem, vobis ut ignoſceret, & offenſionis cauſas omnes obliterari pateretur. Felices ambo tam facilem, tam benevolum nacti Regem & patrem! Felicior parens, qui, depoſitis deinceps ſimultatibus, Liberorum in fide & amore tutò conquieſcat! feliciſſimum me me tam operoſæ contentionis judicem & arbitrum, cui diſſidentium litem componere ex voto licuit! Plaudite mihi vobiſque, Adoleſcentes optimi, fovete omni ope atque officio reſtitutam in inclyta piaque domo concordiam ac pacem, & receptam demum tam fortunato exitu parentis benevolentiam conſpirantibus ſtudiis atque animis retinete.

* Hic dum procumbunt ambo parentis ad pedes, Herodes filium utrumque amplectitur, ipſiſque reconciliatur.

NEMO SORTE SUA CONTENTUS.

CAUSA SEPTIMA.

In Genere Deliberativo.

ARGUMENTUM.

Civis quidam moriens unum è Conſanguineis quatuor diverſum vivendi genus ſecutis heredem inſtituerat, qui infeliciſſimus omnium judicaretur. Hinc orta inter Conſanguineos de adeunda hereditate controverſia.

ACTORES.

POLEMON, Miles.

EUPOLUS, Mercator.

PRODICUS, Cauſidicus.

PHILOMATHUS, Puer Grammaticus.

DICASTUS, Cauſæ cognitor & Judex.

POLEMON, *Miles*.

ITa ſum ad hoc ætatis & natura & arte inſtitutus, Judices; ut nihil unquam præclarius exiſtimaverim, quàm pro patria & publica utilitate duros quoſque labores, vel cum vitæ periculo tolerare. Arma, ſudorem, pulverem ſupellectili, munditiis & conviviis ſemper ante habui. Non venio fortis aſperitatem deprecaturus; non militiam gravem conqueror aut infructuoſam. Paucis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari, levia ſunt hæc patriam amanti. Vulnera, dura hyems, exercitæ æſtatés, bellum atrox, aut pax ſterilis, deſidia & otio molliore mihi jucundiora ſemper fuerunt; neque hæc operoſiùs commemoranda jam arbitrarer, aut pro innumeris laboribus ac ærumnis mercedem ullam à vobis poſtularem, niſi debitam mihi, & eo tantùm nomine adeundam hereditatem conſanguinei mei denegarent.

Utinam, Judices, opes illæ, de quibus capeſsendis inter nos hodie certatur, rei bene ac feliciter pro pa-

Digitized by Google

tria vel geſtæ, vel gerendæ præmium proponerentur! Haberem in rectè factorum conſcientia, & veſtris omnium de me judiciis certam & inficiandam nemini hereditatis repetendæ rationem; aut, ſi deeſſe nobis quidpiam ad veram germanamque laudem videri poſſet, mercedem illam novo Jure novaque gloria, & me ipſum & pattiam celebrando promererer. Hoſtem ferire, agitare præſidia, nihil metuere præter turpem famam; humi quieſcere, eodem tempore & inopiam & laborem perferre à pueritia edoctus ſum, & patiens operis ac diſciplinæ animus, eo deinceps generoſiùs raperetur ad ea quæ magna ſunt, quòd immitia quæque toleravit. Quæ cæteri formidare ſolent, iis adeundis ac ſuſtinendis aſſuevimus. Nihil nobis videtur arduum quibus ſæpe neceſſitas in loco, ſpes in virtute, ſalus in victoria fuit. At quoniam conſanguineo noſtro morienti fuit is animus, ut bonorum ſuorum heredem inſtituerer eum, qui in eo, quod ſecutus eſſet, vivendi genere, infeliciſſimus omnium judicaretur; liceat mihi, Judices, hodie primùm, gravem militiam queri, & quas amore laudis, charitate patriæ, veſtræ ſalutis ſtudio contemnendas putavi, conditionis noſtræ calamitates & ærumnas in apertum proferre.

Agite, quæ vita illa eſt, quam ducimus, infortunati Milites, ſi tamen appellanda vita eſt illa, quæ letho propior, quàm vitæ, continuos mortis metus adjunctos habet? Quanquam mori non uſque adeo miſerum eſt, at morte ipſa vita gravior, quæ tam luctuoſis caſibus referta ſit. Quot terra marique ſubeunda nobis pericula? Inter hoſtes, pugnas, ſtrages, incendia, cædes, & perpetuam cruentæ mortis imaginem verſamur. Interim victus tenuis, veſtitus aſper, rarus ſomnus, frequentes vigiliæ, humi cubitus. Jam belli quis tandem fructus eſt? Hic tibi turpatas cicatricibus genas offert, iſte truncatas nares, ille effoſos oculos, alter amputata brachia, alter confractis vel etiam exciſis pedibus, veſtigiis incedit non ſuis. Hi ſunt militares ludi, hæc laboris merces, hoc impenſi ſanguinis præmium miſeris rependitur.

Quod ſi noſtrum quibuſdam iniqua Mattis alea pepercerit; ſi tot laboribus ac periculis ſuperſtites beata pacis tempora nacti fuerint; quiete illis quidem fruuntur, ſed illa tam inope, tam moleſta, ut pacis gaudia corrumpat. Novum quippe bellandi genus offertur, in quo arma noſtra inutilia ſunt, adverſus famem, quæ acriùs, quàm hoſtis, urget, quæ haurit vitalia, præcordia carpit, artus depaſcitur, condit oculos, vocem elidit, animum peredit ipſum & extinguit. Quàm durum eſt, Judices, quotidie mortem optare, & vitam rogare! precariam certè vitam vivimus inter creditores, qui nobis inſtant, carcerem minantur, beneficia exprobrant, eo magis metuendi, quòd nihil metuant præſidio legum armati: qui ſoluti armorum metu milites deſpiciunt, quos ſæviente bello venerabantur: qui mutato tempore mutati pariter laceſſunt jurgiis, & contumeliis onerant, quos ſupplicibus votis ac precibus paulò ante proſequebantur. Sic proſtratis fugatiſque patriæ hoſtibus, hoſtes patria nutrit, quorum tanto intolerabilior inimicitia, quanto minùs ad eam demulcendam præſidii relinquitur.

Scilicet æs alienum contraximus: hoc belli uſus conſumpſit; &, quod temporis neceſſitas obtulerat, id avaritia repoſcit implacata ſemper & inexorabilis. Hinc aſpera nobis cuncta,

cta,

cta, Judices; domi inopia, foris æs alienum. Nihil præter miseram animam reliqui habemus, ſine gratia, ſine auctoritate iis obnoxii, quibus, ſi valeret hoſtis, formidini eſſemus. Quòd ſi melioris fortunæ ſpes affulgeat, quæ levare ærumnas noſtras, & miſerias conſolari poſſe videatur, adverſos experimur ipſos conſanguineos, quos non tam rerum ſuarum neceſſitas, quàm habendi cupiditas inſatiata exſtimulat; qui dediſcere videntur conditionis ſuæ commoda, ut miſeros ſe fingant & infortunatos.

Nam quid Mercaturæ incommoda nobis obtendat conſanguineus ille noſter tranquillitatis & abundantiæ ſuæ faſtidioſus? Obſcuriorem vitam degit? at ſecuram & quæſtuoſam. Auſtrum metuit commiſſas pelago merces jactantem? at procellis luctantibus navis erepta breves moleſtias conſolatur. Illa vim maris aut prædonum furorem experta ſpes lætiſſimas interdum fruſtratur. At hæc orientis onuſta ſpoliis & patriis finibus reddit feliciter jacturam levem abundè compenſat. Non ille certè pulveris unquam patiens atque ſolis, ſed in umbra atque in otio, domeſticos intra penates placidiſſimum ævum exigit.

Et ille, credo, ſtrepitum fori, litigantium tricas, & ſuam in cognoſcendis aut agendis cauſis aſſiduitatem jactabit, hominum, ſi Superis placet, infortunatiſſimus. At quanti eſt, Judices, tutorem legum ac defenſorem audire? eſſe unum aliquem ex beatis illis hominibus, quorum ex arbitrio controverſiæ civium dirimantur; quid de capite fortuniſque Procerum ipſorum ſummo jure pronuncient, quorum patrocinium nemo non ambiat, favorem & gratiam non aucupetur, benevolentiam quovis pretio redimendam non putet?

Parco, Judices, operoſiùs dicere de puero, cujus hæc ſumma felicitas, ut nec miſeriam ſentire poſſit, nulla ſpe, nullo timore, perturbatus. Exulant ab hac ætate ſollicitudines, curæ, anxietates. Securi omnes, quanti cæteros homines cupiditatum æſtus exagitent, hoc pueri provident unum, ut ætatis flore, dum licet, perfruantur. Inſpicite, quæſo quemvis ex illis, quidquam ne videtur in fronte, in oculis, in vultu, quod mœrorem ſapiat, aut potiùs incredibilem quandam animi lætitiam ac tranquillitatem non ſpiret? Sed quid ego vos moror? Date mihi quemquam tam florentem, tam beatum, tam rebus geſtis vel honorum gradu præſtantem, qui ſuam cum hac ætate ſortem commutare non velit.

Audiſtis, Judices, quæ mea fuerit vita, cui requies in labore fuit, in miſeria curiſque ſolatium. Nunc attendite, quæ mea in his rerum adjunctis conditio ſit; cujus ingraveſcens jam ætas & omni præſidio deſtituta, in una modicæ hæreditatis expectatione conquieſcat. Nolite, quæſo, Judices, defraudare me ſubſidio tam levi; neque committite, ut, quod mihi cumque lucis exigendum ſupereſt, id vulnere veſtro maturiùs, quàm ſuo fato extinguatur. Innumeris pro patria defunctus laboribus ac periculis, penes vos erit, Judices, ut, aut ingratam vitam deferam, aut quod exigendum vitæ ſupereſt, ante acti temporis moleſtias quoquo modo conſoletur.

EUPOLUS,

Mercator.

Si mentitas falſaſque ſortis ſuæ moleſtias ficta & inutili querimonia perſequi ſatis habuiſſet injuſtus Polemon, neque noſtros omnium labores ac duram præſertim Mercatorum conditionem deſpexiſſet, tuliſſem æquiùs, Judices, & de Militia vel iniquius expoſtulantem ſuſtinuiſſem. Verùm quis ferat inſultantem alienæ calamitati? quis unicum miſeriæ noſtræ ſolatium, juſtos legitimoſque gemitus invideri nobis patiatur?

Sed age porro, quid quereris? quid luges? quid deſideras? quid tibi tam durum, tam acerbum, tam luctuoſum Militia contulit? Hominem inſpicite, Judices, & à capite ad calcem diligenter conſiderate. Video nitidas ac florentes genas, tenſam probè & ſucco pinguiore refertam cutem; quam nec ſolis æſtus, nec pulvis decolor obſcuravit. Nulla cicatrix in vultu, quæ decorem frontis, vel oris ſpeciem & elegantiam deturpet, nihil vel reciſum in brachiis vel offenſum objicitur. Canora vox, latera firma, robuſtæ vires ac vegetæ nondum infractam laboribus bellicis valetudinem arguunt. Stat corpus bellè ſuis pedibus, niſi fortè ſub craſſiori mole identidem fatiſcant. Hicine belli fructus, quos tam miſeros depingis? Tam ſanos remittit Militia, tam vividos, tam valentes?

Quanquam demus hoc tibi: moleſtias habeat ſuas iſthæc armorum conditio, quam profiteris: patiatur interdum nonnihil difficultatis, dum fervet bellum acriùs, & metuendus hoſtis imminet. At itane deſpicienda merces illa eſt, quam milites ferunt, rei fortiter geſtæ gloria? Parumne labores quoſcumque conſolantur fuſi hoſtes, defenſa patriæ libertas, parta victoriarum monumenta? Vel ſi qua nonnunquam ferre vulnera contigerit; quis vel hoc pretio bene redemptam nominis immortalitatem non putet?

Nobis verò miſeris Mercatoribus, Judices, nihil objicitur ejuſmodi, quod dolores noſtros mitiget, aut in rerum noſtrarum anguſtiis ſolatio ſit. Nam cùm vitam ducimus aſperam prorſus & acerbam, tum eandem obſcuram & ignobilem, quod ne inficiari quidem miles viſus eſt, toleramus. Neque verò leviſſimas inter noſtræ ſortis miſerias numerandum illud accedit, quòd Mercatorum impenſis & ſumptibus belluli iſti homines ac polituli ſe ſe efferunt inſolentiùs, & plumis ornati non ſuis oculos inani fuco perſtringunt. Nempe, quod ſtultè comparſimus defraudantes genium, illi abſumunt impune. Nobis interim ſolvenda verſura eſt, &, dum creditores urgent iniquiùs, vaſa nobis quamprimum non ſine gravi vel vitæ, vel ſaltem famæ periculo colligenda.

Jam in Mercatura facienda, quis eſſe pacis modus ac quietis poſſit? quod tempus anxietate vacuum ac miſeriarum expers liceat expectare? ſi belli metus ingruat, ſi fervere cœperit armorum furor, quanto rerum noſtrarum in periculo verſamur! Quis opes fortunaſque noſtras, qualeſcumque ſunt, ſalvas præſtet & incolumes, cùm illæ vulgò poſitæ reperiantur hoſtium in manibus, qui communibus diſſidiis rem in ſuam abutuntur? Mox intercludi commeatus, turbari commercium, infeſta piratis ac prædonibus fieri maria, nec libera deinceps mutandarum mercium facultas ſupereſſe. Tum demum actum eſt de nobis, frigeſcimus, lucrum omne ceſſat, & cum

lucro

lucro vita. Atque utinam præterita bellorum calamitas minùs id liquidò docuiſſet. Huc hodie res noſtra rediit, ut, aut nihil vendere, aut nullo pretio, aut, quod pejus eſt, dubia incertaque emptorum fide neceſſe ſit.

Sed ipſum pacis tempus, quis credat, non magis commodum aut opportunum nobis videri? Sic eſt, Judices, pax illa tam amica cæteris, omnibus tam expetenda nihil admodum juvat Mercatorem; aut, ſi quid fortè conferre videatur, ſollicitudinem certè atque anxietatem nunquam adimit: dum merces noſtræ, ſi quæ ſunt, vota, ſpes, vita ipſa fragili è tabula ventorumque ludibrio dependent. Tamen hæc una vitandæ paupertatis ratio, ut infeſta procellis ac tempeſtatibus maria perpetuò decurramus; ut neque frigoris aſperitate, neque æſtatis ardoribus retardemur, ut continuis jactati periculorum caſibus omnes ponti cœlique minas ſuſtineamus.

Saltem ſi tot inter labores, quibus defungimur ſpes aliqua gloriæ miſeris affulgeret! ſi ſumma rerum noſtrarum in anguſtia ſtimulus laudis aliquis ſubjiceretur! ſi dum obluctamur ventis ac tempeſtatibus ſempiternæ famæ memoria jacentes ſuſcitaret! Nam quis neſciat, quales accendat animos ad magna quæque cogitatio poſteritatis, & conſecrandi venturas in ætates nominis expectatio? Pulchrum eſt enimverò inſudare laboribus, dum merces tam glorioſa proponitur; dulce eſt ſanguinis pretio nominis ſui immortalitatem promereri. Brevis eſt ille vitæ quantumvis operoſæ vel diuturnæ curſus, quam ampliſſimum virtutis præmium gloria ſempiterna compenſat.

Verùm hoc ipſo carere ſolatio nos oportet. Nulla ſpes gloriæ, nulla parandi nominis expectatio labores noſtros reficit ac mitigat. Poſt exhauſtos graves terra marique periculorum caſus, morimur deníque, vel abſumpti naufragio, vel alienis in oris ignobiles; aut ſi fatis cedere patrio in ſolo contigerit, ſic tabernæ vilis in umbra conſeneſcimus, ut, qui corpus obruit tumulus, idem nomen obruiſſe meritò nuncupetur.

Cujus eſt porro noſtris mederi incommodis, Judices, niſi has ſibi partes æquitas veſtra atque humanitas vindicet? Veſtris hodie recumbit in manibus tota Mercatorum infelicium fiducia. Si non inutiles penitus Reipublicæ ad hanc uſque diem extitimus; ſi labores aliquando pro communi cauſa ſuſceptos comprobaſtis, date hoc vel leve veſtri in nos animi monimentum, ut conditionis noſtræ acerbitatem pariter atque obſcuritatem quoquo modo compenſetis. Sua Militem gloria, Cauſidicum dignitas, Puerum ipſa calamitatis omnis expers ætas abundè conſolantur. Nos ejuſmodi præſidiis deſtituti infortunati Mercatores, aliquod ſaltem in ſancta veſtrorum judiciorum æquitate ſolatium habeamus.

PRODICUS,

Cauſidicus.

Cum multa ſunt, quæ ſingularem mihi in hodierna contentione ſecuritatem atque fiduciam afferunt, tum illud certè me recreat inprimis, quòd tot defenſores cauſæ meæ, quot ſum nactus Judices, mihi jure gratulari poſſim. Nam cùm nemo ſit veſtrum, Judices integerrimi, qui propria compertum experientia non habeat, quantis hæc vita, quàm in foro trahimus, ærumnis obnoxia ſit; quis erit è vobis, qui occupandam uno miſeriarum

Digitized by Google

atque calamitatum nomine hereditatem mihi denegandam arbitretur? Nihil eſſet ultra, quod adderem; jam dicta cauſa videri poſſet, niſi feciſſent fucum aliquem adornatis ad pompam magis, quàm ad veritatem comploratiombus illi ſodales mei, &, ad retundendam ſubdolæ orationis malignitatem, veſtra me auctoritas juberet perorare.

Dicam igitur, Judices, quod ſentio non tam ad revincendam cauſæ meæ æquitatem, quæ perſpecta jam eſſe debuit, quàm ad revellenda præjudicia, quæ futilis conſobrinorum meorum oratio afferre potuiſſet. Deſudarunt illi quidem plurimùm, varias ut conditionis illius, quam amplexi ſunt, moleſtias exhiberent, &, quod mirum quibuſdam videbitur, non fuit tam indiſerta perorantium in ſua cauſa facundia, quam expectari debuiſſet ab iis, qui Literas nihil admodum attigerunt.

Ego certè, Judices, parum æquus rerum æſtimator audiam, ſi velim nihil eſſe penitus, quod expoſtulent, aut ſi ſortem ullam putem, præter unam pueritiam, eſſe, quæ nullis omninò difficultatibus conflictetur. Sit ita ſanè: laborioſa ſit militia, dum arma fervent, dum laceſſendus, aut ſuſtinendus hoſtis eſt: habeant & Mercatores ſortem quòd incuſent ſuam, dum amiſſæ naufragio merces, aut fides emptorum mala fortunæ melioris expectationem fefellerunt. Tamen nec labores illi continui, nec illa pericula paſſim obnoxia ſunt.

Non eſt Militis tam miſera conditio, ut vel in caſtris ſemper, vel in ſtationibus, vel inter pugnas ac cædes perpetuò verſetur. Poſt belli fragores ac tumultus, veniunt tandem amicæ pacis tempora, quibus laboris expertes omnis nec ſine præmio Milites liberi dimittuntur, & natale reviſunt ſolum eo majori ſuorum gaudio, quo diutiùs abfuiſſe videantur. Teſtem unum te volo, conſobrine amantiſſime, quid eſt jam, quòd militiam incuſes, aut de ſorte tua conqueraris? Vivis in medio patriæ ſinu, inter propinquos ac familiares tuos verſaris. Non jam obſtrepunt litui, aut dat buccina ſignum ad pugnam; non conferendæ manus cum hoſte, non ejiciendus vallo, aut perſequendus acriter incumbit. Non capiendæ urbes, non expugnanda caſtra, non dubius armorum caſus pertimeſcendus objicitur. Poſitus extra omnem Martis aleam palmarum in umbra requieſcis ſuaviter, & labores, ſi quos exhantlare contigit, blando in otio abundè compenſas.

Nec Mercatoris ſors gravior, Judices, quantumvis illi conquerantur. Neque enim infeſta ſcopulis ac tempeſtatibus maria perpetuo decurrit, aut tanto ſemper Orientis opes pretio redimuntur. Non omnes, quæ de portu ſolvunt naves triſte patiuntur naufragium; redeunt illæ, ut plurimùm, onuſtæ mercibus, ipſamque adeo Mercatoris avidi vincunt expectationem. Plaudit ille ſibi, grates agit Superis, & priores, ſi quas fecerit, jacturas oblitus exultat ac triumphat.

At quàm diſpar rerum noſtrarum conditio, Judices, quibus nullum in vita tempus moleſtia atque ſollicitudine vacuum Superi eſſe voluerunt. Nam ſive verſamur in foro, ſeu manere domi contingat, quanta utrinque laboris atque ægritudinis ſeges occurrit. Agite enimverò, an durius quidquam eſt, quàm noſtra illa quotidiana in foro aſſiduitas, quæ homines totos ſibi depoſcit? quid moleſtius quàm obtundi litigantium clamoribus, impeti calumniis, maledi-

ctis.

ctis provocari, neque ullius unquam poſſe mereri gratiam, quin alterius invidiam atque malevolentiam incurras?

Saltem ſi qua pax domi & tranquillitas labores fori exciperet; ſi pars quietis ulla poſſet expectari! Verùm quàntam illic rerum molem offendimus! Plena litigantium aula te reducem opperitur, quos vix miſſos feceris, cùm pulſantur fores ab aliis; quibus de jure ſuo conſulentibus niſi reſpondeas, aut injuſtus, aut deſes, aut imperitus habeare. Interim abit de die quodcumque ſupererat, & nox ſuccedit non laborioſa minus ac moleſta, quam in rimandis, excutiendis, volutandis ad nauſeam atque faſtidium tricarum ambagibus traducere inſomnem oporteat. Nam congeſtis undique ſaccis obruimur, non illis profecto, quibus beatulus ille quondam indormiebat inhians; ſed talibus, quos nec fures eripiant, nec compilent ſervi, nec heredes invideant. Quis porrò tot laborum fructus eſt? quam mercedem vigiliarum noſtrarum ferimus? hoc enim ad cæteras miſerias accedit, quod vel nullum, vel exiguum contritæ in alienis rebus, & quæ nihil ad nos pertinent, vitæ emolumentum capiamus.

Atenim, inquiunt, ita ne vili reponendum in loco, quòd ampliſſimo defungimur magiſtratu, quòd monſtramur digito prætereuntium, quòd de fortunis ac de capite civium pronunciamus. Et hoc ipſum, Judices, quod exiſtimationem habet aliquam in vulgus, noſtis, quanto oneri noſtro atque incommodo vertatur. Nempe, dum tuemur inter concives noſtros auctoritatem, dum convenientem dignitati gravitatem affectamus, interim nec relaxare animum, nec genio indulgere, nec capere oblectationem ullam licet. Ludo, jocis, feſtivioribus hominum ſocietatibus excludimur: turpe ducimus vel ſemel in anno ridere & jocari; adeo majeſtas ipſa muneris, quod exercemus, miſeris nocet, & ineluctabilem ſeverioris & moroſioris vitæ neceſſitatem imponit!

Quid ſupereſt, Judices, integerrimi, niſi ut moleſtias noſtras, dum licet, levetis ex parte, & laborioſæ conditionis acerbitatem aliquo ſolatio mitigetis. Proſit nobis ſaltem hodie, quòd hominum infortunatiſſimi & nuncupamur & ſumus. Intelligant illi, quorum gratia id oneris ſuſcepimus, quàm ſit arduum ac difficile defungi Magiſtratu. Noverint omnes quantùm debeant aſſiduis eorum laboribus, qui publicæ utilitatis cauſa provinciam ejuſmodi ſuſtinere non gravantur.

PHILOMATHUS,

Puer Grammaticus.

Si quid fucatis & adornatis ad pompam Conſobrinorum meorum orationibus creditur, Judices integerrimi; nihil eſt, quòd ego infelix puer perorare pro me ipſo aggrediar: dicta cauſa eſt; mortalium illi, quotquot ſunt infortunatiſſimi cenſebuntur, neque me ſpes ulla capiundæ hereditatis deinceps reſpicit. At quoniam mihi rem eſſe certò ſcio cum iis judicibus, quorum nec ſagacitati imponitur, nec illuditur æquitati, qui ratione ſui muneris noſtram hanc ætatem in ſuo patrocinio ac clientela poſitam tueri debeant, id auſim mihi polliceri, non tam feciſſe vobis fucum adverſarios meos mentitis ſuis complorationibus ac querelis, quin & me viciſſim, quæ veſtra eſt humanitas, benignè audiatis.

Ac primùm quidem liceat mihi, æquiſſimi Judices, requitere Conſo-

bri-

brinorum meorum aut memoriam aut ſinceritatem, dum quaſi pro jure ſuo ſibi vindicant, ætatem hanc noſtram ab omni prorſus moleſtia eſſe alienam; memoriam dico, Judices, ſi labores, quos olim exhantlarunt ipſi, jam obliti ſunt, ſinceritatem, ſi memores etiamnum durioris illius diſciplinæ, quam experimur, diſſimulare pertinaciter obſtinant. O ſi jus haberent ſuffragii & calculi facultatem, quotquot hìc adeſſe video laborum noſtrorum ſocios & ærumnarum participes chariſſimos condiſcipulos! ò ſi eorum ex arbitrio contentionis hodiernæ gravitas decideretur! quotus tandem eſſet, quem mihi cauſæ meæ ſuffragatorem non pollicerer! qui rerum noſtrarum anguſtias expertus fortè plus æquo, non fateretur, inter cæteras vitæ hujus conditiones adoleſcentiam eſſe omnium calamitoſiſſimam? Quanquam quid alios rerum mearum defenſores ambiam? Ignoſcite, Judices integerrimi, ſi diffidere videar æquitati veſtræ, vel etiam humanitati. Nam ubi tandem cauſa noſtra feliciùs conquieſcat, quàm apud eos, quibus nec ſagacitas ad pervidendum, nec ad deliberandum æquitas, nec conſtantia ad judicandum unquam defuere?

His ego fretus, Judices, dicam non minùs confidenter quàm verè, quod ſentiò; exponam breviter ac ſine fuco, quàm duram in hoc ſtudiorum curriculo exerceamus artem. Habeant ſanè Conſanguinei mei, de conditione quiſque ſua quod expoſtulent. Tamen illa, quæ non bene auro pro toto libertas venditur, illis integra remanet, nobis eripitur! Tibi, Polemon, bellum diſplicet? tibi, Eupole, commercium oneri eſt? te verò, Prodice, fori ceperunt faſtidia? Eja, mutatis diſcedite partibus, aut omnino abſtinete ab ea arte, quam profitemini. Quid in mora eſt? ecce viam vobis ad felicitatem aperui certiſſimam: licet omnibus ac ſingulis beatos eſſe: nobis jugum excutere, cui ſubjicimur, non licet. Ah! video, obliti eſtis, aut potiùs diſſimulatis malitiosè, quanti ſit oneris alieno ſemper arbitrio vivere, nunquam ſuo!

Etenim ita vivimus, ut campanula vigilandi, dormiendi, edendi, jejunandi, laborandi, feriandi magiſtra ſit. Gaudes ſtertere multam in diem heſterno feſſus labore? Ecce importunus ante ſolis ortum ſonus è ſtratis exturbat. Dormire non juvat? Datum eſt ſignum ad quietem, decumbendum eſt. Fames urget? hora non inſonuit, ſervanda jejunia. Non eſuris? cœnæ tempus eſt, truderis ad menſam vel invitus. Feriari velles? invitat tranquillæ lucis amœnitas? urget importunus monitor ad ſtudium. Ludere in præſentia non amas? aer pluvius eſt? nihil agis; dies eſt dicta Ludo, neceſſe eſt, ut vel cum faſtidio ludas.

Quanquam toleranda hæc quidem vel dura vis, ſi nulla gravior adhiberetur; at cæteris in rebus vim iniquam quis ferat? O ſi ferendam, quotquot eſtis vos, Judices, auſteri ſilentii neceſſitatem haberetis! ò ſi diebus ſingulis multas per horas numeroſiſſimo ſuaviſſimoque in conſeſſu ne proferre verbulum? quid dico? ſi nec muſſitare etiam, ſi nec contorquere quidem huc & illuc oculos liceret!

Jam durum eſt habere quempiam cui obtemperes? Quid habere multos ejuſmodi? quid obvios quoſque tot naneiſci cenſores rigidiſſimos, tot ſeveros Judices, tot obtrectatores miſeræ juventutis? Hilaris es, comis, feſtivus, ut fert ætatis noſtræ conditio? Invenias qui te levem, turbi-

bidum, etiam amentem dictitet. Gravitatem quandam affectas præter ætatem? moroſus, difficilis, obſcurus habeberis. Garris ingenioſè, ſuaviter arrides, comiter blandiris? Callidus continuò, verſipellis, aſtutus audies. Simplicior contra urbanitates ejuſmodi non ſectaris? Vix ac ne vix quidem vitabis arrogantiæ nomen. Corporis cultum paulum negligis? ſordidus es, impexus, obſoletus. Capillos identidem in cirros agis & cyprio conſpergis pulvere? Politulum clamant, & in curanda cute mollem ac delicatum. Quid facias? hoc eſt miſeræ adoleſcentiæ fatum, ut ſeniorum cavillationibus obnoxia ſit.

Mitto jam varias tempeſtates ac procellas, tot ſyrtes ac ſcopulos, tot fortunæ reflantis ictus, ſine quibus tam longæ navigationis curſus non perficitur. Ecquis porro tam felix, quis tot inter pericula tam induſtrius, ut navigiolum, quod ſinguli deducimus, non allidat vadis identidem, & triſte aliquando naufragium non patiatur? Scilicet per varios caſus, per tot diſcrimina rerum tendimus in Latium, ſedes ubi nunquam quietas liceat experiri!

Quid dicam de ipſo otio, quod ætati noſtræ non tam ad gratiam, quàm ad neceſſitatem conceſſum eſt? Ut parcè illud & avarè nobis impenditur! Ipſum verò ut difficili plenum labore! ut amara ſollicitudine trajectum, ut luctu nonnunquam perturbatum ducimus! Quis cavendum ſibi perpetuò non habet à ſpeculatoribus oculis? quis tollere vocem ſine periculo, quis rixari etiam amicè cum ſociis impune confidat? Ludimus enim vero? at quæ conditio vitæ tam miſera, quæ ludo vacet omni? Ludimus? Interim quanta nos laboris ſeges expectat? Nam & hoc iniquum ferimus, quòd nunquam penitus feriari liceat; ſed tanto gravior oneris moles ſoleat imponi, quanto longioris pars otii irrogata videatur.

Quid reſtat igitur, Judices, niſi ut æquitatem veſtram obteſter? Et quoniam nullum eſt aliud quod polliceri mihi poſſim, niſi ab humanitate veſtra præſidium; ita me, precor, veſtram in fidem & clientelam accipite vos, ut cauſæ meæ non tam Judices, quam defenſores experiar. Non huc attuli vobis, vel petitam longiùs, vel ſolertiùs adornatam, vel mentitam fuco, vel ceruſſa medicatam; ſed ſimplicem, ſed nativam, ſed deſtitutam ab arte, uno verbo, qualem ætas noſtra ferebat, orationem. Si tamen deſcriptam ad vivum miſeræ juventutis ſortem exhibuit, ſi nuda veritas in ingenuo illo neglectoque cultu potuit placere; confirmate, Judices, ſuffragiis veſtris tam legitimam de nobis opinionem; &, quam immeritò conſanguinei mei ſibi vindicant, hereditatem, hanc mihi dulciſſimum ſortis noſtræ ſolatium adjudicate.

DICASTUS *Judex*.

Non eſt hæc vel nova, vel inſolita, vel paucorum querela, Judices, ut in ea, quam ſeu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, vitæ conditione, miſeros ſe & infortunatos clamitent. Nam quotuſquiſque hominum extitit, quem beatum vixiſſe forte ſua reperias, & qui decurſo vivendi ſpatio, de vita, tanquam de lauto convivio ſatur demigrarit? Porrò quàm frequenter vitio ſuo fiat, id verè bona pars hominum ut expoſtulet, vel ſi vivere contentos contigerit, quàm nequiter diſſimulent, non eſt hic locus, Judices, vel perſequendi operoſiùs, vel acerbiùs increpandi.

At qui ſuam modò ſortem incuſarunt

ſarunt tam graviter ; quocumque tandem pacto id fecerint , excuſatione ſaltem aliqua non vacant ; quibus tam ampla calamitatis illius ſuæ , quam vel fingerent , vel revera paterentur , merces propoſita ſit . Audiviſtis , Judices , quid pro ſe quiſque invicem dixerit ; quàm nativis vividiſque coloribus conditionis ſuæ miſerias , vel veras , vel falſas adumbrarit . Nemo eorum unus non diſertus, non eloquens in propria cauſa viſus eſt. Adeo vel indiſertum quemque neceſſitas erudit, & rudibus etiam atque imperitis ſpes lucri facundiam inſpirat !

Nam quis expectaſſet à Milite , ut varios Militiæ labores , caſus , pericula, tam bellè , tam ſolerter , tam graphicè deſcriberet ? Subjecit enimverò veſtris oculis perpetuam , quam ferre cogeretur, inter hoſtes , pugnas , ſtrages , incendia , cædes , mortis imaginem. Non ſiluit ut victus tenuis, veſtitus aſper, rarus ſomnus, frequentes vigiliæ, humi cubitus ferendus incumberet. Jam belli fructus miſeros repræſentavit ad vivum: ut hic turpatas cicatricibus genas monſtraret, iſte truncatas nares, ille effoſſos oculos , alter amputata brachia, alter confractis, aut etiam exciſis pedibus, veſtigiis incederet non ſuis . Acceſſit ad hæc rei domeſticæ penuria , æris alieni gravitas, importuna creditorum moleſtia, & quid non?

Neque verò minùs graviter , nec minùs ingenioſè perorare viſus eſt, qui proximas tenuit in dicendo partes : ſic ut ipſius oratio non tam elaborata in mercatoris taberna , quàm in ſchola Rhetorum dicenda ſit . Quas enim Mercaturæ moleſtias non queſtus eſt ? conditionis ſuæ obſcuritatem, ſollicitudinem continuam , commercii difficultates , maris pericula , naufragiorum acerbitatem , debitorum injuſtitiam , & paria , cùm bello, tum pace incommoda diligenter percenſuit ; ipſa quod multo magis mirum eſt , dicentis actio , vis , robur , dignitas admirationem peperit ac plauſum.

Quod ad Cauſidicum attinet, Judices, nihil eſt tam inſolens, ſi propriis in rebus tam diſertus actor extiterit , qui in alienis ſolet tam facundus videri ; ſi cauſam bonam feliciter pertractarit , qui vel malam agere non infeliciter potuiſſet . Habet enimverò Ars illa , quam nos profitemur , incommoda non pauca , quæ non levem querelarum ſegetem ſufficiant . Poſtulat à nobis muneris illius , quo defungimur , ratio ſingularem in foro aſſiduitatem , indefeſſam domi diligentiam, patientiam in audiendis clientibus incredibilem, ſeveram in tuenda gravitate conſtantiam ; quæ cùm omnia diligenter Orator expoſuit , tum non mediocrem, ad perſuadendum , quod volebat, vim habuiſſe viſus eſt.

Verùm ex quo , Judices , pueros nacti ſumus tam ingenioſos , tam ſolertes , tam facundos ? Ut acutè garrivit Philomathus , ut egit comiter , ut accommodatè ad perſuadendum peroravit ! Quàm nativè contexuit totam quotidianæ vitæ ſeriem ! quanto narravit cum lepore , quidquid ferendum durius, aut gravius metuendum incumberet ! Nulla , ſi quid ipſi credimus , ſervitus videri debet acerbior ea, quam pueri patiuntur . Alieno vivere ſemper arbitrio , multorum reprehenſioni eſſe perpetuò obnoxium ; ſubire caſus identidem , qui conſtantem etiam virum metu percellant ; hæc ſunt , quæ tam copioſè diſſeruit, ut tantùm non perſuaderet eſſe con-

con-

conditionem ſuam omnium miſerrimam.

Quæ cùm ita ſint, Judices, nihilque ad cognoſcendas penitus ſingulorum cauſas requiri poſſe videatur, reſtat, ut feratis ſententiam, &, adjudicata alicui ex omnibus hereditate, multitudinem infelicium hominum uno ſaltem capite minuatis. Mihi porro, Judices, quoniam illa lex imponitur, ut aperiam primus, quid ſentiam: ſic exiſtimo, vix ſolvi poſſe contentionis hodiernæ difficultatem, quandiu in penſandis, quas quiſque patitur, moleſtiis verſabimur.

Sunt enim ejuſmodi varia cujuſque ſortis incommoda, ut facilè æſtimari non valeant, niſi ab iis qui eadem aliquando ſenſerint. Nam quis tam novit alieni mali pondus, quàm ille, cui ferendum illud ipſum incumbit? Igitur aliam ingredior dirimendæ controverſiæ rationem, quam, ſi vobis ita videbitur, ſuffragio veſtro probatis.

Eſt hoc mortalis vitæ fatum, Judices, ut quocumque fueris in ſtatu poſitus, graviſſimis incommodis ſubjaceas, quorum finis expectari nullus debeat, niſi qui vitam ipſam clauſerit. Hinc illum ego reputo omnium longè miſerrimum, cui longiſſimus vitæ curſus ſuſtinendus ſit; quid enim juvat annorum acceſſio, Judices, niſi miſerias multiplicat? aut quis diuturniorem cæteris ſibi vitam audeat polliceri, niſi ſe ad graviorem moleſtiarum cumulum perferendum accingat?

Næ tui miſeret me plurimùm, infelix puer, qui primo in limine vitæ poſitus, immenſum quoddam viæ ſpatium reſpicias! Felices conſanguinei, qui medio jam in curſu propioribus oculis metam intuentur, & ad eandem aſſequendam ſingulari alacritate feſtinant. Pergite porro, ut cœpiſtis, ac ſi quid ultra laboris vobis exhauriendum ſupereſt, nolite deficere animis; *ò paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem*!

At nos, Judices, conſolemur, quantùm erit in nobis, infortunati pueri anguſtias, ſuſtineamus ætatis teneræ imbecillitatem, & par viæ longiori viaticum ſufficiamus. Nolite dubitare, quin Teſtatoris ea mens fuerit, ut Puerum heredem inſtitueret, cùm miſerrimo Conſanguineorum ſuorum capeſſendam hereditatem reliquit. At maluit ille æquitati veſtræ diſceptandum id permittere, quod, ſi ſtatuiſſet ipſe, & imminuiſſet morientis deſiderium, & inexhauſtam odiorum rixarumque inter Conſanguineos ſegetem peperiſſet. Quare cenſeo, Judices, Puero tanquam omnium miſerrimo hereditatem eſſe adjudicandam. Vos, æquiſſimi Judices, ſententiam hanc meam veſtro calculo confirmate.

UTRA

UTRA PRÆFERENDA SIT STATURA MAGNA, AN PARVA?

CAUSA OCTAVA.

In genere Deliberativo.

ARGUMENTUM.

Megaloſomum inter & Micromorphum, hunc ſtaturæ brevioris hominem, illum excelſa mole præſtantem virum orta contentio eſt; Vter utri corporis ſtatus præferendus videretur. Qua in re cùm neuter alteri cederet, cauſa ad Judices defertur.

ACTORES.

MEGALOSOMUS.

MICROMORPHUS.

MESOCALLUS Judex.

MICROMORPHUS.

QUam aggredior hodie puſillæ ſtaturæ Apologiam, cauſæ, quæ mihi cum multis communis eſt, æquitati ne noceat, quod ſit mea, Judices conſultiſſimi. Declinate à me pauliſper oculos; rem ipſam juſtis rationum momentis expendite. Nam quis ferat puſillos homines, naturæ compendium nunquam admirabilioris, quàm cùm in exiguo collecta eſt, perpetuis inſanorum jocis ac cavillationibus impeti; nullum eſſe frigidorum dictorum modum, quocumque puſilli prodeunt, inſurgere continuò inficetos homines, quibus ſi molem ademeris, ademeris omnia; quos meritò compares immanibus illis arboribus, quæ nihil ferunt hominibus utile; & ipſam luxuriantium ramorum altitudinem ad hoc efferunt, ut, ſuperveniente tempeſtate, triſtem ruinam patiantur, ventis luctantibus, aut Jovis fulmini ludibrium.

Ita planè, Judices, habet parva ſtatura, unde vel contemnat proceram, vel eidem certè non invideat. Sic enim contendo, puſillos homines duplici plerumque laude præſtare grandioribus. Si ſpectes animum, ingenioſiores ſunt, ſi corpus attendas, ſunt fortiores. Quæ duo dum oſten-

offendo breviter, intelligo ſanè, & intelligunt omnes, qui me norunt, non meam, ſed multorum, qui huic judicio interſunt, cauſam defendere.

Ac primò quidem, quis palmam ingenii, & dotes omnes ingenii appendices Puſillis hominibus non concedat? Reſpicite, amabo vos, ad ipſam corporis conformationem. Crederes voluiſſe naturam parcitatem materiæ, ut ſic loquar, feliciore ingenii vena compenſare. Virtus, ut ajunt, unita fortior; eadem per immenſam molem diffuſa emoritur propemodum, & vix ullum ſui veſtigium foras prodire patitur. Quis neſcit vim ignis ex ardenti fornace prorumpentis, aut è tormento bellico mille evomentis neces? unde autem tanta utrique efficacia, niſi quia utrobique ignis ſtipatus & compreſſus in anguſtiore loco, nihil deperdit inſitæ virtutis, ſed actuoſam, qua pollet, vim totam exerit?

Non aliter ignei ſpiritus, qui motus illos celeres efficiunt, unde efferveſcit ingenium, ſi latiore in corpore habitent, ſegniores habent impetus, & in ipſa domicilii ſui vaſtitate conſopiuntur. Sed quid rationibus opus eſt, ubi loquitur experientia? Quoties enimverò videre vobis licuit, Judices, homines illos, ſeu potiùs coloſſos, in quibus nulla erat mica ſalis, homines obeſa nare, ſegnes, teſtudineos, plumbeos? Conferte hos ſtipites cum pygmæis illis, ut vocant, nanis, pumilionibus, & ſi quod præterea nomen in noſtrum contemptum invenerunt; ſtatuite utroſque in circulis; illis hæret aqua ubique; hi vel in ſicco reperiunt, unde bibant ad ebrietatem: illi nihil argutum, nihil ingenioſè, aut feliciter inventum afferunt; hi jocis innocuis cœtus exhilarant; hauriunt in divite ingenii ſinu, unde locupletent egenos; ſalit ubique ingenii fons, condiunt perfunduntque omnia exquiſito facetiarum lepore. In illis coloſſis deficit animus longiore tanquam itinere fatiſcens; in nobis nullo negotio à capite ad calces permeat, diffunditque ſpiritus ſui vicarios, qui nuſquam ſinunt materiam, ſi qua in nobis eſt, pigro ſitu torpeſcere. Parcite vos, penes quos educantur pueri, parcite motibus inſitis, qui foras erumpunt; non ſe teneri patiuntur. Non vos equidem dixerim inimicos ingeniorum, quorum natura conſtat ex motu; ſed parcite mulctare naturam, cui vos ipſi tantum debetis; memineritis vos ipſos, ſi quid à vobis olim pueris peccatum eſt, ſimili motu peccaviſſe.

Natura ubique ſui ſimilis, Judices, ut in hominibus, ſic in belluis quoque, parvæ moli favens, majora miracula gaudet exhibere. Quid dicam de Formicis, de Apiculis, quarum labor admirationi eſt omnibus? quid de Simiis, quos, ſi ſolertiam attenderis, minùs diſtare dixeris ab homine, quàm nonnulli, qui humanam ſpeciem gerunt, ab hominibus ipſis diſcrepant. Jam inter volucres, Philomelæ, Pſittaci quid non habent? illæ ad concentus ſuavitatem voluptatemque aurium, hi ad imitandas hominum voces, garriendumque eo modo, quo multæ mulieres non meliùs? Adeſte, qui ſtupetis magnitudinem, & eo nomine Puſillis inſultatis, boum etiam magnitudinem prædicare, &, ſi Superis placet, jactate famoſum auriculis Arcadiæ pecus. Dicam paucis, & dicenti, credo, aſſentientur, quotquot erunt cordati viri. Efferant magnitudinem ſuam, per me licet, Gigantes ſpectaculo nati; quibus hoc unum conceſſit natura, ut inſolenti proceritate teneant populorum mul-

titu-

Digitized by Google

titudinem, mulierculas & pueros terreant; nos ingenio contenti aſpernabimur clamores eorum, qui pergent deinceps illudere parvæ ſtaturæ, quam tanto fœnore eadem natura compenſavit. Quæ cùm ita ſint, ſupereſt, Auditores, ut ad ingenii laudem accedat etiam in Puſillis hominibus laus fortitudinis, quæ pars eſt Orationis alteræ, quam breviter concludo, ſi favere pergitis.

Fortitudinem cùm appello, Judices, intelligo virtutem animi magis quàm corporis, contentam illam non immanitate membrorum, ſed firma organorum conformatione, robore nervorum, atque inprimis calore quodam acriore, qui ſpirituum ultro citroque commeantium proprius eſt. Age verò; ubi iſthæc omnia reperias? an in laxa & diffuſa partium compage, quæ vel non accipit ſpirituum copiam, vel acceptos ſinit affluere? an in mole contractiore quidem, ſed ſuis ritè organis affecta, cujus ſpatium breve, non tamen iniquum, faveat celeri commercio ſpirituum, qui ſimul ubique adſint, foveant organa, nervos alant, toti denique corpori maſculum robur addant & ſemper novum. Veſtram fidem, Auditores, quid non expectandum ab homine ſic informato, dum vaſta illa corpora nihil afferunt ad tolerandos labores, præter molem egenam virtutis, ſuo ipſius pondere fatiſcentem. Ut in illo ſcintillant oculi, & corda quatit vigor entheus! ut contra in aliis languent intermortua lumina, & cor anhelum vittus deficit! In illo ſpirat fortitudo, in his ſegnities & ignavia! ille convaleſcit præſente periculo, hi palleſcunt! ille occaſione data ſuperat expectationem ſui, his virtus garrula in ventum abit.

Sed verba damus, inquiet adverſarius; placet igitur verba rebus confirmare, vel potiùs rationes exemplis. Cui non auditum de Alexandro illo Macedone, cui orbis totus anguſtus videbatur? Talis tantuſque tamen cùm foret,

Magnus Alexander, corpore parvus erat.

Cur non liceat profanis ſacra miſcere? an non ingens ille Philiſtæus à puero Davide proſtratus eſt? Sed cur tam ex longinquo exempla repetimus, cùm habeamus in publica Europæ luce emicantem, ſacris pariter ac profanis Oratoribus laudandum ſereniſſimum Burgundionum Ducem, Perſarum victori ſtatura corporis parem, Davidicæ fidei & pietatis æmulum, nec Cæſere nec Davide ullis virtutibus inferiorem.

Eant nunc noſtræ ſtaturæ contemptores, quam certè in tam auguſto Principe Marleboruchius, & ipſe cum ſuis immanibus Germanis Eugenius, reverentur. Nos naturæ gratulabimus, quæ molem illam inutilem & importunam nobis negavit, ut melius aliquid largiretur. Patrono Burgundo Principe diſcemus excolere ingenium, & veram virtutem, quæ ſola ad germanam gloriam iter eſt, conſectari.

MEGALOSOMUS.

Non hodiè primùm, Judices integerrimi, inſito quodam puncti livoris ſtimulo, puſilli homunciones adverſus proceræ ſtaturæ viros arma vireſque ſuas decertando voluerunt experiri. Ipſorum jampridem Majores Pygmæi apud Poetas famoſiſſimi, in ipſum inſurgere Herculem, eumque laceſſere armis imparibus non dubitarunt, quos ille ludens clavæ ſolius obtentu perterritos vertit in fugam, & confidentiores inter cæteros temeritatis in pœnam ſua in capſa concluſit. Tamen ecce prodit aliquis ex-

ex eorum nepotibus, non in Herculem unum, ſed in omnes excelſæ ſtaturæ viros pugil imprudens; & in eos, quos revereri debuiſſet, rurſus inſurgit. Quo in certamine utinam Herculem alterum præſtare me poſſim! Et præſtarem utique, Auditores, ſi manu & clava, non ingenio ac lingua certandum eſſet. At quoniam unis ingenii viribus tota dirimi hodierna controverſia debet; non poſſum, quin reformidem tantum tam parvo in corpore adverſarium, qui ingenitæ, ſi Superis placet, ſolertiæ conſcius, quam nullo rationis præſidio niti cauſam ſenſerat, hac ſaltem parte putavit eſſe fulciendam.

Verùm quid profecit ille, dum ſe oratione tam longa torqueret, dum voce ac lateribus tantùm contendere viſus eſt? Non eſt ejuſmodi quæſtio illa, quam agitamus, Judices, ut eruditis ex reconditiori doctrina argumentis probari egeat; non eſt ingenii acies pertundenda vehementiùs, ubi de exteriore corporis forma certatur: ſoli oculi conſulendi ſunt; & quemadmodum abſurdum videretur, ſi quis rationis judicio vellet expendere, utrum præſtaret dubio pedo incedere, an firmo; gibboſum eſſe, an rectum; ita non minùs ridiculum videtur, ad rationis trutinam & judicium revocare, utra præſtet puſilla ſtatura, an magna.

Judicent igitur oculi, quorum eſt hac in cauſa ferre judicium. Sed quid dico judicent? an non ſententia jam lata videtur eſſe; quandoquidem habemus ab oculis impreſſam hanc animis noſtris cogitationem, magna parvis longè eſſe præponenda? Hæc eſt enim inſita nobis rerum notio, non ſtudio vel labore parta, ſed nata nobiſcum & longo uſu confirmata; ut quidquid humile eſſet & parvum, contemptu, quidquid ſublime & magnum admiratione dignum cenſeremus; & viciſſim, quidquid videretur contemnendum, id parvum ac tenue, quidquid laudabile, id continuò magnum vocaretur. Hinc tardius ingenium aut ſimplicius, tenue, exiguum ſolemus appellare; acre & excellens nunquam definitur rectiùs, quàm ſi magnum dicatur. Hinc ſi quid videtur præſtare cæteris, id laudatur ut magnum; ſic magnus Princeps, Dux magnus, Imperator magnus dicitur. Sic Regi noſtro dignum tot præclaris facinoribus, tot victoriis ac triumphis cognomen Europa cùm quæreret, nullum præſtantius excogitare potuit, quàm ſi eum *Magni* nomine inſigniret; quem cùm Ludovicum Magnum appellavit, non inferiorem meritis mercedem viſa eſt contuliſſe.

Sed quid provocamus ad hominum fidem, qui Dei ipſius teſtimonium habeamus? Nam cùm æquiſſimus rerum æſtimator Deus populo ſuo Regem vellet imponere, eum præ cæteris imperio dignum putavit, qui magnitudine corporis præcelleret. Neque id verò populus ipſe non ſenſit; qui poſtquam Saulem in media turba conſtitutum, reliquis omnibus, *ab humero & ſurſum*, ut Scriptura loquitur, eminere conſpexit; continuò, quaſi nihil aliud ad regiam dignitatem requireret, Saulem unanimi voce Regem ſalutavit.

At quoniam adverſarius ille meus mentionem fecit de Alexandro, quem corpore parvum ſibi gratulatur extitiſſe; attendat, quæſo, quantùm ipſi laborandum fuerit, ut hanc corporis humilitatem animi celſitudine corrigeret. Avulſus ille patriæ de ſinu, disjunctiſſimas terras peragravit, penetravit ad Arabas & Indos, domuit gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, poten-

tiſſimos delevit exercitus. Quid porrò tanto bellorum apparatu, tanta contentione præliorum, tam inſatiabili vincendi cupiditate perſequebatur? Id unum, Judices, ut, qui magnus eſſe non poterat, magnus ſaltem diceretur; & quem parvum natura fecerat, magnum fama prædicaret. Quid dicam nihil tam obfuiſſe eidem Alexandro quàm corporis molem exiguam; qua factum eſt, ut debitos totius orbis triumphatori honores non ferret; & neglecto Rege ipſo Siſigambis ſalutaret Epheſtionem, quia forma corporis erat Alexandro præſtantior?

Et mihi jam laudabitur exigua moles corporis, aut etiam ſublimioris ſtaturæ dignitati anteponenda prædicabitur, quæ ſola negavit Alexandro reverentiam, quam conſpirantes totius orbis nationes ultro deferebant?

Quis autem id miretur in hominibus, quod ne beſtiolæ quidem ipſæ ignorarunt? Ita enim accepimus ab iis, qui res naturales curioſiùs inveſtigarunt, toti Apum Reipublicæ, eum præeſſe regem, qui corporis mole major ſit. Poſſum itaque, ut olim Salomon pigros homines ad formicam tanquam ad laboris magiſtram, ſic vos homunciones ad ingenioſiſſimam Apum rempublicam remittere, ut ab iis tandem aliquando perdiſcatis, quantùm Statura noſtra præſtate veſtræ dicenda ſit.

Atenim reclamat Adverſarius ſagaci valent ingenio Puſilli homines, eſto hoc ipſis relinquamus, qui cætera abſtulimus. At quibus in rebus vim illam ac perſpicaciam ingenii ſui exerunt? Dicamus quod res eſt, Judices: hoc illis pronum videmus evenire, ut quod ex ipſo nomine ſonat, Puſilli homines puſillos quoque ſenſus habeant, minutuli homunciones minutulis rebus occupentur.

Quid quòd iracundi plerumque, moroſi, impotentes, eoque contumelioſi magis, quòd, cùm vires deſint, linguæ præſidio atque acerbitate tueri ſe ac defendere contendunt; omnibus moleſti, ſibi ipſi diſplicentes, qui ſe ſuumque ſupplicium quocumque circumferre ſentiant. Ita enim tenuitatis ſuæ ſibi conſcii ſunt, ut quoties ridetur, toties derideri ſe ſuſpicentur, nihilque in eos duriùs jactari poſſit, quàm ſi homunciones appellentur.

Sed hic finis dicendi ſit, Auditores; ſentio me abreptum longiùs & dixiſſe plura, quàm propoſueram. Hoc ſaltem adverſariis detur ſolatii, ut contra eos non niſi grandi oratione dici potuiſſe videatur.

MESOCALLUS

Ortam de ſtatura magna ac parva Controverſiam dirimens.

Lubricum penitus ac periculoſum controverſiæ genus hodie nobis incidit, quam dirimere, nec ſit obvium ſatis, nec decidere, ſi quis forte locus ſe obtulerit, tutò liceat. Certant utrinque paribus animis nobiliſſimi pugiles; neque tam agunt cauſam privatam ac ſuam, quàm communem ac publicam tuentur. Hic ſtaturæ puſillæ defenſor, ille corporis excelſi vindex inſurgit. Validis ambo momentis & gravi rationum pondere primas ſibi vindicant.

Quid agam, Judices, aut quid vos potius putatis eſſe ſtatuendum, quorum ſententiis tam difficilis contentio dijudicanda permittitur? An favebitis Puſillis hominibus, quos Orator non indiſertus, nec tenuis aut exiguus in dicendo commendavit? At reclamabit continuò grandiorum hominum patronus, cujus Oratio ſtaturæ ſuæ dignitati atque amplitudini tam bellè reſpondit. An patro-

trocinio veſtro genus iſtud hominum dignum videbitur, quos parca nimium aut avara etiam natura formæ præſtantia ac majeſtate deſtituit? At quibus illa conſuluit impenſiùs, iidem quanto jure ſuo poſtulant ſuffragantis ſibi naturæ judicium comprobari? An demum æquum cenſebimus, quod Puſilli homines tam accuratè defendunt, ſtaturæ brevioris vitium fortitudinis & ingenii laude, qua præſtant, abunde compenſari? At quàm iniquo ferant animo, qui proceram corporis molem nacti ſunt, fortitudinis & ingenii palmam nullo ſuo merito ſibi abrogari?

Quod ſi mutatis contrarias in partes ſententiis, excelſam corporis figuram judicabitis humili eſſe præferendam; quales in tota parvorum hominum gente tumultus ac turbas excitabitis! Non ſunt natura ſua patientes probri, quotquot ſunt formæ brevioris homines, & quanto cupidiùs decus ac laudem affectant virtutis ingenitæ conſcii, tanto ſecum agi putant iniquiùs, ſi deteriores opinione ſua ſenſus experiantur. Ergo quis laceſſat eos impune, quos acuit æmulatio, contemptus atterit, repulſa ipſa accendit ac provocat? Non ego periculoſiùs putem irritare totam Apum rempublicam, & in ſollicitos earumdem labores palam involare, quàm ſubire iſtorum hominum invidiam, quibus nec ſtimulus deeſt ad pungendum, nec multitudo, quæ vim oppugnationis ſuppleat ac compenſet.

Tamen decidendum hodie inter rixantes grave litigium eſt, &, vel alterius partis offenſione, cauſa finienda. Id ipſum quàm operoſum debet videri; dum utrinque ſtaturæ excelſæ pariter ac parvæ commoda circumferuntur? Hic figuram brevem ſic extulit, ut excelſis corporibus non putet invidendum, adeo gratulatur ſibi parcitatem materiæ tanto cum fœnore fuiſſe compenſatam; ut plus ingenii, plus artis ac ſolertiæ natura parvæ moli indiderit, quàm grandiori videatur tribuiſſe. At unde reponit alter ſibi hoc vindicat homuncio tanquam ſuum? aut quibus argumentis id evincit? An quòd beſtiolis quibuſdam, an quòd Apibus ac formicis ineſt inſita quædam induſtria? an quòd Pſittaci belle garriunt, Philomelæ ſuaviter modulantur? magnum enim vero gloriandi argumentum, urget idem acriter, quod ab inſectis, quod ab aviculis depromitur! Videant puſillæ ſtaturæ defenſores, ne, quam ſibi arrogant ingenii laudem, illa corporis ſui tenuitatem non excedat, neque, niſi minutulis in rebus, ingenioſi inveniantur!

Alterum eſt, quo nituntur, defenſionis genus homines conſcii ſuæ tenuitatis, ut fortitudinem rebus in ſuis numerandam arbitrentur. Nimirum, inquiunt, parvo in corpore contracta vis, dum expatiandi liberiùs locum non habet perpetuo retinetur in niſu, & anguſtioribus in membris novum ſemper vigorem exerit, quo majora corpora, propter immenſam hoſpitii capacitatem, deſtitui neceſſe eſt. Hinc, ſi quid illis creditur, parvo Davidi tantùm adfuit roboris, ut immenſum Gigantem proſtraverit: hinc Alexandro Macedoni, quem parvo corpore extitiſſe narrant, vis illa, quam attonitus orbis revereri viſus eſt. Hinc ille metus, quo Burgundi Principis ad aſpectum immanes Germani percelluntur.

At neque vim argumenti illius extimuit grandiorum corporum patronus. Enimverò quis exiſtimet, magnum corpus minùs eſſe idoneum excipiendo robori, quàm parvum, aut fortitudinem minùs decenter in gran-

di domicilio, quàm in tenui habitare? Ergo, ſi quid Oratori puſillo creditur, deſtruenda ſunt ingentia palatia, quæ majeſtatem Principum tam bellè decorant, ut in anguſtis ædibus concludantur. Erit parvus onyx nardi pretioſi ampliori cado præſerendus? Commendantur Gigantis victor, domitor Aſiæ, & utrique nihilo inferior Dux Burgundionum, in quibus brevitatem ſtaturæ animi magnitudo compenſavit; eſto: at exempla iſta tanto illuſtriora ſunt, quanto rariora, nec afferuntur in medium, niſi ut, quod fateri nemo dubitat, Puſillos homines ab eximia fortitudinis laude non excludi penitus oſtendatur.

Hæc ſunt, Judices, quæ proferuntur utrinque Puſillæ atque Excelſæ ſtaturæ adjumenta. Jam expectatis, ut ego, pro commiſſa mihi provincia, ſtatuam aliquid veſtris deinde ſententiis, aut emendandum, aut confirmandum. Ego, ut meo muneri faciam ſatis, neque ſic aſſentiar excelſæ ſtaturæ defenſoribus, ut breviorem contempſiſſe videar: neque ſic favebo parvæ ſtaturæ patronis, ut grandiorem damnandam eſſe crediderim. Abſit enimverò, ut aſſentator putidus diſſimulem in utraque quod vitioſum eſt; aut faſtidioſus contemptor, quod laudandum ſit, velim elevare. Habent Magni pariter ac Parvi quod extollas, nec deeſt ipſis viciſſim, quod emendes. Valeant immanes illi Coloſſi, qui nihil habent, præter inſulſam proceritatem quod oſtentent. Faceſſant Puſilli homunciones, qui figuræ ſuæ brevitatem nulla commendatione redimunt. Imò nec ipſa corporis magnitudo, quantumvis aliunde commendabilis, placeat, ſi modum exceſſerit, & Gigantem æmuletur. Multo minùs probetur figuræ brevitas fortitudinis atque ingenii laudibus redempta, ſi ad Nanos accedat.

Igitur, ut contentionem hanc totam paucis dirimam, & oratio noſtra, quæ brevior videri non debet, intra juſtos magnitudinis limites coerceatur, ſic ſtatuo. Laudetur in homine illa ſtatura corporis, quæ nec tam modica ſit, ut præſtantia ac dignitate careat, nec tam excelſa, ut monſtruoſa videri poſſit.

ME-

MÉLAMPE MEDECIN D'ATHENES.

PREMIER PLAIDOYER.

EXPLICATION DU SUJET.

Mélampe célèbre Medecin ayant eſté trouvé dans le Temple & entendu, lorſqu'il demandoit aux Dieux, que l'année qui commençoit, fuſt heureuſe pour l'avancement de ſes affaires, eſt accusé comme l'ennemi du ſalut public. Mélampe, dans ſon infortune, trouve un Défenſeur qui le juſtifie, & qui donne à ſa priere une interpretation favorable.

ACTEURS.

L'ACCUSATEUR de Mélampe.

LE DEFENSEUR de Mélampe.

LE JUGE du Differend.

L'ACCUSATEUR *de Mélampe.*

C'Eſt avec beaucoup de regret, Meſſieurs, que je me vois obligé de citer aujourd'huy à voſtre tribunal, un homme, qui a merité juſqu'icy noſtre eſtime, & qui, par les ſervices importants, qu'il a rendus à cette ville, auroit droit encore à noſtre protection, ſi, par la plus grande de toutes les impietez, il ne s'eſtoit juſtement attiré la haine & l'indignation publique. Vous ſerez peut eſtre ſurpris d'entendre aprés cela nommer Mélampe, & vous n'aurez pas moins de peine à le croire coupable, que j'en aurois eû moy-meſme, ſi j'avois dû m'en rapporter au témoignage d'autruy; & ſi je n'avois entendu de mes oreilles, & veû de mes yeux, ce qui le rend criminel.

En vain ay-je taſché de le juſtifier dans mon eſprit, avant que de me porter pour ſon accuſateur; en vain ay je voulu me perſuader par quelque interprétation favorable d'une conduite irréguliere, qu'on pouvoit uſer de menagements en faveur de Mélampe, qui a vécu ſans reproche, & qui

qui s'eſt aſſez heureuſement ſouſtenu dans pluſieurs cures de maladies trés difficiles & tres opiniaſtres. Mais le moyen de garder quelques meſures, & quels adouciſſements eſt-il permis d'opporter, lorſqu'il s'agit de l'intereſt commun, & de détourner de deſſus nos teſtes les fleaux dont nous ſommes menacez.

Car enfin, Meſſieurs, ſi les vœux de Mélampe ſont exaucez, nous n'avons qu'à nous préparer à voir bientoſt inondée d'un déluge de maux cette grande ville, & au lieu de cette agréable ſanté, dont nous jouiſſons, par la grace des Dieux, nous allons reſſentir les triſtes effets des maladies les plus malignes. Ouy, Meſſieurs, Mélampe, ce fameux Medecin que vous connoiſſez, n'à pû ſouffrir que la ſanté fiſt un plus long ſejour parmi nous. La Medecine luy à paru trop oiſive pendant l'abſence de la maladie. Nous l'avons veû proſternè devant les autels: nous l'avons entendu conjurer les Dieux, d'une voix aſſez haute & aſſez diſtincte, pour n'en pas douter; ſouffrez, Meſſieurs, que je rapporte icy ſes propres paroles, & que je vous demande enſuite juſtice contre des prieres ſi impies. Grands Dieux, a-t-il dit, Souverains arbitres de nos deſtinées, faites que cette année me ſoit favorable, & que par voſtre ſecours je puiſſe avancer mes affaires.

En faut-il davantage, Meſſieurs, pour eſtre jugé digne des derniers ſupplices? Ne ſoyez pas ſurpris, ſi l'on s'eſt auſſi-toſt ſaiſi de ſa perſonne, ſi nous l'avons chargé de chaiſnes, s'il attend dans une obſcure priſon la rigueur de vos jugements. Ne s'eſt il pas condamné luy-meſme par ſa propre bouche, en proferant ces exécrables vœux? En effet, Meſſieurs, en quel autre ſens cette année peutelle eſtre ſavorable à Mélampe, ſi elle ne devient féconde en maladies? Comment un Medecin peut-il avancer ſes affaires, ſinon par les occaſions frequentes d'appliquer ſes remedes aux malades, ſans eſtre obligé de les guérir?

Ainſi, Meſſieurs, pour que les Dieux ayent égard aux prieres de ce Medecin charitable, il faut qu'il en couſte la vie à pluſieurs de nous, ou que noſtre ſanté du moins coure une infinité de riſques faſcheux, au milieu de cette multitude de maux, que Mélampe à conjuré contre nous. Ouy, Meſſieurs, cette douce temperature de l'air, que nous reſpirons, ſe va changer tout d'un coup dans les plus malignes influences: il ne ſortira plus de la terre & des eaux que de noires vapeurs, qui altereront les diſpoſitions heureuſes de nos corps; &, pour faire plaiſir à Mélampe, qui veut eſtablir ſa fortune ſur le débris de nos ſantez, toutes les ſaiſons ſe dérégleront, & nous ne verrons plus qu'un affreux cahos dans l'eſtenduë de cette contrée.

Eh! Meſſieurs, n'avons-nous pas aſſez de maux qui nous environnent de toutes parts, ſans importuner le ciel d'en augmenter le nombre? Noſtre vie n'eſt-elle pas aſſiegée d'accidents aſſez triſtes, ſans travailler encore par nous-meſmes à apeſantir le poids qui nous accable? Repoſons-nous ſur la multitude de nos crimes, & ſur la juſte indignation des Dieux, de toutes les playes qui nous attendent. Qu'eſt-il neceſſaire que nous en précipitions le cours? Pourquoy faut-il que ceux, qui par devoir & par eſtat, doivent guérir nos bleſſures, ou du moins en diminuer la vivacité par leurs remedes bienfaiſants, ſoient les premiers non ſeulement

ment à les irriter, mais meſme à les faire?

Ah! Meſſieurs, un bon Medecin ne doit s'approcher de ſon malade, qu' avec une extreſme douleur; il faut qu' il reſſente le premier la dure neceſſité où il ſe trouve, d' employer ſouvent les moyens les plus violents pour guérir le mal, il doit ſentir au fonds de ſon cœur toute l' amertume des breuvages, qu' il eſt obligé de faire prendre, pour reſtablir la ſanté. Et lorſque, malgré ſes ſoins & toute la vertu des medicaments, la violence du mal vient à prévaloir, il n' eſt rien au monde, qui doive conſoler le Medecin.

Quelle rigueur, Meſſieurs, ne doit donc pas éprouver Mélampe, qui bien éloigné de tous ces ſentiments ſi dignes de ſa perſonne & de ſa profeſſion, n' a rien oublié pour faire pleuvoir ſur nos teſtes les maladies les plus terribles? Devez vous épargner un homme qui a ſacrifié ce que nous avons de plus cher à ſon intereſt & à ſa fortune? Et celui-là merite-t-il de vivre, qui a mis en uſage les plus ferventes prieres, pour nous priver de la vie, ou de la ſanté?

LE DEFENSEUR

De Melampe.

Voicy, Meſſieurs, une nouvelle eſpece de crime, dont juſqu' icy on n'avoit point entendu parler dans cette auguſte Aſſemblée. On vient d' accuſer devant voſtre Tribunal un Medecin habile, homme d' honneur, & d' une probité reconnuë, s' il en fut jamais: & pour prix du zéle & de l' attachement, qu' il a toujours fait paroiſtre pour voſtre ſervice, on ne ſonge qu' à luy attirer les plus terribles arreſts de vos jugements.

Il eſt vray, Meſſieurs, & ce n' eſt pas mon deſſein de le deſavouer; il eſt vray, que Melampe, pouſſé par l' affection ſincere, qu' il a pour tous les citoyens de cette ville, s'eſt jetté aux pieds des autels, qu' il a conjuré les Dieux par les plus inſtantes prieres, de luy eſtre favorables pendant le cours de cette année, & d'exercer avec tant de ſuccés les merveilleux talents qu' il a receûs du ciel, qu'il puſt avancer ſes affaires.

Voilà, Meſſieurs, tout ce qui fait le crime de ma Partie; voilà, ſi l' on en croit ſon Accuſateur, ce qui le rend digne de voſtre colere & de voſtre indignation. Non, Mélampe n' a qù ſouhaitter d' exercer ſa profeſſion avec ſuccés, de ſe rendre utile à ſes citoyens, de les guérir de leurs maladies les plus dangereuſes, ſans devenir coupable du plus grand de tous les crimes, ſans encourir la diſgrace des Dieux, & ſans s' expoſer aux plus rigoureux chaſtiments.

Mais encore, Meſſieurs, que trouve t' on dans la priere de Mélampe de ſi criminel? Il a demandé, dit-on, que cette année luy fuſt favorable, & il ne l'a pû faire, ſans ſouhaitter en meſme temps qu'un déluge de maux vînt inonder cette grande ville. Quelle injuſtice, Meſſieurs, d'attribuer des ſouhaits ſi injurieux à un homme, dont toute l'application a toujours eſté de s' oppoſer aux progrés des maladies, d' en arreſter le cours par les remedes les plus ſeûrs, de les prévenir meſme par des précautions, qui ne peuvent partir, que d'un attachement ſincére pour voſtre ſanté.

Si Melampe, Meſſieurs, eſtoit de ces Medecins, qui ſe plaiſent à traiſner les maladies en longueur; qui d' une legére indiſpoſition trouvent

le ſecret d'en faire de véritables maux; qui dans l'exercice de leur art, pourveu qu'ils puiſſent s'enrichir, ſe mettent peu en peine de réchapper leus malades, ou de les mettre au tombeau; peut-eſtre auroit-on ſujet de donner une interprétation ſi maligne à la priere de Mélampe; on auroit lieu de déclamer contre luy; de ſe plaindre avec ſon adverſe Partie, que le nombre des maux qui nous aſſiégent de toutes parts eſt aſſez grand, ſans ſouhaiter de les voir encore augmenter, pour ſatisfaire à l'avarice d'un Medecin, qui met tout ſon bonheur dans le malheur d'autruy. Mais, non, Meſſieurs, il ne nous eſt pas permis de ſoupçonner riens de ſemblable de la probité de Mélampe; il n'a rien voulu demander aux Dieux, en leur addreſſant cette priere, qui fait le ſujet de noſtre conteſtation, ſinon de pouvoir eſtre cette année plus utile que jamais à nos beſoins; de connoiſtre parfaitement la nature de nos maladies, de les traiter avec ſageſſe, de faire un grand nombre de cures, qui augmentaſſent voſtre eſtime pour luy, & qui puſſent eſtablir de plus en plus la haute réputation, où il eſt depuis long-temps parmi nous. C'eſt la ſeule choſe qu'a prétendu Mélampe, en conjurant le Ciel que cette année luy fuſt favorable.

Ah! pluſt aux Dieux que tout ce qu'il y a de Medecins addreſſaſſent les meſmes vœux au ciel, & pluſt aux Dieux, que leurs prieres fuſſent écoutées! Nous ne verrions pas ſi ſouvent la mort braver impunement les remédes; nous ne ſerions pas obligez de nous plaindre que les Medecins par leur ignorance ou leur peu de ſoin, en mettent autant au tombeau pour l'ordinaire, qu'ils en entreprennent. Ouy, ſi chaque Medecin dans une profeſſion ſi délicate, où il eſt ſi aisé & ſi dangereux de ſe tromper, demandoit aux Dieux, dans la ferveus de ſes prieres, les moyens ſeurs de connoiſtre à fond la nature de nos maladies, la maniere de les traiter à propos, en un mot toute la ſageſſe néceſſaire pour y réuſſir, comme l'a demandé Mélampe; ah! ce ſeroit alors, qu'on verroit les hommes vivre des ſiecles entiers, & ne mourir qu'au bout d'une longue carriere par une pure défaillance de la nature!

Mais, helas! qu'il s'en faut bien que nous remarquions ce meſme zéle pour nos ſantez & pour nos vies dans ceux qui exercent la Medecine. Néanmoins nous ſommes contents de paſſer par toutes leurs ordonances, d'avaler les breuvages les plus amers, de mourir meſme dans toutes les formes & les regles de cet art incertain. Et lorſqu'un homme plus charitable & plus affectionné pour nous, ſe défiant de ſon ſçavoir & de ſon expérience, demande aux Dieux des ſecours particuliers, pour réuſſir dans ſa profeſſion; lorſqu'il ſouhaitte avec ardeur de ſe diſtinguer des autres par des ſuccés plus heureux, nous le trainerons à ce tribunal, nous luy ferons ſon procés, nous le condamnerons comme un monſtre indigne de vivre parmi nous? ah! quelle cruauté! faut il que trop d'empreſſement pour noſtre ſervice devienne un ſujet de reproche & de condemnation? faut il qu'un Medecin plein de zéle pour le bien de l'Eſtat périſſe, pour avoir conjuré le ciel d'adjouſter de nouveaux ſervices à ceux qu'il nous a deja rendus?

Mais à quoy bon cette priere, diſent les Ennemis de Mélampe? qu'eſtoit-il néceſſaire d'importuner les

Die-

Dieux dans un temps, où par la grace de ces meſmes Dieux nous jouiſſons d'une ſanté parfaite? d'où peuvent venir des vœux ſi extraordinaires, ſinon de l'impatience qu'il a de ne point avoir de malades, ſur leſquels il puiſſe exercer ſon art? Eh! que ſçavons-nous, Meſſieurs, ſi Mélampe n'a point eû quelque avertiſſment ſecret des fleaux que peuteſtre nous prépare la colere des Dieux? qui pouroit nous répondre, qu'il n'ait point leû dans le ciel les cauſes de quelques malignes influences, dont nous devons bientoſt reſſentir les effets; & que dans le deſir de remédier aux maux, dont il nous croit menacez, il n'ait ſupplié les Dieux de donner plus de force que jamais à ſes remédes; de luy découvrir les ſources véritables des maladies; de pouvoir appliquer à chaques maux les ſecours le plus convenables; en un mot de s'acquitter ſi bien de ſa profeſſion, que cette année luy ſoit auſſi heureuſe par les belles cures qu'il doit faire, qu'il prévoit peuteſtre, qu'elle doit eſtre malheureuſe par les maladies dont nous ſerons affligez?

Ah! Meſſieurs, encore une fois faut-il, que ce qui eſt un effet de la charité de Mélampe pour un chacun de nous, devienne pour luy un ſujet de crime? Un Medecin, a dit ſon Accuſateur, bien loin de ſouhaitter les maladies, ne doit voir qu'avec regret la néceſſité, où il eſt de faire ſes fonctions: il doit eſtre penetré des maux de ſon malade, autant que le malade meſme. Je le veux; car c'eſt ce qui juſtifie aujourd'huy l'infortuné Mélampe. Je vous en prens à témoins, Meſſieurs, l'a-t'on veû jamais approcher de ſes malades qu'avec les marques d'une véritable douleur? l'a-t'on veu s'entretenir de bagatelles, au lieu de s'informer de tous les ſimptoſmes de la maladie? l'a-t'on veû ſortir avec cet air d'indifférence, qu'on remarque ſur le viſage de la pluſpart de nos Medecins? Et quand la violence du mal prévalant à toute la force des remédes, a reduit ſes malades dans le tombeau, n'auroit-on pas dit que Mélampe avoit perdu ce qu'il avoit de plus cher?

Encore un mot, Meſſieurs, en faveur de l'innocence affligée, qui ſeul doit confondre ſes accuſateurs. Si Mélampe avoit pû former un deſſein ſi préjudiciable au public, n'auroit-il pas pris plus de précautions pour le cacher? ne ſe feroit-il pas éloigné de cette multitude de peuple, dont il eſtoit environné de toutes parts? n'auroit-il pas choiſi quelque lieu, d'où il pût addreſſer ſes prieres aux Dieux, ſans eſtre entendu de perſonne? Le crime eſt trop timide, pour ſe découvrir ainſi; il craint la lumiere, il cherche les tenebres, & rien ne luy fait plus de peine, que d'avoir des témoins. L'innocence au contraire ne craint point de ſe faire entendre, & elle ſe perſuade aiſément, que l'on jugera de ſes intentions avec toute la droiture, dont elle ſe rend témoignage à elle-meſme. N'eſt-ce donc pas la plus haute injuſtice, que de faire un crime à Mélampe d'une priere, qui par la ſeule maniere, dont il l'a faite, le juſtifie?

Mais quand Mélampe auroit eſté aſſez injuſte, pour vouloir profiter de nos malheurs, auroit-il eſté aſſez temeraire, pour prier les Dieux de luy accorder l'accompliſſement de ſes pernicieux deſirs? N'auroit-il pas deû craindre, que les Dieux irritez par ces vœux impies, ne fiſſent pleuvoir

ſur

ſur luy-meſme ce déluge de maux, qu'il vouloit attirer ſur la ville; & n'eût-il pas merité d'eſtre la premiere victime ſacrifiée à leur juſte vengeance?

Ne permetez donc pas, Meſſieurs, que la vertu demeure plus long-temps opprimée par une ſi noire calomnie. Faites éclater en ſa faveur les ſentiments d'équité qui accompagnent toujours vos jugements. Tout parle pour Mélampe; la juſtice de ſa cauſe, que je me flate de vous avoir démontrée; la probité que vous avez reconnuë dans toute ſa conduite; les ſervices ſignalez qu'il a rendus au public, & les ſecours puiſſants, que nous avons ſujet de en attendre dans la choſe du monde, qui nous intereſſe le plus. Ne privez donc pas la ville d'une perſonne qui luy eſt ſi néceſſaire; écoutez les vœux & les prieres de nos citoyens, qui vous en conjurent; laiſſez vous toucher à la voix d'une infinité de perſonnes qu'il a guéries, & qui ſe préſentent à vous, comme autant de preuves de ſon zéle & de ſon attachement pour nous. Réparez par une ſentence honorable l'affront qu'on luy a fait, de peur que les Dieux irritez de l'outrage commis en ſa perſonne, ne s'en vengent par la mort de pluſieurs de nous.

LE JUGE
du Differend.

Si jamais cauſe fut digne de toute l'attention de l'Aréopage, & de l'application particuliere des Juges auſſi éclairez & auſſi integres, que vous l'eſtes; c'eſt ſans doute, Meſſieurs, celle qui vient d'eſtre traitée de part & d'autre avec tant de chaleur. En effet l'affaire dont il s'agit n'eſt point du nombre des affaires ordinaires, dont la déciſion ſe trouve dans les Loix, ou dans l'uſage. Le crime qu'on vient de vous dénoncer eſt un crime d'une nouvelle nature; l'accuſation qu'on porte à voſtre tribunal eſt toute ſinguliere, & de quelque coſté qu'on enviſage ce qui fait le ſujet de la conteſtation préſente, on n'y apperçoit rien, qui n'ait un air de nouveauté.

Il s'agit de Mélampe, Medecin aſſez fameux dans cette ville, pour que ſon nom ne vous ſoit pas inconnu. On l'a trouvé de l'aveu de l'un & de l'autre party, dans un de nos Temples demandant aux Dieux avec d'inſtantes prieres, que cete année luy fuſt favorable, & que par leur puiſſante protection il puſt avancer ſes affaires.

Si nous en croyons l'Accuſateur, Mélampe n'a pû faire cette priere aux Dieux, ſans commettre un crime atroce & digne des derniers ſupplices. Car enfin, s'écrie-t'il, doit-il eſtre permis, qu'on demande impunement les choſes du monde les plus pernicieuſes au public? qu'un particulier prétende eſtablir ſa fortune ſur les ruines d'une ville entiere? & qu'un Medecin, qui graces aux Dieux, eſtoit depuis quelque temps ſans exercice, ennuyé d'un ſi long repos, veüille travailler aux dépends de nos ſantez, & faire mourir les autres, pour vivre plus agréablement luy-meſme? car voilà l'explication que l'Accuſateur donne aux vœux de Mélampe.

Celuy qui s'eſt chargé de le défendre, prétend, Meſſieurs, que la priere de Mélampe eſt avantageuſe à cette ville, bien loin de luy eſtre contraire: puiſqu'enfin ce n'eſt point la maladie, qu'il ſouhaitte, ni les facheux effets, qui la ſuivent, quoy qu'en diſe l'Accuſateur, mais pluſtoſt l'occaſion de ſignaler ſon zéle par la guériſon des maux qui pouroient arriver.

Mais

Mais examinons plus à loiſir les raiſons qu'apportent les deux Parties; l'une pour eſtablir l'accuſation qu'elle forme, l'autre pour la détruire; & peſons dans une juſte balance ce qu'ils alléguent pour confirmer ce qu'ils ont avancé.

D'abord celuy, qui fait le procés à Mélampe, ſe fonde, ſur ce que, demander une année heureuſe & favorable, c'eſt par rapport à un Medecin, demander les maladies les plus facheuſes & les plus cruelles. N'eſt-ce donc pas attirer ſur nous la colere des Dieux, adjouſte-t'il; & obliger ceux, qui veillent à noſtre conſervation d'une maniere particuliere, à changer tout d'un coup de volonté, & à nous accabler de maux, par complaiſance pour un Medecin, qui ſe laſſe d'eſtre ſans exercice? Eſt-ce donc quelque choſe de ſi triſte pour luy, que les Dieux nous ayent traité depuis quelque temps avec bonté, & que le chagrin de manquer d'employ, le porte à faire des vœus ſi préjudiciables au public?

Ces raiſons, Meſſieurs, paroiſſent fortes, mais elles ne ſont pas ſans réponſe. L'Advocat de Mélampe ſe récrie d'abord, ſur l'interprétation maligne que l'Accuſateur donne à ſes prieres, & continuant ſes juſtes plaintes, ſe pourroit-il faire, dit-il, qu'un Medecin fuſt aſſez injuſte, pour faire des vœux ſi pernicieux au genre humain? y auroit-il des ſupplices trop rigoureux, pour expier un crime ſi noir? Mais je veux, adjouſte-t'il, qu'il s'en trouvaſt quelqu'un de ce caractere, & ennemi juſques-là de noſtre bonheur, pour eſtablir ſa fortune ſur les débris de noſtre ſanté; la reputation d'homme d'honneur & de probité, que s'eſt acquiſe Mélampe parmi nous, ne permet pas qu'on le ſoupçonne d'un crime ſi horrible. Enſuite il vous a fait remarquer, Meſſieurs, que la maniere dont Mélampe a fait ſa priere, eſt une preuve ſeurè & inconteſtable de ſon innocence. Car ce n'eſt point dans un lieu écarté, vous a'il dit, ni en particulier: d'une voix baſſe & avec toutes les précautions, que prend un homme qui a de mauvaiſes intentions. C'eſt en public, en préſence d'un grand monde, d'une voix haute & diſtincte, & avec toute l'ouverture & la franchiſe d'un homme droit, qui ne craint point de reproche.

Cependant la Partie de Mélampe veut qu'il ait fait une injure atroce à nos Dieux; qu'il ait voulu les engager par ſa priere impie, à changer leur bienveillance, en la plus inſigne cruauté: Mais le Defenſeur de Mélampe nous a fait entendre, qu'il pouvoit y avoir du prodige dans cette meſme priere, & que bien loin que ces meſmes Dieux en ſoient offenſez, c'eſt peut-eſtre par leur inſpiration, que Mélampe l'a conceuë, aprés avoir eſté averti d'une maniere miraculeuſe des maladies dont nous eſtions menacez cette année. C'eſt donc pour demander aux Dieux des ſecours dans des beſoins preſſants qu'il s'eſt addreſſé à eux, & non pas pour les animer contre nous.

Enfin, Meſſieurs, l'Accuſateur pouſſant plus loin ſes invectives, veut que la conduit de Mélampe, & l'empreſſement extraordinaire qu'il a fait paroiſtre pour l'exercice de ſa profeſſion, eſt ſoit tout-à-fait opposé au caractere d'un Medecin charitable, qui doit, dit-il, compatir aux maux de ſes malades, ne s'employer qu'avec regret auprés d'eux, & ſentir toujours la fatale neceſſité, de ce que ſon bonheur particulier eſt attaché au malheur public. C'eſt pouſſer bien loin les obligations de la charité, que de vouloir faire un crime à un Medecin,

qui auroit manqué à repandre des larmes ſur les incommoditez de ceux qu'il traite, & cette morale eſt un peu ſévere dans la bouche d'un Avocat, qui travaille à la perte d'un malheureux.

Cependant cette charité, toute auſtere qu'elle eſt, n'a-t-elle pas eſté la vertu particuliere de Mélampe ? L'a-t'on veû jamais auprés d'un malade avec un air d'indifférence, qui fiſt croire qu'il ne reſſentiſt pas juſqu'au fond du cœur le mal qu'il taſchoit de guérir ? L'accuſera-t-on d'avoir employé le temps d'une conſultation neceſſaire en diſcours inutiles, ou, par trop de prévention pour ſes propres ſentiments, d'avoir eû de la peine de ſe rendre aux lumieres d'autruy, quand le malade en pouvoit retirer du ſoulagement ? Peut-on luy reprocher avec juſtice que l'amour du gain l'ait jamais fait agir, ou qu'il ait eſté plus ſenſible à la récompenſe, qu'au plaiſir d'avoir rendu la ſanté ?

En un mot, Meſſieurs, pour finir un ſi long Plaidoyer, & pour en revenir aux termes qui ſont le ſujet de la conteſtation. Demander une année favorable, ſouhaiter d'avancer ſes affaires, n'eſt point une priere, ce me ſemble, dans la bouche meſme d'un Medecin, qui doive paſſer abſolument pour impie; elle peut recevoir un bon ſens, & partir d'une volonté bien diſposée à ſervir le public dans ſes beſoins. Ainſi ne trouvant rien dans la vie de Mélampe, que l'Accuſateur meſme a épargnée, qui doive nous faire juger en ſi mauvaiſe part de ſes intentions: la haute idée que nous avons de l'illuſtre corps, dont il fait membre, ne permettant pas de ſoupçonner, qu'aucun de ceux, qui le compoſent, ſoit capable d'une action ſi noire : Enfin les ſignalez ſervices que cette ville a receûs de la Medecine nous obligeant de prendre en main les intereſts de chaque Medecin en particulier. Je conclus à renvoyer Melampe abſous; à le déclarer innocent du crime dont on l'accuſe; mais à l'avertir en meſme temps de faire ſes prieres avec plus de diſcrétion, & d'une maniere, qui ne puiſſe donner ſujet à aucun reproche. Ce ſont les Concluſions, que l'Aréopage, à ce que j'eſpere, confirmera par un Jugement définitif.

L'AMI

Digitized by Google

L'AMI CAUTION POUR SON AMI.

SECOND PLAIDOYER.

EXPLICATION DU SUJET.

Lucilius & Varus deux parfaits amis avoient eſté pris dans un combat. La mere de Lucilius ayant appris la captivité de ſon fils, en fut ſi penetrée de douleur, qu'à force de pleurer, elle perdit les yeux. Lucilius obtint du Tyran la permiſſion de venir conſoler ſa mere, aprés avoir promis par un ſerment ſolennel de ſe remettre dans les fers, & avoir engagé ſon ami Varus à répondre ſur ſa teſte de la fidelité des ſerments, par leſquels il s'engageoit au retour. La mere prétend avoir droit de retenir ſon fils auprés d'elle. Mais Lucilius ſans écouter ſa tendreſſe, au préjudice de la foy donnée & du peril de ſon ami, ſe condamne luy-meſme à revenir & à s'abandonner à la diſcrétion du Tyran.

Parleront dans ce Plaidoyer.

QUINTILIUS, pour la Mere de Lucilius.

STRABON pour Varus.

LUCILIUS pour luy-meſme.

L'ARBITRE & le Juge du Different.

QUINTILIUS

Pour la Mere de Lucilius.

QUoyque l'eſtat déplorable, où paroiſt devant vous une mere affligée, ſemble parler aſſez en ſa faveur, ſans avoir beſoin qu'une voix étrangére défende ſes intereſts: dans une cauſe néanmoins, où l'équité doit avoir plus de part que la compaſſion naturelle, je croirois manquer à mon devoir, ſi je n'expoſois dans cette auguſte Aſſemblée tout le droit, qu'elle a ſur voſtre protection.

Vous ne pouvez ignorer, Meſſieurs, les malheurs de cette Dame infortunée, & le ſujet qui l'amene à voſtre Tribunal, pour vous demander voſtre appuy. Elle avoit un fils qu'elle aimoit tendrement, un fils digne de la tendreſſe de ſa mere, mais trop vaillant pour reſter oiſif auprés d'elle, & pour ne pas ſouſtenir la gloire que ſe ſont acquiſe ſes anceſtres par la voye des armes. Je paſſe ſous ſilence toutes les belles actions qu'il fit, dans les combats que nous eûmes à livrer la derniere campagne;

Digitized by Google

de quelle maniere il ſe diſtingua dans la meſſée; juſqu'à ce qu'accablé par le nombre des ennemis il fut obligé de ſe rendre. On le mene devant le Tyran, il eſt chargé de chaiſnes, & mis au nombre des captifs. La mere toujours inquiéte pour ſon fils, ne fut pas long-temps ſans apprendre le malheur qui luy eſtoit arrivé; mais avec quelle douleur l'apprit elle? Concevez-la, Meſſieurs, auſſi vive que vous le pouvez; ce que vous en concevrez n'en approchera jamais. Elle s'abandonne à la triſteſſe, elle éclate en ſoupirs, elle ſe livre au déſeſpoir le plus affreux: quelque effort qu'on faſſe pour la conſoler, rien ne peut calmer ſon tourment. Occupée qu'elle eſt nuit & jour de ſon fils, elle pleure ſans diſcontinuer; & ſes yeux devenus deux ſources inépuiſables de larmes, s'affoibliſſant peu a peu ceſſent enfin de voir le jour.

Le fils ne fut pas inſenſible à la diſgrace de ſa mere; & ſçachant que c'eſtoit à ſon ſujet qu'elle avoit perdu les yeux, il fit ce qu'un fils bien né devoit faire, & ce que vous attenderiez, Meſſieurs, de vos enfants dans une ſemblable occaſion. Il eſtoit lié d'amitié avec un autre captif, & leur attachement l'un pour l'autre eſtoit de ces liaiſons, qui ne peuvent céder qu'à celle du ſang. Il découvre ſa peine à ſon ami, & le deſir qu'il a d'aller conſoler ſa mere ſur un accident ſi ſenſible. Ils vont tous deux trouver le Tyran, pour demander cette grace, ils l'obtiennent, mais à des conditions bien dures; qui obligent l'un à revenir ſe mettre dans les fers aprés un certain temps, & l'autre à répondre ſur ſa teſte de la fidelité de ſon ami. Celuy-cy engage ſa parole, il part; il arrive, Meſſieurs, cet enfant ſi cher à ſa mere. Il eſt maintenant auprés d'elle pour lui rendre tous les bons offices, qu'elle en peut attendre. Mais le temps marqué par le Tyran s'approche; & s'il faut que ce fils infortuné ſe ſépare encore une fois de ſa mere, ne doutez pas, qu'aprés avoir perdu les yeux, elle ne perde bien-toſt la vie.

C'eſt à vous, Meſſieurs, à décider, ſi les droits de l'amitié doivent l'emporter ſur les droits de la nature, & du ſang. Je ne vous repréſenteray point icy la déſolation d'une mere, que la ſeule penſée d'une ſéparation ſi cruelle a deja jetté dans la derniere affliction: je ne vous feray point un récit des rigueurs qu'a daja ſouffert ce malheureux citoyen, qui n'eſt malheureux, que pour avoir trop aimé ſa patrie; & qu'une affreuſe captivité attend à ſon retour pour prix de ſon courage & de ſa vertu; je n'ay beſoin que des Loys pour appuyer les prétentions de la mere, & pour juſtifier le droit qu'elle a de retenir ſon fils auprés d'elle.

Les Loys vous ſont connuës, Meſſieurs: les termes en ſont ſimples & expreſſifs. Les Enfants ſont obligez de ſecourir leurs peres & meres dans leurs beſoins. Quoy de plus juſte, mais quoy de plus indiſpenſable? Cette Loy n'excepte perſonne; elle ne marque aucune circonſtance, où l'on ne ſoit pas obligé de la garder: & s'il s'en eſtoit trouvé quelqu'une de cette nature, le ſage Legiſlateur n'auroit pas manqué de s'en expliquer. Mais quelle exception pouvoit ſouffrir une Loy, qui n'eſt portée qu'en faveur de ceux de qui nous tenons le jour, & qui eſt fondée ſur les obligations, que nous leur avons? Car qui ne ſçait que les hommes ont des devoirs, qui les obligent réciproquement les uns envers les autres? que la ſocieté humaine a ſes liaiſons; & que plus ces liaiſons ſont eſtroites, plus

plus auſſi les obligations ſont néceſſaires?

Que ſi Lucilius ſe fait un ſcrupule d'abandonner ſon ami dans le danger; s'il ſe croit criminel de violer en cela les loys de l'amitié; quelle ideé laiſſeroit-il de ſon équité, s'il devenoit inſenſible aux malheurs d'une mere; & quel reproche n'auroit-il pas à ſe faire d'avoir écouté ſi peu les Loys les plus inviolables de la nature & du ſang? Car ce ne ſont point ſeulement les Loys humaines, qui obligent les Enfants de ſecourir ceux dont ils ont receû la vie. C'eſt un devoir que la nature impoſe en naiſſant à tout le monde; devoir univerſel, devoir qui n'a point de bornes, devoir qui les oblige juſqu'à ſacrifier leur propre vie, s'ils ne peuvent autrement les garantir des malheurs dont ils ſont menacez.

Que deviendra donc ce pouvoir ſi juſtement acquis à ceux qui nous ont mis au monde; ſi une mere affligée n'a pas le droit de retenir ſon fils auprés d'elle dans des circonſtances, où elle ne peut ſe paſſer de ſon ſecours? Quoy privée qu'elle eſt de la plus grande douceur qu'elle puiſſe avoir dans la vie, elle ne retrouvera pas du moins en ſon fils le peu de conſolation qu'elle en peut attendre? Condamnée à ne voir jamais la lumiere du jour, elle aura encore le déplaiſir de ſe voir condamnée à mourir de regret? La plus tendre & la plus courageuſe de toutes les meres ſera la ſeule qui ne jouira pas du privilége, qu'on ne pourroit refuſer à toute autre? Seriez vous aſſez inhumain, Lucilius, pour vous arracher d'entre ſes bras, & pour luy ravir le ſeul adouciſſement, dont elle ait pû ſe flater? Helas! depuis voſtre retour, ſes larmes ne ſont plus que des larmes de joye. Contente de vous poſſeder, il ſemble qu'elle ne ſoit plus ſenſible à ſa diſgrace; & pourveû qu'elle vous ſçache auprés d'elle, c'en eſt aſſez, pour ne plus regretter la perte que vous luy avez cauſée. Ah! faudroit-il qu'un vain ſcrupule vous fiſt balancer ſur le party que vous avez à prendre? Une parole arrachée par le Tyran, auroit-elle ſur vous plus de force, que toutes les Loys les plus ſaintes? & la crainte d'expoſer un ami, pourroit-elle l'emporter ſur celle de faire mourir une mere?

Mais que dis-je? & quelle peinture voudriez-vous nous faire du Prince qui vous retenoit dans les fers? Compaſſible aux malheurs d'une famille déſolée, il s'eſt laiſsé toucher à vos prieres: il n'a pû tenir contre les marques réciproques, que la mere & le fils ſe ſont données de la tendreſſe la plus héroïque; la génerosité d'un ami, qui s'eſt dévoué pour voſtre ſervice, luy a fait céder à tous les droits que lui donne ſa victoire. Enfin ſans écouter tous les juſtes ſujets qu'il avoit de croire qu'on mettroit des obſtacles invincibles à voſtre retour, il a conſenti volontiers à voſtre départ. Et vous voudriez croire, que devenu tout d'un coup le plus barbare & le plus inhumain de tous les hommes, il déchargeaſt ſes reſſentiments ſur une victime infortunée, qui ne ſeroit devenuë coupable que par trop de généroſité? Non n'apprehendez rien pour Varus, la condeſcendance que ce Prince a fait paroiſtre pour vous, nous répond de la clemence qu'il aura pour cet ami ſi fidelle. Il ſera touché plus que jamais de ſa conſtance. Ses malheurs luy parleront en ſa faveour, & inſtruit d'ailleurs des combats, que vous avez ſouſtenus pour ſatisfaire à voſtre promeſſe, il ne pourra ſe réſoudre à punir ce, qui n'aura pas eſté en voſtre pouvoir

voir d'éviter. Laiſſez-vous donc fléchir par tant de raiſons ſi juſtes ; rendez-vous aux tendres empreſſements d'une mere, qui merite par tant de titres la grace qu'elle vous demande. Souvenez-vous des ſoins qu'elle a eûs de vous dans voſtre enfance, de la noble éducation qu'elle vous a donnée ; des inquietudes que luy a cauſées voſtre abſence, de l'eſtat douloureux où l'a réduite voſtre captivité. Songez à quelles extremitez la réduiront vos refus ; & ne ſoyez pas aſſez impitoyable, aprés luy avoir fait perdre les yeux, pour luy porter le coup de la mort.

Pour vous, Meſſieurs, quelque réſolution que puiſſe prendre le fils au préjudice de ce qu'il doit à ſa mere, c'eſt à voſtre prudence & à voſtre équité à regler ſa conduite. Vous eſtes les protecteurs & les défenſeurs des Loys. C'eſt par vos ſages déciſions, qu'elles conſervent toute leur force, & elles n'ont de vigueur que par l'appuy que vous leur donnez. Faites éprouver aujourd'huy à cette mere affligée, que pour eſtre malheureux, on n'en eſt pas traité moins favorablement, quand on a pour Juges des perſonnes auſſi équitables que vous l'eſtes. Si les peines qu'elle ſouffre vous ont touché; ſi les larmes, dont vous avez eſté les témoins, ont excité voſtre compaſſion pour elle, nous oſons dire cependant, que nous ne comptons point tant ſur la ſenſibilité de vos cœurs, que ſur voſtre équité & ſur la bonté de noſtre cauſe. Ainſi nous eſperons, que par un arreſt déciſif, vous obligerez Lucilius à reſter auprés de ſa mere, malgré toutes les raiſons qu'il croit avoir de s'en devoir ſeparer.

STRABON,

Pour Varus captif contre Lucilius & ſa Mere.

Ne croyez pas, Meſſieurs, que je paroiſſe devant cet auguſte Tribunal, pour blamer une mere infortunée, dont la tendreſſe fait tout le malheur, & dont l'injuſte empreſſement n'eſt qu'un effet de l'amour qu'elle a pour ſon fils. Bien loin de la vouloir inſulter dans ſa diſgrace, je prends plus de part que perſonne à ſon infortune; & il n'y a point d'employ que je priſſe plus volontiers, que celuy de parler en ſa faveur. Ouy, Meſſieurs, je m'eſtimerois heureux de faire entendre aujourd'huy ma voix, pour procurer à cette mere tendre & généreuſe tout ce qui ſeroit capable de ſoulager ſa douleur, perſuadé que je trouverois en vous les diſpoſitions les plus favorables, pour adoucir les peines que vous plaignez.

Il eſt vray qu'il n'y auroit point pour elle de conſolation plus ſenſible, que de retenir ce cher fils, qui luy a couſté tant de larmes. Si elle n'avoit le plaiſir de le voir, elle auroit du moins celuy de le ſçavoir auprés d'elle, & de ſe dédommager dans de continuels embraſſements, de la perte qu'elle a faite de ſes yeux en le pleurant avec excés. Mais helas ! le moyen de luy accorder une grace, qui ſeroit ſuivie de tant d'injuſtice? peut-elle elle-meſme, toute paſſionée qu'elle eſt pour ſon fils, perſiſter plus long-temps dans une demande, à laquelle on ne peut avoir égard, ſans rendre ce meſme fils coupable d'infidelité & de parjure ? ſans faire perdre la vie à cet ami malheureux, dont je prends icy la défenſe, ſans oſter à la République l'eſperance de recouvrer un

jour

jour dans la perſonne de Lucilius un citoyen, dont elle a receu des ſervices ſi ſign lez, & dont elle peut encore en attendre de plus conſidérables ? Ce ſont les raiſons, Meſſieurs, qui ne vous permettent pas d'écouter des prieres, qui dans d'autres circonſtances que celles-cy meriteroient d'eſtre exaucées. Ce ſont les motifs qui doivent obliger Lucilius à retourner vers le Tyran, & à ſacrifier les intereſts de ſon amour & de ſon repos, à ceux de la juſtice & de ſon devoir.

Car autrement que deviendroit la bonne foy ſi neceſſaire parmi les hommes & dans le commerce de la vie civile? quel fond pourroit-on faire deſormais ſur la ſainteté des ſerments, & ſur le reſpect que l'on doit aux Diex; s'il eſtoit permis à Lucilius, malgré les engagements indiſpenſables qu'il a contractez, de manquer à ſa parole, & de ſe rendre aux inſtances de ſa mere au préjudice de la foy qu'il a ſi ſolennellement jurée?

Car vous n'ignorez pas, Meſſieurs, à quelles conditions le Tyran s'eſt laiſſé fléchir à ſes prieres. Vous ſçavez par combien de ſerments s'eſt engagé Lucilius à ſe remettre dans les fers, dès qu'il auroit ſatisfait aux empreſſements d'une mere affligée, qui ne demandoit pour toute conſolation avant la mort, que pouvoir embraſſer ſon fils. C'eſt aux pieds des autels, qu'il a pris les Dieux à témoins de la ſincerité de ſes promeſſes: c'eſt à la veuë d'un peuple entier qu'il a fait des proteſtations, dont rien ne ſeroit jamais capable de le dégager. Et l'on voudroit à preſent que par une molle & laſche complaiſance, il devînt infidelle & parjure; &, qu'oubliant en un moment les obligations les plus indiſpenſables, il ſe convriſt d'un opprobre éternel, & ſe rendiſt criminel devant les Dieux de l'impieté la plus abominable?

Cependant on a fait parler les Loys humaines; on a fait retentir avec beaucoup de force la voix de la nature, & de la reconnoiſſance: mon Adverſaire, pour en faire valoir tous les droits n'a rien oublié de cette vive & noble éloquence, qui fait depuis long-temps le ſujet de nos admirations. Si l'on en croit ce qu'il vous a dit, c'eſt fouler aux pieds ce que Loys ont de plus ſaint, que de refuſer à une mere, dans l'eſtat où elle ſe trouve, le ſecours qu'elle peut attendre de ſon fils. Mais ce défenſeur des droits de la mere, a-t-il fait réflexion, que ce fils n'eſt plus à luy, pour pouvoir diſpoſer de luy-meſme, ni à la mere, pour qu'elle en exige le ſervice qu'elle prétend? Le ſort funeſte des armes l'a fait tomber ſous une puiſſance étrangerre. S'il a briſé ſes fers, s'il a reveû ſa chere patrie, s'il a joüi des embraſſements de ſa mere, c'eſt une indulgence du Tyran, dont il ne peut abuſer, ſur tout ayant rendu les Dieux garands de ſa fidelité.

Mais quand il ſeroit permis de violer la foy ſi ſolennellement donnée; quand il n'y auroit rien à craindre de la colere des Dieux toujours vengeurs des parjures; faut-il, Meſſieurs, qu'il en couſte la vie à l'infortuné Varus, & que ce généreux citoyen devienne la victime du funeſte plaiſir que gouſteroit Lucilius auprés de ſa mere? Car s'il ne retourne, Meſſieurs, in n'y a point de ſupplice qu'on ne ſoit preſt d'exercer ſur l'innocent Varus. Le fer, le feu, & ce qu'il y a de tourments les plus cruels feront les rudes épreuves qu'on luy deſtine; Et vous, Lucilius, qui luy avez juré cent fois une amitié inviolables, vous ſouffririez cette injuſtice? vous ſeriez capa-

capable d'une ſi honteuſe ingratitude, & d'une ſi noire perfidie envers un ſi genereux ami? Seroit-ce ainſi que vous reconnoiſtriez le ſervice qu'il vous a rendu aux dépens de ſa liberté & au péril de ſa vie, par l'engagement dans lequel il eſt entré, pour vous procurer la conſolation de revoir voſtre mere? mérite-t-il cette récompenſe? & ſa teſte, qui doit répondre de la fidelité de vos ſerments, ſera-t-elle inhumainement proſcrite, ſans que vous vous mettiez en devoir de la ſauver? Vous ſuffira-t-il d'eſperer, comme le Défenſeur de voſtre mere a voulu nous le perſuader, que le Tyran ſe laiſſera toucher au malheur de Varus; qu'il épargnera ſa vie; & qu'il ne ſera jamais aſſez cruel, pour verſer un ſang innocent? Ah! que c'eſt mal connoiſtre le caractere d'un Tyran, que de ſe flater de cette pensée! Non, non; un Tyran mépriſé, un Tyran à qui on a manqué de foy, ne peut manquer de ſe venger. Il ne ſouffrira pas, qu'on luy arrache ſa proye, ſans punir celuy qui en répond. Connoiſſez mieux les Tyrans Lucilius, connoiſſez mieux, juſqu'où va leur fureur. Si vous abandonnez voſtre ami, c'en eſt fait; ſa perte eſt aſſeurée, ſa mort eſt inévitable.

Mais que dis-je? vous avez donné trop de preuves de génerosité & de grandeur d'ame, pour eſtre capable d'une ſi noire perfidie. Les larmes & les ſanglots d'une mere déſolée, n'ont point ſurpris voſtre vertu; & l'amour du ſang & de la nature ne prévaudra jamais ſur celuy de la Iuſtice & de l'honeur.

Et vous, meré infortunée, eſſuyez ces pleurs, & faites tarir ces larmes, la cauſe & la ſource de voſtre diſgrace. N'exigez point de voſtre fils ce qu'il ne doit, ni ne peut vous accorder. Il ne ſeroit plus digne de vous, s'il eſtoit capable d'une infidelité ſi monſtrueuſe, & vous luy devriez pluſtoſt ſouhaitter la mort, qu'une vie couverte de la plus honteuſe infamie.

Pour vous, Meſſieurs, qui veillez avec tant de ſoin au bonheur de l'Eſtat, & qui ſouſtenez avec tant de fermeté les droits de l'innocence affligée, illuſtres Magiſtrats, qui repréſentez icy la perſonne des Dieux; uſez de la puiſſance qu'ils vous ont mis entre les mains, pour les faire reſpecter. Empeſchez qu'on ne les offenſe par le plus horrible de tous les ſacriléges; faites-nous juſtice contre les ſurpriſes d'une éloquence érudiée. Enfin conſervez-nous dans la perſonne de Varus un citoyen généreux, qui n'eſt en danger de ſa vie, que pour avoir défendu ſon pays avec honeur, & ſouſtenu nos intereſts aux dépens de ſa liberté.

LUCILIUS
pour luy-meſme.

Que ce fut, Meſſieurs, un heureux jour pour moy, lorſqu'aprés une ſéparation de pluſieurs annés, j'eûs la conſolation de revoir une mere, que je n'avois quittée qu'à regret. Oubliant alors toutes les fatigues, que j'avois eſſuyées dans une guerre longue & pénible, je me ſentis transporté de joye, il me ſembla renaiſtre de nouveau à la veüe de la maiſon maternelle; & celle qui m'avoit donné le jour, rappella dans mon cœur tous les ſentiments de tendreſſe que la nature y avoit gravez Dans ce tranſport, je ne fus plus maiſtre de moy; ma joye éclate ſur mon viſage, mes yeux ſe répandent en pleurs; j'approche de l'objet que je cheris, je me jette entre ſes bras, je l'embraſſe... mais helas! quel triſte ſpectacle

pour

pour moy ! Je ne retrouve plus ma mere dans ma mere ! cette grace, cet air, cette beauté, qu'elle avoit à mon départ, ne ſont plus ; les larmes qu'elle a verſées ont effacé ces premiers traits ; ces yeux qui n'eſtoient ouverts que pour me voir, ont perdu la lumiere ; & qui eſt cauſe d'un ſi cruel changement ? helas ! c'eſt moy, c'eſt mon abſence.

Ah ! falloit-il, mere infortunée, pouſſer voſtre amour ſi loin pour un fils qui le meritoit ſi peu ? Que ne ſuis-je demeuré auprés de vous ? malheureuſe guerre, pourquoy m'as tu arraché de ſon ſein ? Et toy, cruel Tyran, devois tu me permettre ſi tard de la revoir ; Inflexible à mes prieres tu m'as laiſſé languir dans les fers ; tu ſçavois qu'elle ſouffroit avec impatience ma captivité, qu'elle ſoupiroit aprés mon retour, qu'elle gémiſſoit, qu'elle pleuroit ; tu le ſçavois, & plus dur qu'un rocher tu ne t'es pas tendu à ſa tendreſſe ; tu as voulu que mon eſclavage fuſt un ſupplice pour la mere & pour le fils. Que dis-je ? tu as eu enfin, impitoyable Vainqueur, quelque compaſſion de l'un & de l'autre ; mais que la joye que tu m'as accordée m'a couſté chere ! Il ſeroit bien plus à ſouhaitter pour moy, de n'avoir jamais eu ce bonheur, & d'eſtre toujours dans les fers, puiſque je dois y retourner !

Apprenez icy, Meſſieurs, l'embarras où je me trouve : Je n'ay pû obtenir du Tyran la grace de revoir ma patrie, qu'en me déchargeant de mes chaiſnes ſur un ami, & en m'obligeant par ſerment de venir les reprendre. Je ne ſuis donc icy qu'à cette condition ; le temps meſme de mon depart eſt arrivé ; les liens de l'amitié me rappellent ; je ne refuſe point de partir ; mais je me ſens retenu par les liens de la nature, liens non moins ſacrez, que ceux de la plus ſincere amitié.

Je ſçais tout ce que je dois à ce genereux ami, qui a engagé ſa vie avec tante de courage, pour ſatisfaire ma tendreſſe. Je reconnois les obligations que m'impoſe la parole que j'ay ſi ſolennellement donnée, je n'ignore pas la fidelité que je dois aux Dieux, que j'ay pris à temoins de mes ferments : je prevois toutes les cruautez qu'on ne manquera pas d'exercer ſur cette innocente victime, qui doit porter la peine de ma perfidie ; mais je ſçais auſſi ce que je dois à la meilleure de toutes les meres : Je reſſents toutes les peines qu'elle s'eſt données de mon éducation ; je vois ce que luy a couſté ſa tendreſſe pour moy ; ce qu'elle attend de ma reconnoiſſance dans l'eſtat déplorable où elle eſt reduite ; le deſeſpoir affreux, où je la vais jetter, ſi je ne me rends à ſes inſtances !

Que faire, Meſſieurs, dans ces triſtes conjonctures ? quel party prendre dans cette cruelle incertitude ? Devoirs, Fidelité, Tendreſſe, Reconnoiſſance, à qui de vous obéïray-je en ce jour ? ſeray-je ingrat envers une mere, dont j'ay causé tous les malheurs ? Mepriſeray-je les Dieux vengeurs des Impies & des parjures ? Condamneray-je une mere à des regrets eternels, & peut-eſtre à expirer à mes yeux ? Livreray-je un ami aux ſupplices les plus cruels, & à toutes les horreurs de la mort ? Le puis-je ? helas ! ſi rien n'a balancé dans ſon cœur l'amour étroite qu'il a pour moy ; doit-il y avoir quelque choſe dans le mien qui l'emporte ſur ma tendreſſe ? Aprés qu'il a tout ſacrifié pour mes intereſts ; uſeray-je de reſerve à ſon égard ? Lache ! ou renonce à l'amitié, ou remplis en les devoirs. Mais quoy ; où eſt la diferen-

ſerencé que je dois aux ordres d'une mere? ſes prieres ne feront-elles aucun effet ſur mon inſenſible cœur? ſa douleur me ſera-t'elle indifférente? verray-je d'un œil tranquille couler ſes pleurs? ſigneray-je par mon départ l'arreſt qui la doit condamner au tombeau, ou du moins à des larmes éternelles? Pourquoy partir? qui l'ordonne, quand les Loys de la nature & du ſang me le défendent? Tout me déſeſpere, de quelque coſté que je me tourne; je ne vois point d'iſſuës par où ſortir de ce funeſte embarras!

Juſte ciel! qui voyez mes peines, & les agitations de mon cœur, lancez ſur moy voſtre foudre, finiſſez, en m'oſtant la vie, les ennuys cruels qui me dévorent! je m'offre volontiers à tous vos traits. Faut-il verſer mon ſang, faut-il donner ma vie, je la donneray ſans peine: la mort da plus triſte aura pour moy des charmes, s'il ne m'eſt parmis de vivre, que par une action qui me rende indigne de la vie. Trop heureux de rendre aux Dieux, à une mere, à un ami un bien, qui leur appartient par tant de titres!

Mais helas! il ne m'eſt pas permis de finir mes triſtes jours! Vous voulez que je faſſe un choix, grands Dieux! & que malgré toutes les répugnances que j'y ſens, je me détermine à le faire! Eh bien donc, puiſqu'il faut choiſir, excuſez ſi je m'égare dans le party que je vas prendre; imputez mon erreur à la foibleſſe de mon eſprit, & non point à la malice de mon cœur. Ou pluſtoſt aidez-moy, Grand Dieux! dans une réſolution de cette nature; éclairez-moy de vos lumieres; inſpirez-moy une force ſecrette, pour vaincre tous les obſtacles, qui pourroient s'oppoſer à ce que vous jugerez de plus juſte & de plus raiſonnable. Ah! je ſens un nouveau feu, qui m'anime! je crois voir le chemin que je dois ſuivre, c'en eſt fait; j'ey pris mon party.

Excuſez, Madame, ſi je me determine à faire un choix contraire à vos deſſeins: pardonnez, ſi je ne vous obëïs plus déſormais. Je l'ay fait, quand je l'ay pû ſans crime, aujourd'huy que je ne le puis faire ſans reproche, n'exigez point de moy une laſche complaiſance. Il faut vous quitter; c'eſt mon devoir qui l'ordonne. Aprés tout de quelle utilité vous ſeroit icy ma préſence? Elle vous conſoleroit moins, que mon crime ne vous affligeroit. Qu'y auroit-il dans un perfide, que de rebutant, que d'indigne de vous? Reconnoiſtriez-vous voſtre ſang dans un laſche? Vous me renonceriez ſens doute, vous rougiriez de m'avoir pour voſtre fils. La parole, vous le ſçavez, eſt une choſe ſacrée & inviolable; je l'ay donnée, je la tiendray. J'ay ſatisfait par mon ſeour à ce que je vous devois; il faut que je ſatisfaſſe par mon retour au Prince qui m'a moins rendu la liberté, qu'interrompu pour un temps ma priſon.

Non, Madame, il ne faut point ici nous attendrir: n'accablez point de vos larmes un fils qui ne reſſent deja que trop la perte qu'il va faire: Rappellez pluſtoſt ces grandes maximes, ces nobles ſentiments, que vous m'avez inſpirez tant de fois dès mes plus tendres années. Forcez, s'il ſe peut, voſtre amour à ſe taire: qu'il ſe laiſſe vaincre, ſans murmurer. N'écoutez que la raiſon; contemplez à cette lumiere mes engagements. Joignez vous vous-meſme à moy, pour fortifier mon cœur: ſouſtenez ma foibleſſe. J'ay beſoin maintenant de tout mon courage; car enfin, il nous faut ſéparer; il faut nous quitter il eſt temps de dégager mes ferments, d'accomplir ma pro-

promeſſe; & ſi je ne retourne promptement, le ſang d'un ami ſera le prix de mon infidélité.

Au reſte, Madame, ſoyez perſuadée que la Republique ne vous abandonnera point, elle eſt gouvernée par des perſonnes trop équitables, pour ne pas rendre juſtice au mérite & à la vertu. Elle vous ſecourera dans vos beſoins, elle vous ſouſtiendra dans vos malheurs, & vous conſolera dans vos diſgraces.

Et vous, Meſſieurs, ſouffrez que je vous recommande une mere affligée. Qu'elle trouve en vous toute la douceur, qu'elle eſperoit d'un fils, que le ſort des armes luy ravit. Je la confie à vos ſoins; ſoyez ſon appuy & le ſouſtien de ſa vieilleſſe; eſſuyez ſes larmes; donnez cette conſolation à un fils, qui vous la demande avec inſtance. Rien n'eſt plus capable d'adoucir les rigueurs de ma priſon. Quelques traitements qu'on me reſerve, je ne ſeray malheureux qu'à demi, quand je ſçauray que ce que j'aime le plus au monde, ne le ſera pas. Si mon ſang prodigué tant de fois, ſi les playes que j'ay receües pour la Patrie, ſi les plus grands dangers cent fois bravez méritent quelque choſe; que c'en ſoit-là la récompenſe; vous ne m'en pouvez donner qui me ſoit plus agréable. Quelle joye pour mon ami, pour tous ceux qui gémiſſent avec luy dans les priſons de nos ennemis, lorſqu'ils apprendront, que la Republique reconnoiſt leurs ſervices, & que ne le pouvant faire dans leurs perſonnes, elle le fait dans celles qui les touchent de plus prés. C'eſt la grace, Meſſieurs, que j'attends moins de mon zéle & de mon attachement pour la Patrie, que de voſtre bonté & de voſtre générosité.

L'ARBITRE ET LE JUGE *du Différend.*

Vous venez d'entendre, Meſſieurs, quelle eſt l'affaire ſur laquelle vous avez à prononcer. On demande, ſi la religion du ferment fait en préſence des Dieux Immortels peut diſpenſer d'une loy, que ces meſmes Dieux ſemblent avoir gravée dans le cœur de tous les hommes. Si un fils peut devenir dénaturé pour ne pas devenir ſacrilége: en un mot, s'il eſt permis d'abandonner une mere accablée de miſeres & preſte à mourir de douleur, pluſtot que d'abandonner un ami expoſé à perdre la vie, pour s'eſtre rendu caution du retour de ſon ami. Avant que de paſſer outre, nous croyons, Meſſieurs, qu'il eſt de noſtre devoir de vous retracer en peu de mots, ce qui a donné lieu à la conteſtation d'entre les Parties.

Deux jeunes hommes pleins d'une noble émulation, aprés avoir donné des preuves éclatantes de leur valeur, ſont pris par les ennemis, conduits au Tyran, & enfermez dans une étroite priſon. Que fit alors cette mere deſolée, qui reclame aujourd'huy l'autorité des Loys? Diſons mieux: que ne fit-elle point? Elle employe ſes amis, ſon credit, ſon bien: elle met tout en uſage pour procurer la liberté de ſon fils. Mais perdant bientoſt toute eſperance, elle n'écoute plus que ſa douleur, elle s'abandonne aux pleurs & aux gemiſſements. à force de pleurer, ſa veüe s'éteint, ſes yeux s'obſcurciſſent, & ſe ferment pour toujours à la lumiere.

Un eſtat ſi digne de compaſſion, n'eſt pas inconnu au Tyran. Qui le croiroit, Meſſieurs; il en eſt touché: il permet que ce fils ſi chéri ſoit ren-

du à ſa mere, qu'il vienne eſſuyer ſes larmes, qu'il adouciſſe par ſa préſence des maux, qui ne peuvent finir qu'avec la vie. Mais comme un Tyran n'eſt pas capable de toute la généroſité qu'inſpire la vertu, il ne conſent à cette action de pieté, que ſous des conditions très-dures; qu'aprés que ſon priſonnier s'eſt obligé par ſerment à rentrer dans les fers, & que le compagnon de ſes diſgraces a préſenté ſa teſte pour gage de la fidélité de ſon ami. A peine ce fils infortuné eſt il ſorti de priſon, qu'il accourt chez ſa mere, il ſe jette à ſes pieds; & penetré de douleur & de reconnoiſſance, aprés luy avoir dit tout ce qu'il croit capable de la conſoler, il s'explique avec elle, il luy fait entendre la néceſſité où il eſt de rentrer dans l'eſclavage.

Diſpenſez-nous, Meſſieurs, de vous repréſenter le douleur de cette mere infortunée, qui ſe paſme à cette triſte nouvelle entre les bras de ſon fils. C'eſt en vain qu'elle prétend le retenir; priéres, careſſes, menaces, tout devient inutile. Il ſeroit deja parti, ſi l'on ne l'eût cité à voſtre Tribunal, & ſi on n'eût imploré contre luy l'aſſiſtance des Loys. Vous avez entendu, Meſſieurs, tout ce qu'on vient de dire en faveur de cette mere affligée. On vous a fait voir, que rien n'eſtoit mieux eſtabli, que la puiſſance des peres & des meres ſur leurs enfants; que toutes les Loys vouloient, que ces enfants fuſſent abſolument ſoumis à leurs ordres; que leur premier devoir eſtoit de les aſſiſter dans leus miſeres, de les ſoulager dans leurs infirmitez, & de les conſoler dans leu afflictions. Qu'eſt-il néceſſaire, a-t'on ajouſté, d'avoir recours aux Loys, pour prouver une vérité ſi univerſellement receüe? ne ſont-ce pas-là les premiers ſentiments, que la nature prend ſoin d'inſpirer elle-meſme à tous les hommes? Qu'on conſulte les peuples les plus groſſiers; qu'on interroge les nations les plus barbares; elles conviendront toutes de l'obligation indiſpenſable, que les Enfants contractent en naiſſant, d'expoſer meſme juſqu'à leur vie, pour conſerver celle de ceux, de qui ils l'ont receüe. On ne prétend point en venir à de ſi rudes épreuves; on demande ſeulement qu'un fils ſoit tenu de ſecourir ſa mere: qu'il ſe ſouvienne de ce qu'il lui doit, des ſoins qu'elle a pris de ſon éducation, des perils qu'elle a courus pour le tirer de la ſervitude; enfin qu'il n'ouble pas ſi-toſt les triſtes marques, qu'elle luy a données de ſa tendreſſe.

Helas! vous a-t'on dit: ſi cette mere infortunée n'avoit aimé ſon fils avec excés, elle ne ſeroit pas reduite à des extrémitez ſi faſcheuſes: elle le verroit ce fils, & elle ne ſeroit pas privée du plus précieux de tous les biens. Enfin on vous a repréſenté, Meſſieurs, qu'il eſtoit contre toute juſtice, de donner à un ami la préference ſur une mere; & que ſi l'un des deux devoit périr, rien ne pouvoit dans cette funeſte occurrence diſpenſer des premieres obligations: qu'il falloit ſauver ſa mere, & laiſſer périr ſon ami. Telles ſont, Meſſieurs, les raiſons d'une mere vivement affligée; contre leſquelles on vous a fait entendre du fond d'une obſcure priſon une voix plaintive & languiſſante, que pouſſe juſqu'à vous un malheureux ami, que la compaſſion, qu'il a eüe de cette meſme mere, va immoler aux plus cruels ſupplices & à une honteuſe mort.

En effet quels ſeront les ſentiments du Tyran? à quel excés de fureur ne ſe portera-t'il pas, lorſqu'il ſçaura

ra qu'on le joüe, & qu'on ſe moque de la parole qu'on luy a donnée ? qu'on viole ſans pudeur ce qu'il y a de plus ſaint dans la Religion? qu'on n'a aucun égard aux ſerments faits à la face des Autels, & en préſence de nos Dieux ? Epargnera-t'il, comme on vous a dit, cette innocente victime, qui s'eſt dévouée ſi généreuſement à la mort? Ah! Meſſieurs, c'eſt peu connoiſtre un Tyran, que de luy donner de ſi beaux ſentiments! Et comment les aura-t'il ces ſentiments, ſi une femme, dont on louë ſi hautement la vertu, n'en eſt pas capable ? Contente de retenir auprés d'elle celuy qui fait toutes ſes délices, elle n'écoute plus ce que demande l'honeur & la reconnoiſſance : elle eſt comme enyvrée du plaiſir que luy donne la préſence de ſon fils, ſans conſidérer, qu'elle en eſt redevable à un homme, qu'elle livre impitoyablement à la mort.

Vous le ſçavez, Meſſieurs, & nous ne ſçaurions trop le repeter ; ce fils ſi cher ne ſeroit jamais ſorti de priſon, jamais ſa mere n'auroit eü la conſolation de l'embraſſer, ſi celuy, dont vous entendez les cris, compatiſſant à la juſte tendreſſe de ſon ami, n'eût obtenu ſa liberté, aprés avoir aſſeüré le Tyran du retour de ſon ami, & s'eſtre engagé à ſubir la peine des Parjures, ſi cet ami devenu infidelle, oublioit les ſerments qu'il avoit faits Seroit-il juſte, Meſſieurs, pour ſervir la paſſion d'une mere trop ſenſible, d'abandonner à la fureur d'un Tyran ce généreux citoyen? Et vous, mere infortunée, pourriez vous jouir en paix des embraſſements d'un fils, qui auroit couſté la vie à voſtre illuſtre bienfacteur; Comment ce fils, que vous aimez avec tant de tendreſſe, ſeroit il deſormais voſtre conſolation, haï des Dieux & en exécration à tous les gens de biens ? Car tout le monde à en horreur le parjure, & l'on ne peut ſouffrir qu'une mort injuſte ſoit la récompenſe d'un ſervice ſignalé.

Aprés ces triſtes plaintes, vous avez connu, Meſſieurs, par vous-meſmes ; quelle eſt la ſituation où ſe trouve un fils partagé, entre ce qu'il doit à ſa mere, & ce qu'il ne peut refuſer à un ami. La nature le ſollicite en faveur de ſa mere; l'honeur le preſſe de ſe déclarer pour ſon ami. Abandonner une mere accablée de douleur, privée pour toujours de l'uſage de ſes yeux ; quelle cruauté ! Delaiſſer un ami preſt à périr pour nous au milieu des plus affreux tourments ; quelle barbarie! Enfin l'honeur triomphe de la nature ; ce genereux fils prend une réſolution digne de luy. Il ſacrifie à ſon devoir les careſſes de ſa mere; il ſçait à quoy l'engage ſon ferment & le reſpect qu'on doit avoir pour les Dieux. Il n'a pas oublié les obligations qu'il a à ſa mere, ni ce qu'a fait pour luy ſon ami ; il eſt vray, qu'on doit préferer une mere à un ami ; mais on doit préferer les Dieux à une mere. C'eſt aux Dieux, qu'on s'attaque, lorſqu'on viole les droits de l'amitié, auſſi-bien que ceux de la nature ; & ils ne manquent pas de punir toſt ou tard celuy, qui par une laſche trahiſon, fauſſe un ferment, dont ils ont eſté les témoins. Laiſſez donc aller, Meſſieurs, vous a-t'on dit, laiſſez aller ce fils malheureux, où les Dieux veulent qu'il ſe rende ; ne vous oppoſez plus à ſon départ ; il périroit pluſtoſt que de reſter icy, tant qu'il ſçaura que ſon ami eſt dans les fers, expoſé tous les jours pour l'amour de luy, à finir ſa vie par une mort cruelle.

Aprés vous avoir exposé, Meſſieurs, les conteſtations des Parties, les differents moyens dont les uns & les autres ſe ſervent pour appuyer leur droit: vous attendez ſans doute, que nous vous déclarions quels ſont nos ſentiments ſur une affaire de cette importance. Nous ne vous diſſimulerons point, Meſſieurs, qu'il ſe trouve de part & d'autre des difficultez trés conſidérables. Plus les perſonnes entre leſquelles vous avez à prononcer, ont de mérite, plus leurs intereſts nous ſont chers; plus les raiſons qu'ils alleguent ſemblent avoir de force, plus nous avons de peine à décider de leur différend.

Cependant tout bien conſideré, Meſſieurs, nous ne croyons pas, que vous deviez vous oppoſer au retour de cet illuſtre citoyen, qui s'eſt engagé par des ferments ſi ſolennels à rentrer dans l'eſclavage. Quelque droit qu'une mere aye ſur ſon fils, quelque ſecours qu'elle en puiſſe éxiger, ce ne peut eſtre au préjudice de la foy publique, qui a toujours eſté inviolable parmi les nations les plus barbares. Le reſpect que nous devons aux Dieux immortels n'en doit point ſouffrir. Il n'eſt pas juſte qu'un fils pour s'aquitter de ſes devoirs envers ſa mere, ſacrifie la vie de ſon ami, qui s'eſt fait ſa caution. D'ailleurs, Meſſieurs, ce fils qu'on veut abſolument retenir, n'eſt pas ſi néceſſaire, qu'on ne puiſſe à ſon défaut rendre à ſa mere, tout ce qu'elle pouvoit ſe promettre de ſon aſſiſtance. C'eſt à voſtre prévoyance, & à la compaſſion naturelle que vous avez pour les affligez à ſoulager cette illuſtre Dame. Elle trouvera dans vos ſoins & dans vos empreſſements tout ce qu'elle pouvoit eſperer de ſon propre fils. La protection que vous luy accorderez, fera un appuy bien plus ſeûr dans le funeſte eſtat où elle ſe trouve, que celuy qu'elle vous demande avec tant d'iſtance. Quand meſme elle ſeroit venuë au comble de ſes deſirs par la condeſcendance, que vous auriez pour elle, la mort peut en un moment luy ravir ce fils, & en meſme temps toute la conſolation & tous les ſecours dont elle ſe feroit flattée. Mais comme la République ne meurt point, cette Dame peut ſe repoſer ſur vous de ſes beſoins, ſans craindre de voir ſes eſperances trompées. N'envions donc point, Meſſieurs, au genereux Lucilius la gloire d'eſtre fidelle dans ſes promeſſes, religieux envers les Dieux immortels, plein de reconnoiſſance pour un ami, dont il a reconnu le courage & le zéle dans une occaſion trés délicate. Il eſt de noſtre intereſt de ſouſtenir chez les Eſtrangers la réputation que nous y avons eüe de tout temps d'eſtre inviolables dans nos promeſſes. Ce n'eſt pas d'aujourd'huy qu'on vous a veû ſacrifier nos propres intereſts, dés qu'il s'eſt agi de garder la foy donnée meſme à nos plus cruels Ennemis. Toutes les hiſtoires ſont pleines des illuſtres monuments, qui ont rendu noſtre nation recommandable dans les païs les plus reculez. Que diroit-on chez les Barbares, ſi on nous voyoit aujourd'huy dégénerer de cette fidelité ſi ancienne, qu'elle ſemble eſtre née avec nous? ſi ferme, ſi conſtante, que les plus cruels tourments n'ont pû jamais l'ébranler? Quel crédit aurions-nous deſormais chez nos voiſins, ſi nous avions fait une bréche ſi préjudiciable à la foy des traitez, & des ferments? Applaudiſſons-nous, Meſſieurs, d'avoir trouvé des diſpoſitions ſi heureuſes dans celuy, que cette affaire regarde de plus prés. Loüons ſa conſtance & ſa généroſité; propoſons-le à toute la nobleſſe

de

de de cette ville, pour le modelle de l'attachement qu'on doit à ſes devoirs.

Permettez-nous, Meſſieurs, de ſuggerer encore à voſtre prudence, & à voſtre zéle un moyen capable d'accorder toutes les Parties. Ce moyen eſt avantageus à la République & digne de la reconnoiſſance qu'elle doit avoir des ſervices, qu'on luy a tendus. Que Lucilius parte à la bonne heure, qu'il aille ſe remettre ſous la puiſſance du Tyran, qu'il ſe ſouſmette au joug de l'eſclavage. Mais n'oublions rien de noſtre coſté, pour le retirer de la ſervitude, luy & le compagnon fidelle de ſes travaux & de ſes malheurs. Nous avons dans nos fers des captifs de nos Ennemis; on peut en faire un eſchange, & quelque choſe qu'il en couſte au delà, monſtrons qu'on ne ſçauroit achepter trop cher deux illuſtres citoyens, qui ont fait juſqu'icy l'honeur de noſtre République; & qui ont expoſé généreuſement leur liberté, & leurs vies pour la défenſe de la Patrie. Si ce moyen reüſſit, comme nous avons ſujet de le croire, vous aurez la conſolation, Meſſieurs, d'avoir eſſuyé les larmes d'une mere déſolée, d'avoir reconnu les ſervices de ces illuſtres guerriers, d'avoir rendu à noſtre Patrie l'appuy qu'elle avoit perdu dens leurs perſonnes. Enfin vous engagerez tout ce qu'il y a de citoyens à ſe dévoüer généreuſement pour le bien de l'Eſtat, dans l'eſperance, que la République ne laiſſera jamais leurs ſervices ſans récompenſe.

ME-

Digitized by Google

MEGATHYME ET AGAPIE.

TROISIE'ME PLAIDOYER.

EXPLICATION DU SUJET.

Tiré de Quintilien.

Parmi les Loys des Atheniens il y en avoit deux. L'une qui permettoit aux Vainqueurs de demander au Sénat tello récompenſe qu'il leur plairoit. L'autre, qui défendoit, ſous peine d'eſtre privé de la ſépulture de ſe donner la mort à ſoy-meſme, ſans avoir rendu compte au Sénat des raiſons qu'on avoit de mourir.

Un Citoyen d'Athenes ayant conſulte un fameux Aſtrologue ſur la deſtinée d'un de ſes Enfants, dont ſa femme eſtoit encore enceinte, receut pour réponſe, que le fils qui en naiſtroit, remporteroit un jour une glorieuſe victoire, mais, qu'il ſeroit parricide. Il arriva ſelon la prédiction, que l'Enfant eſtant devenu grand, combattit vaillamment & fut vainqueur des ennemis. Le fils aprés ſa victoire, craignant de devenir parricide, demande au Sénat pour récompenſe, ſelon la premiere Loy, la permiſſion de ſe donner la mort: & ſelon la ſeconde, pour n'eſtre point privé de la ſépulture, il rend compte des raiſons qu'il a de mourir.

ACTEURS.

MEGATHYME fils d'Agapie.

AGAPIE Pere de Megathyme.

LE JUGE du Différend.

MEGATHYME.

A Quelle neceſſité, Meſſieurs, me réduit aujourd'huy l'obéiſſance que je dois aux Loys de ma patrie; & pourquoy ne puis je dipoſer de mes jours., ſans eſtre obligé de vous rendre compte des raiſons que j'ay de mourir? Qu'il me ſeroit doux d'eſtre le maiſtre de ma deſtinée, & de ne devoir à perſonne, qu'à moy, l'exécution d'un deſſein, où mon honeur & mon devoir m'engagent, & dont je ne puis me diſpenſer ſans manquer à toute la tendreſſe que mérite le meilleur de tous les Peres.

Mais s'il ne m'eſt pas permis de prendre une réſolution de cette nature, toute équitable, & toute néceſſaire qu'elle eſt, ſans vous faire part des preſſants motifs, qui m'y portent, ſi c'eſt un crime à moy digne d'eſtre à jamais privé des honeurs de la ſépulture, que de me donner la mort, ſans vous avoir exposé ce qui m'oblige à mourir; du moins j'ay la conſolation, qu'aprés avoir ſatisfait ſur ce point à mon devoir, j'ay droit de faire parler les Loys à mon tour en faveur du projet que je médite.

Ouy, Meſſieurs, ces meſmes Loys ſi reſpectables à vous & à moy doivent une récompenſe à ma victoire. Elles me laiſſent la liberté de vous demander ce qui me convient; & vous ne pouvez me le refuſer, que vous ne deveniez vous-meſmes les infracteurs de nos Loys. Or, Meſſieurs, rien ne m'eſt plus convenable dans les funeſtes conjonctures, où je me trouve, que de finir mes jours par une mort prompte & volontaire. Il y va de la ſeûreté & de la vie de ce que j'ay de plus cher au monde: il y va de ma propre gloire, que je ne puis conſerver ſans tache, ſi je ne meure. Je dois mourir, pour aſſeûrer les jours de mon pere; je dois mourir pour ne pas ſurvivre à ma honte. En faut-il davantage, Meſſieurs, pour juſtifier ma conduite, & pour emporter vos ſuffrages.

Mais à quoy m'engage la preuve de ce que j'avance; & qu'il me doit couſter de rappeller icy, ce qui fait le ſujet de mon malheur! J'eſtois encore enfermé dans le ſein de ma mere; & ja ſceûs des-lors jetter la crainte & l'épouvante. Mon pere inquiet ſur ma naiſſance conſulte un Aſtrologue habile, qui, par une infinité de réponſes que l'évenement a confirmées, paſſoit pour un Oracle, & eſtoit reſpecté comme une Divinité. Il eût bien-toſt leû dans les aſtres ma deſtinée, & la connoiſſance parfaite, qu'il avoit de l'avenir, l'ayant inſtruit de mon ſort; vous aurez un fil, dit-il à mon pere: il ſera brave & vaillant: il ſignalera ſon courage par une illuſtre victoire; mais il ſera parricide.

La prédiction, Meſſieurs, ſe trouve juſqu'icy véritable dans toutes ſes circonſtances. Je n'ay jamais manqué ni de cœur, ni de courage, quand il s'eſt agi du ſervice de la patrie. Les Dieux viennent de m'honorer d'une éclatante victoire, qui éloigne de vous l'ennemy, & aſſeûre voſtre liberté. Il ne reſte que l'autre partie de l'Oracle, qui doit s'accomplir par un parricide, ſi ma mort ne prévient au pluſtoſt ce malheur.

Ah! mon pere, pour quoy ne m'étouffaſtes-vous pas dans les entrailles de ma mere? pourquoy ne m'oſtaſtes-vous pas la lumiere du jour, dés que je l'eû ſouillée par ma naiſſance? Voſtre amour pour l'intereſt du public l'emporta ſur vos craintes particulieres; & tout criminel que je devois eſtre un jour, vous m'élevaſtes en conſidération du ſervice, que je devois rendre à la patrie. Vous m'inſtruiſiſtes vous-meſme au meſtier de la guerre, vous me miſtes à la main les armes, qui devoient eſtre fatales à nos ennemis. Vous devez eſtre content de voſtre courage & de voſtre fermeté; vous avez receû la récompenſe de voſtre zéle, & de voſtre ſacrifice. J'ay combattu, j'ay vaincu: je ſuis ſorti du champ de bataille chargé de glorieuſes dépouilles: je ſuis entré dans la ville parmi les acclamations & les cris de joye: vous m'avez veû porter ſur les épaules de nos citoyens;

vous

vous avez partagé avec moy les applaudiſſements, qui ſont deûs au liberateur de la Patrie: bornez icy vos eſperances: n'exigez plus rien d'un fils, dont la fatale deſtinée ne vous peut eſtre que pernicieuſe. Car il faut que le reſte de la prédiction s'accompliſſe, & ma gloire paſsée eſt le préſage certain de l'opprobre éternel dont je ſuis menacé.

C'eſt à moy à le prévenir par une mort volontaire: ne vous y oppoſez point, Meſſieurs. Arreſtez pluſtoſt les tranſports d'un pere, que ſa tendreſſe aveugle, & qui, ébloui qu'il eſt de ma gloire, ne peut entrevoir le danger, où ſes jours ſont expoſez. Peut-eſtre, helas! que je touche déja au triſte moment du parricide, auquel je ſuis condamné! Laiſſez moy profiter du peu de temps qui me reſte, pour mettre à couvert la vie de mon pere. Qui ſcait, ſi tout l'amour que je ſens pour luy, ne va pas ſe changer en fureur? ſi au milieu de ſes careſſes & de ſes embraſſements, ma cruelle main ne luy portera point le coup mortel? ſi me trouvant aſſis à ſa table, les morceaux, que je luy préſenteray ne ſe convertiront point en poiſon? J'ay tout à craindre de mon malheureux ſort, je ne puis plus répondre de moy-meſme; tout peut eſtre pour moy l'occaſion funeſte du crime, que je veux éviter. Mon imagination troublée par le bruit des tambours & des trompettes peut reveiller des idées guerrieres au milieu du ſein de la paix, & me préſenter dans mon pere un ennemi de la patrie, que mon bras fera gloire d'immoler. Je me verray teint de ſon ſang, en croyant verſer celuy d'un barbare, & je ne reconnoiſtray mon erreur, qu'aprés qu'il ne ſera plus temps de la réparer. O ciel! quand j'y penſe, je fremis d'horreur; mon ſang ſe glace dans mes veines: je me regarde déja comme un meurtrier, que la colere des Dieux a livré aux plus noires fureurs: je ſuis inſupportable à moy-meſme: la vie deſormais m'eſt à charge; & je ne puis trouver que dans la mort du ſoulagement à mes peines. Souffrez, Meſſieurs, que je les abrége: Laiſſez mourir un innocent, pluſtoſt que de laiſſer vivre un parricide.

Cruelle néceſſité, Meſſieurs, où le deſtin m'entraiſne! Si je ne meurs, je ne puis vivre innocent. En vain, mon pere, aurez-vous pris ſoin dés ma plus tendre enfance, de former mon cœur à la plus haute vertu; en vain m'aurez vous inſpiré des ſentiments dignes du ſang de nos ayeux, dignes du nom, que tant de heros ont porté, dignes enfin de vous-meſme & de vos vertus. En vain auray-je taſché de me former ſur de ſi beaux modéles, & d'adjouſter quelque éclat à la réputation la plus brillante: nous aurons, vous & moy le cruel déplaiſir, de voir obſcurcir en un moment toute noſtre gloire, par le plus horrible de tous les crimes, vos ſoins & voſtre amour pour moy n'auront produit qu'un monſtre d'ingratitude, & je n'auray travaillé moy-meſme, qu'à mon malheur, & qu'à ma honte.

Quelques années de vie peuvent-elles avoir aſſez de charmes pour les acheter à ce prix? Non, Meſſieurs, je vous crois trop équitables, pour me condamner à cette diſgrace. Laiſſez-moy joüir de toute la gloire, qu'une vie ſans tache, une conduite ſans reproche, une victoire éclatante m'ont acquiſe: elle eſt encore en ma puiſſance, bientoſt elle n'y ſera plus. Laiſſez-moy vaincre ma deſtinée, dont les Dieux n'ont voulu m'inſtruire, que pour fournir une nouvelle matiere à mon courage,

ge, & un nouveau champ à ma gloire. La mort ſeule me peut garantir de la rigueur de mon ſort. Je ſuccombe ſous ſa dure loy, ſi je n'ay pas la force de la vaincre, en quittant la vie. Tous les autres ſecours ſont de foibles armes, pour m'en défendre. L'amour meſme de la vertu, dont je pourrois me flater; l'horreur infinie que j'ay du parricide, toute la tendreſſe d'un pere, dont je ne puis aſſez payer les bontez, ne peuvent m'aſſeurer contre l'arreſt fatal, qu'on m'a prononcé. Je ſent un trouble ſecret, qui m'agite; mon cœur allarmé ſe ſouleve contre ce qui porrait clamer ma crainte, & ne m'offre point d'autre moyen de parer le coup qui me menace; qu'en m'arrachant à la vie. La connoiſſance que j'ay de moy-meſme, beacoup plus que les prédictions de l'Aſtrologue, m'oblige d'avoir recours à ces extrémitez: toutes dures qu'elles paroiſſent, elles doivent m'eſtre cheres, dés qu'elles m'épargnent un parricide.

Helas! combien de fois inſupportable à moy-meſme, & pouſſé par mon deſeſpoir, ay je cherché, parmi le ſang & le carnage, à finir mes triſtes jours! Dieux, vous m'eſtes témoins, ſi l'on porte plus loin l'amour de la vie, que j'ay porté celuy de la mort! vous m'avez veù ſans armes & ſans défenſe courir au fort de la meſlée, percer des eſcadrons entiers, voler au milieu des traits & des javelots, dans l'eſperance d'y trouver un glorieux trépas. Faut-il que vous m'ayex tiré de tant de dangers contre mes vœux, & mon attente! Faut-il que üous ne m'ayez épargné, que pour finir ma vie par un crime!

Que dis-je? excuſez d'injuſtes tranſports, ſouverains arbitres de nos deſtinés! Je reconnois l'effet de vos bontez de m'avoir reſervé la gloire d'une mort volontaire. J'y cours, Grands Dieux, ſous vos auſpices. Ne vous y oppoſez point, Meſſieurs; ſouffrez meſme que ſans attendre vos déciſions, j'aille où mon devoir m'appelle. Aprés vous avoir rendu compte des-raiſons, que j'ay de mourir, vous ne pouvez rien exiger de moy davantage.

Recevez mes derniers adieux; mon cher Pere, pardonnez, ſi je n'oſe me jetter à vos genoux; ſi je me prive en mourant de vos téndres embraſſements. J'ay tout à craindre pour vous, juſqu'au dernier ſouffle de ma vie; & renonçant à jamais au plaiſir de vous voir, pour éviter mon triſte ſort, je dois apprehender juſqu'à vos approches, crainte qu'elles ne me ſoient funeſtes. ſouffrez donc que je periſſe loin de vous, & reſervez aprés ma mort toutes les marques de tendreſſe dont il vous plaira de m'honorer.

Et vous, dignes compagnons de mes exploits, chers citoyens, aydez-moy à finir genereuſement une carriere, où je ne puis courir plus longtemps avec gloire. Si je ne ſuis pas aſſez heureux, pour me donner un coup mortel, la premiere fois; conduiſez plus ſeurement mon bras à la ſeconde. Mais ſur tout retenez mon pere; je ne ſçay dequoy je ſeray capable dans les convulſions de la mort, ni juſqu'où portera le poignard que je retireray de mon ſein.

AGAPIE.

Vous voyez aujourd'huy, Meſſieus, le plus fortuné & le plus malheureux de tous les peres. Revoir un fils couronné par les mains de la Victoire, quand je craignois le plus pour ſa vie; quelle joye plus parfaite? s'en voir à jamais ſéparé, quand

quand on eſperoit partager avec luy la gloire de ſes nobles travaux ; quel déplaiſir plus grand & plus ſenſible ? Telle ſeroit aujourd'huy la rigueur de ma deſtinée, ſi ce diſcernement & cette équité, qui vous font admirer de toute la Grece, ne me flattoient d'un ſort plus doux. Ouy, je le ſens déja ; vous concevez toute l'horreur d'un eſtat ſi déplorable ; vous vous laiſſez attendrir à mes maux : enfin je ne crains plus qu'un fils, obſtiné à perir, abuſe de l'autorité de nos Loys, ou que par un artificieux diſcours il les tourne à ſa perte. Si vous en eſtes les défenſeurs, vous en eſtes auſſi les interpretes. Croyez-vous donc qu'en promettant au vainqueur d'accorder tout à ſa demande, on eût deſſein de tendre un piége à ſa généroſité ? Vouloit-on, bien loin de luy aſſeûrer le juſte prix de ſa vaillance, expoſer ſa vie à de nouveaux perils, & luy faire trouver la mort dans le ſein meſme de la gloire?

Ah! formez-vous, Meſſieurs, une idée plus avantageuſe de ces hommes divins, dont les Loys font encore à préſent le plus ferme appuy de la République. Reconnoiſſez-y un eſprit de ſageſſe & de droiture, qui va tout à favoriſer le mérite ſans donner la moindre atteinte à la vertu. Ne ſuffit-il pas pour vous en convaincre, d'examiner cette autre Loy, qui prive des honeurs de la ſépulture ces citoyens deſeſperez, qui diſpoſent à l'inſceu du Sénat d'un ſang qu'ils doivent tout entier au bien de la Patrie? Ces deux Loys ne ſont-elles pas également contraires aux pernicieux deſſeins de mon fils, & ne vous appercevez-vous pas aiſément, que la derniere en arreſtant ſon bras trop promt à venger un parricide imaginaire, nous conſerve, à moy, l'unique eſpoir de ma famille, à vous un vengeur toujours preſt à affermir par de nouveaux exploits la puiſſance d'Athenes. Comment donc approuveriez-vous cette ardeur inconſidérée, qu'il a de périr? comment pourriez-vous luy permettre, de voler du triomphe au ſupplice ? Non, non il a beau craindre & pour ma vie, & pour ſon innocence, vous conviendrez bien-toſt, que l'un & l'autre ſont en ſeûreté ; ſi vous daignez preſter voſtre attention à des plaintes, qui ſont moins l'effet de l'éloquence ou de la nature, que de la raiſon & de l'équité.

Aprés que les Dieux touchez de mes pleurs, m'eûrent accordé ce cher fils ; préſent d'autant plus précieux, qu'il m'avoit eſtè plus longtemps refuſé ; j'employay, je l'avouë, le ſecours d'un art ſuperſtitieux, pour m'inſtruire d'une deſtinée, dont ſembloit dépendre la mienne. Mais ô funeſte curioſité ! que vous me couſtez cher aujourd'huy! Par combien de larmes ay je payé déja l'empreſſement, que j'eû de vous ſatiſfaire! Je cours, ou pluſtoſt, je vole, réſolu de ſortir de cette heureuſe incertitude, qui devoit faire tout mon bonheur. J'apprends à l'interprete des Dieux le ſujet de ma venuë ; prieres, récompenſe, ſoupirs, tout eſt mis en uſage, d'abord avec aſſez peu de ſuccés. Mais helas ! le moment fatal arrive, où ſoit par mes demandes réïterées, ſoit par l'éclat de mes promeſſes, j'en arrache enfin cette bizarre réponſe. Ton fils ſera l'honeur & l'opprobre de ſa patrie ; & l'on verra teint de ton propre ſange ce meſme fer, qu'il aura trempé dans celuy de ſes ennemis. Quel oracle ! ou pour mieux dire, quel coup de foudre ! Je m'apperceû bientoſt de la fauſſeté de cette prédiction ; & les vains préjugez de l'Aſtrologue impoſteur, bien loin de re-

refroidir ma premiere tendreſſe, me furent un nouvel engagement à former ſon bras & ſon cœur, non pas au plus noir de tous les forfaits, mais au ſervice de la Patrie. L' un & l' autre ont heureuſement répondu à mon attente. Vous le ſçavez, Meſſieurs, vous que la victoire de mon fils a mis deſormais hors d'inſulte; & Thebes qui voit en ce jour ſa fierté abbatuë, reconnoiſt dans luy ſon vainqueur. Son courage, il eſt vray, ſecondé de l'heureux évenement de cette journée, ſemble juſtifier une partie de la prédiction fatale, qui nous allarme; mais ſa pieté nous répond que l'autre ne s'accomplira jamais.

Mais je veux que pour moy ſeul cette ſcience ſoit devenuë infallible; que mon fils n'ait jamais veû le jour, que pour le faire perdre à ſon pere; je veux que ſon triomphe ne doive eſtre funeſte qu'à moy ſeul. Hé bien ay-je donc fait paroiſtre juſqu' icy une ſi forte attache à la vie, pour vouloir conſerver le peu qui m' en reſte, affoibli que je ſuis par de longs travaux, & par le nombre des années, aus dépends de la vie d' un fils ſi utile déja à ſa Patrie; & dont la vertu naiſſante fait eſperer encore de plus glorieux exploits? Si l'arreſt fatal, qui ſembloit menacer mes jours ne m' empeſcha pas d' élever avec ſoin mon fils dans l' eſperance de laiſſer en luy un citoyen zelé pour la République; dois-je ménager aujourd' huy un ſouffle de vie que la mort va bien-toſt finir, en privant ma Patrie de ſon plus ferme appuy? Ne m' enviez pas l' honeur de ce dernier ſacrifice: que j' aye l' avantage de mourir pour ſa ſeûreté, comme j' ay vécu pour ſa déſenſe, Me m'oſtez pas le plaiſir de luy montrer en mourant, que mon cœur, tout glacé qu' il eſt par le froid de l'âge, brule encore d' ardeur pour ſes intereſts. S' il eſt beau d'affronter le trépas au travers de la meslée, pour venger la cauſe publique, il ne l'eſt pas moins de renoncer de ſang froid; à la vie, pour luy conſerver ſon vengéur. Laiſſez-moy donc joüir, Meſſieurs, du ſeul bien, auquel je puiſſe maintenant aſpirer.

Et toy, mon fils, n'ais point de honte, de me devoir deux fois la vie, pluſtoſt que de cauſer toy-meſme ma mort, en précipitant ſans raiſon la tienne. Tu crains, frappé d' une prédiction frivole, de te deshonorer par un parricide; & tu ne crains point de m' arracher la vie par un coup inévitable, en ſacrifiant tes jours? Malgré toy l' Oracle s' accomplira. Tes précautions pour en arreſter l'effet, ne ſerviront qu' à le haſter. N' en doute pas, barbare, ma mort ſuivra de prés la tienne, & tu ne feras pas moins criminel d' avoir du meſme coup percé nos deux cœurs, quoy qu' une tendreſſe inconſidérée aye fait tout ton crime.

Aprés vous avoir montré, que vous n'avez à craindre pour ma vie, qu'autant que je craindray moy-meſme pour celle de mon fils; il me reſte, Meſſiurs, à vous faire voir, que ſon innocence ne peut eſtre expoſée au danger, que ſa vertu & ſon amour pour moy luy font craindre. N'attendez pas pour cela que j'étale à vos yeux une magnifique peinture des rares qualitez, qui dés ſon enfance, ont fait le ſujet de mes admirations, & l'objet de mes plus douces complaiſances. Né avec les diſpoſitions les plus heureuſes pour tout ce qui fait les grands hommes, il ſceût profiter dee dons de la nature, & moy, qui m' appliquay d' abord à cultiver un ſi riche fond, je fus bientoſt dédommagé de mes

ſoins,

ſoins, par les fruits ſurprenants qui les ſuivirent. Héritier auſſi-bien que moy d' un nom, que vous avez toujours honoré de voſtre eſtime, il ne ſe crut pas digne de le porter, s'il n' en relevoit l'éclat par des actions glorieuſes, & s' il ne vous le rendoit auſſi cher dans ſa perſonne par les ſervices les plus ſignalez, qu' il vous l' avoit eſté dans ceux, qui l' ont tranſmis juſqu' à nous.

Mais je m' oublie, Meſſieurs. Eſt-ce à moy à faire l' éloge de mon fils? Le récit des vertus les plus connuës ne deviendroit-il pas ſuſpect dans la bouche d' un pere? Ne jugez donc de ſon mérite, que par ſes premieres démarches; & que la victoire qui vient d'aſſeûrer voſtre repos, vous parle en ſa faveur. Connoiſſez toute la bonté de ſon cœur par l'excés de la tendreſſe qu' il me porte; que la cruelle réſolution que ſon amour luy fait prendre, pour éviter un danger dont il ſe perſuade vainement, que mes jours ſont menacez, ſerve de preuve à ſa générosité. Le croyez-vous capable de perdre jamais le ſouvenir de ce qu' il me doit, & de ce qu' il ſe doit à ſoy-meſme? ou du moins avez-vous ſujet de craindre, qu'il puiſſe paſſer ſi toſt de l' excés de ſa tendreſſe au comble de l' inhumanité? Un changement de cette nature ne peut eſtre l'effet que d' une longue ſuite de crimes: il faut que d'énormes forfaits ſoient autant de degrez qui conduiſent juſqu' au parricide. Que dis-je? le permettriez-vous, Grands Dieux, qu' un tel fils en vint à cette extrémité? Quoy vous n' auriez orné ſon ame de toutes les vertus des heros, que pour préparer mon cœur à recevoir le coup mortel d' une main ſi chere; & changer en un monſtre affreux le plus parfait de vos ouvrages? Non, c'eſt inſulter à voſtre ſageſſe & à voſtre juſtice. Eloignons pluſtoſt de nous, Meſſieurs, une penſée dont la ſeule idée fait fremir d' horreur, & rouvre toutes mes bleſſures. Réuniſſez vos regards ſur le vengeur d' Athenes tremblant à me foibles genoux: ſouſtenez-moy contre les cruels efforts d' une pieté, qui m' outrage: & que je ne ſois pas le ſeul à diſputer à mon fils le funeſte prix de ſa valeur. Diſſipez par voſtre prudence, baniſſez par voſtre autorité la vaine terreur, qui l' obſéde; & pour aſſeûrer mes triſtes jours, ne me livrez pas à l' excés mortel de ma douleur.

Je vous en conjure par ce torrent de larmes qui coule de mes yeus, par le ſouvenir des ſervices que j'ay pû autrefois vous rendre, par les eſperances que vous concevez de cette glorieuſe journée. Rendez-moy aux embraſſements de mon fils, arrachez ce jeune heros à la mort; ſouffrez que je gouſte en repos la douceur de ces premiers trophées, & que je jouiſſe avec luy de la tranquillité, que nous ont procuré ſes armes victorieuſes.

LE JUGE *du Différend.*

Je m' apperçois aſſez, Meſſieurs, que le ſujet qui vient de ſuſpendre vos cœurs, tient encore vos eſprits dans une plus grande incertitude. En effet, quel employ pour nous, que d' avoir à prononcer ſur une cauſe, qui intereſſe noſtre équité, & qui luy préſente en meſme temps des nœuds ſi difficiles à démeſler! L' amour filial balancé par l' amour paternel; la générosité d' un pere, qui combat celle d' un fils; l' ardeur de Megathyme à vouloir verſer ſon ſang, pour aſſeûrer les jours d' Agapie; la fermeté d' Agapie à riſquer pluſtoſt ſa vie, que de la conſerver aux dépens de-

de celle de Megathyme ; les différents mouvements d' un meſme amour auſſi deſintereſsé dans le pere, qu' il eſt généreux dans le fils, voilà le ſujet de nos embarras, voilà ce qui partage nos ſentiments, & ce qui ne réunit que nos admirations.

Générosité ſans pareille, amour ſans égal! Vit-on jamais un fils victorieux acheter la mort au prix de ſes victoires; immoler ſes lauriers à la ſeûreté d'un pere? Le pere à ſon tour ſacrifier ſes jours à la gloire de ſon fils, & vouloir eſtre la victime de ſon amour? Conſentirons-nous, Meſſieurs, à voir Megathyme ſe plonger dans le ſein une épée encore teinte du ſang de l'ennemi vaincu; & Agapie, à la veûë d' un fils expirant ſous les coups d'une tendreſſe trop craintive, tomber avec luy frappé par l' excés de ſa douleur ? Cependant, Meſſieurs, l' un ſe plaint à vous, que c' eſt expoſer la teſte de ſon pere, que d'epargner plus long-temps la ſienne. L'autre s'écrie, qu' un coup ſi fatal ne peut qu' aſſeûrer ſa perte, loin de la détourner. Quelles raiſons n' appuyent point une cauſe ſi touchante, ou pluſtoſt ne ſervent pas à la rendre plus difficile? Les Loys différemment interpretées, les prédictions conteſtées, la défiance d' un fils, la confiance d' un pere, les ſoupirs paternels, les larmes filiales, tout ſéme le trouble dans nos cœurs, & l'embarras dans nos eſprits. O que les différends qui naiſſent d' un véritable amour ſont difficiles à terminer.

Ne nous fions point icy à la nature, qui ſemble parler dans le pere & dans le fils. Quand elle devient éloquente, elle ceſſe d' eſtre ſincere. Mais dégageons la vérité du milieu de ces circonſtances délicates qui l'enveloppent, & cherchons dans le récit fiddelle d' une affaire, où il paroiſt tant d' incertitude, de quoy aſſeûrer nos jugements.

L' épouſe d' Agapie portoit dans ſon ſein un Enfant que le ciel venoit d'accorder à leur pieté. La tendreſſe d' Agapie s'intereſse pour un fils, dont il ne joüit point encore; il va par le ſecours d' un Devin chercher dans les aſtres le ſecret de ſa deſtinée. Mais, ô fatale curioſité, de quels malheurs va-t-il s' inſtruire! Il apprend que cet Enfant, dont il a ſouhaitté la naiſſance, un jour héritier de ſes vertus militaires rehauſſera par ſes grandes actions l' éclat de ſa maiſon, & couronera les trophées de ſes peres par de nouveaux lauriers, mais qu' aprés s'eſtre ſignalé par la défaite des ennemis de la Patrie, il tournera ſon bras victorieux contre ſon pere, & enſevelira toute ſa gloire ſous la honte d' un parricide.

Déja les prédictions de valeur accomplies dans ce jeune guerrier, luy font apprender, que le crime, dont il eſt menacé, ne terniſse bien-toſt l'éclat de ſon triomphe; le parricide ſe préſente à luy dans toute ſon horreur : cette image affreuſe le rend coupable à ſes yeux ; ſon innocence s' allarme, ſon eſprit s'inquiéte, il ſond ſon courage, il conſulte ſon amour. Plus il aime, plus il craint de ne pas aſſez aimer. Il croit que s'il vit, la perte de ſon pere eſt aſseûrée; il vous demande la mort. Mais voyons, ſi nous devons luy permettre de mourir. Il faut, vous a-t-il dit, que je meure : les moments que je reſpire ſont autant de piéges dreſſez à la vie de mon pere. Quelle néceſſité? Le ciel l' ordonne; c' eſt perdre mon innocence que de l' expoſer. Mais qui luy a fait entendre cet ordre exprés du ciel? Les Oracles des Dieux? Les Dieux meſmes? non ; la

la voix d'un Devin. Qui le croiroit, Meſſieurs, que la réponſe hazardée d'un homme peut-eſtre trompeur, peut-eſtre trompé portaſt l'allarme dans l'eſprit & le cœur de Megathyme? comme ſi des gens ſans art, ou avec un art incertain pouvoient lire dans les aſtres les choſes futures; ou que les Dieux maiſtres de l'avenir en abandonnaſſent la connoiſſance à des ames vénales, pour en trafiquer! Fauſſeté de prédiction, tromperie des Devins, ſuperſtition de l'Aſtrologie n'es tu donc point encore connuë! Mais mes ſens émeüs.. s'écrie Megathyme, ma vertu chancelante, mon ame interdite ſont d'aſſeûrez préſages d'un crime, que le ciel ne veut pas differer.

Jugeons mieux de ces préſentiments, que Megathyme n'en juge luy-meſme. Nous avons dans eux des garands, qui nous répondent de ſon cœur & de ſon bras. Ouy, généreux Megathyme, plus vous craignez, moins nous avons à craindre; plus vous eſtes allarmé de voſtre deſtinée, moins nous avons ſujet de croire, qu'elle vous entraiſne jamais dans les malheurs, que vous redoutez. Mais le vainqueur demande une récompenſe de ſa victoire, & la récompenſe qu'il exige de novus, c'eſt de ſe donner la mort, ſans encourir les peines portées par nos Loys. Il nous offre ſes lauriers, pour le prix du ſang qu'il veut répandre. Ecouteronſnous des vœux ſi contraires à noſtre équité? Le récompenſer ainſi, n'eſtce pas le punir? Quels lauriers pouront payer un ſang, qui doit en faire naiſtre tant d'autres?

Si la générofité de Megathyme a ſceû faire valoir ſes raiſons avec tant de force? la tendreſſe d'Agapie n'a pas fait moins d'éfforts, pour appuyer les ſiennes. Vous l'avez veü en Magiſtrat éclairé interpreter ſagement les Loys, ſur leſquelles ſon fils veut eſtablir ſa perte. Incapable de ſe gouverner par de vains préjugez, il a traité le Devin de ſuperſtitieux, & ſon art d'impoſture. Non, vous a-t-il dit, la vie de mon fils ne peut me faire craindre pour la mienne: les Dieux ſont trop juſtes pour permettre un ſemblable crime. Ce ſeroit les outrager, que de croire qu'ils vouluſſent plonger l'épée du fils dans le ſein du pere; me faire ſervir de victime à la plus innocente main. Ces juſtes diſpenſateurs du mérite n'ont pû réunir en luy les plus rares vertus, pour les confondre avec le parricide. Vit-on jamais la vertu ſervir de dégré pour monter au crime. Mais quand bien meſme, a-t-il ajouſté, le ciel l'auroit deſtiné à eſtre l'inſtrument de ma perte, en mourant ſelon ma deſtinée que ſacrifieay je à ma patrie? Un reſte d'années inutiles, que la mort doit bien-toſt terminer.. Pour luy en s'immolant pour moy, que ne ſacrifie-t-il point à ſon amour, luy dont la vertu naiſſante doit faire ſi long-temps le ſopſtien de la République? Qu'il s'immole pour moy, je le veux, n'eſt-ce pas m'immoler avec luy; m'épargner ainſi le coup mortel, c'eſt me le porter deux fois.

Autant qu'il eſt beau pour le Pere & pour le Fils d'obliger leurs Juges par la nouveauté d'une ſi belle cauſe à porter de nouveaux jugements, autant eſt-il difficile pour nous de prononcer en leur faveur. S'il s'agiſſoit du prix de la générofité, d'égales récompenſes pourroient nous acquitter envers l'un & l'autre, de ce qui eſt dû à tous les deux... Mais pour accorder le différend que l'amour fait naiſtre, il faut trouver un milieu entre la vie & la mort. Ceſſez, généreux Megathyme, & vous,

illu-

illuſtre Agapie, d'embaraſſer nos jugements par de plus inſtantes pourſuites. Que voſtre génèroſité s' applaudiſſe, d'avoir paſsé les bornes d' une tendreſſe ordinaire; qu'elle laiſſe à noſtre équité la gloire de ſuivre une route non commune, en couronnant le mérite du pere & du fils. Ceſſez donc encore une fois une diſpute, que le ſeul amour a fait naiſtre; & pour jouir des récompenſes, dont nous voulons honorer voſtre tendreſſe mutuelle, vivez tous deux, & vivez dans toute la ſplendeur de la gloire, où voſtre vertu vous éleve.

Pour voſtre ſeûreté la Sénat ordonne que le peuple d'Athenes proſterné devant les autels offre des ſacrifices aux Dieux, pour détourner de deſſus vos teſtes les malheurs, qui vous pourroient menacer. Il veut de plus, pour relever le triomphe de Megathyme, qu'Agapie ſoit placé dans le char des vainqueurs, & qu'il partage avec ſon fils les fruits de la victoire. Du reſte pour honorer une tendreſſe ſi parfaite & en conſerver le ſouvenir dans le ſiecles les plus reculez, il prétend qu'on vous érige à l'un & à l'autre une ſtatuë, que l' amour au milieu de vous poſe ſur vos teſtes une meſme couronne. Enfin, pour que rien ne manque à tout l'éclat de cette pompe, la République vous ouvre ſes tréſors.

LES ABEILLES.

QUATRIE'ME PLAIDOYER.

EXPLICATION DU SUJET.

Anthiſe & Méliſſe, l'un Riche & l'autre Pauvre eſtoient voiſins à la Campagne, & n'eſtoient ſéparez que d'un mur. Le Riche avoit fait un jardin de ſon champ, & y cultivoit des fleur. Le Pauvre élevoit des Abeilles dans le ſien. Anthiſe ſe plaignit que les Abeilles de Méliſſe gaſtoient ſes fleurs, & le fit ſommer de tranſporter ſes Ruches dans un autre lieu. Méliſſe ayant refusé de le faire, Anthiſe répendit du poiſon ſur ſes fleurs & fit périr les Abeilles de Méliſſe. Le Pauvre prétend que le Riche le doit dédommager de la perte de ſes Abeilles. Le Riche ſouſtient au contraire, qu'on ne l'y peut obliger.

ACTEURS.

ANTHISE.

MELISSE.

L'ARBITE ou le Juge du Différend.

MELISSE, *ou le Pauvre.*

JUgez, Meſſieurs, de ma diſgrace pluſtoſt par l'eſtat déplorable où vous voyez réduite une famille déſolée, que par les foibles plaintes que je porte à voſtre tribunal. Ma voix preſque éteinte par la douleur que m'a causée la perte que je viens de faire, peut à peine ſe faire entendre; ou s'il luy reſte encore aſſez de force, pour arriver juſqu'à vous, l'injuſtice de ma Partie travaille à l'étouſer entierement. De qui les Pauvres peuvent-ils attendre du ſecours dans leurs miſeres, ſi ce n'eſt des Riches? Et c'eſt un Riche qui me perſécute, qui m'enleve mes biens, qui me dépouille de ce que j'avois de plus cher, & qui m'oſte l'unique reſource que j'avois dans ma pauvreté. Où puis-je donc eſperer deſormais de trouver un azile, ſi ce n'eſt auprés de vous; où m'adreſſeray-je dans ma miſere, ſi ce lieu, qui a toujours eſté reconnu pour le refuge des malheureux, eſt refusé au plus infortuné de tous les hommes. Cependant ſi j'eſtois le ſeul que la tyrannie de ce Riche injuſte accablaſt, je pleurerois helas! ſans témoins l'excés de mon malheur, & me condamnant moy-meſme à finir ma vie dans les larmes, je n'aurois jamais eſté aſſez temeraire, pour me déclarer l'en-

l'ennemi d'un homme ſi puiſſant. Ce ſont, Meſſieurs, huit Enfants, qu'il a plû aux Dieux de me donner, & de la vie deſquels je ſuis reſponſable, c'eſt une femme incapable de les ſoulager, qui m'oblige à implorer voſtre juſtice, & à demander vengeance de mon adverſaire.

J'ay, Meſſieurs, à quelques lieües de cette ville une pauvre cabanne, qui nous met à couvert moy & ma famille des injures du temps. Prés de là eſt un champ qui nous a toujours nourris juſqu'icy, & qui l'eût fait encore bien des années, ſi le deſtin jaloux de noſtre bonheur, ne nous eût ſuſcité un voiſin faſcheux, qui vient d'en interrompre le cours. Ne croyez pas cependant, Meſſieurs, que ce champ fuſt propre à porter de riches moiſſons, ou que fertile en vignes, ou abondant en paſturages, il deûſt faire naiſtre de la jalouſie. Quelques fleur champeſtres; le Thin & la Lavande en eſtoient toutes les richeſſes: richeſſes néanmoins fort inutiles pour nous, ſi je n'eûſſe profité de ces foibles avantages, en y élevant des Abeilles. C'a eſté en effet mon unique occupation depuis bien des années, & j'avois la conſolation d'y trouver un fond ſeûr, qui nous aidoit à ſubſiſter. C'eſtoit à la verité peu de choſe; mais la nature ſe contente de peu, quand elle n'eſt point dominé ni par l'ambition, ni par la volupté.

Tant que le ciel ne m'a donné que des voiſins d'une condition ſemblable à la mienne, j'ay toujours vécu avec eux dans une parfaite intelligence, & nos cœurs eſtroitement unis n'ont point ſenti les triſtes effets de la diſcorde & de la diviſion. Mais nous eſtions trop heureux, pour que noſtre bonheur fuſt de plus longue durée. Les Dieux, pour exercer, je crois, noſtre patience, nous ont fait naiſtre, helas! un voiſin d'une humeur bien differente de la noſtre! Ma Partie, homme riche & puiſſant eſt venu s'eſtablir dans le meſme canton; il y a fait baſtir un ſuperbe palais; il s'eſt emparé de tout le voiſinage, pour y faire de magnifiques jardins; & ce qui ſervoit autrefois à faire vivre pluſieurs familles, ne ſert plus aujourd'huy qu'à nourrir le luxe & la molleſſe d'un particulier.

Nous avons veû couper des montagnes entieres pour rendre la veüë de ſon chaſteau plus agréable, on a détourné le cours des fleuves, pour arroſer ſes Jardins; ce ne ſont que Caſcades, que Jets-d'eau, que Parterres, que Boſquets dignes de la magnificence & de l'opulence des Roys. Cependant, le croiriez-vous, Meſſiurs, que ma Partie, parmi tant de ſujets de s'applaudir de ſa bonne fortune, m'eût regardé comme un obſtacle à ſon bonheur. Je luy ay paru un voiſin incommode; il n'a pû ſouffrir que je fuſſe plus heureux que luy, dans une condition ſi différente de la ſienne: il a cherché toutes les occaſions de me perdre, & il n'y a que trop rèuſſi. Mes Abeilles peu reſpectueuſes ont paſſé le mur qui ſépare mon champ de ſes délicieux jardins, & ſans aucun égard à la qualité des fleurs, dont ils ſont enrichis, elles ont uſé de ces dons précieux de la nature, avec la meſme liberté, que ſi les fleurs eûſſent appartenu à leurs premiers voiſins. On a beau les chaſſer, les imprudentes qu'elles ſont, retournent à picoter les fleur de ma Partie, & à exciter par là de plus en plus ſa colere & ſa fureur. Juſqu'où n'a-t-elle point eſté, & quelles bornes a-t-il mis à ſon injuſtice?

C'eſtoit trop peu, pour ſatisfaire l'excés de ſa vengeance, que de ſe pourvoir contre nous par des voyes ordi-

ordinaires, & de nous accuſer devant voſtre tribunal; il a voulu ſe venger par luy-meſme, & nous porter des coups, que nous ne puſſions parer. Il empoiſonne ſes fleurs, par la plus haute de toutes les injuſtices, dans le deſſein, qu'aucunes de mes Abeilles n'échappent à ſa cruauté. Son deſſein, Meſſieurs, n'eſtoit que trop bien concerté; nulle en effet n'a pû éviter le fatal poiſon qui luy eſtoit préparé.

Quel ſpectacle pour moy, Meſſieurs, qui voyois à tous moments les triſtes effets de mon malheur, ſans en connoiſtre la cauſe. Les unes rendoient l'ame ſur la fleur; les autres, aprés quelques vains effort, pour s'élever au deſſus du mur, tomboient dans le jardin du Riche, pour ſervir de trophée à ſa barbarie; d'autres ſe ſouſtenant encore avec un reſte de forces venoient expirer à mes pieds; celles-cy languiſſantes ſur le mur meurent mille fois en attendant le coup de la mort: celles là pleines du venin qu'elles on ſucé, portant la peſte & l'infection dans les Ruches, n'offrent plus que des monceaux informes entaſſez les uns ſur les autres. Tout ſe reſſent de la contagion, & rien n'échappe à la vengeance de ma Partie.

Eſpargnez-moy, Meſſieurs, un plus long récit de cette ſanglante tragédie: j'en ay dit aſſez, pour faire voir l'injuſtice de mon Adverſaire, & pour engager voſtre équité à prendre en main noſtre défenſe. Nous demandons juſtice de l'eſtat pitoyable dans lequel on nous à réduits; nous demandons qu'on nous dédommage du tort & de la perte qu'on nous a cauſez. Il y va, Meſſieurs, de voſtre gloire, de proteger l'innocence contre le crime, la foibleſſe contre la force, l'impuiſſance contre le crédit & l'autorité. Il y va de la ſeûreté publique de nous mettre à couvert du caprice & de la vengeance des Grands.

Car que deviendrons-nous, s'il leur eſt une fois permis de nous inſulter impunément; s'ils nous oſtent la liberté de nous plaindre; & ſi nous n'oſons eſperer de la protection & de l'appuy, quand on nous aura cruellement outragez? C'eſt-à-dire, qu'on mettra déſormais tout en uſage pour nous perdre; qu'on n'épargnera ni le fer, ni le poiſon pour nous accabler, & qu'il ſuffira d'adjouſter la violence à la calomnie, pour juſtifier les plus horribles cruautez. C'eſt-à-dire, que le plus grand mal, qui puiſſe arriver dans la ſuite à ceux de noſtre condition, ce ſera de n'eſtre pas aſſez heureux, pour plaire à ceux, que les richeſſes & le crédit ont mis au deſſus de nos teſtes: c'eſt-à-dire, qu'il nous faudra deſerter de nos maiſons, abandonner nos champs & nos héritages, nous éloigner pour jamais du voiſinage des Riches, ſi néanmoins il eſt aucun lieu ſi deſert & ſi reculé, qui ne ſoit ſoumis à leur domination.

Je finis, Meſſieurs, en vous conjurant encore une fois, d'avoir pitié de noſtre miſere. Laiſſez-vous toucher aux larmes d'une famille déſolée, qui ne peut eſperer que de vous quelque ſoulagement à ſes peines. Nous ſommes dix qui attendons noſtre ſort de voſtre bouche. Il eſt en voſtre pouvoir ou de nous rendre la vie, ou de nous enſevelir dans le tombeau. Car il s'agit de noſtre perte entiere, ſi vous ne prononcez en noſtre faveur. Il n'en eſt pas de meſme de ma Partie, qui ne perdra tout au plus que la récompenſe qu'elle s'eſtoit promiſe de ſa cruauté, en ſe voyant condamnée par vos arreſts.

Souffrez donc que nous nous flations d'un jugement favorable, que

Digitized by Google

nous vous conjurions de mettre fin à nos diſgraces, & des bornes à la puiſſance deſordonnée des Riches. Elles ſont toutes deux extreſmes, toutes deux également injuſtes. Rendez, s' il vous plaiſt, à un pere malheureux, à une mere affligée, à des Enfants ſans ſecours & ſans appuy, ce que la violence, l'avarice & la cruauté leur ont ravi.

ANTHISE, *ou le Riche*.

Les plaintes, les ſoupirs & les larmes ſont l' azyle ordinaire de ceux qui défendent une mauvaiſe cauſe; on ſe perſuade aiſément; qu' à la faveur de quelques mouvemens étudiez, on fera valoir de foibles raiſons; & que le ſpectacle d'un eſtat triſte & lugubre, peut ſuppléer au défaut du bon droit. C' eſt ce que ma Partie a taſché de faire dans toute la ſuite du Plaidoyer, que vous venez d'entendre. Elle n'a rien oublié de tout ce qui pouroit ſurprendre des Juges moins éclairez, que vous l' eſtes; & il eſt ſurprenant, que la ſimplicité de la campagne ſe trouve aujourd' huy confondüe avec tant d'artifice. Mais de quoy ne ſont pas capables les eſprits les plus groſſiers, lorſque l'intereſt les anime, & qu' ils ne peuvent ſe tirer d' un mauvais pas, que par la fourbe & la malice.

Pour moy, Meſſieurs, qui n'ay beſoin ni de la diſſimulation, ni de la ruſe, pour monſtrer la juſtice de ma cauſe: moy qui connois & la vivacité de vos lumieres pour découvrir la vérité la plus cachée; & la droiture de vos jugements, pour ne vous point laiſſer fléchir par une molle & laſche compaſſion; j'ay crû que la maniere de me défendre la plus ſimple eſtoit celle, qui me convenoit davantage, & la plus digne des perſonnes, devant leſquelles j'ay l'honeur aujourd'huy de parler.

Ainſi, Meſſieurs, n' attendez pas meſme, que je m'arreſte à condamner les injuſtes emportements, où ma Partie s' eſt laiſsée aller en déclamant contre les Riches, & les perſonnes d' un rang qu' elle devoit reſpecter. Vous connoiſſez aſſez, quel eſt, pour l'ordinaire, le caractere de ceux, que le ciel a fait naiſtre dans l' humiliation & dans la pauvreté. Peu contents de la différence, qui ſe trouve entre eux & nous, il n'eſt point d'efforts qu' ils ne faſſent, pour ſe dédommager de cette inégalité; & ne pouvant le faire ſur celuy qui en eſt l'auteur, ils employent contre nous les injures & les invectives les plus atroces. C'eſt à vous, Meſſieurs, à ſouſtenir les droits qui vous ſont deûs. C'eſt vous qu'on oſe inſulter dans ma perſonne; & le rang, que vous tenez parmi nous, ne vous met point à couvert de leurs emportements. Mais venons au fait.

Vous connoiſſez, Meſſieurs, la ſituation de mon jardin: vous ſçavez les ſoins que je m'y ſuis donnez, & les dépenſes que j'ay ay faites; pour le mettre en l'eſtat où vous le voyez aujourd'huy. On a voulu vous faire croire, que je m'eſtois ſervi de voyes injuſtes, pour acquerir les terres qui le compoſent. Il ſeroit aisé de convaincre ma Partie de calomnié, s'il s'agiſſoit icy de le prouver, ou ſi je pouvois me perſuader, que vous y euſſiez fait la moindre attention. Ce jardin, Meſſieurs, dont on me reproche le luxe & la magnificence avec tant d'aigreur, vous ſçavez, s'il n'a ſervi qu'à moy ſeul. Si je ſuis le ſeul, qui ay profité juſqu' icy de ſes agréments. Tout ce qu'il y a d'honneſtes gens dans cette ville y ont paſsé de doux moments, toutes les fois qu'ils m'ont fait l' honeur de s' y vouloir

promener. Et ſur tout dans la ſaiſon des fleurs, dont j'ay toujours fait mes plus cheres délices, j'ay eû la conſolation d'avoir donné un agréable ſpectacle aux perſonnes les plus diſtinguées par leur nobleſſe & par leur rang.

N'eſtoit ce pas alors quelque choſe d'inſupportable, de ſe voir aſſailli d'un déluge d'Abeilles, qui du champ de ma Partie venoient fondre dans mon jardin? de n'avoir pas la liberté de ſe promener dans les Parterres? de n'oſer toucher, ni ſentir une fleur, ſans s'expoſer à mille dangereuſes piqueûres? Je ne parle point du tort conſidérable, que ces Inſectes volants faiſoient à mes fleurs, les dépouillant de toute leur beauté, & puiſant le ſuc qui les fait vivre, & qui les conſerve dans leur éclat. J'euſſe ſouffert plus patiemment ce dommage, & ce déplaiſir, tout ſenſible qu'il m'eſtoit, ſi mon voiſin n'eûſt rendu par là mon jardin impraticable, & n'eûſt éloigné de chez moy une infinité des perſonnes, dont je préfere la compagnie à toutes les douceurs de mon jardin.

Ma Partie ne ſe plaindra pas, que je ne l'ay pas avertie de l'incommodité que me cauſoient ſes Abeilles. J'ay pris toutes les précautions, que la prudence & la modération m'ont inſpirées, pour l'engager à me faire juſtice, & à tranſporter ſes Ruches dans quelqu'autre lieu où elles ne peûſſent me nuire. Je luy ay fait repréſenter par des perſonnes deſintereſſées le tort que je ſouffrois de ſon voiſinage: on luy a fait de ma part les propoſitions les plus avantageuſes pour peu qu'elle vouluſt entrer en compoſition avec moy, & ſe rendre à ce qui paroiſſoit ſi raiſonnable. Pouvois-je, Meſſieurs, prendre des meſures plus juſtes & plus douces? Mais que gagne-t'on par la douceur ſur des eſprits indociles, qui ſe font un mérite de leur opiniaſtreté, & qui n'ont point de plus ſenſible plaiſir que de voir deſcendre juſqu'aux prieres, ceux qui ſont nez pour leur commander. J'ay eû le chagrin de n'avoir pû réuſſir par tous les ménagements que j'ay gardez pour réduire mon Adverſaire à la raiſon. Je luy ay fait entendre que j'avois d'autres moyens plus efficaces de le faire rentrer dans ſon devoir: qu'à la vérité j'aurois de la peine à m'en ſervir, parce qu'ils ſeroient contraires à ſes interets; mais que je m'y trouverois néanmoins obligé, s'il ne prévenoit mes juſtes reſſentiments. Qu'ay-je gagné par toutes ces démarches, que de me voir vaincu par un homme de ce caractere, qui triumphoit de ma complaiſance, & qui ſe mocquoit de mes menaces? Outré que j'eſtois de ſes refus & perdant toute eſpérance de rammener ma Partie à aucun accommodement; je me ſuis ſervi des droits d'une legitime défenſe: je me ſuis précautionné contre l'importunité faſcheuſe de ces mouches incommodes: je leur ay tendu des embuches: en un mot j'ay répandu du poiſon ſur mes fleurs. C'eſtoit le ſeul party, qui me reſtoit à prendre; & qu'ay-je fait en cela, Meſſieurs, qui fuſt contraire aux loys de l'équité? N'a-t-il pas eſté permis de tout temps de ſe garantir de tout ce qui peut nuire, & de ſe défendre, autant que l'on peut, des malheurs, qui peuvent arriver? On ne m'a pas veû porter le fer ni le feu dans la maiſon de mon voiſin, pour venger la perte & le dommage qu'il m'avoit causé: je n'ay point enlevé ſes ruches; je n'ay point infecté ſon champ d'aucune odeur contagieuſe, ou préjudiciable à ſes Abeilles; C'eſt dans mon jardin, c'eſt ſur mes fleurs, que

Digitized by Google

que j'ay verſé le poiſon dont il ſe plaint. M'empeſchera-t-il donc de faire chez moy tout ce qui m'eſt abſolument néceſſaire pour ma ſeûreté, & pour mettre mon bien à couvert de ſes inſultes?

Qu'y a-t-il de plus naturel & de plus ordinaire parmi nous, que de tendre des piéges à mille ſortes d'inſectes, à des oyſeaux importuns, à des animaux dangereux, qui ravagent nos champs, ruinent l'eſpérance de nos moiſſons, dépouillent nos jardins, & portent par tout la déſolation? A-t-on jamais veû perſonne prendre le party de ces peſtes publiques contre ceux qui en avoient délivré l'Univers? C'eſt un droit que la nature nous donne de veiller à la conſervation de nos biens, de réſiſter à la temérité de ceux qui s'en voudroient emparer, & de punir meſme par les voyes les plus rigoureuſes ceux dont on ne peut autrement repouſſer l'inſolence.

Droit ſi inconteſtable, Meſſieurs, qu'on n'a jamais regardé comme un attentat injuſte, d'avoir mis à mort un voleur, qui en vouloit à vos biens, & qui venoit les ſurprendre juſques dans voſtre propre maiſon. Et l'on voudroit me faire un crime de m'eſtre délivré d'une infinité d'inſectes importuns, aprés avoir inutilement tenté les moyens les plus doux & les plus capables d'obliger ma Partie à m'en défaire? Que ſeroit-ce, Meſſieus, ſi l'on eſtoit obligé de ſe livrer en proye à l'injuſtice & à la malignité d'une populace naturellement inſolente, & d'autant plus diſposée à nous nuire, qu'elle a les ſpecieux prétextes de déclamer contre les Grands? S'il ne m'a pas eſté permis de répandre du poiſon ſur mes fleurs, pour épargner les Abeilles de ma Partie, qui en pouvoit recevoir quelque dommage, il me ſera pareillement defendu de planter dans mon jardin aucune de ces plantes, dont on dit que les Abeilles ne peuvent ſouffrir la préſence. Il en faudra bannir les Ifs, qui en ſont le plus bel ornement: & s'il ſe trouve malheureuſement quelque Echo, que la nature ou l'art y aura formé, je ſeray obligé d'y remédier, à moins de paroiſtre criminel devant voſtre Tribunal.

Pardonnez-moy, Meſſieurs, ſi je deſcends à toutes ces bagatelles, qui ne laiſſent pas néanmoins de juſtifier ma conduite, & de faire voir l'injuſtice de ma Partie. Si ſon opiniaſtreté n'eût prévalu à ſes propres intereſts, il eſtoit en eſtat de remédier au mal dans ſes commencements; car le déſaſtre de ſes Abeilles n'a pas eſté l'ouvrage d'un jour. A meſure que la contagion ſe communiquoit, il pouvoit ſéparer ce qui eſtoit ſain, de ce qui ne l'eſtoit pas; & ſes Ruches tranſportées dans une autre lieu le garantiſſoient de la perte entiere qu'il a faite. Qu'il s'impute donc à luy meſme ſon propre malheur, ſans en rejetter ſur autruy la cauſe. Il n'a pas tenu à moy, que je ne luy épargnaſſe cette diſgrace, j'ay fait de mon coſté plus qu'il n'eſtoit en droit d'attendre. Ainſi, Meſſieurs, jeſpere de voſtre équité, que vous aurez égard à toutes ces raiſons; & que ſans écouter les pleurs, ni les gemiſſements étudiez de ma Partie, vous la condamnerez à porter la peine qu'elle a juſtement meritée.

REPLIQUE DU PAUVRE.

Permettez-moy, Meſſieus, d'adjouſter un mot pour ma défenſe, ſur ce que ma Partie vient de vous dire, pour juſtifier la malice de ſon procedé, & pour me rendre inexcuſable auprés de vous. On vous a fait en-

sen-

tendre, que mes Abeilles avoient porté le trouble & le deſordre dans ces jardins délicieux qu'on dit avoir eſté faits pour le plaiſir & la commodité du public. Eſt-il poſſible, Meſſieurs, qu'une calomnie ſi groſſiere puiſſe faire quelque impreſſion ſur vos eſprits? Car helas! quel tort ſont capables de faire quelques Abeilles volantes à l'avanture dans ces jardins ſi vaſtes & ſi ſpatieux? Ce ne ſont point de ces Inſectes avides & venimeux, qui rongent les fleurs & les plantes juſq'à leurs racines, ou qui laiſſent aprés eux les triſtes veſtiges de leur venin. On ſçait qu'une Abeille à peine s'eſt-elle poſée ſur une fleur, qu'elle la quitte auſſitoſt, ou que ſi elle en tire quelque ſuc, elle la dédommage avec uſure, par l'odeur agréable du miel dont elle la parfume.

Mais on m'accuſe de n'avoir pas obéï aux ordres de ma Partie. Elle m'a fait ſommer, dit-elle, de transporter mes Ruches ailleurs. L'ay-je dû faire, Meſſieurs, ou le pouvois-je? Ay-je dû abandonner l'héritage de mes peres? renoncer au commerce, qui ſeul ſouſtenoit ma famille, perdre l'unique bien que j'avois, & cela pour contenter la bizarrerie, ou pluſtoſt l'avarice & l'ambition d'un homme riche & puiſſant, qui ne peut rien voir, qu'il n'envahiſſe? Mais quand il eût eû droit d'exiger de moy une obéïſſance ſi dure, que pouvois-je faire, Meſſieurs, dans les circonſtances où je me trouvois? Transporter mes Abeilles? c'eſtoit abſolument les perdre. Tenter quelqu'autre moyen pour ſubſiſter? Mais comment l'entreprendre à l'age où je ſuis, n'ayant jamais eû d'autre ſoin que d'élever des Abeilles? aller m'eſtablir dans un autre lieu? Mais où le trouver ce lieu, qui ne ſoit point exposé au voiſinage de quelque Grand?

Vous voyez, Meſſieurs, combien ma défenſe eſt juſte. Mais ma Partie, non contente de triompher de mon impuiſſance, a prétendu trouver de la protection juſques dans le ſein des Loys & de la Juſtice: non contente de m'avoir réduit à l'eſtat le plus faſcheux; elle a voulu le rendre éternel en me fermant toutes les avenuës par leſquelles je pourrois avoir accés auprés de vous. C'eſt à vous, Meſſieurs, à faire triompher à voſtre tour l'Equité de l'Injuſtice, & à montrer aux yeux de l'Univers que pour eſtre Pauvre & malheureux, on n'en a pas moins de part à voſtre protection, quand on a le bon droit de ſon coſté.

L'ARBITRE
ou le Juge du Différend.

Jamais cauſe, Meſſieurs, ne fut plaidée avec plus de chaleur, & jamais cauſe n'eut peut-eſtre un ſujet ſi mince en apparence, diray-je meſme ſi ridicule. On vous aſſemble tous dans ce Temple auguſte de la Juſtice. On plaide devant vous, on a recours à voſtre autorité, on reclame voſtre juſtice; dequoy s'agit-il? d'un Eſſain d'Abeilles. Qui eût crû que quelques mouches peûſſent faire naiſtre un ſi grand procès, & occuper l'attention de tant de Juges éclairez? Par quelle étrange avanture, de petits animaux, nez pour la douceur de la vie ruſtique, viennent-ils aujourd'huy au milieu du Barreau répandre le fiel & l'amertume; & porter l'éguillon, meſme aprés leur mort, juſques dans le ſein de la Juſtice?

Cependant ſi l'on conſidére les Parties intereſſées, il faut avoüer que ce proces eſt également important & difficile. Car, d'une part, vous

vous voyez dans Meliſſe un homme pauvre & affligé ; & de l'autre un homme riche & puiſſant dans Anthiſe. Le Pauvre ſe plaint qu'on luy oſte en un ſeul jour tout ſon bien & toutes ſes eſperances. Le Riche prétend eſtre en droit de défendre ſon bien contre l'injuſtice du Pauvre. Celuy cy paroiſt avec tout l'éclat que donne la fortune; & croit peut eſtre qu'icy les richeſſes, ainſi que par tout ailleurs, doivent l'emporter. Celuylà au contraire étale avec ſoin ſa miſere, perſuadé que la pitié ſeule peut intereſſer des Juges tels que vous ; & qu'on eſt naturellement porté à juger en faveur des miſérables, parce qu'on les croit toujours opprimez. Pour nous, Meſſiours, que noſtre eſtat engage à tenir la balance égale entre le Pauvre & le Riche, nous ne devons pancher, que du coſté que ſe trouve la juſtice, & c'eſt ce qui eſt difficile à deſmesler icy. Vous en jugerez, Meſſieurs, quand je vous auray rapporté le fait tel qu'il eſt en luy-meſme, & non pas tel que chacune des Parties s'eſt efforcée de vous l'expoſer dénué ou reveſtu de certaines circonſtances, ſelon qu'elle les a jugées favorables, ou contraires à ſes intereſts.

Vous ſçaurez donc, Meſſieurs, qu'Anthiſe & Meliſſe eſtoient voiſins à la campagne ; Meliſſe élevoit des Abeilles dans ſon champ; Anthiſe ſelon la couſtume des gens opulénts, qui veulent, qu'on juge de leurs richeſſes par leurs dépenſes exceſſives, employoit la plus grande partie de ſon bien à agrandir, à cultiver, à embellir ſes terres. Rien n'y eſtoit épargné. On y voyoit en tout temps des fruits & des fleurs ; les ſaiſons y eſtoient confonduës; l'abondance & la fertilité de ſes jardins toujours fleuris faiſoient revivre le Printemps au milieu des Hyvers. C'eſt ce qui y attiroit les Abeilles de Meliſſe. Ces petits animaux jouiſſant de la folie de ce riche fleuriſte venoient butiner tous les matins ce que la main des Jardiniers élevoit avec bien des ſoins; & ce qui eſtoit de plus faſcheux, infeſtoient par leurs piqueûres ces délicieux Parterres. Perſonne n'en approchoit impunément. Le maiſtre s'en plaignit ; il eſt vray qu'il en avertit pluſieurs fois Meliſſe. Mais quel remede? Enfin las de faire tant de dépenſe pour entretenir des Abeilles, & des Abeilles étrangeres ; il s'aviſe d'un ſtratagéme, qui ne pouvoit manquer de luy réuſſir. Il ordonne à ſes Jardiniers de répandre du poiſon ſur toutes les fleurs. Ainſi les Abeilles de Méliſſe trouvent enfin la mort, où elles avoient trouvé ſi long-temps leur ſubſiſtance & leur vie, & expirent ſur les meſmes fleurs, ſur leſquelles elles s'eſtoient ſi ſouvent & ſi agréablement repoſées. Voilà ce qui fait la matiére du procès.

Chacun exagére de ſon coſté le tort qu'il prétend avoir receu. En faiſant mourir mes Abeilles, dit le Pauvre, vous m'oſtez à moy & à ma famille l'unique moyen que nous avions de ſubſiſter. Que ne me plongiez-vous pluroſt le poignard dans le ſein. Si vos Abeilles vous eſtoient ſi néceſſaires, reprend le Riche; que ne preniezvous le ſoin de les nourrir. Quoy j'auray acheptė une terre, j'y tiendray à mes gages des Jardiniers, je chercheray dans tous les pays les plantes les plus rares & les plus curieuſes, & tout cela, afin que vos Abeilles engraiſſées à mes dépens, vous enrichiſſent de leur miel? Mais ces Abeilles, que vous réclamez comme les voſtres, je dis, qu'elles ſont à moy: c'eſt moy qui les nourriſſois; elles

elles devoient à mes parterres leur ſuc & leur miel ; mes jardins leur ſervoient d'azyle, en un mot elles eſtoient en mon pouvoir, & j'ay pû les traiter, comme eſtant à moy, les conſerver, ou les perdre, ſelon qu'elles m'eſtoient utiles, ou pernicieuſes. Ce bien, dit le Pauvre, que vous vous vantez d'avoir fait à mes Abeilles, eſt un bien qui leur a eſté funeſte ; il auroit mieux valu pour elles & pour moy, qu'elles ne l'eûſſent jamais receû. C'eſt un bien forcé & involontaire ; vous l'avez fait malgré vous, & parce que vous ne pouviez le leur refuſer ; elles eûſſent trouvé ailleurs comme chez vous de la nourriture & un azyle ; tous les jardins leur ſont ouverts, & pluſt aux Dieux que le voſtre ſeul leur eût eſté fermé.

Toutes les fleurs, ſoit qu'elles naiſſent d'elles meſmes dans les prairies, ſoit qu'elles viennent par art dans les jardins ſont de droit public à l'égard des Abeilles, comme l'air & l'eau à l'égard de tous les autres animaux. Quel homme aſſez barbare s'eſt-il jamais aviſé d'empoiſonner l'air & les fontaines, pour empeſcher qu'acun étranger ne puſt boire, ou reſpirer chez luy ? Ce diſcours eſt ſpecieux ſans doute. Cependant, Meſſieurs, s'il n'eſt pas permis de défendre ſes jardins, ſes prairies, ſes fleurs & ſes grains contre l'avidité de ſemblables animaux affamez, ſi c'eſt un crime de ſe délivrer de ces hoſtes faſcheux, meſme en conſpirant contre leur vie ; Il faut donc faire icy le procés à tout Oiſeleur ; à tout Chaſſeur, & generalement à tous ceux, qui font la guerre aux ennemis des ſemences & des fruits de la terre : à moins qu'on ne veuille dire, que ceux-cy n'appartenant à perſonne, ſont abandonnez à la vengeance publique ; au lieu que les Abeilles ayant un maiſtre connu & certain, meritoient qu'on eûſt quelque indulgence, ſinon pour elles, du moins pour celuy, dont elles faiſoient tout le bien & tout le revenu.

Mais que pouvoit faire cet homme riche, ſi ce n'eſt d'avertir, comme il a fait pluſieurs fois, le maiſtre de ces Abeilles, que ces petits domeſtiques dépeuploient ſon jardin, qu'elles l'aſſiégeoient tout le jour, qu'elles le rendoient inacceſſible à luy, à ſes amis, à tout le public ; car c'eſt là qu'il prétend en avoir eſté réduit l'eſpace de pluſieurs ſemaines & de pluſieurs mois entiers. Il falloit, dit Méliſſe, avoir recours aux Juges, & intenter procés. Mais à qui s'addreſſer, je vous prie ? Informe-t-on contre des Abeilles ? obtient-on des arreſts de défenſe contre elles ? décrete-t-on contre des mouches ; & toutes les procédures de la Juſtice peuvent-elles arreſter les larcins de ces petits animaux errants & fugitifs ; ſi leur maiſtre après pluſieurs avertiſſements réiterez, n'a pû les empeſcher de courir ſur des terres étrangeres ? Penſerons-nous qu'un arreſt en forme eût rendu ce maiſtre plus vigilant ou plus efficace à les contenir dans leur devoir ? Mais les autres voiſins, adjouſtera Méliſſe, ne s'en ſont jamais plaint ; ils ſouffroient volontiers les courſes que faiſoient chez eux mes Abeilles. Je le veux, répond Anthiſe. Que concluez-vous de là ? que je devois moy les ſouffrir ? D'ailleurs le butin, qu'elles faiſoient en pluſieurs mois dans les autres jardins, égaloit-il celuy qu'elles faiſoient en un ſeul jour dans le jardin de cet homme riche ? Du moins ſçavons-nous, que les moindres dépenſes qu'il faiſoit pour l'ornement & la culture de ſon jardin, ſurpaſſoient infiniment celles de tous les autres ; & à juger par là du tort qu'il ſouffroit ; il

ne

ne pouvoit eſtre que trés conſiderable.

Mais quel droit avoit-il ſur ces Abeilles, pour les faire mourir d'une maniere ſi ſubite & ſi cruelle? Quel droit, Meſſieurs? Le meſme droit qu'on a ſur des voleurs, qu'on trouveroit dans ſa maiſon, & à qui on verroit prendre, emporter impunément, dérober tout devant ſes yeux, & faire un riche butin de ce qu'il y auroit de plus précieux, car il n'y a rien de ſi rare & de ſi recherché, que ce Fleuriſte préfere à ſes fleurs. Mais il n'eſt pas permis, dit on, de tuer les voleurs, que quand ils font violence. Et quelle plus grande violence peut-on voir, qu'une armée de mouches à miel, qui s'emparent d'un jardin comme d'un pays ennemi; qui mettent garniſon ſur toutes les fleurs; qui poſent des ſentinelles à l'entrée des parterres, d'où elles écartent à coup d'éguillon tous ceux qui en oſent approcher; tandis que leurs compagnes deſtinées à ramaſſer le butin, ſucent à loiſir l'eſſence du jaſmin & de l'oranger, & font plus de dégaſt en un jour, que n'en feroit l'Eſté le plus brulant, & l'Hyver le plus rude?

Aprés tout, Meſſieur, il faut avoüer, que la condition du Pauvre eſt bien plus à plaindre, que celle du Riche. Celuy-cy n'a perdu que des fleurs: c'eſt une perte, qui peut aiſément ſe réparer, & qui ſe répare meſme tous les ans. Mais quand elle ſeroit irréparable, un homme riche peut la ſupporter. Au lieu que le Pauvre, depuis qu'il n'a plus ſes Abeilles, n'a plus de pain, plus de ſecours, plus d'induſtrie: en un mot il a perdu tout ce qu'il avoit, & tout ce qu'il pouvoit eſperer. Les autres malheureux ont du moins quelque reſſource dans leur miſere. La pauvreté meſme, plus elle eſt preſſante, plus elle eſt ingenieuſe à trouver de nouveaux moyens pour ſubſiſter. Mais pour celuy-cy, qui a paſſé toute ſa vie à élever & à nourir des Abeilles; & qui à l'âge où il eſt maintenant, ne peut plus gueres faire autre choſe, l'abandonnerons-nous à la faim & au deſeſpoir? C'eſt à celuy qui l'a réduit dans ce triſte eſtat, où nous le voyons, à pourvoir à ſe beſoins; il n'eſt pas juſte, que pour contenter ſon luxe, il voye périr un membre de la République. Qu'il luy rende donc Abeilles pour Abeilles, mais à condition que ſi celles-cy viennent comme les premieres moiſſonner ſe fleurs, le Pauvre ſera obligé de lui donner en dédommagement toutes les années un rayon de miel. Ou bien ſi Anthiſe croit que le profit n'egale pas la perte; qu'il donne du moins à Méliſſe dequoy ſubſiſter: qu'il le nourriſſe luy & toute ſa famille; mais à condition qu'il en tirera la ſervice qu'il jugera à propos. Enfin qu'ils ſe ſouviennent l'un & l'autre de l'ordre que le ſouverain Maiſtre de l'Univers a eſtabli entre le Pauvre & le Riche: ſuivant lequel le Riche doit entretenir le Pauvre, & le ſoulager dans ſa miſere; & le Pauvre doit ſervir & eſtre ſoumis au Riche.

Digitized by Google

LIBER EPISTOLARUM.

PRÆFATIO.

NOn eſt inanis, aut in tenui poſita conſcribendæ Ars Epiſtolæ; ac licèt nihil tam paſſim obvium, tam frequens in uſu, quàm Epiſtola; nihil tamen videas plerumque in eo genere perfectum & abſolutum minùs. Imò, Ars ipſa nocet per ſe ſe, dum exquiſitiùs affectatur in ea re, quam eſſe nativam totam oportet. Hæc enim Epiſtolæ dos prima. Neque verò aliam ob cauſam Noſtrates quidam ſub medium poſterioris ſæculi Scriptores vileſcere jam cœperunt, niſi quòd in ſcribendis Epiſtolis nativæ ſimplicitatis contemptores, ſubtilis ingenii famam curioſiùs aucupabantur.

Hic porro naturæ color & genuina ſimplicitas, non tantùm in rebus quæ ſcribuntur, ſed in ipſo etiam ſtylo ſervari debet; qui non incitatus aut vehemens, aut figurarum diſtinctus luminibus, ut in oratione; ſed lenis, concinnus, ac politus, qualis liberalibus & honeſtis in colloquiis uſurpari ſolet. Nam cùm eſt illud Epiſtolæ proprium, & hujus cauſa inventa res ipſa, ut certiores faceremus abſentes, ſi quid interveniret fortè, quod eos ſcire aut noſtra aut ipſorum intereſſet; tum certè non debet illa à mutuo liberalique ſermone, qui habetur inter præſentes, longiùs diſcrepare.

Epiſtolarum autem multa genera ſunt: at duo iſthæc inprimis, unum familiare & jocoſum, alterum ſeverum & grave. Prius inter amicos & familiares adhibetur, à quibus ea vulgo tractantur in Epiſtolis, quæ lepida & feſtiva ſunt. Poſterius in uſu eſt, cùm ſcribitur ad perſonas alicujus auctoritatis ac dignitatis, quibuſcum graviora plerumque ac ſeveriora agitantur. Tamen hæc ipſa gravitas ac ſeveritas temperatur nonnunquam ac remittitur pro varietate argumenti, quod Epiſtolæ materiam ſuppeditat; ſic ut jocos etiam patiantur quæ mittuntur ad viros Principes Literæ, ſi modò ſcurriles non ſint ac mimici. Plenæ ſunt apud Horatium urbanis ejuſmodi ſalibus, quas ad Mecœnatem & ad Auguſtum ſcribebat, Literæ. Nec ipſe Cicero, cùm ſcribit ad Cæſarem, & ad viros in Republica primarios liberalibus facetiis abſtinet. Sed licentia illa non datur, niſi pudenter ſumpta, neque omnium eſt ita ludere jocu lariter cum perſonis, adverſus quas reverentia quædam atque obſervantia ſemper adhibenda eſt.

Placebant olim in Epiſtola verborum quædam lautitiæ & officioſæ urbanitates, vel cum faſtidio conquiſitæ: jam delicatior rerum guſtus comptiores iſtas munditias, uti privatis è congreſſibus, ita è Literis expulit, nec abuti iis licet niſi parcè admodum & ſobriè.

Non

Non eſt prætermittenda Epiſtolæ non ultima laus, brevitas; nam quæ prolixior eſt, faſtidio proxima ſit, niſi fortè res agitentur ejuſmodi; quæ longam diſceptationem requirant. Alioquin Epiſtola loquacior aut negligentiæ, aut nimiæ feſtinationis vitium arguit. Hinc ille excuſans apud amicum Literarum ſuarum prolixitatem, non ſcitè minùs quàm verè dicebat, non licuit mihi per tempus eſſe breviorem.

Denique infinitus ſim ego, ſi varia, de quibus ſcribitur, argumenta complecti velim: cum nihil ſit rerum omnium quod Epiſtola non admittat. Quare ſatis habebo indicare hìc certa quædam capita, ad quæ revocari poſſunt quæ Literis vulgò committuntur. Atque ut variis de argumentis adiri Tullius poſſit, tam in Literis, quàm in Orationibus exarandis dux optimus, contexuimus Indicem, qui familiares Ciceronis Epiſtolas deſignabit ſub illis capitibus contentas. Quod verò ad noſtras Epiſtolas attinet, non pares numero, multo minùs elegantia & dignitate, quo in genere ſcriptæ ſint, nota ſingulis appoſita declarabit.

LIBER EPISTOLARUM.

RHETOR INITIATUS

Rhetori Candidato poſt Ferias Autumnales adhuc ruſticanti.

Objurgatoria.

HEus tu! quæ te ſegnities moratur, Chariſſime? Ten' ruſticari adhuc otioſum, dum Literario in Ludo jam fervet ſodalium tuorum labor, & in novo palæſtræ genere de ingenii doctrinæque palma certatur acriter? Quanquam video, quid tam ſecurum te, tamque confidentem faciat. Parum ſcilicet te afficiunt, aut etiam movent, quæ nos mirum in modum excruciant prima Rhetoricæ rudimenta. Nihil putas eſſe tam arduum, tam plenum ſalebris, tam intricatum difficultatibus, quod pro ingenii ſolertia ac ſagacitate non vincas ſtatim ac ſuperes. Felicem te profectò, qui tot ad rem gerendam feliciter adjumenta nactus es! Infelices nos, quibus par præſidium gratulari non licet! Tamen utinam, uti confidis, ita tibi ſuccedant omnia, neque aliter ſentire incipias, cùm hîc aderis. Nam ſi neſcis, Amice, peregrino verſamur in loco, in quo nemo hoſpes haberi non poſſit. Interim miramur non adeſſe te & curioſis nequicquam oculis abſentem veſtigamus. Crede mihi, moras abrumpe omnes, & ad urbem citus advola, ſi ſapis. Satis huc uſque ludo & oblectamentis datum eſt; animum ferium indue & avidum laboris. Nam neque Ludis, neque ſocordiæ locus hîc vacat. Sed quid ego te diutiùs moror? Vale: nihil reſcribas nobis, ſed veni.

RESPONSIO.

Excuſatoria.

ACcuſaſti Amicum tuum negligentiæ; & plus æquo amantem otii increpaſti, quòd exactis Autumnalibus feriis ruſticari pergam, dum tu Literarium Ludum ingreſſus cathis impalleſcis. Parce tamen hanc mihi hodie affingere calumniam, quam aliàs fortaſſe non ita facilè depuliſſem. Nunquam ego abrupiſſem lubentiùs moras omnes, quæ regreſſum in urbem retardare ſolent, ni me timor quiſpiam ſubruſticus, quem irridebis haud dubiè, etiamnum retineret. Dicam ingenuè quod res eſt; nam cur diſſimulare quidquam tecum velim? Vel ipſum Rhetorices illius, quò vocamur, limen religioſum quemdam horrorem ac metum ſemper incuſſit. Audivi enim quàm multa narrentur à multis, quæ confidentiſſimos quoſque perterrent. Novum illic ajunt vigere doctrinæ genus, novas vivendi leges, novam diſciplinæ rationem, novos incolas, verbo dicam, nova omnia; ſic ut in eo ſolo nemo non hoſpes ac peregrinus videri poſſit. Ego qui meticuloſus natura mea ſum, mirum eſt, ſi refugiam illuc accedere. Tu confidentior paulò, ne dicam audaculum, qui erecta fronte perfregiſti ſacros illos aditus. Reſcribe, ſi me amas, quid iſthic agatur, & diffidentem amicum, ſi potes, confirma. Interim dabo ſingularem operam, ut non veniam niſi diligenter commendatus. Multos novi, & amicos nactus ſum, qui auctoritate ac gratia plurimùm valent apud eos, qui provinciam iſtam moderantur.

His.

Digitized by Google

His inſtructus præſidiis captabo horum hominum benevolentiam, &, ſi quid abſentia longior nocuiſſet, emendabo.

RHETOR IDEM

Amico in urbem reduci poſt Autumnales Ferias.

Jocoſa.

ERgo te ruris tui tandem cœperunt faſtidia, & è tantis deliciis ſalvus ad nos & incolumis rediiſti? Næ gaudeo propter te plurimùm, tibique mirum in modum gratulor. Nam ut fatear quod res eſt, tibi ego tot inter illecebras ruſticanti timui non mediocriter. Sciebam in hortis illis, quos incolebas, hunc inter alios fructum creſcere, qui ſemel ingreſſis miram reditus oblivionem inducit. Nullum verò in veſtro comitatu Ulyſſem noveram, qui aut Loton guſtare nollet, aut guſtata vellet abſtinere. Hinc metus diutinæ moræ, celeriſque ſupra ſpes meas & vota reditus cumulata lætitia. Eam tu melius intelliges, cùm ego te veluti ex Aſia aut ultimis oris reducem amplexabor. Unum habeo monere te in præſentia, meditatus ad nos ut venias, & ad dicendam pro longiore abſentia cauſam egregiè comparatus. Equidem novi te emunctæ naris hominem inter paucos. Tamen non ita pronum eſt, uti reris, barbato regi imponere. Cæterùm ſi me audies, parces operoſiùs quærere, qui te commendent; neque potiorem eſſe commendationem exiſtimabis, quàm quæ à te ipſo profecta ſit. Vale. Hæc tuo Davo properanti, & nullam, ne ceſſaſſe dicatur, moram admittenti danda fuerunt pauca & inconcinna.

MATER AD MAGISTRUM FILIOLI,

Cùm Puerum Literarium ad Ludum tardiùs remitteret.

Commendatitia.

FIliolum noſtrum tibi remittimus, Vir colendiſſime, ſeriùs fortè quàm par eſſet; tamen neque Adoleſcentis negligentia factum illud eſt; neque nos ipſi in cauſa ſumus. Noſti, quàm pluvia jam diù utamur tempeſtate, per quam non fuit integrum vel corruptam imbrium vitio tentare viam, vel puerum objicere periculo valetudinis, quam aſperior paulò intemperies aëris, tam tenuis illa eſt, tam propè nulla, facilè incommodet. Veniam igitur dabis, ut ſpero, piæ parentum ſollicitudini, ſi ſpem domus unicam & gentis totius columen unum ſedulò conſervatum velint. Cæterùm Filioli nomine ultrò pollicebor fore, ut amiſſum tempus diligentia brevi compenſet ac reſarciat. Eſt enim minimè deſidioſa pueri indoles, aut fugitans laboris. Imò nihil ipſi tam melli eſt, quàm dum in accurandum penſum totus incumbit. Parco dicere plura illius in gratiam, ne fortè videar filio pluſculum indulgens mater. At non tacebo tamen, quod unum ipſius in moribus amavi maximè, memorem tuæ in eum benevolentiæ ac gratum inprimis animum. O ſi adeſſes, quoties amicum ſibi, liberalem ac beneficum imprimis Magiſtrum jactitat! Hanc tu porro benevolentiæ partem, quam puero impertiiſti hactenus, ut tueri ſemper ac præſtare velis, etiam atque etiam peto. Pervidiſti omnino Adoleſcentis animum, quem benignitate potiùs, quàm acerbitate regendum putaveris.

De reliquo familiam totam ſic obligaſti, ut cupidiſſimam tuique in omne tempus obſervantiſſimam ſis habiturus. Vale.

LENTULUS FABIO,

Cùm is invitatus ad Cœnam & pollicitus non veniſſet.

Objurgatoria.

ERgo promittis ad cœnam, & non venis? Tibi jus dicitur: ad aſſem impendium reddes, neque id modicum. Paratus erat tibi Capo præpinguis ex Cœnomanenſi tractu recens advectus: Pullus geminus educatus ſedulò & frumento jam diù fartus; adde & Palumbes duos cum Cuniculo, non urbano illo quidem & domeſtico, ſed ruſtico & ſilveſtri. Vinum ſileo, quale nec bibitur Rhemis, quadrimum illud ſanè, quod neque palatum exſurdet, neque vetuſtate evanuerit. Glaciem, quanquam æſtus præteriit, ſervabam tibi homini, ſi quis alius eſt acri & præfervido; hanc quoque computabis, imò hanc inprimis quæ periit in ferculo. Ad hæc Olivæ Salyæ longa muria conditæ. Quid plura? fructus omnis generis, quos tempeſtas ferat, etiam cupediæ, bellaria, dulciaria, ſi tamen delicias illas conſectaris. At tu apud neſcio quem Aprum, Perdices, Lepores maluiſti. Dabis pœnas, non dico quas. Durè feciſti; neſcio an tibi, an mihi, ſed tamen & tibi. Quantùm luſiſſemus, riſiſſemus! Potes apparatiùs cœnare apud multos, nuſquam hilariùs, ſimpliciùs, incautiùs. In ſumma experire; & niſi poſthac te aliis potiùs excuſaveris, mihi ſemper excuſa. Vale.

MARCUS TULLIUS CICERO

Tito Annio Miloni Maſſiliæ exulanti.

Cùm ſcriptam, quam pro ipſo dixerat, Orationem ad eum mitteret.

Ad excuſandum.

EXulas ergo vel innocens, Tite Anni; neque fatalem à cervicibus tuis caſum arcere potuit tuus ille Tullius, cujus in patrocinio tantum poſueras? Infelicem me vel hac mea, ſi qua eſt, dicendi facultate, quæ tibi non profuit! Nam quid me juvet adfuiſſe quibuſdam in cauſa capitis, & meritas etiam nonnunquam pœnas depuliſſe; dum tibi reliquos inter homini amiciſſimo opitulari non licuit? Tamen accuſa effrenem armorum licentiam: accuſa Clodianæ factionis auctoritatem; quæ priſtinam conſuetudinem Fori, & veterem judiciorum formam ſuſtulerunt. Quis eſſe potuit inter armatos ſatellites & impudentes ſicarios vel innocentiæ vel Oratoriæ facundiæ locus? Quàm tibi hac in parte non defuerim, fidem faciet iſthæc Oratio, quæ fuit tuam in defenſionem comparata. Hanc tu perleges attentè, ſi me amas, & de meo erga te ſtudio facies conjecturam. Si quem habeo rei Forenſis uſum, ſi quam in agendis cauſis experientiam ſum conſecutus, equidem profiteri poſſum; nihil ad propulſandam calumniam excogitari potuiſſe validius, niſi inimicorum noſtrorum furor atque potentia innocentiæ & æquitati prævaluiſſent. Quid reſtat, Tite Anni, niſi ut, fortuna melior dum venerit, æquo, ut virum fortem decet, animo præſentem feras. Vale.

Digitized by Google

TITUS ANNIUS MILO

Marco Tullio Ciceroni.

Cum actam pro ſe ab eo Orationem, ſcripto exaratam perlegiſſet.

CUm vidi perlegique attentiùs, quam ſcripſiſti pro me Orationem, cujus ad rationum momenta, ad elegantiam concinnitatemque ſermonis, ad ipſam totius operis abſolutionem nulla fieri poteſt acceſſio, mirabar, Marce Tulli, ut fateat quod res eſt, vixque ac ne vix quidem mihi perſuadebam; Milonem illum, cujus egeras cauſam tam disertè verſari Maſſiliæ exulem; neque tanto præſidio fretum triſtiſſimam, quam patitur, ſortem declinare potuiſſe. Debueram mehercule tam inſignem, tam facundum nactus defenſorem, vel in cauſa mala ac deſperata adverſariorum meorum impetus eluſiſſe; in tanta verò cauſæ meæ bonitate multo minùs videbatur eſſe quidquam, quod metuendum mihi arbitrarer. Quid eſſe dicam, Marce Tulli, quòd Oratio tam elegans, tam nata ad movendos animos, tam idonea ad faciendam fidem, hunc demum habuerit exitum, ut Maſſiliam relegarer? Etiam juranti non credam, eandem illam eſſe quam dixiſti. Non auſim derogare tantum divinæ illi Orationi, quam lectitare non poſſum ad ſatietatem, quam in oculis fero, quam deoſculor in ſingulas horas, tanquam certiſſimum innocentiæ meæ præſidium. Hanc ſi, ut eſt exarata, pronunciaſſes; crede mihi, Marce Tulli, tuus ille Milo Maſſilienſes mullos jam non ederet.

HISPANUS

Fortiſſimo Barcinonenſi Gubernatori.

De ineptis qui Lutetiæ ſpargebantur rumoribus Urbem eſſe jam diù deditam, dum illa contra Batavorum, Anglorumque impetus acriùs defenderetur. Anno 1706.

NAm quid te militeſque tuos in defendenda Barcinone fruſtra maceras, vir fortiſſime? actum agis. Omitte novum illud dignumque gente veſtra fidei virtutiſque ſpecimen. Neſcis urbem hanc veſtram expugnatam hìc eſſe jam diù ab hominibus non paucis, quibus, vel ſi procul à mœnibus hoſtes fugerint, non perſuaſeris tamen, ſalvam & incolumem Barcinonem poſſe præſtari. Utinam enimverò audiiſſes, quid illi ſuis in circulis, aut etiam mediis in compitis effutiant circumforanei politici, dum res quaslibet, non tam ex certa incorruptaque fama, quàm ex feriati malè cerebri figmentis metiuntur! Alii captam urbem conclamarunt; antequam ipſa cœpiſſet obſideri: alii finxere te cum invictis legionibus deſeruiſſe Barcinonem, quo die egreſſus tu quidem ex propugnaculis hoſtes aggreſſus es, & magnam eorum ſtragem edidiſti. Alii ruentibus ex ſe ſe diſſipatiſque per fideles nuncios, qui percrebuerant, rumoribus, tamen in errore pertinaces verſantur, nec ſervari Barcinonem poſſe defendunt, quia expugnandam illam eſſe judicant. Quid facias? abundat hæc civitas hominibus minimè malis illis quidem, at meticuloſis præter modum, quos adverſæ res feriunt multo ante, quàm evenerint; qui, ne deſit unquam quod fovere ipſorum metus poſſit, nova quotidie timendi argumenta Nuntia & Satirica.

comminiſcuntur. Nihil te movebunt, ſentio, tam ineptæ, tam ridiculæ otioſorum hominum opiniones. Perges, uti feciſti hactenus, urbem tueri viriliter, & ſinceram optimo Principi incorruptamque fidem approbare. Magnam hodie perſonam ſuſtines, Vir fortiſſime, & intentos in te unum omnium oculos atque animos rapis. Plauſus viciſſim exſpecta pares animo, conſtantiæ tuæ pares. Certabunt utrinque Gallia pariter atque Hiſpania, quibus nomen tuum laudibus proſequantur, & tam egregiæ defenſionis memoriam apud poſteros commendent.

RESPONSIO

Gubernatoris Barcinonenſis ſuper ineptis, qui ſparſi ſunt, de Deditione ſua Rumoribus.

Jocoſa.

HAbeo ſingulares veſtris hominibus gratias, qui nos longioris defenſionis cura liberant, & eſſe deinceps periculi ſecuros volunt. Nam, ſi quid illis creditur, victi jam ſumus, & hoſtes capta Barcinone tandem triumphant. Dii boni! quod hoſtes, qui nos obſident, non ſunt tam creduli, neque adhuc perſuadent ſibi, quantumvis id velint, ſe eſſe victores! Riſerunt noſtri milites pavidos, qui vos percellunt, metus, & otioſorum hominum Politicam, ut par eſt, exploſerunt. Mittantur ad nos, quotquot ſunt, qui tam facilè deſpondent animo. Tunc fortè timere deſinent, cùm rerum noſtrarum ſpeculatores ac teſtes viderint propiùs, quàm ſtrenuè mœnia noſtra defendamus. Neque verò tardiùs ſe venturos exiſtiment, quàm ut res ipſas ſuis uſurpare oculis valeant. Spondemus diuturnam ſatis fore obſidii moram, ſuam curioſitatem ut expleant, niſi hoſtes ipſos pœniteat brevi longioris oppugnationis, & impatientes frigoris ac tempeſtatis repetere patriam malint, quàm fruſtra macerare ſe, ubi nullus pertinaciæ ſuæ fructus eſt. Reliquis auctor ego ſum, ut ſecuri de nobis in utramque aurem tranquillè dormiant. Nos interim pugnabimus fortiter; nec erit in urbe ſegnitiæ locus, donec pertæſi hoſtes certa referant in Angliam Bataviamque reſponſa, & laceræ claſſis reliquias, unum victoriæ ſuæ monumentum populis oſtentent. Cæterùm plauſus ac triumphos deſpicimus, modò quid plauſu dignum ac triumpho præſtiterimus; hoc beati ſatis, ſi, quam habet de nobis univerſus orbis exſpectationem, non tueri modò, ſed ſuperare etiam valeamus.

MARCELLUS LENTULO,

Ut Lepidum Magiſtratus Candidatum ſuffragio adjuvet.

Commendatitia.

SI quando, Lentule mi, nunc præcipuè cuperem eſſe te in hac urbe, &, ut ſis, etiam atque etiam rogo. Opus eſt mihi voti, laboris, ſollicitudinis ſocio. Petit honores Lepidus noſter, petit cum multis, cum bonis, quos ut glorioſum, ſic eſt difficile ſuperare. Pendeo ergo & exerceor ſpe, atque afficior metu, & ejuſdem videor muneris, quod ambit, eſſe Candidatus. Meretur hanc curam longa mei charitate: eſt enim mihi cum illo vetus neceſſitas: meretur & eximiis animi ſui dotibus: neque enim novi quemquam vel ab indole, vel à modeſtia, vel à probitate, vel à prudentia, vel ab eruditione illuſtriùs illo comparatum. Accedunt multa ipſius in me merita: quibus ex cauſis exigo,

exigo, ut venias, & ſuffragio meo tuum jungas. Permultùm intereſt mea adeſſe te mecum, & obire eorum domos, quorum ex arbitrio Lepidi fatum dependet. Ea eſt auctoritas tua, ut putem me efficaciùs tecum etiam amicos rogaturum. Abrumpe, ſi qua te retinent. Hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas poſtulat. Suſcepi Candidatum, & ſuſcepiſſe me notum eſt. Ego ambio, ego periclitor. In ſumma, ſi datur Lepido, quod petit, illius honor; ſi negatur, mea repulſa eſt. Vale.

AMICO

Præmaturum Filii ſui funus dolenti.

Conſolatoria.

DOlorem tuum quis eſt, qui non approbet, aut qui dolere tecum ultro non velit? Filium requiris extinctum ante annos, parentum delicias, ſpem domus & gentis inclytæ eximium olim, ſi vixiſſet, decus futurum. Hunc tu ſedulò vel à teneris educaveras, inſtitueras bonas ad artes adoleſcentem, tuis ipſius informaveras moribus, & natam mentem ad grandia ſtimulis acrioribus incitaras. At quo demum exitu, quo parentis gaudio, nunquam laudandus ſatis Adoleſcens tam præclara documenta animo imbiberat? quis illo vidit in rebus acutiùs? quis diſſeruit peritiùs? quis ſcripſit elegantiùs? quis ad omne virtutum genus cupidiùs exarſit? Sed quid ego vel iſta commemoratione refrico fortaſſe nondum obducta bene vulnera, quibus mederi velim? Quanquam hæc ipſa ſunt, quæ lenire parentis ægritudinem & poſſunt & debent. Viget enimverò, & longùm vigebit apud omnes gratiſſima juvenis optimi memoria. Imò non aberit penitus ab hominum conſortio, quem multorum laudibus celebrari identidem audies, & tanquam abſolutum quoddam ætatis illius primæ exemplar requiri. Hoc in ſpeculum, ne dubita, diligenter intuentur, quos habes ſuperſtites filios. Illic perlegent officii ſui partes, & fraternæ virtutis æmulatores avidi, quem ereptum tibi deſideras, etiam cum fœnore reſtituent. Hæc te ſpes interim ſuſtentet, & pias parentis lachrymas abſtergat. Vale.

AD AMICUM.

Raram eſſe, imò nullam apud homines ſinceritatem.

Moroſa.

UBi ſumus, Amice? quibuſcum vivimus? quò demum fugit ſinceritas? quò veritas exulavit? Huccine recidiſſe res humanas, ut fallacia, præſtigiæ, dolus ubique dominentur; neque ullum deinceps ſinant eſſe ſimplicitati locum? Equidem noveram ſatis, non eſſe hominum quorumlibet candorem illum ingenuæ mentis, quem requiro; imò mihi non latebat quoſdam eſſe terrarum tractus tam averſos à vero, ut ne veſtigium quidem ſinceritatis uſpiam reperias. At in iſta cœli purioris plaga, inter cœtus illos hominum, quorum in vultu nativus lepos, in verbis comis urbanitas, in ipſa vivendi agendique ratione facilitas quædam experſque fuci candor apparet; hìc, inquam, neminem eſſe non fucatum, non fallacem, non perſonatum! quis hoc ferat; amice? quis non expoſtulet? quis non indignetur? Cedo locum aliquem quò ferar, ubi vivere liceat. Nam hæccine vita eſt, quam vivimus? vivere hunc putem, hominem qui non habeat, cujus intueri poſſit animum, qualis revera eſt; cui verum dicere, à quo & audire

dire verum deſperet? quem facere rerum ſuarum participem, quem conſulere audeat? Nihil moror, amice: certum eſt humanæ ſocietati nuncium remittere, valedicere mortalium conſortio. Si bene me novi, via hæc tutior & brevior. Penetrabo receſſus nemorum, abdam me ſolitudinum latebris, inter rupes & feras immorabor; felix fortunatuſque, ſi qua uſpiam veteris & extinctæ ſimplicitatis ac ſinceritatis veſtigia nacturus ſim! Vale.

ADOLESCENS AD PATREM.

Cum juſſus ſcribere de ſtudiorum progreſſu nihil haberet boni quod ſcriberet.

Ad excuſandum. ETſi nihil habeo ſcribendum hodie, quod placere admodum poſſit, Pater colendiſſime, non dubitavi tamen morem gerere voluntati tuæ, &, quo ſe habeat apud me loco res Literaria, facere te certiorem. Saltem hunc ſperare mihi poſſe videor fructum obſequii mei, ut, dum fatebor ingenuè quod res eſt, nihil de ſolito candore animi remiſiſſe, neque vel in mea cauſa diſſimulaſſe quidquam accuſari poſſim. Itaque non diffitebor apud te, Pater amantiſſime, minus feliciter, quàm aut ſperabam, aut etiam fueram tibi pollicitus, proceſſiſſe ultimam rei Literariæ concertationem. Neſcio quo malo factum ſit fato, ut inferiorem expectatione mea inter æquales meos locum obtinuerim. Quanquam quis non intelligat ancipites eſſe armorum caſus, atque hanc eſſe ſortem eorum omnium, qui dimicant, ut non æquam ſemper & faventem fortunam experiantur? Id noſti tu, Pater, unus omnium optime, qui totam inter martis labores ætatem tam laudabiliter contriviſti. Scis quàm vario, quàm parum certo eventu quotidie confligatur; neque vel accuſandam continuò Ducis imprudentiam, aut increpandam militum ſocordiam videri, ſi minus feliciter certatum ſit. Id tamen dictum à me nolim exiſtimes, quaſi aut factum excuſare penitus, aut omnem infelicis aleæ invidiam declinare voluerim. Unum hoc mihi in hac mea calamitate relictum commodum eſſe video, ut novos ad rem bene gerendam ſtimulos, novam ad aſſequenda meliora diligentiam atque alacritatem adjiciat. Hac ego ſpe fretus nullus ego dubitem polliceri tibi, Pater amantiſſime, futurum intra breve tempus, ut hodierni nuncii acerbitatem lætior epiſtola corrigat ac temperet. Hæc me recreat ac ſuſtentat ſingulos in dies fiducia, quæ ut tantumdem apud te ponderis habeat, etiam atque etiam peto. Vale.

IDEM EIDEM,

Cum Primas inter ſuos obtineret.

TAnto lubentiùs tibi ſcribendum hodie ſuſcepi, Pater amantiſſime, quanto difficiliùs, id ipſum nuper ut facerem, adductum fuiſſe me profiteor. Nihil habet iſtæc epiſtola niſi lætum, niſi fortunatum, niſi quid gratiſſimum tibi, quod nunciet. Nam ſive æquiorem ſe mihi, quàm aliàs fortuna præſtitit, ſive diligentiæ accuratioris percepi fructum aliquem, ſive, quod ego lubentiùs crediderim, ſingulare placendi tibi deſiderium novos addidit ad rem bene gerendam ſtimulos, Primas tandem aliquando inter condiſcipulos meos ſum adeptus, & Imperatoris dignitate defungor. Hujus porro muneris amplitudinem dubito utrum tanti facien- Gratulabunda.

faciendam putes, quanti reipſa valeat. Tu qui Legionibus integris tanta cum laude præfuiſti, Pater amantiſſime, Filium imperitantem finge numeroſiſſimæ ac florentiſſimæ juventuti ea cum dignitate pariter ac poteſtate, ut audientem dicto & imperio obſequentem habeat; ut cùm placuerit, ducat milites in aciem, conferat manus cum hoſte, victorias reportet, laureas ac triumphos mereatur. Hoc ipſum eſt, quod filio gratulari potes, quod filius tibi ipſi tuus hodie gratulatur; niſi fortè contemnendum credideris, quòd filium vel hac ætate jam imperantem habeas. Id porro non putem ignorare te, quod per temetipſum ſatis expertus es, nihil eſſe quod in homine imperante tam commendari ſoleat, quàm liberalitas ac munificentia. Hæc enim illa virtus eſt, quæ militum animos conciliat, robur incendit, & ad ardua quæque aggredienda viriliter excitat atque inflammat. Quare ita confido fore, ut cùm mearum ſit partium virtutes cæteras, quæ in Imperante adeſſe debent, comparare, liberalitatis unius exercendæ facultatem, quam in te uno poſitam noſti, ſuppeditare non graveris. Vale.

LAPIS LYDIUS

Ad explorandam Amicitiam,

ſeu

FABIUS

Amiſſa Ludo Pecunia,

Ad hominem avarum, qui ſe amicum jactabat, ut mutuam præſtet.

Jocoſè. ACtum erat de me, ne vivam, hominum chariſſime, & res, opinor, ad reſtim pœne, & ad laqueum reciderat mihi, qui loculos omnes funeſtiſſimo aleæ caſu perdideram, niſi tu dolenti miſerè ac deſperanti homo amiciſſimus occurriſſes. Intellexi ſtatim, ita perſuaſum habeo quod jactitaſti mihi tam ſæpe, non fucatum te aut perſonatum, ſed verum ac ſincerum amicum eſſe; intellexi, inquam, hoc ipſum, quod me angebat tantum, rem fore tibi gratiſſimam, qui opportunam teſtandæ amicitiæ occaſionem nactus eſſes. Nam unde tandem illuſtrior amicitia ſe prodat, quam ſi, opitulandi amico gratia, quoslibet crumenæ ſumptus ac ruinas ultro patiatur? Hic eſt Lapis veluti Lydius, quo, ſicut germanum aurum ab adulterino, ſic amicus verus à falſo ſecernitur; & qui tum gravi periculo tentatus ſemel nullis avaritiæ malè ſuadentis rationibus vinci ſe permiſerit, is cæteris in rebus certum ſe ac fidelem amicum præſtabit. Neque enim in ejuſmodi diſcrimine omnis generis deſunt cauſæ, quibus egentis amici vel juſtas preces declines facilè, ſi nihil præter amici nomen habueris. Difficultas temporum, rei domeſticæ penuria, faciendi in numeroſa familia ſumptus, & alia bene multa ſtatim ſe objiciunt, quibus commodandæ pecuniæ honeſta quædam neceſſitas eludatur. A quibus ego ſordibus cùm te alienum ſemper æſtimarim, Chariſſime, ita facilè animum induxi meum, certum abs te in difficillimis rerum mearum adjunctis eſſe mihi præſidium expectandum. Imò tam amicum te novi, ut non dubitem, quin jucundius quid tibi ferre amico petenti ſubſidium, quàm mihi accipere futurum ſit. Vide ergo quantùm mutatus repente à memetipſo fuerim, ſtatim atque ſubiit animo de te deque tua benevolentia cogitare. Dolebam amiſſas opes, ludo malè precabar, miſerum me, infe-

infelicem, perditum æſtimabam: jam vix ac ne vix quidem lætandum mihi propter te putem, cui tam egregium gratificandi amico locum vel imprudens paraverim.

RESPONSIO.

Satirica. O Me felicem, qui perſuaſiſſe tibi videar, quàm ſincerum in me, quàm devotum ad omnia amicum nactus fueris! Næ æquum cenſes, mi Fabi; neque revera quidquam eſt rerum omnium, quod malim, quàm ut talem eſſe me, qualis reipſa ſum, arbitreris. Id porro ſenties multo magis, cùm pecuniam ipſam, quam tantopere efflagitas, immiſericorditer abnuam. Equidem intelligo id fieri ſine aliquo tuo dolore primùm non poſſe; at non committam tamen, ut te, tanto tui diſpendio, leviore moleſtia liberandum putem. Nam quid agam infelix, ſi gerendum in ea re tibi morem arbitrer? Quò non prorumpet inſana illa ludendi prurigo quæ te miſerum tenet ac perdit, ſi, dum compeſcere illam poſſum, quod amicum eſt, eandem miſſa pecunia irritem & accendam magis? Hunc tu amicum æſtimes, non perfidum potiùs ac proditorem, qui furioſo cuipiam enſem petenti, quo ſe transfverberet, illum indulgens pravè porrigat? Abſit hoc à me, optime Fabi, tam malè de te ut merear. Ecce multo melius quodpiam & illuſtrius amoris erga te mei pignus impertiar, amicum ſcilicet & ſalubre, ſi quod aliud, conſilium; ut, dum integrum eſt, pernicioſum illum, qui te jam inceſſit, ludendi amorem corrigas. Magnum eſt quiddam vel in principiis præſens huic morbo afferre poſſe remedium, qui, ſi creverit ſemel, vix ſanari deinceps, aut etiam mitigari poſſit. Ego certè, etſi majorem mihi ipſi facio vim, quàm tibi, tamen ſtatui ſubſtrahere viriliter fomenta illa, quibus crudeſcere malum poteſt & invaleſcere. Noli ergo expectare à me ullam pecuniæ partem, qua funeſtum nutrias aleæ cacoëthes & inſanabile forſan efficias. Sed ama potius auream illam in amico fidem, quæ pravis amici cupiditatibus obſequendum minùs, quàm veris ipſius commodis ſerviendum duxerit. Vale.

ARISTO

Pro recuperata Valetudine.

Gratulabunda. NIhil ego jam vereor, Ariſte mi, fateri palam timorem meum, & tibi ipſi magnitudinem periculi, quod tecum adivimus, aperire. At utrumque ex difficili morbo recreatus abſtuliſti: tantumque nobis gaudium vix ſperata incolumitas attulit, quantum omnibus dolorem mali gravitas pepererat. Quanquam gratulare tibi, vel quòd ad anguſtias tam graves deveneris. Equidem eximiam omnium in te obſervantiam, fidem, benevolentiam ſanus ac valens expertus eras; at ſingularis pietas ac neceſſitudo, qua tibi unumquemque devinxiſti, tum maximè patuit, cùm ſalus tua maximè periclitaretur. Videbantur ſinguli perſentiſcere, quodcumque affixus ipſe lecto ſentiebas; & morbi vel ingraveſcentis vis ac gravitas, vel ejuſdem ſeneſcentis remiſſio amicorum in vultu legebatur. Noli igitur mirari, ſi tam nobis ipſis, quàm tibi reſtitutum te priori valetudini gratulamur; qui unà tecum viſi ſumus ex longa ægritudine convaleſcere. Depuliſti momento metus noſtros.

ſtros, curas, ſollicitudines; & hilaritatem quandam ſingularem injeciſti. Nunc vide ſis, quanto ſtudio valetudini tuæ conſulere debeas, ex qua tot hominum valetudo pendeat. Cave ne injurioſior nobis ipſis, quàm tibi videare, ſi contentione nimia, & ſuſceptis præter modum laboribus novum in diſcrimen ſalutem adduxeris. Agitur non tua tantùm, ſed Reipublicæ totius incolumitas; neque peccare quidquam graviùs tuam in ſalutem potes, quin eodem tempore in commune bonum pecces. Vale ergo & vive, ſi nos vivere & valere volueris.

AMICO POETÆ

Et ſuſceptum narrandi rès à Gallis præclarè poſteriore bello geſtas conſilium exequatur.

Ad Hortandum. OPtime facis, quòd res à Gallis poſteriore bello geſtas paras ſcribere. Nam quæ tam recens, tam copioſa, tam ampla, quæ denique tam poetica, &, quanquam in veriſſimis rebus, tam fabuloſa materia? Dices immiſſa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, occupata caſtris montium abrupta, expugnatas arces, ſubactas provincias, &, quæ naturam, ut vinci poſſent, non habebant, collectas totius Europæ vires ab una gente ſuperatas. Una ſed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo oporteat; arduum quiddam, immenſum etiam ingenio tuo, quamvis altiſſimè aſſurgat, & ampliſſimis opetibus increſcat. Sed nihil eſt quod arte, ſtudio, labore vinci demum non poſſit. Proinde jure vatum, invocatis Diis; & inter Deos, ipſo, cujus res, opera, conſilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac, ſi quando aliàs, toto ingenio vehere. Cur enim non ego poeticè cum Poeta? Illud jam nunc paciſcor: prima quæque, ut abſolveris, mitte; imò antequam etiam abſolvas, ſicut erunt recentia, rudia & adhuc ſimilia naſcentibus. Equidem potero fortaſſe ſcripta tua magis probare ac laudare, quanto illa tardiùs cautiuſque; ſed ipſum te magis amabo, magiſque laudabo, quanto celeriùs & incautiùs miſeris. Vale.

ALEXANDER

Arimazi Petræ Gubernatori ſalutem & cautam in deliberando Prudentiam.

ADſum ante urbem tuam cum invicto exercitu, paratus eam ingredi aut victor pacificus, aut durus expugnator. Non ignoras quales nos ſimus, & rerum noſtratum fama etiam rupis excelſæ, quam incolis, ad faſtigium pervenit. Occupatæ urbes, domitæ provinciæ, ſubacti populi victorias noſtras loquuntur, teque, rebus tuis ut provideas, monent. Nihil eſt quod faxeæ & inacceſſæ moli confidas, aut loci natura fretus aliquam vincendi celeritati afferre moram ſperes. Habeo milites, quibus nihil eſt tam invium quod non invadant, nihil tam abruptum quod non exſuperent, nihil tam inacceſſum quò non evolent. Quare vide, quid agas. Statue, num te juvet Alexandri probare clementiam, an hoſtis vindictam experiri? Reſponde quamprimum; moras non patior; aut portas urbis reclude, dum loquor, aut me in ipſo Petræ jugo, antequam dies craſtinus luceſcat, conſpicies. Vale. Suaſoria.

ARI-

LIBER
EPISTOLARUM.

RHETOR INITIATUS

Rhetori Candidato poſt Ferias Autumnales adhuc ruſticanti.

Objurgatoria.

HEus tu! quæ te ſegnities moratur, Chariſſime? Ten' ruſticari adhuc otioſum, dum Literario in Ludo jam fervet ſodalium tuorum labor, & in novo palæſtræ genere de ingenii doctrinæque palma certatur acriter? Quanquam video, quid tam ſecurum te, tamque confidentem faciat. Parum ſcilicet te afficiunt, aut etiam movent, quæ nos mirum in modum excruciant prima Rhetoricæ rudimenta. Nihil putas eſſe tam arduum, tam plenum ſalebris, tam intricatum difficultatibus, quod pro ingenii ſolertia ac ſagacitate non vincas ſtatim ac ſuperes. Felicem te profectò, qui tot ad rem gerendam feliciter adjumenta nactus es! Infelices nos, quibus par præſidium gratulari non licet! Tamen utinam, uti confidis, ita tibi ſuccedant omnia, neque aliter ſentire incipias, cùm hìc aderis. Nam ſi neſcis, Amice, peregrino verſamur in loco, in quo nemo hoſpes haberi non poſſit. Interim miramur non adeſſe te & curioſis nequicquam oculis abſentem veſtigamus. Crede mihi, moras abrumpe omnes, & ad urbem citus advola, ſi ſapis. Satis huc uſque ludo & oblectamentis datum eſt; animum ſerium indue & avidum laboris. Nam neque Ludis, neque ſocordiæ locus hìc vacat. Sed quid ego te diutiùs moror? Vale: nihil reſcribas nobis, ſed veni.

RESPONSIO.

Excuſatoria.

ACcuſaſti Amicum tuum negligentiæ; & plus æquo amantem otii increpaſti, quòd exactis Autumnalibus feriis ruſticari pergam, dum tu Literarium Ludum ingreſſus carthis impalleſcis. Parce tamen hanc mihi hodie affingere calumniam, quam aliàs fortaſſe non ita facilè depuliſſem. Nunquam ego abrupiſſem lubentiùs moras omnes, quæ regreſſum in urbem retardare ſolent, ni me timor quiſpiam ſubruſticus, quem irrideßis haud dubiè, etiamnum retineret. Dicam ingenuè quod res eſt; nam cur diſſimulare quidquam tecum velim? Vel ipſum Rhetorices illius, quò vocamur, limen religioſum quemdam horrorem ac metum ſemper incuſſit. Audivi enim quàm multa narrentur à multis, quæ confidentiſſimos quoſque perterrent. Novum illic ajunt vigere doctrinæ genus, novas vivendi leges, novam diſciplinæ rationem, novos incolas, verbo dicam, nova omnia; ſic ut in eo ſolo nemo non hoſpes ac peregrinus videri poſſit. Ego qui meticuloſus natura mea ſum, mirum eſt, ſi refugiam illuc accedere. Tu confidentior paulò, ne dicam audaculum, qui erecta fronte perfregiſti ſacros illos aditus. Reſcribe, ſi me amas, quid iſthic agatur, & diffidentem amicum, ſi potes, confirma. Interim dabo ſingularem operam, ut non veniam niſi diligenter commendatus. Multos novi, & amicos nactus ſum, qui auctoritate ac gratia plurimùm valent apud eos, qui provinciam iſtam moderantur.

His.

His inſtructus præſidiis captabo hominum benevolentiam, &, ſi quid abſentia longior nocuiſſet, emendabo.

RHETOR IDEM

Amico in urbem reduci poſt Autumnales Ferias.

Jocoſa. ERgo te ruris tui tandem ceperunt faſtidia, & è tantis deliciis ſalvus ad nos & incolumis rediiſti? Næ gaudeo propter te plurimùm, tibique mirum in modum gratulor. Nam ut fatear quod res eſt, tibi ego tot inter illecebras ruſticanti timui non mediocriter. Sciebam in hortis illis, quos incolebas, hunc inter alios fructum creſcere, qui ſemel ingreſſis miram reditus oblivionem inducit. Nullum verò in veſtro comitatu Ulyſſem noveram, qui aut Loton guſtare nollet, aut guſtata vellet abſtinere. Hinc metus diutinæ moræ, celeriſque ſupra ſpes meas & vota reditus cumulata lætitia. Eam tu melius intelliges, cùm ego te veluti ex Aſia aut ultimis oris reducem amplexabor. Unum habeo monere te in præſentia, meditatus ad nos ut venias, & ad dicendam pro longiore abſentia cauſam egregiè comparatus. Equidem novi te emunctæ naris hominem inter paucos. Tamen non ita pronum eſt, uti reris, barbaro regi imponere. Cæterùm ſi me audies, parces operoſiùs quærere, qui te commendent; neque potiorem eſſe commendationem exiſtimabis, quàm quæ à te ipſo profecta ſit. Vale. Hæc tuo Davo properanti, & nullam, ne ceſſaſſe dicatur, moram admittenti danda fuerunt pauca & inconcinna.

MATER AD MAGISTRUM FILIOLI,

Cùm Puerum Literarium ad Ludum tardiùs remitteret.

Commendatitia. FIliolum noſtrum tibi remittimus, Vir colendiſſime, ſetiùs fortè quàm par eſſet; tamen neque Adoleſcentis negligentia factum illud eſt; neque nos ipſi in cauſa ſumus. Noſti, quàm pluvia jam diù utamur tempeſtate, per quam non fuit integrum vel corruptam imbrium vitio tentare viam, vel puerum objicere periculo valetudinis, quam aſperior paulò intemperies aeris, tam tenuis illa eſt, tam propè nulla, facilè incommodet. Veniam igitur dabis, ut ſpero, piæ parentum ſollicitudini, ſi ſpem domus unicam & gentis totius columen unum ſedulò conſervatum velint. Cæterùm Filioli nomine ultrò pollicebor fore, ut amiſſum tempus diligentia brevi compenſet ac reſarciat. Eſt enim minimè deſidioſa pueri indoles, aut fugitans laboris. Imò nihil ipſi tam melli eſt, quàm dum in accurandum penſum totus incumbit. Parco dicere plura illius in gratiam, ne fortè videar filio pluſculum indulgens mater. At non tacebo tamen, quod unum ipſius in moribus amavi maximè, memorem tuæ in eum benevolentiæ ac gratum inprimis animum. O ſi adeſſes, quoties amicum ſibi, liberalem ac beneficum imprimis Magiſtrum jactitat! Hanc tu porro benevolentiæ partem, quam puero impertiiſti hactenus, ut tueri ſemper ac præſtare velis, etiam atque etiam pero. Pervidiſti omnino Adoleſcentis animum, quem benignitate potiùs, quàm acerbitate regendum putaveris.

De reliquo familiam totam ſic obligaſti, ut cupidiſſimam tuique in omne tempus obſervantiſſimam ſis habiturus. Vale.

LENTULUS FABIO,

Cùm is invitatus ad Cœnam & pollicitus non veniſſet.

Objurgatoria.

ERgo promittis ad cœnam, & non venis? Tibi jus dicitur: ad aſſem impendium reddes, neque id modicum. Paratus erat tibi Capo præpinguis ex Cœnomanenſi tractu recens advectus: Pullus geminus educatus ſedulò & frumento jam diù fartus; adde & Palumbes duos cum Cuniculo, non urbano illo quidem & domeſtico, ſed ruſtico & ſilveſtri. Vinum ſileo, quale nec bibitur Rhemis, quadrimum illud ſanè, quod neque palatum exſurdet, neque vetuſtate evanuerit. Glaciem, quanquam æſtus præteriit, ſervabam tibi homini, ſi quis alius eſt acri & præfervido; hanc quoque computabis, imò hanc inprimis quæ periit in ferculo. Ad hæc Olivæ Salyæ longa muria conditæ. Quid plura? fructus omnis generis, quos tempeſtas ferat, etiam cupediæ, bellaria, dulciaria, ſi tamen delicias illas conſectaris. At tu apud neſcio quem Aprum, Perdices, Lepores maluiſti. Dabis pœnas, non dico quas. Durè feciſti; neſcio an tibi, an mihi, ſed tamen & tibi. Quantùm luſiſſemus, riſiſſemus! Potes apparatiùs cœnare apud multos, nuſquam hilariùs, ſimpliciùs, incautiùs. In ſumma experire; & niſi poſthac te aliis potiùs excuſaveris, mihi ſemper excuſa. Vale.

MARCUS TULLIUS CICERO

Tito Annio Miloni Maſſiliæ exulanti.

Cùm ſcriptam, quam pro ipſo dixerat, Orationem ad eum mitteret.

Ad excuſandum.

EXulas ergo vel innocens, Tite Anni; neque fatalem à cervicibus tuis caſum arcere potuit tuus ille Tullius, cujus in patrocinio tantum poſueras? Infelicem me vel hac mea, ſi qua eſt, dicendi facultate, quæ tibi non profuit! Nam quid me juvet adfuiſſe quibuſdam in cauſa capitis, & meritas etiam nonnunquam pœnas depuliſſe; dum tibi reliquos inter homini amiciſſimo opitulari non licuit? Tamen accuſa effrenem armorum licentiam: accuſa Clodianæ factionis auctoritatem; quæ priſtinam conſuetudinem Fori, & veterem judiciorum formam ſuſtulerunt. Quis eſſe potuit inter armatos ſatellites & impudentes ſicarios vel innocentiæ vel Oratoriæ facundiæ locus? Quàm tibi hac in parte non defuerim, fidem faciet iſthæc Oratio, quæ fuit tuam in defenſionem comparata. Hanc tu perleges attentè, ſi me amas, & de meo erga te ſtudio facies conjecturam. Si quem habeo rei Forenſis uſum, ſi quam in agendis cauſis experientiam ſum conſecutus, equidem profiteri poſſum; nihil ad propulſandam calumniam excogitari potuiſſe validius, niſi inimicorum noſtrorum furor atque potentia innocentiæ & æquitati prævaluiſſent. Quid reſtat, Tite Anni, niſi ut, fortuna melior dum venerit, æquo, ut virum fortem decet, animo præſentem feras. Vale.

Digitized by Google

TITUS ANNIUS MILO

Marco Tullio Ciceroni.

Cum actam pro ſe ab eo Orationem, ſcripto exaratam perlegiſſet.

Satirica. CUm vidi perlegique attentiùs, quam ſcripſiſti pro me Orationem, cujus ad rationum momenta, ad elegantiam concinnitatemque ſermonis, ad ipſam totius operis abſolutionem nulla fieri poteſt acceſſio, mirabar, Marce Tulli, ut fatear quod res eſt, vixque ac ne vix quidem mihi perſuadebam; Milonem illum, cujus egeras cauſam tam disertè verſari Maſſiliæ exulem; neque tanto præſidio fretum triſtiſſimam, quam patitur, ſortem declinare potuiſſe. Debueram mehercule tam inſignem, tam facundum nactus defenſorem, vel in cauſa mala ac deſperata adverſariorum meorum impetus eluſiſſe; in tanta verò cauſæ meæ bonitate multo minùs videbatur eſſe quidquam, quod metuendum mihi arbitrarer. Quid eſſe dicam, Marce Tulli, quòd Oratio tam elegans, tam nata ad movendos animos, tam idonea ad faciendam fidem, hunc demum habuerit exitum, ut Maſſiliam relegarer? Etiam juranti non credam, eandem illam eſſe quam dixiſti. Non auſim derogare tantum divinæ illi Orationi, quam lectitare non poſſum ad ſatietatem, quam in oculis fero, quam deoſculor in ſingulas horas, tanquam certiſſimum innocentiæ meæ præſidium. Hanc ſi, ut eſt exarata, pronunciaſſes; crede mihi, Marce Tulli, tuus ille Milo Maſſilienſes mulos jam non ederet.

HISPANUS

Fortiſſimo Barcinonenſi Gubernatori.

De ineptis qui Lutetiæ ſpargebantur rumoribus Urbem eſſe jam diù deditam, dum illa contra Batavorum, Anglorumque impetus acriùs defenderetur. Anno 1706.

NAm quid te militeſque tuos in defendenda Barcinone fruſtra maceras, vir fortiſſime? actum agis. Omitte novum illud dignumque gente veſtra fidei virtutiſque ſpecimen. Neſcis urbem hanc veſtram expugnatam hìc eſſe jam diù ab hominibus non paucis, quibus, vel ſi procul à mœnibus hoſtes fugerint, non perſuaſeris tamen, ſalvam & incolumem Barcinonem poſſe præſtari. Utinam enimverò audiiſſes, quid illi ſuis in circulis, aut etiam mediis in compitis effutiant circumforanei politici, dum res quaslibet, non tam ex certa incorruptaque fama, quàm ex feriati malè cerebri figmentis metiuntur! Alii captam urbem conclamarunt; antequam ipſa cœpiſſet obſideri: alii finxere te cum invictis legionibus deſeruiſſe Barcinonem, quo die egreſſus tu quidem ex propugnaculis hoſtes aggreſſus es, & magnam eorum ſtragem edidiſti. Alii ruentibus ex ſe ſe diſſipatiſque per fideles nuncios, qui percrebuerant, rumoribus, tamen in errore pertinaces verſantur, nec ſervari Barcinonem poſſe defendunt, quia expugnandam illam eſſe judicant. Quid facias? abundat hæc civitas hominibus minimè malis illis quidem, at meticuloſis præter modum, quos adverſæ res feriunt multo ante, quàm evenerint; qui, ne deſit unquam quod fovere ipſorum metus poſſit, nova quotidie timendi argumenta

Nuntia & Satirica.

comminiſcuntur. Nihil te movebunt, ſentio, tam ineptæ, tam ridiculæ otioſorum hominum opiniones. Perges, uti feciſti hactenus, urbem tueri viriliter, & ſinceram optimo Principi incorruptamque fidem approbare. Magnam hodie perſonam ſuſtines, Vir fortiſſime, & intentos in te unum omnium oculos atque animos rapis. Plauſus viciſſim exſpecta pares animo, conſtantiæ tuæ pares. Certabunt utrinque Gallia pariter atque Hiſpania, quibus nomen tuum laudibus proſequantur, & tam egregiæ defenſionis memoriam apud poſteros commendent.

RESPONSIO

Gubernatoris Barcinonenſis ſuper ineptis, qui ſparſi ſunt, de Deditione ſua Rumoribus.

Jocoſa. HAbeo ſingulares veſtris hominibus gratias, qui nos longioris defenſionis cura liberant, & eſſe deinceps periculi ſecuros volunt. Nam, ſi quid illis creditur, victi jam ſumus, & hoſtes capta Barcinone tandem triumphant. Dii boni! quod hoſtes, qui nos obſident, non ſunt tam creduli, neque adhuc perſuadent ſibi, quantumvis id velint, ſe eſſe victores! Riſerunt noſtri milites pavidos, qui vos percellunt, metus, & otioſorum hominum Politicam, ut par eſt, exploſerunt. Mittantur ad nos, quotquot ſunt, qui tam facilè deſpondent animo. Tunc fortè timere deſinent, cùm rerum noſtrarum ſpeculatores ac teſtes viderint propiùs, quàm ſtrenuè mœnia noſtra defendamus. Neque verò tardiùs ſe venturos exiſtiment, quàm ut res ipſas ſuis uſurpare oculis valeant. Spondemus diuturnam ſatis fore obſidii moram, ſuam curioſitatem ut expleant, niſi hoſtes ipſos pœniteat brevi longioris oppugnationis, & impatientes frigoris ac tempeſtatis repetere patriam malint, quàm fruſtra macerare ſe, ubi nullus pertinaciæ ſuæ fructus eſt. Reliquis auctor ego ſum, ut ſecuri de nobis in utramque aurem tranquillè dormiant. Nos interim pugnabimus fortiter; nec erit in urbe ſegnitiæ locus, donec pertæſi hoſtes certa referant in Angliam Bataviamque reſponſa, & laceræ claſſis reliquias, unum victoriæ ſuæ monumentum populis oſtentent. Cæterùm plauſus ac triumphos deſpicimus, modò quid plauſu dignum ac triumpho præſtiterimus; hoc beati ſatis, ſi, quam habet de nobis univerſus orbis expectationem, non tueri modò, ſed ſuperare etiam valeamus.

MARCELLUS LENTULO.

Ut Lepidum Magiſtratus Candidatum ſuffragio adjuvet.

SI quando, Lentule mi, nunc præcipuè cuperem eſſe te in hac urbe, &c. ut ſis, etiam atque etiam rogo. Opus eſt mihi veri, laboris, ſollicitudinis ſocio. Petit honores Lepidus noſter, petit cum multis, cum bonis, quos ut glorioſum, ſic eſt difficile ſuperare. Pendeo ergo & exerceor ſpe, atque afficior metu, & ejuſdem videor muneris, quod ambit, eſſe Candidatus. Meretur hanc curam longa mei charitate: eſt enim mihi cum illo vetus neceſſitas: meretur & eximiis animi ſui dotibus: neque enim novi quemquam vel ab indole, vel à modeſtia, vel à probitate, vel à prudentia, vel ab eruditione illuſtriùs illo comparatum. Accedunt multa ipſius in me merita: quibus ex cauſis Commendatitia.

exigo,

exigo, ut venias, & ſuffragio meo tuum jungas. Permultùm intereſt mea adeſſe te mecum, & obire eorum domos, quorum ex arbitrio Lepidi ſatum dependet. Ea eſt auctoritas tua, ut putem me efficaciùs tecum etiam amicos rogaturum. Abrumpe, ſi qua te retinent. Hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas poſtulat. Suſcepi Candidatum, & ſuſcepiſſe me notum eſt. Ego ambio, ego periclitor. In ſumma, ſi datur Lepido, quod petit, illius honor; ſi negatur, mea repulſa eſt. Vale.

AMICO

Prematurum Filii ſui funus dolenti.

Conſolatoria. DOlorem tuum quis eſt, qui non approbet, aut qui dolere tecum ultro non velit? Filium requiris extinctum ante annos, parentum delicias, ſpem domus & gentis inclytæ eximium olim, ſi vixiſſet, decus futurum. Hunc tu ſedulò, vel à teneris educaveras, inſtitueras bonas ad artes adoleſcentem, tuis ipſius informaveras moribus, & natam mentem ad grandia ſtimulis acrioribus incitaras. At quo demum exitu, quo parentis gaudio, nunquam laudandus ſatis Adoleſcens tam præclara documenta animo imbiberat? quis illo vidit in rebus acutiùs? quis diſſeruit peritiùs? quis ſcripſit elegantiùs? quis ad omne virtutum genus cupidiùs exarſit? Sed quid ego vel iſta commemoratione refrico fortaſſe nondum obducta bene vulnera, quibus mederi velim? Quanquam hæc ipſa ſunt, quæ lenire parentis ægritudinem & poſſunt & debent. Viget enimverò, & longùm vigebit apud omnes gratiſſima juvenis optimi memoria. Imò non aberit penitus ab hominum conſortio, quem multorum laudibus celebrari identidem audies, & tanquam abſolutum quoddam ætatis illius primæ exemplar requiri. Hoc in ſpeculum, ne dubita, diligenter intuentur, quos habes ſuperſtites filios. Illic perlegent officii ſui partes, & fraternæ virtutis æmulatores avidi, quem ereptum tibi deſideras, etiam cum fœnore reſtituent. Hæc te ſpes interim ſuſtentet, & pias parentis lachrymas abſtergat. Vale.

AD AMICUM.

Raram eſſe, imò nullam apud homines ſinceritatem.

UBi ſumus, Amice? quibuſcum vivimus? quò demum fugit ſinceritas? quò veritas exulavit? Huccine recidiſſe res humanas, ut fallacia, præſtigiæ, dolus ubique dominentur; neque ullum deinceps ſinant eſſe ſimplicitati locum? Equidem noveram ſatis, non eſſe hominum quorumlibet candorem illum ingenuæ mentis, quem requiro; imò mihi non latebat quoſdam eſſe terrarum tractus tam averſos à vero, ut ne veſtigium quidem ſinceritatis uſpiam reperias. At in iſta cœli purioris plaga, inter cœtus illos hominum, quorum in vultu nativus lepos, in verbis comis urbanitas, in ipſa vivendi agendique ratione facilitas quædam experſque fuci candor apparet; hic, inquam, neminem eſſe non fucatum, non fallacem, non perſonatum! quis hoc ferat; amice? quis non expoſtulet? quis non indignetur? Cedo locum aliquem quò fetar, ubi vivere liceat. Nam hæccine vita eſt, quam vivimus? vivere hunc putem, hominem qui non habeat, cujus intueri poſſit animum, qualis revera eſt; cui verum dicere, à quo & audire Moroſa.

dire verum deſperet? quem facere rerum ſuarum participem, quem conſulere audeat? Nihil moror, amice: certum eſt humanæ ſocietati nuncium remittere, valedicere mortalium conſortio. Si bene me novi, via hæc tutior & brevior. Penetrabo receſſus nemorum, abdam me ſolitudinum latebris, inter rupes & feras immorabor; felix fortunatuſque, ſi qua uſpiam veteris & extinctæ ſimplicitatis ac ſinceritatis veſtigia nacturus ſim! Vale.

ADOLESCENS AD PATREM.

Cum juſſus ſcribere de ſtudiorum progreſſu nihil haberet boni quod ſcriberet.

Ad excuſandum.

ETſi nihil habeo ſcribendum hodie, quod placere admodum poſſit, Pater colendiſſime, non dubitavi tamen morem gerere voluntati tuæ, &, quo ſe habeat apud me loco res Literaria, facere te certiorem. Saltem hunc ſperare mihi poſſe videor fructum obſequii mei, ut, dum fateor ingenuè quod res eſt, nihil de ſolito candore animi remiſiſſe, neque vel in mea cauſa diſſimulaſſe quidquam accuſari poſſim. Itaque non diffitebor apud te, Pater amantiſſime, minus feliciter, quàm aut ſperabam, aut etiam fueram tibi pollicitus, proceſſiſſe ultimam rei Literariæ concertationem. Neſcio quo malo factum ſit fato, ut inferiorem expectatione mea inter æquales meos locum obtinuerim. Quanquam quis non intelligat ancipites eſſe armorum caſus, atque hanc eſſe ſortem eorum omnium, qui dimicant, ut non æquam ſemper & faventem fortunam experiantur? Id noſti tu, Pater, unus omnium optime, qui totam inter martis labores ætatem tam laudabiliter contriviſti. Scis quàm vario, quàm parum certo eventu quotidie confligatur; neque vel accuſandam continuò Ducis imprudentiam, aut increpandam militum ſocordiam videri, ſi minus feliciter certatum ſit. Id tamen dictum à me nolim exiſtimes, quaſi aut factum excuſare penitus, aut omnem infelicis aleæ invidiam declinare voluerim. Unum hoc mihi in hac mea calamitate relictum commodum eſſe video, ut novos ad rem bene gerendam ſtimulos, novam ad aſſequenda meliora diligentiam atque alacritatem adjiciat. Hac ego ſpe fretus nullus ego dubitem polliceri tibi, Pater amantiſſime, futurum intra breve tempus, ut hodierni nuncii acerbitatem lætior epiſtola corrigat ac temperet. Hæc me recreat ac ſuſtentat ſingulos in dies fiducia, quæ ut tantumdem apud te ponderis habeat, etiam atque etiam peto. Vale.

IDEM EIDEM,

Cum Primas inter ſuos obtineret.

Gratulabunda.

TAnto lubentiùs tibi ſcribendum hodie ſuſcepi, Pater amantiſſime, quanto difficiliùs, id ipſum nuper ut facerem, adductum fuiſſe me profiteor. Nihil habet iſtæc epiſtola niſi lætum, niſi fortunatum, niſi quid gratiſſimum tibi, quod nunciet. Nam ſive æquiorem ſe mihi, quàm aliàs fortuna præſtitit, ſive diligentiæ accuratioris percepi fructum aliquem, ſive, quod ego lubentiùs crediderim, ſingulare placendi tibi deſiderium novos addidit ad rem bene gerendam ſtimulos, Primas tandem aliquando inter condiſcipulos meos ſum adeptus, & Imperatoris dignitate defungor. Hujus porro muneris amplitudinem dubito utrum tanti facien-

faciendam putes, quanti reipſa valeat. Tu qui Legionibus integris tanta cum laude præfuiſti, Pater amantiſſime, Filium imperitantem finge numeroſiſſimæ ac florentiſſimæ juventuti ea cum dignitate pariter ac poteſtate, ut audientem dicto & imperio obſequentem habeat; ut cùm placuerit, ducat milites in aciem, conſerat manus cum hoſte, victorias reportet, laureas ac triumphos mereatur. Hoc ipſum eſt, quod filio gratulari potes, quod filius tibi ipſi tuus hodie gratulatur; niſi fortè contemnendum crediderìs, quòd filium vel hac ætate jam imperantem habeas. Id porro non putem ignorare te, quod per temetipſum ſatis expertus es, nihil eſſe quod in homine imperante tam commendari ſoleat, quàm liberalitas ac munificentia. Hæc enim illa virtus eſt, quæ militum animos conciliat, robur incendit, & ad ardua quæque aggredienda viriliter excitat atque inflammat. Quare ita confido fore, ut cùm mearum ſit partium virtutes cæteras, quæ in Imperante adeſſe debent, comparare, liberalitatis unius exercendæ facultatem, quam in te uno poſitam noſti, ſuppeditare non graveris. Vale.

LAPIS LYDIUS

Ad explerandam Amicitiam,

ſeu

FABIUS

Amiſſa Ludo Pecunia,

Ad hominem avarum, qui ſe amicum jactabat, ut mutuam præſtet.

Jocoſa. ACtum erat de me, ne vivam, hominum chariſſime, & res, opinor, ad reſtim pœne, & ad laqueum reciderat mihi, qui loculos omnes funeſtiſſimo aleæ caſu perdideram, niſi tu dolenti miserè ac deſperanti homo amiciſſimus occurriſſes. Intellexi ſtatim, ita perſuaſum habeo quod jactitaſti mihi tam ſæpe, non fucatum te aut perſonatum, ſed verum ac ſincerum amicum eſſe; intellexi, inquam, hoc ipſum, quod me angebat tantum, rem fore tibi gratiſſimam, qui opportunam teſtandæ amicitiæ occaſionem nactus eſſes. Nam unde tandem illuſtrior amicitia ſe prodat, quam ſi, opitulandi amico gratia, quoslibet crumenæ ſumptus ac ruinas ultro patiatur? Hic eſt Lapis veluti Lydius, quo, ſicut germanum aurum ab adulterino, ſic amicus verus à falſo ſecernitur; & qui tum gravi periculo tentatus ſemel nullis avaritiæ malè ſuadentis rationibus vinci ſe permiſerit, is cæteris in rebus certum ſe ac fidelem amicum præſtabit. Neque enim in ejuſmodi diſcrimine omnis generis deſunt cauſæ, quibus egentis amici vel juſtas preces declines facilè, ſi nihil præter amici nomen habueris. Difficultas temporum, rei domeſticæ penuria, faciendi in numeroſa familia ſumptus, & alia bene multa ſtatim ſe objiciunt, quibus commodandæ pecuniæ honeſta quædam neceſſitas eludatur. A quibus ego ſordibus cùm te alienum ſemper æſtimarim, Chariſſime, ita facilè animum induxi meum, certum abs te in difficillimis rerum mearum adjunctis eſſe mihi præſidium expectandum. Imò tam amicum te novi, ut non dubitem, quin jucundius quid tibi ferre amico petenti ſubſidium, quàm mihi accipere futurum ſit. Vide ergo quantùm mutatus repente à memetipſo fuerim, ſtatim atque ſubiit animo de te deque tua benevolentia cogitare. Dolebam amiſſas opes, ludo malè precabar, miſerum me,

infelicem, perditum æſtimabam: jam vix ac ne vix quidem lætandum mihi propter te putem, cui tam egregium gratificandi amico locum vel imprudens paraverim.

RESPONSIO.

Satirica.

O Me felicem, qui perſuaſiſſe tibi videar, quàm ſincerum in me, quàm devotum ad omnia amicum nactus fueris! Næ æquum cenſes, mi Fabi; neque revera quidquam eſt rerum omnium, quod malim, quàm ut talem eſſe me, qualis reipſa ſum, arbitreris. Id porro ſenties multo magis, cùm pecuniam ipſam, quam tantopere efflagitas, immiſericorditer abnuam. Equidem intelligo id fieri ſine aliquo tuo dolore primùm non poſſe; at non committam tamen, ut te, tanto tui diſpendio, leviore moleſtia liberandum putem. Nam quid agam infelix, ſi gerendum in ea re tibi morem arbitrer? Quò non prorumpet inſana illa ludendi prurigo quæ te miſerum tenet ac perdit, ſi, dum compeſcere illam poſſum, quod amicum eſt, eandem miſſa pecunia irritem & accendam magis? Hunc tu amicum æſtimes, non perfidum potiùs ac proditorem, qui furioſo cuipiam enſem petenti, quo ſe transverberet, illum indulgens pravè porrigat? Abſit hoc à me, optime Fabi, tam malè de te ut merear. Ecce multo melius quodpiam & illuſtrius amoris erga te mei pignus impertiar, amicum ſcilicet & ſalubre, ſi quod aliud, conſilium; ut, dum integrum eſt, pernicioſum illum, qui te jam inceſſit, ludendi amorem corrigas. Magnum eſt quiddam vel in principiis præſens huic morbo afferre poſſe remedium, qui, ſi creverit ſemel, vix ſanari deinceps, aut etiam mitigari poſſit. Ego certè, etſi majorem mihi ipſi facio vim, quàm tibi, tamen ſtatui ſubſtrahere viriliter fomenta illa, quibus crudeſcere malum poteſt & invaleſcere. Noli ergo expectare à me ullam pecuniæ partem, qua funeſtum nutrias aleæ cacoëthes & inſanabile forſan efficias. Sed ama potius auream illam in amico fidem, quæ pravis amici cupiditatibus obſequendum minùs, quàm veris ipſius commodis ſerviendum duxerit. Vale.

ARISTO

Pro recuperata Valetudine.

Gratulabunda.

NIhil ego jam vereor, Ariſte mi, fateri palam timorem meum & tibi ipſi magnitudinem periculi, quod tecum adivimus, aperire. At utrumque ex difficili morbo recreatus abſtuliſti: tantumque nobis gaudium vix ſperata incolumitas attulit, quantum omnibus dolorem mali gravitas pepererat. Quanquam gratulare tibi, vel quòd ad anguſtias tam graves deveneris. Equidem eximiam omnium in te obſervantiam, fidem, benevolentiam ſanus ac valens expertus eras; at ſingularis pietas ac neceſſitudo, qua tibi unumquemque devinxiſti, tum maximè patuit, cùm ſalus tua maximè periclitaretur. Videbantur ſinguli perſentiſcere, quodcumque affixus ipſe lecto ſentiebas; & morbi vel ingraveſcentis vis ac gravitas, vel ejuſdem ſeneſcentis remiſſio amicorum in vultu legebatur. Noli igitur mirari, ſi tam nobis ipſis, quàm tibi reſtitutum te priori valetudini gratulamur; qui unà tecum viſi ſumus ex longa ægritudine convaleſcere. Depuliſti momento metus noſtros.

Ad Hortandum.

ſtros, curas, ſollicitudines; & hilaritatem quandam ſingularem injeciſti. Nunc vide ſis, quanto ſtudio valetudini tuæ conſulere debeas, ex qua tot hominum valetudo pendeat. Cave ne injurioſior nobis ipſis, quàm tibi videare, ſi contentione nimia, & ſuſceptis præter modum laboribus novum in diſcrimen ſalutem adduxeris. Agitur non tua tantùm, ſed Reipublicæ totius incolumitas; neque peccare quidquam graviùs tuam in ſalutem potes, quin eodem tempore in commune bonum pecces. Vale ergo & vive, ſi nos vivere & valere volueris.

AMICO POETÆ

Et ſuſceptum narrandi rès à Gallis præclarè poſteriore bellò geſtas conſilium exequatur.

Ad Hortandum. OPtime facis, quòd res à Gallis poſteriore bello geſtas paras ſcribere. Nam quæ tam recens, tam copioſa, tam ampla, quæ deniquè tam poetica, &, quanquam in veriſſimis rebus, tam fabuloſa materia? Dices immiſſa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, occupata caſtris montium abrupta, expugnatas arces, ſubactas provincias, &, quæ naturam, ut vinci poſſent, non habebant, collectas totius Europæ vires ab una gente ſuperatas. Una ſed maxima difficultas, quòd hæc æquare dicendo oporteat; arduum quiddam, immenſum etiam ingenio tuo, quamvis altiſſimè aſſurgat, & ampliſſimis operibus increſcat. Sed nihil eſt quod arte, ſtudio, labore vinci demùm non poſſit. Proinde jure vatum, invocatis Diis; & inter Deos, ipſo, cujus res, opera, conſilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac, ſi quando aliàs, toto ingenio vehere. Cur enim non ego poeticè cum Poeta? Illud jam nunc paciſcor: prima quæque, ut abſolveris, mitte; imò antequam etiam abſolvas, ſicut erunt recentia, rudia & adhuc ſimilia naſcentibus. Equidem potero fortaſſe ſcripta tua magis probare ac laudare, quanto illa tardiùs cautiuſque; ſed ipſum te magis amabo, magiſque laudabo, quanto celeriùs & incautiùs miſeris. Vale.

ALEXANDER

Arimazi Petræ Gubernatori ſalutem & cautam in deliberando Prudentiam.

Suaſoria. ADſum ante urbem tuam cum invicto exercitu, paratus eam ingredi aut victor pacificus, aut durus expugnator. Non ignoras quales nos ſimus, & rerum noſtrarum fama etiam rupis excelſæ, quam incolis, ad faſtigium pervenit. Occupatæ urbes, domitæ provinciæ, ſubacti populi victorias noſtras loquuntur, teque, rebus tuis ut provideas, monent. Nihil eſt quod ſaxeæ & inacceſſæ moli confidas, aut loci natura fretus aliquam vincendi celeritati afferre moram ſperes. Habeo milites, quibus nihil eſt tam invium quod non invadant, nihil tam abruptum quod non exſuperent, nihil tam inacceſſum quò non evolent. Quare vide, quid agas. Statue, num te juvet Alexandri probare clementiam, an hoſtis vindictam experiri? Reſponde quamprimum; moras non patior; aut portas urbis reclude, dum loquor, aut me in ipſo Petræ jugo, antequam dies craſtinus luceſcat, conſpicies. Vale.

ARIMAZES ALEXANDRO.

Salutem & maturam ab inutili obſidione Deceſſionem.

Suaſoria & Satirica. JAm ſenſeram adeſſe te, & cum univerſo exercitu ante urbem Petram poſuiſſe caſtra, cùm tua ad nos epiſtola perlata eſt. Atque ut fatear, quod res eſt, non potui non dolere Regis hactenus invicti fatum, qui rem tam arduam & humanis imperviam viribus ſuſcepiſſet. Nam quid moliris, infortunate Princeps, aut quò te mala libido gloriæ incautum abripit? Equidem novi quibus fretus victoriis & quanto fortunæ prioris faſtu ad nos perveneris. At, ſi me audies, non obſcurabis hodie rerum à te geſtarum famam, neque tam celerem victoriarum curſum ad inacceſſam rupem remorabere. Quas intentaſti nobis minas futiles, ſprevimus, ut par erat, neque aliud pertimeſcimus exitium gravius, quàm quod ignavæ deditionis dedecus afferret. Rupes noſtras fruſtra deſpicis, niſi fortè milites habes alatos. Unum hoc deerat tibi, quo Petræ ad faſtigium evolares. O factum malè, quòd in reliquis fortuna tam prodiga id unum tibi non permiſerit! Tamen vel tibi alas provide, vel nullam expecta deditionem. Interim ſecuri & incolumes victoris iras & inclementiam ridebimus. Vale.

AMICO.

Expectata jam diu prole recens aucto.

Laudatoria. ATtigiſti tandem optatam votorum tuorum metam, Chariſſime. Prolem habes, qualem adeſſe tibi cupiebas. Næ gaudeo tua cauſa plurimùm, & immortales ago Superis gratias, quos tam amicos, tam ultro indulgentes tibi expertus ſis. Fuiſſet profectò durum quid nimis, ſi nomen illud, quod accepiſti à majoribus, tot rerum domi foriſque præclarè geſtarum gloria nobilitatum unà tecum interiiſſet. Proviſum eſt feliciter huic incommodo, unde non leve damnum Reſpublica tota accepiſſet. Natus eſt tibi filius, qui partum decus tueatur. Heredem habes, non avitæ modò, ſed & paternæ laudis futurum æmulatorem. Felicem te tam beata ſobole parentem, feliciorem filium, qui parente tali gaudeat! Neque enim, filium olim dum inſtitues, & ad omne virtutum genus grandiorem promovebis, id tibi laboris incumbet, ut conquiras operoſiùs illuſtria rectè factorum exempla, quæ filio imitanda proponas; habebit in te uno, quem reſpiciat, & unde ſumat exemplum ſibi; in te verò filius dum intuebitur, & præclara patris facinora memoria repetet, tanto ſe acriùs ſtimulari ſentiet ad virtutem, quanto majorem ad excitandos animos exempla domeſtica vim habent, quam aliena. Quid ſupereſt, niſi ut pro pueri incolumitate vota faciamus? Vivat ille! creſcat in expectationem rerum tantarum! Atque id ſi Superi nobis annuerint, nihil video, quod vel amicis, vel tibi expetendum ſit. Vale.

AMICO SUO

Ob miſſum recens editum ab eo Opuſculum.

FEciſti rem gratiſſimam, ſi quam aliàs unquam, Amice; qui opuſculum à te nuper in lucem editum pro tua humanitate ad me miſeris; pro quo dicere non poſſum, uti Ad agendas gratias.

reve-

revera ſentio, quantum tibi debeam. Legi illud ſemel atque iterum, neque retractabo minùs ſuaviter, poſtquam eorum explevero curioſitatem, qui libellum verè aureum ambiunt. Quanquam vix exorabo, quæ tua modeſtia eſt, ne ſuſpiceris adulari velle me tibi, aut amiciùs ſentire de te tuiſque rebus, ſi meam de libro tuo ſententiam interpoſuero. At non recuſabis judicium multorum hominum, qui eruditi inter paucos & delicati palati apud omnes audiunt. Illi ſic extulere totius operis gravitatem, elegantiam, concinnitatem, nihil ut ad cumulatam ex omni parte abſolutionem accedere poſſe arbitrentur. Verùm non eſt illud novum atque inſolens, quòd à te tam eximium opus exierit, qui nihil niſi perfectum ingenio & elaboratum induſtria edere ſoleas. Perge, uti feciſti hactenus, promovere tam feliciter illam indolem, quam peculiari Superum munere ad Literas nactus es. Diteſcat operibus tuis Literaria Reſpublica, & habeat in te ſemper magnum exemplum, quod politioris doctrinæ amantibus proponere ad imitandum poſſit. Hoc debent cæteris documentum, quos meliori, ut ſic loquar, luto natura finxit, ut omnibus exemplo præluceant. Ego interim cùm habeo tibi gratias ampliſſimas, tum providebo diligenter, ut ii, quorum eſt de præſtantiſſimis operibus Literariam Rempublicam admonere, opuſculum illud non prætereant ſilentio, neque merita commendatione carere patiantur. Vale.

UXOR THOMÆ MORI

Ad Conjugem pro Religione Catholica in carcere detentum, & pro eadem ſubeunda morti proximum.

Deprecabunda.

Ergo perſtabis uſque in ſententia tua pertinax, Conjux amantiſſime, nec obſtinatum moriendi animum exues? Nihil te piæ conjugis lachrymæ, nihil toties iteratæ preces inflectent? Heu! quæ te tanta libido mortis inceſſit, ut vitam oderis; & quod in vita tibi debuit eſſe chariſſimum, ultro volenſque abjicias? Nam cur in perniciem ruis, dum tuæ ſalutis arbiter, ſervare te incolumem poteſt? an tanti eſt, aut operæ tam difficilis illud, quod à te petitur, ut hoc redemptam bene vitam non putes? obſequere tantùm Regis imperio, & obliviſcere tantiſper auſteræ illius virtutis, cujus te cuſtodem fruſtra rigidumque ſatellitem oſtentas. Quid enim promoves, dum violentæ cupiditati frenum injicis, & ſana conſilia non audientem revocare ad officium pertentas? Neſcis poſſe omnia Reges, quæ volunt, nec facilè deterreri eos à volendo, quod libido ſemel perſuaſit? Sine illum ſuis vivere legibus, qui leges æquitatis non audit. Cur te alieno exitio implicas? cur amicos tuos, affines, liberos, conjugem tecum in ruinam abripis? Nam quod erit nobis te ſublato perfugium? cui deſolatam familiam relinquis? Quid agam tibi ſuperſtes? Fallor; nec ſuperſtitem fore me tibi arbitreris. Unum idemque fatum nos involvet. Te ſequar, quocumque iveris. Non me terret mors ipſa, nec ullum mortis genus me timidam facit. Aut igitur tecum mori me jube, aut me vivere ſi voles, fac ut ſaluti tuæ quamprimum conſulas.

MAR-

Digitized by Google

MARCELLUS LENTULO

Adverſis rebus laboranti.

Conſolatoria. NOn eſt, mi Lentule, ut reris, magnis viris amica ſemper fortuna. Imò ea eſt plerumque illius inconſiderantia atque cæcitas, ut, dum probatiſſimos & omni laude cumulatos viros deprimit, homines nullius nominis evehat atque extollat. Id verò, ſi miſeris omnibus, tibi certè ſortis acerbitatem expoſtulanti ſingulari debet eſſe ſolatio. Cùm enim ærumnoſum te & infelicem fatentur omnes, tum nemo eſt, qui egregias animi tui dotes palam non prædicet, conſtanterque defendat, nullum unquam extitiſſe, in quem iniquiùs, quàm in te, fortuna peccaverit. Hanc ergo, quam concitaſti opinionem tui, vide, ut tueri ac ſuſtinere poſſis. Debes omnibus exemplum illius conſtantiæ, quam in utraque fortuna exhibendam toties ipſe pronunciaſti. Noli tamen abjicere ſpem omnem fortunæ melioris. Ut eſt illa cæca, ita & natura ſua levis; quo fit, ut, quàm temere deſcivit à quibuſdam, tam facilè ad eoſdem revolet.

FILIUS ADOLESCENS PATRI,

Ut agere Perſonam in Theatro ſibi liceat.

Petitoria. QUod commendaſti mihi ſæpius, ut ſingularem in dicendo leporem ac gratiam conarer aſſequi, id ego, Pater amantiſſime, non ceſſo frequenti uſurpare memoria; &, quæcumque ſe offerunt id perficiendi, quod cupis, occaſiones diligenter aucupari. Verùm inter cætera, quæ juvare adoleſcentem poſſunt, & in perfecta dicendi facultate fructus uberes meditantem promovere; nihil vidi hactenus, quod plus animi ſimul ac roboris afferret, quàm ea, quæ in exhibendis Tragœdiis adhiberi quotannis ſolet, exercitatio. Equidem novi rem eſſe arduam ac difficilem, perſonam tam ſolemni in Theatro ſuſtinere. Tamen niſi me fallunt ii, quorum eſt de mea qualicumque ad eam rem facultate ferre judicium; ac niſi de me ipſo, quid ſentiam, apud parentem amantiſſimum deponere dubitem; non poſtremas fortè in agenda perſona etiam primaria partes ferre poſſim. Eſt mihi non invenuſta, quam laudaſti ipſe, corporis conformatio, non inelegans inceſſus, actio ſatis liberalis. Accedunt latera firma, canora vox & diſtincta, quæ capacem aulam impleat. Adjecit, ut fatear quod res eſt, incitamentum non leve illa, quam ſibi annis poſterioribus ſodales mei pepererunt, in hac palæſtra nominis commendatio. Incendit etiam deſiderium, quod audio omnium rumoribus jactari, Tragœdiam fore hoc anno belliſſimam. Virum noſti, Pater, qui ſolemnes ludos editurus eſt, proh! qualis & quantus! quàm læta ſub tali magiſtro uberrimi fructus ſpes affulget! ò ſi filio chariſſimo indultum id velis! ò ſi hanc facias bonus, quam peto, exercitationis copiam! nullus ego dubitem, ita me affectum ſentio, quin me non declamationis modò, ſed etiam eruditionis donatum Laurea ſis amplexurus. Deterrebunt fortè quipiam quominus id annuas, & difficultatem temporum cauſabuntur. At quantula impenſa eſt, hanc ſi cumulata patris lætitia compenſet! Hoc providere meum eſt, Pater, ne te pœniteat compotem me votorum effeciſſe. Vale.

RE-

RESPONSIO PATRIS.

LÆtor ego plurimùm, Fili chariſſime, qui te nactus ſim paternarum præceptionum tam memorem. Memini ſanè commendatum tibi à me diligenter, cùm te Muſarum in diſciplinam educandum traderem, ut leporem in dicendo, quàm poſſes venuſtiſſimum, conſectarere. Nihil me facti pœnitet; imò ſtudium in ea re tuum non ceſſabo quantùm in me erit, vehementer incitare. Neque verò me fugit valere ad eam rem plurimùm frequentem in dicendo exercitationem, & inter reliquas illam vulgò commendari, quæ in Tragœdiis adhiberi ſolet. Videbor tibi fortaſſe plus æquo timidus pater, & contra parentum indolem de filio non ſatis commodè augurantem accuſabis, ſi te audacem pluſculum, & de viribus tuis præſumentem confidentiùs arguerim. Magnum quiddam eſt, Fili, quod vereor ſatis ut intellexeris, coram tam celebri cœtu perſonam tueri regiam, & confertam ex omni genere hominum multitudinem tenere dicendo poſſe. Ipſa quantumvis bella ſit actio, quæ exhibetur, nam facilè tibi aſſentior dum ſcribis fore illam belliſſimam; quantumvis, inquam, actio illa bella futura ſit, parum intereſt, mihi crede, niſi par in Actoribus venuſtas reſpondeat. Habes equidem in ſociis, qui poſteriore anno ſuas in eodem loco egere partes, magnum exemplum pariter & incitamentum; at quo feliciores exitus habuere, eo vereor magis, ut ad tantam laudem pervenias. Tamen vincis & expugnas patrem, Fili chariſſime, dum ſpem obtinendi in Theatro præmii non levem moves. Id ego tanto lubentiùs adducar, ut credam, quòd ſcio in te uno eſſe poſitum, nec parcitum iri à te laboribus, ut hoc amantiſſimo patri ſolatiolum impertias. Quare bono eſto animo, hoc ſi feceris, ut videris polliceri, nulla in me mora eſt, quin Actorum in album, tuum nomen, cum voles, referatur. Neque tu verò impenſis metue vel ſumptibus; liberalem patrem habes, tuiſque commodis & oblectamentis cupidiſſimè ſervientem.

FILIUS PARENTI

Ut emunctæ Crumenæ jacturam reſarciat.

Queribunda cũ Deprecation:.

REm mihi funeſtiſſimam, tibique ipſi, Pater amantiſſime, niſi mederi poſſes, luctuoſiſſimam! Fures peſſimi, quod erat in loculis cumque, nequiter ſurripuerunt. Diverterat, ut fit hoc tempore, celebres ad nundinas tuus Pamphilus, atque inter eundum ſpectandis hiſtrionum nugis dum otioſiùs inhiat, nam quid ego imprudentiam ipſe meam diſſimulem? Ecce poſitum reconditiore in pera nummatum bene marſupium miſero furtim ſubtrahitur. Equidem ſenſi prædonis manum, furem inclamavi, aſtantium turbam commovi: at ſerius. Jam aufugerat latro peſſimus meis beatus nummulis. Nullam ne tam ampla in urbe reſtim eſſe, quæ genus iſtud hominum improbiſſimum conficiat? Ex illo, Pater, nulla fluunt pauperculo poetæ carmina; Muſas ferreas, æreum Apollinem experior. Eſt enim, ſi neſcis, gens illa Numinum, quam colimus, difficilis, moroſa, & rebus ſuis, ſupra quàm dici poteſt, attenta: ac niſi qua doloſi nummi ſpes refulſerit, oleum è ſaxo potiùs, quam Pegaſeum ab ipſis melos extuderis. Jam ſi velis, Pater, revocare ſpatium præ-

teriti temporis, & memoriam pueritiæ recordari ultimam, noſti, quàm ineptam & elinguem perſonam agat adoleſcens, cui nihil eſt in loculis. Ego certè malim enſem militi, medico ſuccos ac pharmaca, cauſidico lites, mihi ipſi libros ac calamos eripias, quàm nummulos, valentiſſimum, ſi quod eſt aliud ſtudiorum adminiculum. In his rerum mearum anguſtiis, tuum eſt, parentum optime, aliquo Pamphilum tuum recreare ſolatio. Tu querelis & dolori facies modum aliquem, cùm voles. At ſi quid filio bonus indulſeris, beneficio ſic utar tuo, ut me cæteris in rebus, quod tu merito tuo poſtulas, & ego præſtare debeo, habiturus ſis ad omnes voluntates tuas paratiſſimum.

RESPONSIO PATRIS.

Objurgatoria & Satirica.

ERgone verum eſt, quod ſcribis, Fili amantiſſime? Quid? ſubrepta tibi crumena eſt? nihil fingis? nihil diſſimulas? Equidem ego vix adduci poſſum, illud ut credam, aut eam tibi facere injuriam velim; tibi inquam, puero, quem novi tam emunctæ naris. Saltem non vivit furum ille peſſimus, qui tali te affecit contumelia; facinus vindicaſti fortiter? Id enim ſuſpicor, tametſi videris illud ſubticere. Nam cur ſubſidium reſtis implorer, aut ea velit uti ad conficiendum latronem improbum, cui lethifer enſis hæreat ad latus? Unum eſt ſaltem, quod in hac qualicumque calamitate tua gratuleris tibi. Nihil erit deinceps quod metuas ab ejuſmodi ſycophantis. Poteris magno tuo commodo atque etiam otio curioſos oculos paſcere, & lepidas hiſtrionum omnis generis nugas ſpectare aſymbolus. Vide tu autem, ut, quam Muſarum & Apollinis nomini labem inuris, eam abſtergas quamprimum, & malè jam cohærentem gratiam revincias ſedulò ac conſuas. Non ſunt illi, ut reris, tam avara Numina, aut ſuis rebus tam attenta. Imò ſenties, quantò libentiùs ſuas illis opes largiantur, quorum animus vacat ea ſollicitudine, quam divitiæ pariunt. Utinam ego, Fili amantiſſime, tam ingenioſus olim atque induſtrius extitiſſem, quàm eſſe te revera mihi gratulor. Quàm facilè caruiſſem illis adminiculis, quibus puerorum vulgus indiget! Valeant illi, qui, niſi nummulis abundent, oblectare animum vix norunt. Tibi tam faceto natura tua, tam hilari, tam callido, quid deeſſe poſſit, quod in te uno non habeas? Cæterum amo in te plurimùm ſtudium illud quod præ te fers implendi diligenter ſingulas officii tui partes, neque te laudare ſatis poſſum, quem tam obſequentem, tam docilem, tam cereum experior. At ſentirem de te parum honorificè, niſi te unius gloriæ deſiderio ad optima quæque inflammatum arbitrarer. Fruere ergo laude illa, & in patris benevolentia conquieſce.

FILIUS PARENTI AMANTISSIMO.

Calendis Januariis recurrentibus.

Officioſa.

EſT hæc recepta jam diu laudabilis, ubique conſuetudo, ut redeuntibus anni cujuſque primordiis, Liberi fauſta omnia Parentibus apprecentur. Hunc ego morem ita teneo, Pater colendiſſime, ut non tam ille me, quàm ſingularis quædam in parentem amantiſſimum pietas atque obſervantia officii mei admoneat. Objurgatoria.

Sen-

Sentio enimvero multo meliùs, quàm eloqui poſſim, quantùm tibi debeam pro liberali illa, quam tam ſedulò mihi provides, educatione; & quo ſit major annorum acceſſio, eo majus intelligo requiri à me grati ac memoris animi monimentum. Tamen quid ego tibi pro tua charitate voveam ac precer, Pater amantiſſime? Neque enim aut novas opes aut honores novos animus eſt tibi poſtulare; erit hic Superis labor, ea ſollicitudo, ne ſua probitati virtutique præmia defuerint; & quem tot ſuis ad hoc uſque tempus muneribus cumularunt, in eodem deinceps magis ac magis exornando beneficia tuebuntur ſua, & perpetuitatem adjicient. Eſt aliquid aliud, mi Pater; quod eſſe tibi noverim antiquius, & quod in aliqua filii tui facultate poſitum videri poſſit. Scio quantopere deſideres, quod & ipſe ſignificaſti mihi non ſemel, promoveri in me feliciter inſtitutionem bonam, quam impertis, & piam, quam pro me geris, ſollicitudinem ſuo fructu non carere. Miſerum me! niſi hac ſaltem parte conſpirare tecum videar, enitarque viriliter, ne te impenſi olim in educando filio laboris & amoris pœniteat. Ita ſpondeo, mi Pater; neque perfidum vereor dicere ſacramentum. Quantum erit in me facultatis & induſtriæ, ſic apponam lucro, ſic inſiſtam veſtigiis, quæ contriviſti ipſe tanta cum laude, ut, cùm ætas creverit, non ita degener à paterna virtute videri poſſim. Vale.

MATRI

Filioli ſui plus æquo amanti.

Objurgatoria. Video equidem quàm importunus ego, quàm moleſtus cenſor habendus ſim, qui amorem illum, quo filiolum, non tam complecteris, quàm perdis, non verear inſimulare: Tamen vel ſi defugere non poſſim periculum offenſionis tuæ, dicam ingenuè, quod ſentio, & damno etiam meo, ſinceritatis cultor, quàm adulator turpis malim videri. Plaudis nimirum tibi, cùm blandiris puero, cùm figis oſcula, cùm ferocułum etiam plerumque foves in ſinu. At, ſi neſcis, catulos ſuos dum ſuavlùs oſculatur Simia, dum ſtringit arctiùs, eoſdem imprudens ac ſtulta nimiùm enecat. Tu quid facis aliud, dum Pamphilo tuo per fas ac nefas indulges impenſiùs, niſi adoleſcentem miſerum Simiarum more perdis atque exterminas? O ſi videres, quanquam videres id ſatis, niſi te amor præpoſterus obcæcaret. O ſi videres, inquam, qualis è complexibus tuis excedat! quem demum ex illa diſciplina tua fructum reportet! ut otioſus totus ac deſes! ut fugitans laboris, ut faſtidioſus Literarum, ut eruditionis bonæ oſor pertinax, ut aſper monitoribus, ut increpationis impatiens, ut plenus ſui, ut inſolenter arrogans! Nam quem ille vel audiat, vel ſequatur, vel metuat, dum matris in umbra, tanquam præſidio munitus inexpugnabili, magiſtrorum conſilia, admonitiones, minas deſpicit? Neque tu verò aut nullas aut etiam ſeras mollioris indulgentiæ pœnas dabis, cùm factus ille in omni vitæ parte licentior & ad quælibet Reipublicæ munia ineptiſſimus, acceptam à Majoribus gloriam non modò non tuebitur, ſed ignavia turpi, ſocordia, libidine dedecorabit. Tum intelliges, quàm pernicioſus fuerit amor ille qui tibi jam illudit; tum mederi malo voles, quod medelam nullam admittet. Monebis ipſa viciſſim, adoleſcentem argues, indolem pravam, vitia

vitia incuſabis; excitare tentabis ad magna quæque torpentem ac ſeneſcentem animum; contumacem, perditum, conſilii boni contemptorem corripies nimirum, &, intentatis etiam minis, percellere ac revocare ad meliorem frugem conaberis. At fruſtra; neque bene monentem audiet, neque graviora minitantem reverebitur. Hic erit fructus amoris illius tui, hoc mollioris indulgentiæ ſolatium feres. Deſine ergo illecebrarum hujuſmodi: reprime viriliter & intra legitimos fines contine præpoſteros exitialis benevolentiæ impetus. Habes aliud, unde maternus amor ſe prodat, nec incurrat tamen pœnitendi periculum. Provide filiolo illi tuo, quem amas, inſtitutionem bonam, nullis parce ſumptibus, ut peritos pariter atque incorruptos moderatores ſufficias; ſtudium laboris, doctrinæ deſiderium, bonarum artium æmulationem quoquo pretio teneris animis ingenera; occurre diligenter naſcentibus & erumpentibus primùm vitiis; caſtiga prudenter ſocordiam, malorum omnium fontem teterrimum. Denique ea te lege tantùm amicam aut etiam blandientem, ſi voles, ſentiat, ut ſingulis officiorum ſuorum partibus ſedulò ac conſtanter defungatur. Vale.

AMICO

Quem iniquus rumor ſparſerat ex gravi morbo fuiſſe extinctum.

Officioſa & Gratulanda.

Vivis, Amice, neque verus ille rumor eſt, qui te extinctum referebat? O rem lætam! ò me præter exſpectationem omnem felicem ac fortunatum! Equidem fatebor quod verum eſt, Chariſſime; nunquam ego ſenſi meliùs quantopere te diligerem, quàm cùm funeſtum ad me nuntium delatum eſt, unde intelligebam te mihi carendum eſſe in perpetuum. Nam quaſi latuiſſet mihi ad hunc uſque diem, quod tamen probe noveram jam diu, eſſe in te fidem egregiam, eximiam charitatem, indolem ſuaviſſimam, & cætera omnia, quæ dulciſſimæ neceſſitudinis vincula ſunt; tu viſus mihi de integro amicus tam comis, tam fidus, tam obſequens, numeris omnibus tam abſolutus, ut ſine te vivere me poſſe deſperarem. Hinc æſtima ſi potes, quantus ex eo die mœror animum inceſſerit! ut me tæderet ulterioris vitæ, quam jucundiſſimo deſtitutam ſolatio arbitrabar! ut mihi dies noctesque obverſabare menti, & novum uſque ægerrimi doloris momentum afferebas! Sed quid ego hæc? aut quid in re tam luctuoſa diutiùs immoror, ubi tam ampla lætandi ſeges occurrit? Tamen ignoſces pro tua humanitate. Videor enim mihi unus eorum de numero, qui periculoſum paſſi naufragium, & amicum tandem portum ingreſſi tanto ſuavius retractant periculi memoriam, quanto gravius diſcrimen incurrere. Cæterum cave deinceps, valetudinem ut cures tuam diligentiùs, quàm feciſti: ac ſi te tua ipſius ſalus tam parum commovebit, cogita, etiam atque etiam precor, hoc eſſe amici tui fatum, ut ab incolumitate tua ſua ipſius ſalus dependeat.

AMICO

Rebus proſperis plus æquo ſuperbienti.

Ad Commonendum.

Moroſus ego præter modum fortaſſe tibi, mi Theophile, aut etiam lætioris fortunæ, qua frueris, invidus quibuſdam videar, qui in-

tem-

tempeſtivis admonitionibus tua inter turbare gaudia ſuſtineam. Abſit hoc à me! Nemo hominum eſt, mihi crede, quantùm eſt qui vivunt, qui res tibi ſecundas cupidiùs velit, aut eaſdem tibi lubentiùs gratuletur. Eſto: per me licet, fruere bonis illis, quæ tibi Superi liberalius indulſerunt; gaude etiam læta illa ſorte, quam iiſdem faventibus adeptus es. Gaudebo tecum pariter, & illa bona tibi ut propria faciant, ultro precabor. Tamen non ceſſabo monere te diligenter, ut inſolentiore lætitia abſtineas. Hoc relinque puſillis ſuique non ſatis compotibus animis, ut rerum ex voto fluentium copia ſuperbiùs efferantur, neque ullum fortunæ ridentis ad aſpectum ſervare modum poſſint. Poſtulat invictæ mentis conſtantia, ut non minùs caſus inter proſperos, quàm inter adverſos rectum animi tueri ſuſtineat. Quod niſi valeat aſſequi, quibus ſe demum periculis, fortunæ filius, quiſquis erit, objiciet? Eſt enim hæc, ut ſatis noſti, Numinis illius indoles, ut mutabilitate maximè gaudeat, & ſuperbos etiam triumphos triſtiſſimis vertere funeribus delectetur. Hanc verò reflantis fati ſævitiam tanto graviorem ſentire quis ſolet, quanto ſuaviùs blandientis illecebras deguſtarit. Tum verò lætitiæ ſuccedit dolor, & immoderatos riſus amari fletus occupant. Vide ergo, mi Theophile, ne quid rebus in proſperis admittas, cujus in adverſis te pœniteat. Ita porro, ſi me audias, fortunam feres tuam, ut ſi, pro mobilitate, qua viget, à te receſſerit, ea facilè carere poſſis. Vale.

DEMOSTHENI

Qui ex acie cùm fugeret & adhæſiſſet Rubo inter fugiendum, diſertam ad Rubum ipſum, quem hoſtem crederet, Orationem habuerat.

Quibus ego te verbis proſequar, Amice mi? qua geſtientis animi ſignificatione, gratulabor tibi periculi magnitudinem, quod ſoſpes & incolumis evaſiſti? Fatere nunc demum graviſſimos eſſe bellorum caſus, quibus ferendis virtus quantumvis heroica vix ac ne vix quidem ſufficiat. Quanquam accuſare ſatis non poſſum hoſtis illius vel temeritatem vel impolitiam, qui te ſic occupavit incautum, & quem aggredi pertimuiſſet à fronte, fugientis tergori laqueos tetenderit. Non norat ille profectò, qualis vir fores; quem ſi contigiſſet talem ſuſpicari, reverendum ſibi potiùs, quàm laceſſendum Adverſarium cenſuiſſet. Ut enim feritatis oblitus ſuæ eſt, cùm ſenſit, quicum ſibi res incidiſſet! ut audita Demoſthenis voce ab inferenda contumelia ſtatim abſtinuit; ut horridus totus & exertis metuendus aculeis reſedit ultro, placatuſque tibi eſt! tantùm ad mitigandam hoſtis rigidi aſperitatem tua valuit facundia! Nihil eſt deinceps, Amice, quòd ullas armorum vices pertimeſcas, aut fugiendum tibi putes ex acie, cùm deficiet animus & mortis metus ingruet. Habes in eloquentia tua certiſſimum adversùs quamcumque Martis aleam præſidium. Quis erit hoſtis tam ferus, tam barbarus, tam avidus cædis & ſanguinis, qui reſiſtat tibi, quem non exarmes, poſtquam rigidum, aſperum, humanitatis omnis expertem Rubum viciſti, ſuperaſti? Felices porro & fortunatæ nimium Athenæ, quæ te alumno gaudeant! ſecuras eſſe jam illas

Jocularis & Satirica.

illas volo, quid conſilii Philippus capiat, quid machinetur, quid pa- ret, dum te ſoſpitem ſalvumque Athenienſis populus ſibi gratulabitur. Habebit ille propugnaculum, cui tanquam infelici ſcopulo virtus hoſtis alliſa ſuccumbat. Tu verò lætam in urbem quamprimùm advola, fruere votis omnium & gratiſſima reditus tui expectatione. Jam prævivit dudum victoriæ tuæ fama, & omnium animos ſuaviſſima cogitatione devinxit. Plauſus excipe, quos meritus es, &, qui paratur virtuti tuæ, triumphum præſtolare. Vale.

ADOLESCENS NOBILIS
PATRI,

Ut patiatur ſe abjecto Literarum ſtudio ad Bellum proficiſci.

Ad Deprecandum.

QUod jubes, Pater amantiſſime, ultro ac volens exequor; chartis impalleſco totus; ac licet exiguo admodum fructu, aut etiam nullo, hoc mihi eſt ad ſolatium ſatis, quòd me audientem dicto & ad quoslibet nutus tuos obſequentem habes. At ſi penitiſſimos animi mei receſſus, cum ea, qua par eſt, obſervantia, amantiſſimo Patri recludere liceat, nihil ego dubitem confiteri, quanto lubentiùs, abjecto Literarum ſtudio, militaris diſciplinæ labores amplecterer. Nam quid diutiùs hic moror, & primævum Juventutis florem ac vigorem fruſtra contero in his ſtudiis pertractandis, quæ ſummum pariunt nullo cum emolumento faſtidium, quibus & ineptam prorſus indolem experior? Quanto meliùs ac feliciùs tractarem arma, Pater? Ah! niſi me voluntatis tuæ ratio, cujus imperium & verebor ſemper & amabo, intra Gymnaſii ſepta retineret, dudum me grandiorem jam natu inter puerorum greges & Myrmidonum catervas otiari turpiter piguiſſet: jam erupiſſem è latebris, & ad arma convolaſſem, quorum deſiderium & amorem nihil eſt hic penitus quod non acuat & accendat. Nam quoties permixtos Achivis Troas lectito, utinam, tacitus ego mecum, medias inter Batavorum ac Germanorum acies ſtarem armatus! quas non hoſtium ſtrages ederem! Si decertantes video commilitones de ingenii laurea, continuò increpitans moras exclamo, quanto nobiliores in campo Martio laureas demeterem! Cùm edita paſſim à veteribus Romanis fortitudinis exempla narrantur, tum animo ſubeunt illuſtria Majorum noſtrorum, tuaque ipſius, Pater amantiſſime, facinora, quorum æmulator eſſe, ſi per te liceat, quamprimum velim. Hoc patere, amabo, Pater, hoc indulge chariſſimo filio, virtutis tuæ teſtis ac ſpeculator eſſe, dum bella fervent, ut poſſim. Nihil te hanc mihi feciſſe copiam pigeat, nec ſi bene me novi, degenerem ab avita virtute filium videbis. Vale.

RESPONSIO PATRIS.

EQuidem, Fili amantiſſime, laudare ſatis non poſſum, quam præ te fers placendi mihi & obſequendi voluntatem. Eſt hoc indolis illius, quam ſuaviſſimam nactus es, hic fructus eſt Inſtitutionis bonæ, quam dedi, quem uberrimum extitiſſe, mihi vehementer gratulor. At num ego tibi videbor fortè durior pater, ſi, quod à me poſtulas tam enixè, item & tam modeſtè, infectum velim? Sic eſt tamen, Fili amantiſſime: non probatur Patri quod petis, neque, me ſi amas, quod decurris Literarum ſtudium abrumpes. Atenim in- Ad Commonendum.

ingenio non vales, & in Literis parum proficis: modeſtum te ſanè plus æquo, & abjectiùs, quàm par eſt, de te ipſo ſentientem! Abſit, Fili amantiſſime, ut tam injurius ego tibi ſim, quàm tu tibi ipſe es. Aliud dediſti nobis & ingenii & profectus tui monimentum. Ten' ignorares ipſe, an me parum perſpicacem æſtimaſti, qui excuſanti tibi aut ingenii, aut eruditionis tenuitatem aſſentiat, dum idipſum, quod affirmas, tua ipſius Epiſtola inficiatur penitus ac confutat? Nam quid Epiſtola illa aut elegantiùs ſcriptum aut politiùs, aut diſertè magis ac latinè exaratum? Pudet te inter Puerorum greges ac Myrmidonum catervas verſari? Hoc ipſum, quod quereris, tibi laudi vertet, ſi voles; Age, ita te compara ad capeſſendas liberales diſciplinas, ut non invitus ac reluctans, ſed ultro ac volens ad ſtudium incumbas; & quod illi præſtare ſolent moderatorum metu, eo tu rationis unius momentis impulſus defungi videaris. Hæc te ratio, mihi crede, puerorum vulgo eximet, & quanquam vix dum exceſſiſti pueritiæ terminos, maturi ante annos viri laudem occupabis. Reſtat ut præfervidæ, qua flagras gloriæ cupiditati frenos injiciam; non quod improbem illam, quam ſignificas, dignam natalibus, dignam Majoribus tuis æmulationem. At ſuum erit aliquando colligendæ in campo Martio laureæ tempus; noli interim Appollineas dedignari palmas, quas & Majores illi tui, quorum te ſedulum imitatorem exhibes, in eruditionis ingeniique palæſtra meſſuerunt. Quare, ſi quid Patri bene monenti credis, perge ut cœpiſti, & dum te Literario in ludo non tam infeliciter exerces, Patris amantiſſimi benevolentiam promerere.

AMICO

Ad Aquas Borbonias Valetudinis gratia profecto.

UT vales, Amice? an attigiſti feliciter beatum illum ac ſalubrem portum, quò contendebas? Nihil ne fatigatus ex itinere longiori, tempeſtate præſertim tam pluvia, tam incommoda? Ego certè dolui non ſemel tua cauſa, quod ad cæteras viarum moleſtias tempus hyberno ſimile accederet. Cavebis autem, ſi nos amas, ne ad potandum venias priùs, quàm collegeris te te, & hauſtam è difficili longaque peregrinatione defatigationem interjecta tantiſper quiete recreaveris. Sed unum eſt præterea, quod te ſedulò moneam, abſque quo fieret, ut Borbonium fontem, quantus quantus eſt, fruſtra exhaurias. Hoc ſcilicet providè diligenter, ut curas omnes, multo magis animi ſollicitudines deponas. Hæc eſt aquarum illarum, quibus indulgere cogitas, indoles, nullam ut anxietatem aut tædium ſocietatis in partem admittant. Eſto igitur totus in exhilaranda mente & in curanda ſingulariter cuticula. Habebis illic multos, mihi crede, feſtivioris lætitiæ ſocios, quos Borbonium in pagum eo conveniſſe conſilio deprehendes, non tam ut compotores eſſent aquarum, quàm ut ſuaviſſimo beatiorum hominum conſortio fruerentur. His tu utere ad levanda remediorum faſtidia; cum illis ride, jocare, lude, neque te pigeat, poſita tantiſper gravitate, etiam in loco deſipere. Hoc tibi, hoc amicis, hoc valetudini tuæ debes, unde tanta ad Rempublicam totam utilitas pertinet. O ſi, epotis largiter aquis illis ſalubribus, redire ad nos poſſis valentior, quàm profectus es! Officioſa.

ò ſi fons, Borbonius, infirmitatis quidquid eſt, auferre penitus ac depurgare valeat! næ illum ego ipſi Hippocrenes fonti, quo me proluo quotidie ad fatietatem, prætulerim. Hæc me porro ſpes læta atque fiducia reficit, & longioris abſentiæ tuæ, qua pœne jam exanimor, moleſtias conſolatur.

AMICO

In extremis Galliæ partibus commoranti, de inſolita Cœli intemperie, quæ tractum Pariſienſem afficit.

Ad Narrandum. UT ſe habet iſthic cœli temperies, Chariſſime? quis apud vos aeris habitus dominatur? an æſtatem demum poſt diuturnum brumæ tempus attigiſtis? Nobis certè tam perturbata cœli facies, tam inſolens tempeſtas obtigit, ut in medio pœne Junio aut hyemem, aut etiam graviorem autumnum experiamur. Id porro qui fiat, vel quæ poſſit eſſe cauſa tam incommodi temporis, magnum inter graves doctoſque viros controverſiæ argumentum eſt. Alii, quibus ego minimè aſſentior, tantam interveniſſe non putant aeris inſolentiam, niſi quod finituri jam jam mundi metas fere contigimus, quo tempore rerum omnium magna ubique perturbatio regnabit. Alii, qui teleſcopiorum beneficio, quæcumque in ſuprema cœli parte gerantur, pervidere ſe ipſa meridiana luce clariùs æſtimant, ajunt ſuperinductam ſolis corpori craſſiorem quandam cruſtam, cujus vitio fit, ut vix ac ne vix quidem ſolares radii ſentiantur. Alii denique id contingere ſolitum ſeculis quibuſque deſinentibus defendunt, quibus ego lubens atque ultro crederem, id ſi viſum à ſe quis profiteri poſſet. Ut ut eſt, ſolitæ in ejuſmodi rerum adjunctis preces Pariſiis indictæ ſunt, quibus imminentem toti regno annonæ caritatem, & irrepentes periculoſos ac frequentes morbos avertere liceat. Concurritur civitate tota ad ædem B. Genovefæ ſacram. Illuc quotidianæ magna ſolemnique pompa conveniunt ſupplicationes, & ad ejus loculum affuſi magno pietatis ſenſu populi, quam toties perditis in rebus opem experti ſunt, eamdem adeſſe ſibi tunc temporis etiam atque etiam precantur. Hinc omnis, ſi qua eſt, fiducia, hinc lætioris temporis expectatio affulget. Tu, ſi quid ejuſmodi in extremis Galliæ partibus poſiti ſentireur, ſi non meliùs vobis eſſet, quàm nobis, facnos, quæſo, quamprimùm per literas certiores.

HERACLITUS

Democrito res humanas perpetuo riſu excipienti.

RIdes, Democrite, & perpetuò quidem rides, ſi quid ſparſis de te rumoribus creditur? Hoc credam, te ſapientem virum, qualem jactitant, ridere rebus in humanis poſſe? Imponunt tibi, video, homines malevoli, & famæ tuæ obtrectatores. Quanquam inveniunt illi fidem, dum rem in confeſſo eſſe apud omnes profitentur. Hoc ſi ita eſt, Democrite, quod ego velim tua cauſa revocare in dubium, donec tuum ipſius teſtimonium acceſſerit, hoc ſi ita eſt, putas, non ſapientiæ dicam, ſed humanitatis eſſe, ſic inſultare miſeriis hominum, ut, quæ amariſſimo ſunt digna fletu, hæc inepto procacique riſu cavilletis? Nam quid eſt, amabo, in vita hominum, qualis hodie ſe offert, Queribunda.

quod

quod perennibus deſleri lachrymis non debeat? Quotus eſt hominum à recta virtutis ſemita non devius? Quis audire rationem vitæ ducem, quis ex illius norma præſcriptoque vivere vel novit, vel ſuſtinet? Cedo mihi aliquem, qui cœleſtem ſapientiam ſcrutetur; multo minùs qui inventa gaudeat, aut ea ſe contentum ac felicem exiſtimet? Hic in quærendis cumulandiſque per fas ac nefas perituris opibus totus eſt. Ille turpiſſimo voluptat ſe ſe voluptatum in cœno. Iſte inani & ambitioſo honorum fumo ſe paſcit. Exulat ab amicitia veritas, à ſocietate fides, pietas à propinquitate. Mutuis ſe ſe omnes odiis atque inſidiis petunt. Alius litigat cum amico, alius cum affini contendit; inſurgit frater in fratrem, filius parenti non parcit, nec parens viciſſim ullam ſanguinis ſui rationem habet. Hanc tu miſeram luctuoſamque rerum omnium perturbationem indigno riſu exciperes? Ah! ſi quid hujuſmodi commiſſum à te fuiſſet, riſum, mihi crede, converte pias in lachrymas, ſi quam habes bonæ ſapientiæ particulam. Mihi certè, ſi tibi ſecus faciendum duceres, fixum ſtatutumque eſt, humanas, uti jam cœpi, miſerias perpetuis tota vita lachrymis deplorare.

DEMOCRITUS

Heraclito res humanas perpetuo fletu proſequenti.

NÆ me tui miſeret plurimùm, Heraclite, qui perpetuis inanibuſque lachrymis torqueas te ac maceres, tuamque in ea te ponas ſapientiam, ut ſemper & ſine fructu ullo doleas. Magnum habere te oportet aquarum in cerebro receptaculum, quarum ita ſis liberalis ac prodigus, ut nullus te inveniat dies fletibus non indulgentem. Quanquam quid eſt, amabo, quòd ita plores ac lugeas? quid in orbe terrarum univerſo, perenni dignum fletu objicitur? Scilicet deſipientium aut etiam furentium hominum cæcitas lachrymas movet? Proh! quantum tua te opinio fallit, Heraclite! quàm longè erras à vero! Quid ſi demonſtrem tibi vel hac ipſa luce, quam aſpicis, clariùs, dignum eſſe riſu perpetuo, quod jugibus lachrymis proſequendum putas? Unum ego te velim hujuſce rei judicem atque arbitrum, ſi modò temperare tantiſper à fletu velis, dum ego te vera ſapere edoceo. Atenim nemo eſt, qui à recta virtutis ſemita non deviet; qui rationem ſequi vitæ ducem, & ex illius norma præſcriptoque vivere vel norit, vel ſuſtineat; & illos tam ridendos non putabis, quàm ſi ambulare quoſdam inverſis pedibus & deflexo deorſum capite aſpiceres? Nullus cœleſtem ſcrutatur ſapientiam, aut inventa gaudet, aut ea ſe contentum arbitratur. Stulti nimirum & explodendi jure merito, qui cæcutire malint, quàm fulgentem ubique lucem intueri. Hic opes congerit, ille ſe paſcit honorum fumo, alter voluptatum illecebras venatur; pueros puta in ædificandis caſulis occupatos, ridebis. Rixæ ubique, contentiones, jurgia inter amicos, affines, ac propinquos regnant ac dominantur, inſanire omnes, uti revera inſaniunt, crede, riſum excutient continuò, nunquam lachrymas. Denique quidquid videris uſpiam vel audieris, ſi eo, quo par eſt, modo accipias, valere jubebis lachrymas tuas, & meum ridendi morem imitabere. Quare ſi ſapere voles in poſterum, Heraclite, horridam illam rigidamque ſapientiam lætiore illa ac faciliore, quam pro-

profiteor, commutabis: qua ego in conſectanda id ſum nactus commodi, ut vacuam omni ſollicitudine & plenam hilari gaudio vitam ſemper duxerim. Porro hunc eſſe germanum veræ ſapientiæ fructum exiſtimavi ſemper, qui ad procreandam humano generi felicitatem ac lætitiam plurimùm conferret.

AMICUS

In ſeceſſu ſuo rerum æternarum meditationi vacans.

Ad amicum civilium curarum undis immerſum.

Ad Narrandum & Hortandum.

Mirum fortè tibi videbitur, Chariſſime; quod è ſeceſſu meo animum induxerim ad te ſcribere, qui abiens viſus fueram polliceri, velle me ad tempus rebus omnibus valedicere. Tamen nolim exiſtimes, hoc mihi fuiſſe unquam propoſitum, ut omnem prorſus amici memoriam mihi interdicerem. Næ durior fuiſſet illa lex, imò & iniqua, ni quid impertirem tibi illius ſolatii, quo fruitur amicus tuus, dum ſibi Deoque totus vacat, & æternis rebus contemplandis intentus eſt. O verè beatum fortunatumque tempus illud! ò tranquillos & ſuaves illos dies, quibus raptus extra ſe, ut ſic loquar, animus, & corporeis vinculis quaſi jam liber, nihil mortale, vel periturum ſapit! O jucunda pax illa mentis atque tranquillitas, qua terrenæ conditionis immemor anticipato felicitatis æternæ guſtu recreatur! Sed quid dicam tibi, aut potiùs quid non dicam? Nam cur intimos cordis mei receſſus dubitem aperire? Ut illa ſordeſcunt omnia, quæ vulgus hominum tanto reponit in loco, meditanti ſeriò, quod ſupernum eſt! Ut vanas mortalium curas reputat, qui ſolliciti mirum in modum de ſtabilienda fortuna fragili ac lutea, cœleſtes aſpernantur opes, aut eaſdem certè, quaſi nihil pertinerent ad ſe ſe, negligunt! Sic eſt, inanem rerum umbram plerique ſequimur, & fucata boni ſpecie patimur nobis illudi! Utinam hìc adeſſes mecum, Amice, & breve cum terrenis ſollicitudinibus divortium ſuſtineres! Utinam experireris ipſe, quæ ſentio, & quæ te ſentire pariter velim. Tam enim miſerum videtur mihi quod amat cumque, quod ſectatur bona pars hominum, hodie qui vivunt; tam faſtidioſum incipit eſſe, quidquid Deus non eſt, aut cum Deo non penitus conjunctum; ut tibi vel ipſi quantumvis amico, abſit verbo injuria, nuncium remittendum putem, niſi me ſuſtentaret illa ſpes, fore ut illos, quibus ego afficior, ſenſus habere poſſis, & quem facere didici rerum humanarum contemptum, eundem ipſe uberioribus divini luminis radiis illuſtratus præ te ferre aſſueſceres. Sed quid ego hæc verboſiùs in Epiſtola? Plura dicemus coram, interim valere te jubeo, atque impenſiùs exemplo meo ſapere.

AMICO ADOLESCENTI

Ad primam Expeditionem bellicam magna animi alacritate feſtinanti.

An erit tibi adeo feſtinanti ſpatium, noſtram ut Epiſtolam perlegas, Amice? Audio enim quanto ſtudio properes deguſtare inexperti Martis primitias. Non es apud te præ gaudio, ſi quid communibus amicis creditur; ex quo præter ætatis tam teneræ conditionem tibi viſendi hoſtis facta copia eſt. Equidem Amico gra- Ad Monendum.

gratulor alacritatem illam, quam præ te fers; illam comparandæ gloriæ & illuſtrandi nominis, dignam inclytis Majoribus, quibus ortum debes, cupiditatem. Neque verò in tanto armorum apparatu, populorumque concurrentium æſtibus deerit ingens rei bene gerendæ locus; quo, nihil ego vereor, ut viriliter utaris, ſi modò felicem ex omni parte exitum mihi ſpondere liceat. At noſti armorum ancipites caſus: ſcis rem tibi fore ſemper cum cæca, temeraria & inſolenti ſorte, quæ ſuperbos etiam triumphos vertere funeribus amat; quam nobilitas, animus, virtus ipſa non movet; cujus auſteritatem nulla amicorum vota, nullæ preces inflectant. Proin noli tuæ te virtuti ſic permittere, ut cavendum tibi non putes, & ardorem animi, quo flagras, ſagacitate atque prudentia non temperandum. Memineris nondum eſſe te juris tui penitus; ſed præſtandum eſſe te ſalvum & incolumem nobiliſſimæ familiæ, quæ ſuas in te ſpes habet, quæ peritura tecum ſit, niſi illam ſuſcites ac fulcias. Vitabis igitur iſtud diſcriminum genus, quod inconſulti Juvenes laceſſunt plerumque ſine imperio, ſine fructu, ſine gloria: in quibus, vel dum pereunt fortiter, nemo eſt, qui imprudentiam non arguat, ſtultitiam non accuſet, ne dum extollendam fortitudinem, & invictum animi robur collaudandum arbitretur. Hæc te tetractare tecum velim, dum erit opus, unde documentum capias, quod ex uſu tibi ſit. Interim ego non ceſſabo pro te vota facere; ac ſi quid noſtræ valebunt apud Superos preces, redibis ad nos ſalvus ac ſoſpes, & ſingulari gaudio amicum inter paucos tui ſtudioſiſſimum cumulabis. Vale & vive.

AMICO LAUREATO.

Felicem ò, nec tibi magis quàm mihi fortunatum diem, Chariſſime, quo lætiſſimo totius urbis in conſeſſu, tubiſque accinentibus ac reſonantibus tympanis datus in Theatro tibi plauſus eſt. Quis tunc fuit, amabo, animi tui ſenſus, cùm ampliſſimi Theatri ſcanderes ardua, & multiplici revinctum laurea caput univerſæ multitudini oſtentares? Dic, inquam, per Superos precor, ne pigeat iſtud enarrare nobis. Quanquam quid ego modeſtiam tuam fruſtra ſollicito, cùm animum tuum ex meo ſpectare liceat? Poſſum enimverò ex me ipſo, Amice, facere conjecturam, quàm ſingularis fuerit lætitia tua, cùm votorum tuorum metam ultimam attingeres. Qua in re nec ipſi fortunæ parcam gratulari, quæ concordibus animis viſa eſt cum æquitate concurrere, ut amplam laboribus tuis mercedem pararet. Puduit illam, credo, cæcam & inconſtantem appellari; tibique dum favebat impenſiùs, voluit eorum hominum emendare cavillationem, qui privatam illam oculis aut volubilem nimis mentiuntur, quàm ut ſincetam dignoſcere virtutem, ipſique adeo poſſit adhæreſcere. Quid jam reliquum eſt, niſi ut fruaris cum otio lætiſſimo laborum tuorum fructu, & in umbra palmarum tuarum glorioſè conquieſcas. Vale. Gratulabunda.

Atteximus Epiſtolarum omnis generis indicem quæ apud Ciceronem variis Epiſtolarum in Libris reperiuntur.

INDEX

Qui multiplex Literarum Ciceronianarum genus indicat.

A

AD Accuſandum. Lib. 2. Ep. 10. Ad Admonendum. Lib. 4. Ep. 15. lib. 7. ep. 7. lib. 11. ep. 20. 26. lib. 12. ep. 19. lib. 14. ep. 10. 12. 14. 18. 20. 21.

C

Ad Commendandum. Lib. 1. Ep. 3. lib. 2. ep. 6. 8. 14. lib. 3. ep. 1. lib. 5. ep. 6. 9. lib. 7. ep. 5. 21. lib. 8. ep. 6. lib. 9. ep. 13. 25. lib. 10. ep. 17. l. 11. ep. 29. lib. 12. ep. 6. 12. 21. 24. 26. 27. 29. lib. 13. ep. à n. 3. ad n. 75. 77. 78. 79.

Ad Conſolandum. Lib. 1. Ep. 6. lib. 2. ep. 2. lib. 3. ep. 3. 5. 13. lib. 5. ep. 16. 17. 18. lib. 6. ep. 1. 2. 3. 4. 5. 11. 13. 21. 22.

D

Ad Deliberandum. Lib. 2. Ep. 16. lib. 4. ep. 1. 2. lib. 5. ep. 19. l. 9. ep. 3. 7. lib. 11. ep. 1. 9. lib. 14. ep. 24.

E

Ad excuſandum. Lib. 1. Ep. 1. lib. 2. ep. 1. 7. 16. lib. 3. ep. 8. lib. 5. ep. 2. 17. lib. 6. ep. 2. 7. 11. lib. 8. ep. 1. 5. lib. 9. ep. 26. lib. 10. ep. 2. 8. 23. 31. 35. lib. 15. ep. 3. 5. 13. 15.

G

Ad Gratulandum. Lib. 2. Ep. 5. 7. 9. 10. lib. 3. ep. 9. 12. lib. 6. ep. 12. 13. 16. lib. 7. ep. 15. 17. lib. 8. ep. 12. lib. 9. ep. 12. lib. 12. ep. 13. 16. l. 13. ep. 73. lib. 15. ep. 5. 7. 8. 9. 10. l. 16. ep. 16. 21.

H

Ad Hortandum. Lib. 2. Ep. 1. 4. 8. 12. lib. 4. ep. 8. 9. 10. lib. 5. ep. 21. lib. 6. ep. 12. 14. lib. 7. ep. 6. 17. lib. 9. ep. 14. lib. 10. ep. 1. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. lib. 11. ep. 5. 7. 15. 23. 25. lib. 12. ep. 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 22. 23. 24. 25. lib. 13. ep. 68. lib. 14. ep. 8. lib. 15. ep. 1. lib. 16. ep. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 17. 23. 25. 26.

I

Ad Jocandum. Lib. 1. Ep. 10. l. 7. ep. 10. 12. 13. 14. 16. 18. 30. 32. lib. 9. ep. 4. 15. 16. 18. 19. 20. 22. 25. lib. 12. ep. 20. lib. 15. ep. 16. 18.

L

Ad Laudandum. Lib. 7. Ep. 18. lib. 9. ep. 14. lib. 12. ep. 5.

M

Ad Monendum. Lib. 6. Ep. 21. lib. 7. ep. 6. 9. 10. lib. 8. ep. 5. 9. lib. 9. ep. 12. 17. 24. lib. 12. ep. 28. lib. 14. ep. 23. lib. 16. ep. 11. 12. 13.

N

Ad Nuntiandum. Lib. 1. ep. 2. 5. 7. lib. 4. ep. 12. lib. 5. ep. 6. lib. 6. ep. 19. lib. 7. ep. 1. 26. lib. 8. ep. à n. 1. ad n. 12. 14. 15. lib. 9. ep. 6. 16. lib. 10. ep. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. l. 11. ep. 11.

O

Ad Objurgandum. Lib. 2. ep. 7. 8. lib. 5.

lib. 5. ep. 5. lib. 7. ep. 8. lib. 10. ep. 27. lib. 11. ep. 18.

Ad Officium. Lib. 2. Ep. 11. lib. 3. ep. 10. lib. 10. ep. 29.

P

Ad Petendum. Lib. 2. Ep. 11. lib. 3. ep. 2. 3. 9. lib. 5. ep. 4. 9. 12. lib. 6. ep. 7. 17. lib. 7. ep. 29. lib. 8. ep. 3. lib. 9. ep. 8. lib. 10. ep. 21. 24. lib. 11. ep. 2. 4. lib. 13. ep. 12. 57. 73. 76. 77. lib. 15. ep. 4. 7. 8. 10. 12. 13. 20.

Ad Præcipiendum. Lib. 7. Ep. 19.

Ad Purgandum. Lib. 3. Ep. 10. 12. lib. 5. ep. 20. lib. 7. ep. 3. lib. 11. ep. 27. 28. lib. 12. ep. 18. 29. 30. lib. 15. ep. 17.

Q

Ad Querendum. Lib. 8. Ep. 13. lib. 11. ep. 10. 12. lib. 12. ep. 2. 3. 4. 8. lib. 14. ep. 1. 6.

S

Ad Suadendum. Lib. 2. Ep. 18. lib. 4. ep. 7. 8. 9. lib. 5. ep. 19. lib. 6. ep. 8. 23. lib. 7. ep. 11. lib. 8. ep. 16. lib. 9. ep. 2. 9.

V

Variæ. Lib. 12. Ep. 17. lib. 14. ep. 2. 3. 4. 5. 6. lib. 15. ep. 14. lib. 16. ep. 18. 22. 24.

Ad benevolentiam ſignificandam. Lib. 3. Ep. 1. 4. lib. 6. ep. 18.

Ad beneficium commemorandum. lib. 3. ep. 5.

Ad confirmandum. Lib. 6. Ep. 6. 10. 14. 17.

Ad confutandum. Lib. 3. ep. 7. lib. 9. ep. 21.

Ad defendendum. Lib. 1. ep. 9. lib. 5. ep. 2. lib. 7. ep. 3. lib. 9. ep. 5.

Ad deplorandam calamitatem. Lib. 4. Ep. 1. 13. lib. 7. ep. 28. 30. lib. 9. ep. 11. lib. 10. ep. 1. 33.

Ad diſſuadendum. Lib. 2. ep. 3. lib. 5. ep. 14. lib. 6. ep. 20. lib. 7. ep. 20, lib. 10. ep. 6. 25.

Ad expoſtulandum. Lib. 2. ep. 17. lib. 3. ep. 6. lib. 5. ep. 1. 7. lib. 7. ep. 24. lib. 8. ep. 17. lib. 10. ep. 28. lib. 11. ep. 3.

Ad gratias agendas. Lib. 13. Ep. 28. 41. 54. 62. 64. lib. 15. ep. 11. lib. 16. ep. 16.

Ad gratum animum ſignificandum. Lib. 3. ep. 13. lib. 7. ep. 29. lib. 10. ep. 11.

Ad invitandum. Lib. 7. Ep. 31. lib. 9. ep. 1.

Ad narrandum. Lib. 1. Ep. 1. 4. 8. 9. lib. 2. ep. 1. 10. lib. 4. ep. 4. lib. 10. ep. 8. 30. 32. lib. 12. ep. 13. 15. 22. 23. 24. 25. 30. lib. 14. ep. 7. 11. 15. lib. 15. ep. 1. 2. 3. 4. 17. lib. 16. ep. 9. 10. 11.

Ad reprehendendum. Lib. 12. ep. 28. lib. 16. ep. 17. 28.

Ad reſpondendum. Lib. 2. ep. 17. lib. 15. ep. 19. lib. 16. ep. 21. 27.

Ad reſpondendum accuſanti. Lib. 7. ep. 27.

Ad reſpondendum commendanti. Lib. 5. ep. 11. lib. 9. ep. 24. lib. 11. ep. 6.

Ad reſpondendum conſolanti. Lib. 4. ep. 6. lib. 5. ep. 13. 15.

Ad reſpondendum excuſanti. Lib. 15. ep. 6.

Ad reſpondendum gratulanti. Lib. 4. ep. 14. lib. 7. ep. 2. lib. 15. ep. 6.

Ad reſpondendum hortanti. Lib. 4. ep. 11. lib. 10. ep. 4. 7. lib. 11. ep. 24.

Ad reſpondendum monenti. Lib. 2. ep. 13. lib. 7. ep. 25. lib. 11. ep. 21.

Ad reſpondendum nuntianti. Lib. 2. ep. 15. lib. 11. ep. 24.

Ad reſpondendum petenti. Lib. 5. ep. 10. lib. 10. ep. 22.

LIBER FABULARUM.

ADMONITIO.

QUas hìc ego propono Fabulas non habent quidem novitatis gratiam, cùm decantatæ jam à multis cum ſoluta, tum ſtricta oratione inveniantur. Quia tamen pertinet ad Rhetorem in omni ſcribendi genere diligenter eſſe verſatum, ſupervacaneum eſſe non putavi in iſtis narratiunculis dare ſpecimen aliquod illius ſtyli, quem ſibi Fabulæ vindicant. Mirum eſt enim quàm diſſimilis eſſe debeat ab eo, qui vel in Orationibus, vel in Epiſtolis ipſis conſcribendis adhibetur. Nam conciſa inprimis Oratio ſit oportet, non implexa longo verborum aut ſententiarum circuitu, ſimplex ac pœne pedeſtris, non elata, aut Figuris ornata, numeroſa quidem, non complexione membrorum à ſe invicem pendentium, ſed ſolo delectu & concinna verborum diſpoſitione. Adde frequentem Jambum in clauſulis commatum, quæ nec magnitudinem ſenarii verſus excedant, nec ab ejuſdem ſimilitudine multùm diſcrepent.

Nam cùm plena eſt Fabellarum dictio interlocutionibus, propter varietatem perſonarum, quæ loquentes inducuntur, tum certè nullus pes aptior alternis ſermonibus, Horatio teſte, quàm Jambus; qui dum ſententiam claudit, naturam ſenarii verſus ac formam imitatur. Uno verbo qui ſcitus ac concinnus in ſcribendis Fabulis eſſe voluerit, is vel in ſoluta Oratione Phœdri Fabulas ſibi ad exemplum proponat. His autem præceptionibus, quam fideliter inſtiterimus, qui legent noſtras Fabulas, conjectabunt.

LIBER FABULARUM.

VOLUCRES De Rege faciendo deliberantes.

PROMYTHION.

Ludit imperitos ſpecies inanis; bene ſanos non fallit.

PErtæſa libertatis priſtinæ Volucrum natio Regem ambiiſſe fertur. Ergo convenit gens omnis antiquum in nemus, & ſtudio certatur pari. Animis huc illuc alternantibus, Pavo ſuperbus varios ſe in gyros rotat, ſuaſque caudam pandens oſtentat opes. Perſtrinxit oculos aureus pennarum nitor: jam fremere tacitum vulgus, & Junoniæ Volucri deferre nomen Regis & decus. Una improbavit Pica ſtultum conſilium, & quod prudenter ſenſerat, auſa eſt loqui. Næ bellus, inquit, & politus ille Rex, quem facitis; at ſi fors hoſtis ingruat, ſi nos laceſſat armis, quis vindex erit? Saltem vitium animi ſi redimat prudentia: at tam Pavonis cæca mens, quàm cæci ſunt, quotquot oculos in cauda gerit. Aſſenſit cœtus omnis, & plauſu dato Picæ ſagaci damnat errorem ſuum.

EPIMYTHION.

Tanti eſt, unum aliquem eſſe, qui ſapere norit, & loqui.

PERDIX & AUCEPS.

DUm tendit avibus laqueos Auceps callidus: Perdix imprudens cecidit inter retia. Quid ageret? nullus patebat effugio locus, nec avidus Auceps ullam ſpem vitæ facit. Senſit periclum volucris & metuens mori, his Aucupem tentare cœpit artibus. Tua ſum, ſed in me qualem prædam nactus es! ni pares aliud, menſas unde oneres tuas, hodie cœnabis ædepol frugaliter. At ſi monenti credis, perbrevem moram concede, pingue ſpondeo convivium tibi. Agro in propinquo ſociæ paſcunt plurimæ. Hunc ſine adducam illas in locum. Mox, cùm rediero, ſi officium placet, vitam dabis, aut me perimes pro arbitrio. Aſtutus Auceps ſenſit fallaces dolos; prenſanſque volucrem garrulam, ut credam tibi, ſubjecit? Tu mihi ut ſerves fidem, dum prodis amicas, perfida? hæc aliis carne, quos ineſcare poſſis feliciùs. Capſam interim ingredere; ſin amplum minùs, at delicatum dabis hodie ferculum. Dixit; & oppreſſit aviculam.

EPIMYTHION.

Qui poteſt amicos prodere, ab eo ne exſpectes fidem.

ASINUS & APER.

PROMYTHION.

Facile eſt proſperis rebus inſoleſcere.

OLim Aſellus præter morem lætior; ſeu leviorem tulerat dorſo ſar-

ſo ſarcinam; ſeu nactus carduos affatim pranderat opiparè, huc, illuc curſitabat, inconditis ſylvas & agros perſonans clamoribus. Strepitu excitatus nemorum è latebris Aper accurrit: ille rudere denuò, & gaudii impotens, Apro ſalutem ferre familiariter. Qui dum inſolentem pecudis ad faſtum ſtupet, garrire pergit Aſinus, & palpans Aprum, quid agitas rerum, inquit, an bene eſt tibi, frater, tuiſque? Me fratrem vocas? retulit indignans Aper; at ex quo, precor, vel unde tibi tam inſolentes ſpiritus? Ni tuum norim genus; ſtolidæque pecudis verear tingi ſanguine; temeritati debitas pœnas dares. Faceſſe procul hinc, vile & inviſum caput, & cum Aſellis fratribus quære conſortium.

EPIMYTHION.

Pulchrum eſt parcere, cum adeſt vindictæ modus.

LUPUS & OVIS.

PROMYTHION.

Non eſt credendum verbis ſubdolis.

LOnga coactus fame avidis prædam faucibus Lupus quærebat; ſed fruſtra: quippe paſtorum cuſtodia diligens, & vigiles excubiæ canum ſecura præſtabant ovilia. Quid faciat? dedit ingenium neceſſitas; &, quod vi deſperabat aſſequi, id pertentavit dolo. Ovina pelle totum corpus induit; vox una ni deeſſet, dixiſſes Ovem. Sic perſonatus dexter anguſtos petit, quos Ovis habitat, lares. Quam per hiantes conſpicatus rimulas, Tun' ſola, dixit? huc ades mecum, ſoror, quò purus aer, quò molles Zephyri vocant, & lætiora paſcua. Agnovit Lupi retuſas artes, dolumque retundens dolo; Næ facerem, dixit illa, ſi Lupus tu fores, & me tueri poſſis; nam timidam Dei fecere; neque ea ſum, arcere quæ poſſim malum. Ne metue; talis ego ſum, qualem cupis, ſubjecit alter; ſimul & larvam rejicit, ſe ſe confeſſus Lupum. Subriſit illa; nares & obeſas Lupi ludificans, bellè eſt, inquit; non potuit mihi cuſtos adeſſe melior & fidus magis. Paulùm operire; ſocios alios advoco, quos eſſe feſtæ lucis participes velim. Rerum quid eſſet, ſenſit tunc demum Lupus: moramque ſuſpicatus damnoſam fore, credere ſalutem pedibus maluit ſuis.

EPIMYTHION.

Nunquam ita ſe diſſimulat improbitas, quin aliqua parte ſe prodat.

PHOEBUS & BOREAS.

PHœbum inter & Boream gravis orta contentio eſt, uter plus poſſet, & alter alterum vinceret viribus. Nam Deos ipſos urit ambitio mala, nec ſolos homines gloriæ ſtimulat ſitis. Hìc inſoleſcens Boreas, avulſas viden', inquit, radicibus ab imis arbores, æquatas ſolo domos, iraſque turbati maris? ſatis hæc loquuntur, Phœbe, quid poſſim, & quàm temerè mihi palmam invideas. Cui Phœbus ad hæc modeſtior. Equidem furoris, ne quid diſſimulem, tui monumenta ſunt hæc triſtia; quem æmulari ſi velim, brevi conſumptus orbis in cineres ruat. Verùm mereri bene de omnibus & lædere neminem, hoc unum eſt demum, quod placet, & quo ſuperior Borea Phœbus audiat. Oculos in orbem flecte; ſi pulchrum quid nitet,

ret, ſi quid utile gignitur & amœnum ſapit; totum hoc meum eſt; totum hoc debetur mihi. Hæc inter, neuter alteri cùm cederet, illac viator fortè carpebat viam. Tum Phœbus Boream ſic ad certamen provocat. Vis, inquit, noſtram protinus controverſiam mortali in iſto dirimi? Qui noſtrum prior excutiet homini pallium, is per me victor feratur. Boreas ultro annuit. Mox buccas inflans, hinc illinc hominem quatit, perflatque totum. Ille contra obſiſtere: & venti quanto ingruit vis major, tanto fortiùs ſtringere pallium. Tum Phœbus, operam Boreas cùm perderet, radios ab alto vibrat; & amicus calor inſinuans cunctis ſe ſe miſcet artubus. Senſit viator, æſtuſque impotens gravis, ultro volenſque rejicit ab humeris pallium.

EPIMYTHION.

Magna vis eſt benevolentiæ, imbecillis metus.

SIMIA CUM GEMINA PROLE.

PROMYTHION.

Stultus hic amor eſt, qui rationem amandi non habet.

Geminam uno partu prolem Simia fuderat. Par indoles utriuſque, ſimilis induſtria, æqualis malignitas. Tamen, quis crederet? diſpari in utrumque natum affectu parens, alterum deperibat amando, alterum vix agnoſcebat ſuum. Ille parentis uſque fuſus in gremio, & blanda libans oſcula vitam vivebat dulciſſimam. Hic abſtruſus cavo, & matris ab aſpectu procul ducebat ingratos dies. Illi, ſi quid garriret fortè, vel nugaretur, plaudebat mater protinus, & blanditiis addens munuſcula, defraudabat genium, unde amores bearet ſuos. Huic, ſi vel muſſare matris in præſentia conſideret, nihil præter plagas contingebat & probra. Dum chara matri ſoboles ludit aliquando feſtiviùs, & triumphantis inter parentis gaudia circumquaque ſaltat & exilit, ecce luxata Simiolo tibia eſt. Dii bene, quod abfuit frater longius, neque ſe afflictæ matri præſens obtulit, non ille facti declinaſſet invidiam. Tum dolore amens mater ire in lachrymas, & in gemitus: mox ferocem natum complexa, dum ſtringit inter ulnas arctiùs, ſtulta enecat.

EPIMYTHION.

Quantùm Liberis nocent, qui blandiuntur malè.

LUPUS & ECHINUS.

PROMYTHION.

Malè creditur improbis, vel cùm amicos ſapiunt.

Lupus eſuriens fortè in Echinum incidit, delicatum ædepol prædæ genus, & quod palato Lupi mirificè ſaperet. At belluam aggredi ſuis circumſeptam ſpiculis, periculoſæ plenum opus aleæ. Ergo rem dolo tentandam ratus, ſic Echinum compellat prior: Nam quid vereris, ô bone? vel quò arma illa pertinent, quæ geris? An iſte cultus inter amicos decet? Hæc pone tela; nemo me amicior tibi, tuiſque rebus qui ſtudeat magis. Bene eſt, reponit alter; hoc gratulor mihi, quod te amicum ſim nactus; atque omnes velim habere

ami-

amicos pariter, quotquot ſunt, Lupos. At arma ne te noſtra ſollicitent; dedit hæc natura, quibus in hoſtes uterer. Tu, qui amicum te probas, metum abjice. Nunquam hæc arma amicis nocent.

EPIMYTHION.

Dulce eſt doloſum ludere meliori dolo.

VULTURES & COLUMBI.

PROMYTHION.

Non eſt tenuiorum hominum, majorum rixas componere.

CIvilis arſit inter Vultures diſcordia. Quæ cauſa belli fuerit, incertum quidem: at tantis hinc & inde certatum æſtibus, ut Vulturum gens tota rueret certam in necem. Nam perſonare miſeris acu planctibus, volitare plumæ ventorum ludibrium, perpluere latè ſanguis, & pereuntium corporibus madidum cæde conſterni ſolum. Movit Columbos pacis amicum genus, ferale bellum; mittere legatos placet, qui diſſidentes revocent ad concordiam. Illi imperata perfecere non ſegniter. Nam dum cruenti martis vis major furit, & magnam utrinque Vultures ſtragem cient. Quò vos libido cædis in præceps rapit, Amici? vel quos inter geritur bellum, inquiunt? Quocumque res cadat, & inclinetur victoria, miſerum veſtra gens exitium feret. Protinus ergo ponite civiles diſcordias, & donate ferales iras invicem. Placet morata Columborum oratio, & aſperatos Vulturum animos mitigat. Ceſſatum ab armis denique, & pax inita. Verùm Columbis illa pax cladi fuit. Nam rebus inter Vultures compoſitis, illi in Columbos ruere, nec mitiſſimam gentem inſequendi facere finem vel modum.

EPIMYTHION.

Malorum diſcordia atque perturbatio bonorum pacem atque tranquillitatem parit.

PASTOR & MOLOSSUS.

MOloſſum ingentem Paſtor alebat domi, fidelem, ſi quis alius, cuſtodem gregis, hoſtem Luporum furiamque implacabilem. Quos allatraret, illi fugere longiùs, &, tanquam ſacris, parcere intacto gregi. Unum hoſpiti illi vitium hoc quidem fuit, quod erat Moloſſus ille famelicus nimis, nec adeo modicis alebatur ſumptibus. Dum rem moleſtam queritur atque incommodam apud amicos Paſtor; quid tu, inquiunt, avidum helluonem detines fruſtra domi. Hunc trade pagi domino? iſte commodiùs, quod facere nequeas, ſumptus graviores feret. Tibi interim unus poterit atque alter canis, præſtare eaſdem levibus impenſis vices. Probatur homini parco conſilium futile. Vetus fugatur hoſpes; nec Lupis diù res latuit: longo qui ſatellitis impigri metu ſoluti, ſubeunt deſertam domum, & facili potiuntur dape.

EPIMYTHION.

Servum nactus probum ac fidelem, levibus ne offendare maculis.

LEO

LEO & MUS.

PROMYTHION.

Æquum ſapit ille, qui deſpicit neminem; ſæpe majores indigent tenuioribus.

MUs in Leonem cùm incidiſſet temerè, periculum ſenſit quod adierat. Ergo vitæ metuens, quando, nullus eſt fugæ locus, cœpit inſtare precibus, ſi fors Leonem vinceret. Nam quid egi infelix, inquit? Parce, Regnantum optime, & errorem excuſa meum. Non fuit hæc tanta miſero fiducia, tuum ut interturbarem otium. Tamen ſi peccaſſe videor imprudentia, ultio de me quid habet, tanto regi quod placeat? Audiit patiens Leo Muris querelas, & miſertus ultro vitam annuit. Paucis poſt diebus Venatorum in retia Leo dilabitur, nec, quo ſe pacto laqueis expediat, invenit. Fruſtra ſe partes in omnes verſat, & incondito gemitu cuncta latè perſonat loca. Nemo eſt qui laboranti ferat opem, aut pereuntis moveatur malo. Mus è propinquo ſtrepitum hauſit cavo, &, quò Leonis res vocant, accelerat gradum muneris impenſi memor. At quid tantulus juvet, ubi valentioris robur ceſſit irritum. Tamen inſtat operi Mus acriter, nec inanis cecidit labor. Maculas ſcilicet alias poſt alias dum rodit, ſic infregit reticulum, vinctum Leonem ut ſolveret.

EPIMYTHION.

Qui beneficium collocat, operam non perdit ſuam.

LEO AD EXPEDITIONEM Bellicam ſe comparans.

INuſitatum quiddam meditatus Leo, bellum movebat gentes in exteras. Jamque per præcones vocatæ toto ex imperio belluæ Leonis in aulam venerant, rem conſilio & manu ut promoverent viriliter. Nam quis improbet, quod placuit regibus, aut ſuam ultro non polliceatur operam? Hic unus reſtabat labor, ut, quod conveniret ſingulis, hoc ſibi quiſque præſtandum ſumeret; & varia belli munia partirentur invicem. Hìc Elephas latos humeros & immane dorſum oſtentans, ego, inquit, belli ſarcinam, machinas, impedimenta, & aliud, ſi quid eſt oneris bellè feram; neque me gravabunt, ſedere qui tergo volent, hoſtem ut impetant commodiùs. Excepta læto fremitu vox Elephantis, & ipſe, molliter inflectens caput, arriſit Leo. Ego mole corporis, adjecit Urſus, ſuſtinebo impetum, neque, me vivo, acies rumpetur, vel turbabuntur ordines. Hoſtem comminus laceſſere meum eſt, Lupus exclamat: vah! ſi dentibus parcam aut unguibus. Ego Legati vice defungar, Vulpes ait: mille verſabo fraudes & dolos, quibus illuſus hoſtis in laqueos cadat. Mihi perſtare in caſtris certum eſt, dixit Simius. Regem oblectabo præſtigiis, & fatigatum curis gravibus reficiam caput. Dum ſibi quiſque partem operæ in tanto vindicat, ſilebat interim Aſinus reducto in angulo, nec muſſitare pariter audebat Lepus, ſtuporis ille ſcilicet, hic timoris conſcius. Nec utrique parcit gens Aulicorum mala, amboſque procul ablegandos dictitat, tanquam numerum inutilem, natoſque fruges conſume-

ſume-

ſumere. Abſit hoc à me, repoſuit Leo: operam & illi navabunt non incommodam. Rudet Aſinus, tubæque præſtabit vices; Lepus curſoris defungetur munere.

EPIMYTHION.

Nemo tam ineptus eſt, qui conſulto Principi utilem operam non commodet.

LEPUS ET TESTUDO.

Vidit Lepus lentis incedentem paſſibus Teſtudinem, & inſultans tardipedi: quò pergis, inquit, ò bona, quò tuam portas domum? Næ tui me miſeret plurimùm, ſi longam habes hodie, quam peragas, viam. Hem, ſi quò properas, hanc mihi cedo provinciam; non ego durus exactor, quod erogabis cumque, contentus feram. Subriſit Teſtudo, & jocum ſubodorata, ædepol me ignoras, inquit, neque tu ſenſiſti ſatis, quantùm pedibus præſtem tibi. Hìc exiliens Lepus, & ſubſultans huc illuc leviter, ergo celeritatem exere, ſubjecit; & me, ſi potes, currentem aſſequere. Ego verò ac lubens, ſubjecit Teſtudo: at ponamus metas, & quo certemus pignore, ſtatuamus priùs. Pacto inter utrumque pretio: i, perge fauſtis avibus, Lepus adjecit & viam ingredere fortiter, ego dum quietus obdormio: brevem hanc redimam, cùm placebit, moram. Illa pergit impigrè, & lento feſtinans gradu metam occupat. Evigilat Lepus interim, & propero curſu nequicquam evolans, dolet priorem acceſſiſſe Teſtudinem.

EPIMYTHION.

Malim exiguas vires, quas regat prudentia, quàm robur immenſum, quod ſtultitia moderetur.

EQUUS ET ASINUS.

PROMYTHION.

Qui miſeris inſultant, digni ſunt viciſſim, eadem qui ferant mala.

Viam carpebant Equus pariter & Aſinus. Hic graviore præter morem onuſtus ſarcina demittebat auriculas, & ſortem incuſans ſuam, vix lentos trahebat gradus. Ille expeditus & alacer altiùs ferebat caput, etiam ſocio inſultans ſuo. Tandem fatiſcens Aſinus ſub pondere, & blandè compellans Equum, en ego morior, inquit, ni feras opem. Partem iniquæ molis, quam porto, precor, lubens accipe; non te iſte gravabit labor: & amicum interim ſubduces neci. Mene, an te ignoras, infelix bellua, iſtud quæ roges, ſubjecit Equus? ſcilicet clitellis ferendis nati nos ſumus, aut cum noſtro dedecore vitam ignavæ pecudis ſervari decet? Apage hinc, & Aſellis fratribus defer indignas preces. Hæc dum malignè garrit ſuperbus Sonipes, ecce per clivum Aſinus ægre nitens, pronus in terram atque ſemianimis cadit. Accurrit dominus utriuſque Ruſticus, & vitæ pecudis metuens detractam ex Aſini tergore ſarcinam imponit Equo. Agnovit Equus vel ſerò ſuam inclementiam, neque ſe plecti duriùs queſtus eſt, qui laboranti ſocio operam negaſſet levem.

EPIMYTHION.

Qui molliore languens in otio laborem alienum ridet, hanc ſibi putet narrari fabulam.

AGNUS,

AGNUS, CANIS, ET LUPUS.

PROMYTHION.

Ille Juventutis cuſtos optimus, arcere ab Alumnis qui poteſt malum.

DEderat Ovis provida & ſtudioſa mater Agniculo ſuo fidum viæ comitem & cuſtodem Juventutis amicum Canem. Non erat ille quidem bellulus, neque unus eorum aliquis, qui blandiuntur comiter; aſt acer inter paucos, & forti Moloſſorum de gente, qui viriliter allatrant, & arcent Lupos longiùs. Cum ecce Lupus in Agnum incidit. Hic pingui inhians prædæ, avidis illam jam devòrabat oculis. Sed periculoſum ratus laceſſere Agnum aperto marte, ni ſummoviſſet Canem, ſic eſt aggreſſus dolo: Dii me fortunant, Amicule, tibi qui occurrerim. At quid tibi, obſecro, cum importuna & obſoleta illa bellua? Moderatorem vides, ſubjecit Agnus, cui me amica parens tradidit. Nempe erudiat ille te feliciter, repoſuit Lupus, aut ſapere quidquam doceat, qui nihil aliud, quàm latrare didicit. Dimitte; ſi me audis, doctorem impolitum; novi ego, quid è re tua ſit, & tibi conveniat magis. Adeamus matrem ambo: interim ne time; ſi quid occurrat periculi, ſalvum te & incolumem dabo. Ut me ignoras, Lupe, retulit Agnus! hic mihi cuſtos placet, quem tu improbas; hoc ego contentus ſatis, arcere malum ſi poſſit, cæteris ha[illegible] ægrè caream. Tu malum inferre f[illegible]itus, mihi nec parceres. Vale ſis: ali[illegible]s quære, quos tuis feliciùs ineſces dolis.

EPIMYTHION.

Quàm multi, putas, cum agniculo ſaperent Adoleſcentuli, ſi par incidiſſet occaſio.

Le Jay, Tom. I.

LEPUS ET PERDIX.

LEpus & Perdix tutix ejuſdem incolæ vitam vivebant ſuaviſſimam. At quis rebus in bonis expertus unquam eſt perennitatem? Ecce ex improviſo malevola canum turba advolat. Senſit periculum, quod imminebat, Lepus, & fugam extemplo capit. It, redit, huc & illuc curſitat, & mille per ambages viarum primos canum fruſtratur impetus. At odora canum vis Leporem ſequitur nihilominus, & curſu fatigat immiſericorditer. Quin aſſecuti miſerum lattatibus auras perſonant, & avidos dentes in prædam acuunt. Qui dum periret miſerabiliter, vidit Perdix agentem animam, & inſultans morienti, ubi inquit, illa, qua tantùm vales, pedum velocitas? cur ſalvum non te præſtitit? Unus hic, retulit Lepus ſuſpirans, deerat calamitatis cumulus, noſtra ut rideres mala! at non ero unus hic, forſan ſine vindice! Hæc dum diceret, Vultur in Perdicem irruit, & incuſantem ſeſe fruſtra volucrem jejunus alvo condidit.

EPIMYTHION.

Miſero inſultes cave, ne par brevi contingat calamitas.

PAVONIS AD JUNONEM QUERELÆ.

CAntantem Philomelam, & nemorum receſſus dulcibus perſonantem modis fortè Pavo audiit. Hinc volucri ſuperbæ crevit livor & indignatio. Nulla mora eſt: triſtes iterat ad Cœlum ſonos, & irata Junonem fatigat prece. Nam quid me juvat, inquit, Regina divum at-

que hominum, tua quòd avis nuncupor; ſi me pateris eſſe ludibrio obnoxiam, & juſtos dare turbæ volantum jocos; Quam mihi dediſti vocem toti naturæ diſplicet, aures & ipſas aſperat. Interim exilis avicula tereti gutture auras implet ſuaviter, & mortalium pariter ac Divûm animos rapit in admirationem ſui. Riſit iniquas volucris querelas Jovis conjux & ſoror, & inſolentem ſic retudit ſuperbiam: Non ergo ſatis eſt, quòd te pennarum nitor ſupra volantum omne genus extulit? quòd Iris pingitur in collo tuo plurima, &, dum explicas caudam ac rotas, gemmarum ſplendorem vincis ac pretium? Quid reſtet reliquis avibus, unus ſi collecta teneas, quæ diviſa facere beatos valent? Nempe Aquilæ mares animos, levitatem Vulturis, Corvique mentem præſciam mox apperas; ſi libera detur quidlibet optandi mora. Faceſſe; vel ſi pergis ulteriùs queri, quæ te ſuperbum faciunt, pennas auferam.

EPIMYTHION.

Quod adeſt, vulgò nihil admodum afficit; quod abeſt plerumque excruciat bonum.

JUPITER ET APIS.

Apis obtuliſſe Jovi favum mellis dicitur. Quis offerentis fuerit animus non ſatis liquet. At rarò magnis Regibus munus obtigit expers ſperati fœnoris. Admovit ori dulce munus Jupiter; & laudata volucris ſolertia; age, inquit, quid vis ut ego rependam tibi? Hìc Apis diſſimulans, quos tacita meditatur, dolos, non me, inquit, hominum ac Divum pater, avara ſollicitat fames, aut non contenta ſorte, quam tu dediſti, majus optarim bonum. Sed gens mortalium avida, per ſummum nefas, noſtras in dapes involat, &, quas paramus menſis atque aris Deum, furatur ac perdit opes. Ergo ſi labores noſtros bonus reſpicis, ſi noſtra magno munera non ſordent Jovi, da vindicare poſſe prædones malos, & hoſti, quiſquis ille ſit, lethalibus inferre jaculis plagam inſanabilem. Votum improbavit Jupiter & injuſtas preces. Quin & malignum volucris ingenium increpans: Tibi certa mors eſt, inquit, ſi quem læſeris, & vulnere in ipſo protinus pones animam.

EPIMYTHION.

Virus malignum ſæpe ſub donis latet.

LEENÆ EXEQUIÆ.

Conceſſerat è vivis metuendi tota in vicinia Leonis conjux. Protinus planctu lugubri nemus latè conſonat, & omnes veniunt luctus in partem feræ. Mox & ſolennis dicitur exequiis dies; & miſſi quocumque Fæciales jubent, adeſſe pompæ funebri ſylvarum incolas. Nemo non adfuit, aut per Legatos non excuſavit abſentiam. Quos ut frequentes vidit, ire in lachrymas Leo, & longum ejulans teſtari dolorem ſuum. Ploranti regi adgemere viciſſim Aulici, & fletu pari proſequi fletum Principis. Unus, tot inter lachrymas, abſtinuit flere, imò & riſiſſe Cervus dicitur. Miſero ignoſcendum id quidem, ſi ſcirent Magni ignoſcere; qui ſponſam ſuam teneramque ſobolem meminerat avidis Leenæ immolatam dentibus. Hìc excandeſcens Rex ferus & bilem in Cervum evomens; ſic

ſic ergo noſtros aſperas luctus, ait? & in dolore publico ridere ſuſtines? At non Leonis vindice occumbes manu. Lupi, involate protinus dirum in caput, & piis Reginæ Manibus inferias date. Nihil moveri viſus ad triſtes minas, ſic placidè cauſam Cervus oravit ſuam. Rex magne lachrymis hactenus ſatis eſt datum. Recepta cœlo flere nos ultra vetat auguſta conjux; dum terris ereptam queror ſponſam immerentem, Divumque inclementiam arguo; vidi ſuperbo curru Leenam rapi, interque collocari cœleſtes feras. Placatur Leo credulus, abſolvit reum; nec Cervi pia fraus præmio caruit ſuo.

EPIMYTHION.

Magnum eſt adulari noſſe Principibus viris.

CERVUS AD FONTEM.

AD fontem Cervus ſitim cùm reſtingueret, lympharum in ſpeculo vidit effigiem ſuam. Miratur ultro capitis pulcrum decus, & ſua laudat cornua; ſed flexis in pedes oculis diſplicuit fero nimia crurum exilitas. Dum queritur, & ipſos etiam incuſat Deos; en è propinquo venatores ingruunt, Canumque cornuumque auditur ſonus. Extemplo dare ſe Cervus in pedes, & denſum, qua vis adigit, nemus ingredi. Hic per ſalebras perque ſylvarum abdita dum crura belle explicat nullo retardatus obice; implexa patulæ cornua hærent arbori, nectuntque fruſtra luctanti moras. Nam quanto tendit ſe expedire fortiùs, tanto ſe magis implicat. Interea qua qua verſum erumpunt Canes, miſeramque lacerant belluam. Tum Cervus moriens, næ mihi meritò obtigit, quam patior hodie, calamitas! Referre gratias pro cruribus debueram, & ægre capitis ornatum pati.

EPIMYTHION.

Quod amatur impenſiùs, illud plerumque graviùs officit.

CANIS, VULPES ET LEPUS.

DUm curſu Vulpem pertinax urget Canis, & notas ad artes fruſtra fugientem occupat; ſenſit doloſa Vulpes moriendum ſibi, ni quid novarum ſtrueret fraudum artifex. Ergo fœcundum pectus concutiens, ita blandè compellat Canem: Viciſti, fateor, quas voles, pœnas exige; Tua ſum, nec, quam merui, mortem deprecor. At ſi monenti credis, & ſanum conſilium placet. Attende, qualem ſurgere in prædam pares. Canis palato Vulpes ut ſapiat? hoc tu ferculo exſaties famem? Ah! parce: ſaltem ſi pinguis ut quondam forem. Sed crudiore ſi neſcis è morbo recens, vix artus traho languidos, vix pellis hæret oſſibus. Te præda melior paſcet hic Lepus; viden' ut Serpillo fartus ac Thymo dapes tibi delicatas apparat! dignus ille, ſi quis eſt, Ca[illegible]eneroſo cibus. Verùm moras omnes amputa; dum plaudit ſibi, & huc & illuc ludibundus ſalit, irrumpe in hoſtem citus, & incautum occupa. Bene eſt, reponit Canis, conſilium ſequar. Tu lætis fruere fatis & meæ indulgentiæ. Mox citatis fertur in Leporem paſſibus: ſed ille cavo conditus eluſit Canem: Qui ſibi utramque ſurripi prædam dolens, has erupiſſe fertur in voces; cave, doloſa Vulpes, ne mihi rurſum incidas: ſcabioſa vel ſi fuetis,

non effugies tamen. Prudenter ille ſenſit, ſed ſerò nimis.

AQUILA ET CORNICULA.

ROſtro ferebat Aquila ſurreptum Oſtreum. Sed ſquama prædam durior cùm tegeret, avidam explere fruſtra tentabat famem. Volucri inquietæ fortè Cornicula adfuit; quæ delicatæ pariter appetens dapis Aquilam ſic allocuta dicitur. Amica, video, qui te ſollicitat labor. At ludis operam ædepol, ſi frangere roſtro ſquameam tentas domum. Sed ſurſum in auras evola, quantùm potes. Dein rupem in iſtam fortiter mitte Oſtreum. Infracta ſaxo ſquama incluſam offeret prædam, & te compotem voti dabit. Bene eſt, ſubjecit Aquila, monenti obſequor. Mox illa in altum fertur, medioque ex aëre incauta laxat, quod tenebat, Oſtreum. Affixa terris interim Cornicula, ut vidit liberos carcere effracto cibos, præda potitur obvia, & ſolas relinquit Aquilæ teſtæ reliquias.

EPIMYTHION.

Conſulere ſtultum eſt, quos juvat conſilium dare.

TESTUDO ET ANATES.

INceſſit olim Teſtudinem peregrinandi deſiderium, & varias mundi plagas perluſtrandi curioſitas, adeo verum illud eſt, quod aiunt; hanc eſſe tardipedum indolem, ut habitare vix poſſint domi. Illa gentinos Anates conſpicata, næ felices vos, inquit, ac fortunatos, quibus utramque ſolis domum licet viſere, & diverſos terrarum tractus contemplari, cùm lubet! O ſi minùs obeſſet tarditas, & illa, quam geſto ſuper humeros, domus! Pol cavo non immorer ingloria. Næ te iſta ſollicitudo maceret, ſubjiciunt Anates. Poſſumus ambo, ſi voles, curioſitatem explere tuam, & à Gadibus ad Gangem deferre te cupidam longiùs. Ego verò ac lubens, retulit Teſtudo: neque ero, confidite, beneficii immemor. Tu illi; non erit mora longa: en bacillum accipe, & medium ſtringe dentibus. Simul & bacillum Teſtudini per os inſerunt: ac cave, addunt illi, arreptum mordicus dimiſeris. Mox accepta utrinque virgula attollunt Anates Teſtudinem, & liquidas per auras ambo deferunt. Viſum illud omnibus prodigium, & concurrentibus undique ad ſpectandam volantem Teſtudinem, imò & Reginam Teſtudinum ſalutantibus; illa geſtiens in ſinu, & lætitiæ impatiens, vero verius, inquir. Regina ſum. Næ feciſſet illa conſultiùs, ſi tacuiſſet: nam aperto imprudenter ore dimiſit dentibus, quo ſuſtentabatur, baculum, & in terram alliſa graviter curioſitatis & ineptæ jactantiæ pœnas luit.

EPIMYTHION.

Natura dux eſt optima; quam ire contra tutò non licet.

MUSTELA, LEPUS ET FELIS.

DUm molli paſcitur gramine, & virentes per agros ludibundus errat Lepuſculus, abſentis in cavum Muſtela furtim irrepſit, & alieno in hoſpitio penates locavit ſuos. Redux fera ſub nocte Lepuſculus miratur occupatam domum, & Muſtelam increpans, quid agis, inquit, ò mala? Decede laribus non tuis,

Digitized by Google

tuis, & vaſa, ſi ſapis, quamprimum collige. Ni facias, eſt in propinquo Mu[illegible]ium legio non ignobilis, quæ te erudiat, & impudentiam emendet tuam. Ad hæc Muſtela ſubridens, quid ais ò bone? aut quo tu jure tuam hanc dicis domum? Orbem, ſi neſcis, Jupiter dum conderet, Terram cunctis animantibus ſic habitandam dedit, communis ut eſſet omnibus; & quam quiſque occupaſſet, dicere hanc poſſet ſuam. Hunc mihi cavum jure non alio arrogem. Tu, ſi quod habes melius vel antiquum magis, id profer, aut eſſe noli moleſtus mihi: ni facias ecce jam jam aderit Canis, qui tuam retundat contumaciam. Hæc dum diſputant utrinque acriùs; objecit ſe ſe de proximo Felis retorrida; quam conſpicatus Lepuſculus; hem age, dixit; adeamus Felem, & noſtram controverſiam dirimat. Imò, Muſtela ſubjicit, alium judicem non velim. Dictum ac factum, Felis ad tribunal advolant. Qui cum adſtitiſſent ambo, & ad dicendam cauſam ſe accingerent; Huc adeſte propiùs, Felis ait; ſurda ſum: hoc mihi ætatis virium ignoſcite. Illis parentibus, falcatam hinc & inde Felis injiciens manum utrumque enecat.

EPIMYTHION.

Hoc ſibi dictum putent, quicumque apud potentiores litigant.

CERVUS ET VITIS.

CErvus venantes cùm fugeret, umbroſam in Vitem incidit. Hoc natus ex improviſo perfugium delituit ſedulò, donec converſis aliò, qui ſequebantur ferum, ceſſiſſet metus. Mox oblitus periculi, nec ipſi Viti parcit, cui debebat, quòd viveret. Scilicet teneræ & pullulantis adhuc frondis captus dulcedine, Vitem rodere cœpit avidis dentibus, & ſpes uvarum lætas diſperdere. Verùm dum impunè paſcitur, ecce ramorum motus Venantes admonet, non procul latere belluam. Accurrunt illi, & adorti Cervum inter ſalebras configunt ſpiculis. Qui cùm ſuo nataret in ſanguine, & moriens efflaret animam: Hæc ſum meritus, inquit; neque eſt de ſortis acerbitate quòd querar, qui aſyli violarim fidem.

EPIMYTHION.

Quibus non dignus pœnis, beneficio qui abutitur?

SIMIUS ET VULPES.

PROMYTHION.

In agendis rebus nudatur ſtultorum imperitia.

SAltarat bellè Simius, & mille præſtigiis ſic devinxerat animos, ut communi voce Rex ſalutatus Regis nomen & ferret decus. Invidit una Vulpes, & regnum dolens futilem ob ſolertiam obtigiſſe Simio, has Regi comparavit inſidias novo. Nemoris receſſus cùm diſtendiſſet laqueis, lætitiam ſimulans protinus ad Simium advolat. En felix, inquit, ò Rex, augurium fero, recentis Principatus. Defoſſas opes inveni; nemorum quidquid uſpiam eſt, tibi debetur uni; quamprimum huc ades. Antro in propinquo magna vis auri latet. Hoc fruere tibi ſors læta quod ſponte obtulit. Doloſæ Vulpi credit ultro Simius; (furialis auri nam quid non cogat fames?) & agili curſu properat monſ-

Digitized by Google

tutum in locum. Sed enim opertis cùm hæſiſſet caſſibus; næ tu maligna es, inquit, Vulpem incuſans; quæ mihi ſic illuſeris. Et Tu, repoſuit illa ſubridens, tibi feras in omnes imperium arroges, tam deſtitutus mente, ut in laqueos cadas? Depone ſceptrum imprudens, & regni habenas permitte peritioribus.

ASINUS DOMINOS MUTANS.

OLitori cuipiam ſerviebat Aſinus ſervitutem, & illam, ut iniquæ mentis pecudi videbatur, duriſſimam; nam & minimùm pabuli, & laboris ferebat plurimùm. Is ſervitii pariter & longioris pertæſus jejunii, Regem Deorum ſic compellaſſe dicitur. O qui ferarum pariter atque hominum bonus labores ultro reſpicis, magne Jupiter, nam te idem in omnes tenere imperium ferunt. Te noſtra moveant fata, & alterius Domini liceat famulatum pati. Annuit oranti Jupiter, & Figulum dedit. At meliorem nihilo nata ſortem bellua. Namque ille duris prægravans lateribus, multis inſuper pecudem cædebat plagis. Recurrere iterum Aſinus infelix ad preces, & novum rogare dominum. Qui voti compos venditus Coriario eſt. Mox duriorem viſus vitam vivere, fœdis ſuorum affiniumque pellibus dum ſarcinatus agitur; ò utinam ait, ſervire dominis liceat prioribus. Is me labore poſtquam longo peremerit, & demortui corium perget exercere duriter.

EPIMYTHION.

Quicumque ſervis, domino contentus vivito; mutare dominos non niſi in pejus datur.

STULTUS ET SAPIENS.

STultus quidam ac petulans Sapientem in virum cùm incidiſſet, cœpit ipſum perſequi lapidibus. Ad quem converſus alter: O factum bene, ne vivam, inquit! quin ades, & hanc laboris mercedem cape; ſimul & nummum porrigit. Tum ſic proſequitur: Si plus haberem mehercule, amplius & tu ferres præmium. At faciam tamen meritis par merces ut reſpondeat tuis. Hunc tu hominem vides, ad nos qui adproperat? Dives eſt, mihi crede, idem & potens; atque, hoc ſi negem, intexta veſtis auro fulgenſque purpura, & longa circum turba famulantum probant. Huic tu lapidem impinge ſimiliter! nulla mora eſt, ornabit te pro tuis virtutibus. Perſuaſus ille, blandis & ineſcatus dolis, continuò lapidem Diviti immittit gravem. Sed ſpes fefellit impudentem audaciam; namque is dolatus lumbos, ut erat meritus, procacitatis & avaritiæ pœnas dedit.

EPIMYTHION.

Alit ſucceſſus improbos, idem & ad perniciem trahit.

RANA, MUS ET MILVUS.

DUm Mures inter Ranaſque bellum atrox fureret, & magna utrinque oriretur ſtrages, unum è Murinis ducibus bellatrix Rana captivum fecit. Ille victum ſe faſſus & victricis ultro veneratus manum: Næ tuus ego ſum, inquit, & jure belli me totum permitto tibi: at noſti varias eſſe armorum vices. Victores ipſi cadunt plerumque, & victis in præcordia virtus redit. Proin utere victoria

ctoria liberaliter, utriuſque ſortis memor. Hæc polliceri multa, hortari Murem bono ut ſit animo, & data quieſcat in fide. Verum in adverſa caſtra dum hoſtem trahit, ipſumque dorſo vectat ut trajiciat lacum: Ecce vectorem Rana ſuccutere fortiter, aquis ut ſubmergeret. Senſit hoſtis perfidiam Mus infelix, & læſam incuſans fidem: Ergo ſic me prodis, infida, ſic pacta ſervas, ait, ſic vindices metuis juris infracti Deos? Illa nihilominus cùm pergeret hoſtem excutere & inimica ſe ſe expedire ſarcina; nihil agis tamen, improba, Mus exclamat; neque, quanquam nocere per fas ac nefas velis, hoſtem impune perdes. Tum ſua Ranæ cruribus crura, pedes pedibus ſic implicat, totoque incumbens corpore tam adhæret firmiter, hoſtis ut eludat dolos & fruſtretur perfidiam. Interim ambo dum luctantur acriùs, & pugnæ novum exſurgit genus; vidit ab alto pugnam ancipitem Milvius, & in utrumque incidens Ranam Muremque pariter alvo condidit.

EPIMYTHION.

Nefas, vel hoſti frangere juratam fidem.

ACCIPITER & PHILOMELA.

PROMYTHION.

Non placatur iratus venter verbis inanibus.

CAptam tenebat unguibus Luſciniam Accipiter, & deſtinabat in cœnam ſibi. Ingemuit illa flebiliter, & mortem deprecans, ah! ne, inquit, Rex avium fortiſſime, pecces in me durius. Vitam oro: nam quid ego proſim tantula? & quas parvum & exangue corpus tibi epulas paret? Ignoſce potiùs, & me devotam tibi in omne tempus accipe. Cui flecti viſus Accipiter, age dum, ait. Quod mihi officii genus præſtabis, tibi ſi vitæ munus annuam? Equidem ſcio, reſpondit illa, quàm ſit, facere quod poſſum, leve. Tamen non ero beneficii immemor; ac ſi juvabo te minùs in cæteris, ſaltem cantabo non incommodè, & dulciſonis mille modulis levabo tædium, cùm voles, aut etiam ſolabor ægritudinem. Apage inconſulta, retulit Accipiter, cantus non placet, niſi cùm venter eſt ſatur. Ergo famem placabis interim, & qualeſcumque ſuppeditabis cibos. Tum plura parantem dicere Philomelam devorat.

EPIMYTHION.

Contra potentes manca eſt tenuiorum eloquentia.

AGRICOLA & EJUS FILII.

PROMYTHION.

Potiores nullas eſſe ipſo labore divitias.

ERant Agricolæ Liberi non pauci, quos annuis modico ex agello fructibus alebat non incommodè. Is adeſſe ſibi ſentiens finem ultimum, cunctos evocat, & paterno ſingulos complexus ſinu ſic alloquitur: Quæ ſummos & imos fato ſortitur pari, lex dura mortis, Nati, me vobis jam jam auferet. Agrum hunc parentis opes unicas ac breves accipite. Ne tamen vobis hæc, precor, libido mala veniat agrum vendere. Defoſſus illic ingens theſaurus latet.

Qua parte demum lateat, ignorat parer. At ſi monenti crediris, poſtquam fruges collecta meſſis dederit, terram fodite, & partem in omnem vertire diligenti manu. Confidite, labor aſſiduus theſaurum eruet, & ditabit ſingulos. Interim moritur ſenex. Illi imperata facere, & quos ſpes avara lucri ſtimulat, terram arando fodere, quàm longa eſt dies. Theſaurus non eſt uſpiam inventus quidem. Aſt agrum dum ſic excolunt, cultura diligens peperit magnas opes.

CUCURBITA, GLANS & Ruſticus.

PROMYTHION.

Quàm temerè ſtulta gens mortalium Providentiam arguat, Fabula ſequens monet.

Repentem humi gravem Cucurbitam miratus olim Ruſticus, ò factum malè! ita vivam, inquit! Quanto penderet illa pulchriùs ſublimi ab illice. Talem, hercle, tales arborem fructus decent. Næ dormiebat, quem rerum auctorem ferunt, hæc dum ordinaret. Nam cur viciſſim illa Glans humi non ſerpit, quo Cucurbita creſcit loco? Pol ſi vocatus conſilii in partem fuiſſem, ſtatuiſſem aliter, nec minùs, ut reor, bene. Hæc dum volutat tacitus & plaudit ſibi; ægrè receptus oculis obrepſit ſopor. Cùm dormienti ſummo Quercûs de vertice Glans incidit, & naſum hominis graviter vulnerat. Evigilat, & naſo admota manu, quid hoc eſt? exclamat, ſanguis è plaga fluit. Glans minima tam grande inſligit malum? Quid ſi Cucurbita cecidiſſet? Nihil immutandum ſentio. Rerum artifex ſuis prudenter cuncta diſpoſuit locis.

LEO CUM AULICIS.

Aulæ regales divitias jactandi cupidus Leo ſuperbum ad convivium vocavit è regno toto belluas. Adſunt frequentes; nam quis abnuat oblatum à Rege decus? Aditus in aulam panditur, ſemeſa quam cadavera & recens fuſus cruor Mephyti vaporabant gravi. Hauſere cuncti terrum odorem; cujus inter reliquos Urſus impatiens, continuò provida nares occluſit manu. Bilem Leoni movit belluæ faſtidium: factoque in Urſum impetu Rex immiſericors mulctavit nece. Iram Leonis Simius contra approbans, næ meritas, inquit, ò Rex, tibi pœnas dedit caput inficetum: Balſamum omnia & ambroſiam hìc olent, ſi quid ſagaci nare rimari licet. Nec Regi placuit putida adulatio, miſſiſque in Simium unguibus aſſentatorem fato damnavit pari. Stabat Leoni propior Vulpes callida, quam percunctatus ille, quid ſentis, ait? quis eruditas nares afflàvit odor? Ignoſces, retulit illa, Rex magne, obſecro; nam tantus humor de cerebro fluxit nocte proxima, naſum ut penitus hebetarit meum. Sic innocenti mortem vitavit dolo.

EPIMYTHION.

Urſum multi Principes, Simium pauci enecant.

MULI DUO.

Viam carpebant pariter Muli duo. Alter ferebat regiam pecuniam, alter tumentes ſaccos hordeo. Ille ſuperbus pretioſo pondere, & celſa cervice eminens jactabat appenſum collo tintinnabulum & ama-

& amaris ſocium illudebat jocis. Hic tenuitatis conſcius, ut par erat, ſuæ demittebat auriculas, nihil muſſitare, nihil auſus contra obloqui. Hæc inter nemorum è latebris Latrones advolant, & facto glorioſum in Mulum impetu cunctas diripiunt opes, ipſamque plagis plurimis conficiunt belluam. Præda potiti celerem capiunt fugam vile aſpernati hordeum. Spoliatus ille ſortem cùm fleret ſuam, Equidem, inquit, alter, non ego accuſo Deos, nam neque amiſi quidquam, nec ſum læſus vulnere.

EPIMYTHION.

Magna periculis ſubjacent magnis opes; ſecura ſemper inopum tenuitas.

LUPUS & MACILENTUS Canis.

JEjunus olim Lupus in Canem incidit; non ille naris emunctæ Lupus, aut tam verſutus, quàm rapax. Is in oblatam prædam cùm rueret; ah! ne tibi, Canis ait, iſthæc libido veniat, ò Lupe, ut me tuis epulis deſtines; viden' ut ægra macies & ſcabies mala me me urget: at ſi breves inducias dabis, jam jam revertar Pinguis totus ac teres. Celebres parantur ſcilicet apud Herum nuptiæ, & largæ dantur epulæ per multos dies. Non parcam mihimet, ſpondeo. Hinc me refectum videbis, dignumque, palato qui ſapiam tuo. Reverſus illuc poſtmodum Lupus alacer Canem evocat, & datam repetit fidem. Quem ille poſt crates reſpiciens; næ æquum cenſes; inquit, ò Lupe. Ac ne quis dubitet, quàm fidelis ſponſor ego ſim, accerſo teſtem hujus cuſtodem domus. Is erat Moloſſus ingens non una Luporum nece nobilis, Rem ſuſpicatus Lupus, & ſe deluſum ſentiens, at mihi non vacat, inquit; & ſpem ſalutis unam in fuga ratus, quamprimum ſe in pedes dedit.

EPIMYTHION.

Præſenti utere, futuro temerè creditur.

VULPES & GALLUS.

GAllum inſidentem arbori Vulpes viderat, Gallus delicatus ſi quis eſt, & regius Vulpi cibus. Illa ad blanditias vocem inflectens molliter, hactenus, inquit, irarum inter nos ſatis: nihil jam ſibi Galli timeant à Vulpibus, ſuiſque rebus tutò ac confidenter vacent. Veteribus bellis ſucceſſit tandem æterna pax. Hujus ego, Amice, huc advolavi nuncia; deſcende quamprimum & amoris obſides amplexus cape. Suboluit callidæ volucri maligna fraus, quam ſic procaci retudit illudens joco. Næ me tam læto beas nuncio; tibique gratias, ut decet, refero plurimas, per quam venire tanti gaudii in partem licet. At gemini, opinor, accurrunt Canes, pacis ejuſdem nuncii. Mora nulla feſtum omnes peragemus diem. Ignoſce, retulit Vulpes, non patior moram: peragenda hodie grandis mihi reſtat via.

EPIMYTHION.

Dulce eſt ſuis capere Veteratorem in dolis.

PI-

PISCICULI.

PROMYTHION.

Non eſt ſpernenda urbana dicacitas, ſuo cum tempore effertur & loco.

SEdebat divitis ad menſam quidam eorum de numero, quos Umbras vocant, vir elegantis ingenii & ſale conditus Attico. Is grandiores piſces oculis devorans, quos ægre ferret à ſe poſitos longiùs; Piſciculos ori primùm, mox & auribus alios poſt alios admovet. Mirari turba convivantium & facti cauſam quærere curioſiùs. Quibus ille ſubjecit: Ingens me cura ſollicitum tenet, quæ ſint Amici fata jam pridem mei, qui lata currit Maria, Indos viſurus ultimos. Quærebam, ſi fors illi comperiſſent quidpiam. At juniores eſſe ſe reſpondent mihi, monentque Piſces grandiores ut interrogem. Applauſit omnis turba & laudavit jocum.

Digitized by Google

ORATIUNCULÆ

QUÆ PROLUSIONIS AUT GRATULATIONIS locum habent.

PRÆFATIO.

Recurrunt quotannis in Literario ludo Philoſophicæ aut Theologicæ Exercitationes, in quibus, Propugnatoris partes qui ſuſtinent, antequam certamen ineant cum Adverſariis, proludere Oratiuncula ad pugnam ſolent. Magnum aperit Orationibus ejuſmodi ipſa Philoſophia dicendi campum. At, quæ dicuntur in ejus laudem, tam trita ſunt vulgò, tam pervulgata, ut audientibus ſtatim faſtidium pariant. Ergo cudant illi non pervulgatam ſibi ideam, quæ novitate ſua placeat. Repræſentetur, verbi gratia, Philoſophiæ ſtudium ſub imagine aliqua inſtitutæ peregrinationis aut navigationis operoſæ per varias mundi plagas, quæ Philoſophicas Quæſtiones, Philoſophorum Syſtemata, controverſias eorumdem ac diſcrepantes opiniones deſignet. Proponatur certamen illud ludicrum, quod oppugnantem inter & propugnantem committendum eſt, ductâ ſimilitudine ab urbium obſidionibus, & difficultates utrinque ac pericula excutiantur. Hujus rationes ac momenta, cum illius experimentis, hujus defenſores ac patroni cum illius ſectatoribus & aſſeclis. Fingat junior Philoſophus nunc ſe deprehenſum inter Academi Sylvas, aut Peripateticorum in Lycæo, modò Caſſendi vel Carteſii in Scholas delapſum. Hic atque illic viſa, audita narret atque excutiat, aut etiam condita ſalibus Atticis cenſura joculariter perſtringat.

Erit etiam aliquando non injucundum in una aliqua Philoſophiæ parte vel Quæſtione immorari, quæ Proluſioni toti materiam ſuppeditet; maximè ſi novum aliquod atque inſolens ſuper ea ſyſtema propugnandum habeat, quod irritare curioſitatem audientium poſſit. Sic occurritur delicatiorum hominum faſtidiis, & ſubtilioris ingenii fama comparatur.

Quòd ſi Primarii cujuſpiam Viri ſub Auſpiciis, quem demereri patronum cogitet, Theſes tuebitur; tum Orationem ſic inſtituat, ut ex occaſione Philoſophiæ deſcendat ad Mecœnatis ſui laudes. Extollat ipſius ſapientiam, ingenium, res ab eodem præclarè geſtas, non prætermittat grati animi ſignificationem, ſi fuerit aliquo beneficio devinctus. Iſthæc commemoratio plauſum ab Auditoribus, à Patrono gratiam extorquet.

Qui

Qui verò ſibi ſumpſit hanc provinciam ut cum propugnatore primus omnium congrediatur, & cæteris ad pugnam aperiat aditum; ſi ratio poſtulet, ut de Adverſario ſuo præfertur aliquid honoris gratia, ex ipſa quantum poterit Theſi, quam oppugnaturus eſt, ſumant laudandi illius occaſionem. Quæ enim ex ipſis rei viſceribus eruuntur; hæc, ut recens nata, novitatis gratiam habent, ita attentiores reddunt animos, & placere magis ſolent. Laudabit autem in eo ingenium, pietatem, morum innocentiam, aſſiduitatem in ſtudiis, relatas in humanioribus Literis laureas. Is, ſi parentes ac majores habet nobilitate, honorum inſignibus, rerum geſtarum gloria conſpicuos, hinc erit gratulandi locus Adoleſcenti nobili, & præſumendi futurum, ut olim domeſticorum exemplorum æmulator exiſtat. Cavendum autem inprimis, ne luxuriet Oratio; &, ubi nihil ſpeciatim dicendum occurrit, communibus in Locis diutiùs immoretur. Si qua, uti ſæpe fit, propugnantem inter & oppugnantem ratio neceſſitudinis intercedat, poterit is non inconcinnè ludere in Adverſarii perſonam, quam ipſe vel propinquus, vel affinis, vel amicus cogatur induère, imò & videri detrectare velle certamen cum eo, quem tueri omni ope contra cæteros deberet.

Quin & in ipſis Exercitationibus Theologicis locus eſt ejuſmodi Præfationibus. Scitus & elegans puer adhiberi ſolet, qui concertationis aditum aperiat, & res graves ac ſerias præter ætatis conditionem pertractandas ſuſcipiat. Hìc quàm multa ſe offerunt, in quibus ludere ingenioſè & jlocaliter poſſis! ſi nimirum exhibeatur Adoleſcentulus, qui compoſitus viro non detrectet certamen, vel Davidis exemplo, qui Gigantem aggredi præſumpſit; vel ut alter Daniel, qui in difficili controverſia ſe interpoſuit Judicem. Si præſidat unum ſe fore eorum Infantium aliquem, quorum linguas ita Deus erudit, ut ex ipſorum ore laudem perficiat. Si varias inſtitutæ conſuetudinis rationes requirat; puta, ut ex Puerorum moribus diſcant viri, quantam ſimplicitatem mentiſque docilitatem ad ipſas res Fidei pertractandas afferre debeant: ne tam ingenii viribus doctrinæve præſidiis, quàm cœleſti divini Spiritus afflatu pares ſe fore ad reſolvendas difficultates Theologicas confidant: cùm rudes & imperitos Deus plerumque elegerit, ut eorum, qui ſibi videbantur ſapientes, prudentiam reprimeret ac contunderet, &c.

Jam adepturis Magiſterii lauream, ſunt qui pro commiſſa ſibi provincia gratulentur, eoſque ſuorum officiorum admoneant. Iis porro videndum inprimis, ut ex variis perſonarum circumſtantiis, natalibus ſcilicet, indole, animi vel ingenii dotibus, educatione, rebus in ſtudiorum palæſtra ſtrenuè præclareque geſtis gratulationis materiam eruant, ut eorum, qui laudantur, propria,

non

non trita; communis pervulgataque ſit. Quædam Gratulationum hujuſmodi ſubjiciemus exempla, in quibus vice cotis fungemur, quæ, exſors ipſa ſecandi, ferrum reddere acutum valet.

Jam quod attinet ad eos qui in Magiſtratum inaugurandi, aut adepturi Doctoris lauream aliqua Præfatiuncula ſuffragantium benevolentiam demereri ſolent, hæc capita dicendi argumentum dabunt.

Primò ſignificabit gratum in eos animum, per quos ſibi ſedere liceat inter graves Magiſtratus, ingenio, probitate, rerum omnium ſcientia conſpicuos. 2. Modeſtiam præ ſe feret fatendo ſe imparem tantam dignitatem ſuſtinendo. 3. Extollet momenta illius muneris, commemorando virtutes, quæ adeſſe in Magiſtratu debent, puta perfectam Juris Legumque cognitionem, ut dirimere populorum controverſias, de capite fortuniſque hominum ferre ſententiam poſſit. Aſſiduitatem in Foro, ne afflictæ innocentiæ ac deſertæ ſolitudini patrocinium deſit. Æquitatem ac conſtantiam, quas nec inflectat gratia, nec infringat metus. 4. Fiduciam injiciet, fore, ut graviſſimorum Magiſtratuum præſentia, conſuetudine, exemplis dignus & ipſe tanto honoris apice aliquando videatur. 5. Magiſtratus qui adſunt, ipſumque adeo totius conſeſſus Principem perſtringet, & brevi Elogio proſequetur.

Denique cùm Moderatori Provinciæ, aut viro cuipiam primariæ dignitatis, qui ad regimen aut Eccleſiæ, aut urbis accedet, gratulandum erit; ſignificabit Orator primùm quantam is fecerit expectationem ſui virtutum ſuarum fama, quæ omnium aures implevit. Deinde ſi quid fuerit in eo ſingulari laude dignum, ſi quid geſtum præclarè, commendabit. Tum felicem Urbem aut Provinciam, fortunatos Populos appellabit, quibus ſub tali Rectore, tam dulci ſub imperio vivendum ſit. Erit etiam hìc locus prædicandi ſapientiam Principis, qui neminem eligat ad obeunda regni munera, niſi numeris omnibus. Poſtremò propenſiſſimos omnium in eum animos, devotiſſimas ad omne obſequii genus voluntates eſſe profitebitur.

PRO-

PROLUSIONES

AD CONCERTATIONEM PHILOSOPHICAM.

QUod diuturnam laborioſamque navigationem expertis contingere ſolet, ut amicum litus aſſecuti feliciter nihil à ventorum furiis aut procelloſis pelagi fluctibus pertimeſcendum habeant; id utinam ego longum ac difficilem Philoſophici maris curſum emenſus, & optatum tandem portum adeptus gratulari mihi poſſim, Auditores ornatiſſimi. Nam quos biennio toto non exhantlavi labores, quibus non defunctus periculis, antequam dulcem votorum meorum metam proſpicerem! Vidi deſertas & inhoſpitas ſedes, aut ſolis Chimæris habitatas domos. Immorandum fuit ignotis Cathegoriarum in regionibus; vivendum cum populis barbaris, quorum variæ & inſolentes formæ terrorem incutiant, & appellatio ſola vel impavidas mentes percellat. Suſtinendas habui Syllogiſmorum acies, perrumpendos viriliter cataphractos Enthymematum globos, inſidioſas Sophiſmatum catervas prudenter declinandas.

Delatus ſenſim in Academi ſylvas, atque altos nemorum receſſus, vix cœperam capere partem quietis aliquam, veritatis unius, quam videbantur illi unicè conſectari, captus amoribus, cùm inſtitutæ peregrinationis neceſſitate quadam avulſus amœniſſimis è regionibus Stoicorum in porticus delatus ſum. Perculit oculos plena majeſtate ſedentium gravitas, & auſtera morum diſciplina, quam tradebant, rapuit me in admirationem. Verùm uſu comperi non ita multo poſt docere eoſdem graviora, quàm præſtare ipſi aut vellent, aut poſſent. Quare aſpernatus faſtuoſam gentis illius oſtentationem incidi Peripateticorum in Lycæum.

Non diſplicuiſſent iſtorum hominum inſtituta, qui non tam improbabiliter diſputant, niſi actuoſa præter modum ac pertinax eorumdem inambulandi cupiditas faſtidium ingeneraſſet. Verùm declinare Scyllam dum cupio, in Carybdim delapſus ſum, Pytagoricam Scholam intelligo, cujus limen vel ipſum non ſuſtinui ſalutare, cùm ſenſi novis hoſpitibus quinquennale ſilentium imponi.

Rurſum dare vela cogor, Zephiris aſpirantibus, nova viſurus maria, novas tempeſtates ac procellas experturus. Nam quò fragilem cymbam non rapuere poſtmodum Cartheſii vortices ac turbines? quos tumultus volantes huc & illuc Epicuri Gaſſendique Atomi ſuſcitarunt! Nunc in vacuis & inanibus ſpatiis deprehenſus nec auram levem habebam, qua paſcerer; modò raptus extra mundi limites, ubi ponere veſtigium liceret, non inveniebam. Quin & lucentem Lunæ globum ingreſſus, quàm nova & inuſitata hactenus rerum portenta miratus ſum! Nunc germanas æſtuantis reciprocè maris cauſas, prodigioſas in ſublunaria corpora impreſſiones, profluentem perenniter ab utroque polo vim magneticam ſenſi, & propriis uſurpavi oculis, neque expleri tuendo corda poterant. Sileo quot occurrerint debellandi hoſtes; quoties certandum fuerit imparibus viribus cum feroci gente hominum, quibus in contentione victa eſt, qui nec ſalvi nec incolumes

eſſe

Digitized by Google

eſſe poſſunt, niſi feriantur viciſſim & referiant.

Saltem, ſi quam cæteri navigatione defuncti ſecuritatem ſibi gratulantur, eandem pœne poſitus in litore mihi poſſem polliceri; ſi periculis tot exhauſtis, nihil jam haberem cymbæ fragili metuendum. At quàm diſpat ab eorum ſorte mea conditio eſt! Illi redditi patriis finibus extra omnem penitus aleam verſantur; ego terræ jam propior, niſi ſumma dexteritate navigium regam, triſtiſſimum in ipſo portu non declino naufragium. Illi peregrinis onuſti mercibus, magnis expectantium ſociorum plauſibus excipiuntur; ego glorioſiſſimis tam ex vetere quàm è recenti Philoſophia onuſtus ſpoliis vereor, ut avidam tot ingenioſorum ſpectatorum famem explere poſſim. Illis occurrit nemo qui intercludat aditum, aut litus occupare fortiter cupientibus moras opponat. Mihi antequam conſiſtere tandem liceat, & peracti feliciter curſus palma gloriari, quàm ſe offerunt multi, quos vel ingenii æmulatio, vel opinionum diverſitas, vel periclitandæ eruditionis Tyronianæ ſtudium impellunt, ut ſe adverſarios profiteantur, & capiti meo detrahere lauream pertentent.

Tamen non detrectabo certamen, ſi quod eſt, & ſapientiſſimi Moderatoris, qui ad clavum ſedet, ſagacitate atque experientia fretus contendam uſque viriliter, & adverſum impetus qualeſcumque naviculam tueri pergam, donec placida in arena conquieſcat.

ALIA.

Cogitanti mihi nuper pars utra porior Philoſophicis in concertationibus, oppugnantiſne, an propugnantis cenſeri debeat, viſum eſt operoſum eſſe quid nimis rem decidere penitus; adeo gravia utrinque tam commoda quàm incommoda objiciebantur. Tamen ut eram totus in expendendis variis hinc atque inde momentis ſenſi quotidianas Philoſophorum pugnas, quas illi, ſive ad tuendas opiniones ſuas, ſive ad labefactandas alienas adhibent, rudem aliquam atque umbratilem eſſe certaminum illorum imaginem, quæ in oppugnandis defendendiſque urbibus committuntur; ſic, ut, qua ratione vel obſidentes obſeſſos, vel obſeſſi obſidentes ſuperarent, eadem prope Philoſophicis in contentionibus, vel impugnantes à propunantibus, vel ab impugnantibus propugnantes vinci viderentur.

Enimverò par utrinque inſtitûi video cùm oppugnationis tum defenſionis genus; labor occurrit non abſimilis; idem pœne armorum caſus incidit, & certantium conditio germanam penitus ſortem ac fortunam experitur.

Urbem oppugnandam qui ſuſcipit, per quot ambages ac cuniculos molitur ac diſſimulat viam, donec munimentis fiat propior, & ad eadem evertenda comparatus accedat. Qui Philoſophicas Theſes, quas vocant, impugnandas habet, quàm multa argumentorum circuitione tentat aditum, antequam ipſa contrariæ opinionis fundamenta videatur convellere! Ille quatit hoſtium propugnacula magna vi tormentorum; hic Syllogiſmorum robore Adverſariorum principia labefactat. Alter, occupata ſtatione, opus dum promovet, paſſus ex improviſo ab obſeſſis impreſſionem, loco cedere cogitur, aut inſidioſi pulveris cuniculo exturbatus ſuis ipſe ruinis ſepelitur. Alter dum diſputantem redactum à ſe fuiſſe putat ad incitas, & victoriam ſibi gratula-

tulatur, retorto quatitur Enthymemate, aut captioſæ diſtinctionis perſtrictus acumine ſentit ruere oppugnationis fabricam, & irritos fuiſſe conatus ſuos dolet.

Quid multa? perſtat obſeſſus hoſtis contumaciter, & oppugnantem ſperata palma ſæpe fruſtratur: perſtat in ſententia ſua. Philoſophus vel victus; & ſua in diſtinguendo ſubtiliter, in negando confidentia oppugnantem fatigat & illudit.

At in tuenda Theſi Philoſophica, ut in defendendis mœnibus, an difficultas minor occurrit, Auditores? Obſeſſa urbe qui clauditur, incertus, qua ſit irrupturus hoſtis, copias dividit, & dum periculum arcere cunctis è partibus cogitat, ſingulis tutandis locis imparatior accedir. Idem reſpondentis è pulpito Philoſophico fatum eſt, qui Quæſtiones plurimas, eaſdemque varias ac diſſimiles propugnandas dum recepit, diſtractum plures in curas animam, eundem minùs ad ſingulas attentum habet. Expertes ſomni ac quietis dies pariter ac noctes agit moderator obſeſſæ urbis, ne ſors incautus aut ſomnolentus occupetur. Quàm experrectum eſſe oportet Tyronem Philoſophum, ne quid perperam neget, aut concedat, unde detrimentum patiatur. Deſunt plerumque obſeſſis cibaria, nec armamentaria machinis atque præſidiis exhauſta longioris defenſionis facultatem relinquunt; hinc dedendæ urbis ineluctabilis neceſſitas. Neque etiam tam inexhauſtus eſt Philoſophicæ ſupellectilis apparatus, ut ſuſtinendis diù tot Adverſariorum impugnationibus par obſeſſus inveniatur. Denique non eſt obſeſſis fugæ locus, nec ſpes eludendi vim obſidentium, niſi opportunè auxilium ſubveniat, quod præſto ſit laborantibus, & urbem obſidione liberet. Neque concluſus pariter graves inter argumentorum anguſtias habet infelix Diſcipulus; quò ſe recipiat; niſi prudens Moderator ac Præſes inſtillet in aurem quidpiam, & impeditum feliciter expediat.

Atenim, quid promoviſti, dicet aliquis, qui litem lite reſolveris? vel quid crudiores militantium pugnæ ad innoxias Philoſophorum contentiones pertinent? Feci quod erat in me, Auditores, rem illuſtravi pro virili parte; quid agam deinceps conſultiùs, quàm ſi controverſiam omnem relinquam vobiſmetipſis, in hoc dimicationum genere contritis jam diù dirimendam. Utinam noſtra in reſpondendo tenuitas veſtros non inclinet animos, ut plus in propugnante difficultatis ac laboris, quàm in oppugnante eſſe judicetis.

A L I A.

HOc erat ſolemne apud eos, qui Gladiatorio in Ludo exercebantur; nemo ut priùs miſſionem impetraret, aut donaretur rudi, quàm palmarum multarum nobilis eximium cùm virtutis, tum induſtriæ periculum feciſſet. Eandem ſentio Palæſtræ Philoſophicæ eſſe conditionem, Auditores, & aſpiranti mihi ad Philoſophi nomen & gloriam, peracto non tam infeliciter operoſioris biennii curriculo, periculoſæ plenum opus aleæ tentandum incumbit, & novum ingenii partæque in hoc ſtadio eruditionis ſpecimen exhibendum. *Pro eo qui priùs Militiam profeſſus eſſet.*

At neſcio quo meo contingat fato, ut crudiores olim pugnas expertus ſine pallore, hìc, ubi ad ludicrum certamen deſcenditur, timidus inveniar præter modum, neque tam ambire videar propoſitæ mercedis decus, quàm dubii diſcriminis fortunam

nam formidare. An ergo verendi magis videri debeant Adverſarii illi, quibuſcum in hac arena gerenda res eſt viriliter, quàm hoſtes patriæ, & in perniciem noſtram tam pertinaciter conjurati? an eſſet minùs innoxia argumentorum ſeges, quibus jam impetendus ſum; quàm horrentia pilis agmina & mucronum acies in jugulum parata? an demum facilior vitæ ipſius jactura, quàm Philoſophici nominis detrimentum ſe objiceret?

Ut ut eſt; nihil me fateri pigeat, Auditores; nunquam tam terribilem incidiſſe mihi tubarum clangorem ac buccinnarum ſtrepitum, quoties cruentæ pugnæ ſignum ederent, quàm æris acuti ſonus, qui me ad hodiernam Concertationem vocabat modò, pertimeſcendus viſus eſt.

Quanquam næ incuſandus ego, qui timeam, ubi nullus eſt timendi locus! Non hoſtes inter, ſed inter amicos geritur bellum illud, cujus hodie præfectura nobis committitur; nec infelix poteſt eſſe hujus certaminis exitus, in quo, qui aggreditur, minùs vincere ambiat, quàm vinci. Accedit bene affecta ſpectantium voluntas, quorum præſentia dabit bellatori vires atque animos, & præſens ad plenam cumulatamque victoriam momentum ſufficiet. Exulet ergo metus omnis; ac licet in hac arce Philoſophica, quam tuemur, varia occurrant loca, quæ fortitudinem pariter ac vigilantiam propugnatoris requirant, multiplices aditus pervii & ad idoneam defenſionem minùs bene comparati, fallaces hoſtium doli fraudeſque prudenter declinandæ; ratum eſt præſtare me dignum expectatione veſtra pugilem, & quam olim in defendenda patria non ignavi bellatoris, laudem conſecutus ſum, eandem in tuendis rebus Philoſophicis famam veſtro judicio promereri.

ALIA.

Cùm Propugnator Theſes ſuas dedicaſſet Illuſtriſſimo Eccleſiæ Principi Franciſco De Clermont de Tonnere, Epiſcopo Lingonenſi ac Pari Franciæ.

ASpiranti mihi ad Philoſophiæ Lauream, Illuſtriſſime Eccleſiæ Princeps, quod mihi felicius augurium contingat, quàm tuis ſub auſpiciis deſcendere contentionis in arenam, & tam potentis Patroni clientela poſſe gloriari. Eſſet mihi quidem in hac ingenii eruditioniſque palæſtra, quod vererer plurimùm tenuitatis meæ conſcius, niſi vim ac fiduciam ſufficeret tui Nominis auctoritas, & ſingularis ille, quo me reſque meas tutaris, affectus æquos ac benevolos omnium animos polliceretur.

At quas agam tibi pro tua humanitate gratias, qui tantus tantillum reſpexeris, & nihil ejuſmodi promeritum hominem tam ſingulari beneficio prævenire non dubites? Quanquam vel in hoc facinore tuo habes, Illuſtriſſime Eccleſiæ Princeps, dignam beneficio, dignam te ipſo mercedem ac gloriam; & quo videri fortaſſe poſſim meruiſſe minùs tam dulce præſidium, eo & tibi glorioſum eſt magis idipſum liberaliter impertiri. Ecquid enim eſt quo magni viri ſe commendent illuſtriùs, quàm dum amant identidem oblivìſci dignitatis ſuæ, ut ſe minimis impendant affatim; & in benemerendo voluptatem ac gratiam aucupentur? Hæc tua laus tibi ſingularis ac propria, cujus in partem venire nemo confidat; quam nec Majoribus debeas acceptam; quam & illi, quibuſcumque nobilitatis & rerum præclarè geſtarum ornamentis potiorem arbitrentur,

tur, & tibi, ſi viverent, fortè invideant.

Norunt quidem omnes, Eccleſiæ Princeps Illuſtriſſime, quot ab hinc ſeculis deducas generis amplitudinem, quàm inſigne titulis & conſpicuum honoribus nomen geras, quantum Majorum gloriam tibi graculeris: remque actam agere videar, ſi retexere velim longam illam tot illuſtrium virorum ſeriem, qui, quantum ipſi à Gente Claromontana decus acceperunt, tantùm eidem ſplendoris ac famæ ſuo in Religionem ſtudio, fide in Principem, in patriam charitate rependerunt.

Teſtis famoſus ille Aynardus Claromontanus de Cathedra Petri tam benemeritus, qui ſub initium duodecimi ſeculi Calixtum II. Pontificem Maximum per ſummum nefas expulſum, comparato propriis ſumptibus exercitu Romanam in Sedem reſtituit. Cujus facti memoriam etiamnum loquuntur & toti deinceps poſteritati prædicabunt Claves illæ geminæ, quas Pontificia cum Thiara Gentilitio in ſcuto Claromontana Domus circumfert cum hoc Lemmate, *ſi omnes te negaverint, ego nunquam te negabo*. Teſtis Aynardus alter, qui Humberto Viennenſi Delphino adhæſit tam conſtanter, ut nullis Aimonis Sabaudi conditionibus alienas in partes abſtrahi ſuſtinuerit. Neque ille tanti officii leve præmium eſt conſecutus, qui ſibi Nepotibuſque ſuis longos per annos ſupremi in ea provincia Imperatoris nomen ac dignitatem promeruit. Teſtis Philbertus ille Claromontanus, qui Carolum VIII. medios inter hoſtium globos ad Forum novum in Italia delapſum, audita compellantis ſe ſe Principis voce, viriliter eripuit. Teſtes multo plures, quos ego eo lubentiùs prætereò, quo minùs obſcura ſunt & eorum nomina & rectè facta Viri primariis, cùm Eccleſiæ, tum Militiæ honoribus tanta cum laude defuncti; quibuſcum initam nobiliſſimæ quæque in Gallia familiæ affinitatem ſibi gratulantur.

Norunt hæc, inquam, omnes, at minùs illud vulgatum, quod dicam, niſi apud eos, qui te peculiari Superum beneficio Paſtorem nacti ſuis id ipſum oculis quotidie uſurpant. Ut pœne nullo ponas in loco quidquid laudis ac gloriæ tibi à Majoribus acceſſit: ut decoris illius, quo fulges ipſe, Eccleſiæ Princeps ac Par Franciæ, generoſus contemptor, tanquam unus è multis videri geſtias, ut neglectis Aulæ, cui tam gratus & acceptus fores, illecebris, commiſſæ provinciæ ultro immoreris; ut non proprio, ſed cum iis communi hoſpitio gaudeas, quos Paſtoralis officii adjutores elegiſti; ut iiſdem inſtituendis atque informandis ad bonam rectamque diſciplinam totus incumbas; ut eruditionis palmam feras populis mirantibus, quoties aut gregem erudis, aut doctarum concertationum arbiter, quod eſt obſcurumcumque, illuſtras, quod abſtruſum pandis, quod impeditum explicas; ut tempus omne, quod à paſtorali ſollicitudine reliquum eſt, ſtudio impendas ſedulus, & in abſolvendo egregio illo ac laborioſo prorſus opere, quod in Concilia ſacramque Traditionem incredibili eruditorum omnium gaudio & expectatione moliris, jam pridem ſtrenuè colloces; ut inviſus nulli, nemini non gratioſus omnium exiſtimatione & amoribus perfruaris!

Sed quo me ſtudium tui, præpoſterum fortè, quantumvis ardens ac ſincerum rapit; ut tibi unus non amicus fiam, dum hæc palam commemoro, quæ clam eſſe modeſtia

tua

tua fruſtra voluerit. Abſtineo tamen pluribus, Eccleſiæ Princeps Illuſtriſſime, ne Patrocinii tui, ultro quod offers, ne benevolentiæ tuæ, quam impenſiùs ambio, fructu videar excidiſſe.

PROLUSIONES.

Ad ineundum certamen Philoſophicum.

Pro Theſi D. Guillelmi Briçonnet.

INvitatus à te tam humaniter, ut cæteris aperirem diſputandi contra te viam, unum poteram ſubvereri, ne, cùm illis in promptu ſit, de te quid ſentiant, palam & apertè citraque invidiam omnem aperire; mihi propter veterem neceſſitudinem, quam aſſentationi proximam vulgò jactitant, geſtientis animi ſenſus efferre in medium non liceret.

Verùm abundè proviſum eſt timori noſtro, dum eam feciſti exiſtimationem tui, quæ nemini obſcura ſit. Norunt quippe omnes ſagacitatem ingenii tui, quod intricatiſſimi abſtruſioris Philoſophiæ nodi non impediunt; norunt conſtantem & aſſiduam in Literarum ſtudio diligentiam, quam labores nulli defatigant; norunt candorem illum ſuaviſſimæ indolis, cujus illecebris omnium devincis animos; norunt ingenuos, & ad ſingula cùm pietatis, tum urbanitatis officia compoſitos mores, quibus cæteris exemplo eſſe meruiſti; norunt, inquam, hæc omnes, & , me vel tacente, prædicarent.

Perge tam ſecundis auſpiciis, Nobiliſſime Adoleſcens, ad ampliſſimos honorum gradus, quos Illuſtriſſimi Majores tui non virtute minùs, quàm nominis ſui gloria conſecrarunt. His illi inſtructi præſidiis, quæ jam in te tam feliciter adumbrata ſuſpicimus, ad eas dignitates, quæ ſunt in Foro & in Clero ſummæ, pervenerunt. Teſtis mihi Robertus Briçonettus, quem mira vis ingenii, eruditio perfecta, ſumma dicendi laus, ſingularis rerum uſus, vigilantiſſimi Præſulis in Eccleſia Rhemenſi defunctum muneribus ad ſupremam Cancellarii dignitatem evexere.

Teſtis Guillelmus Briçonettus, Vir maturitate judicii, integritate, prudentia, fide clariſſimus, qui Archiepiſcopus ac Primas Narbonenſis cùm jam eſſet, ſacra Purpura poſtmodum decoratus, denique obnavatam Carolo VIII. difficillimis in rebus operam regni totius adminiſtrationi præfectus eſt.

Teſtis Avus tuus Franciſcus Briçonettus, cujus memoria recens adhuc in Majore Concilio, ubi Primi Præſidis tanta cum dignitate partes non ita pridem ſuſtinebat, cum nobis exhibet Virum, qui ſic molleſcere neſcius viſus eſt, cum jus & æquitas poſtularent, ut in cæteris nemo foret illo ad omne genus obſequii paratior; ſic retinens gravitatis, ut eam ad conſolandos miſeros, quibus erat parentis loco, ultro deponeret; denique ſic infimis pariter ac ſummis venerandus, ut eſſet quoque chariſſimus.

Tu verò, qui veſtigiis tantorum Virorum, quantùm ætas patitur, jam inſiſtis, Nobiliſsime Adoleſcens, cùm te olim ſuum Curia vindicarit, tam florebis * in Foro Juris Legumque peritia, quàm politioris Literaturæ laude, dum eſſes nobiſcum, floruiſti. Ut neminem paſſus unquam es, qui non tibi laboris ſtudio eſſet inferior, ſic aſsiduitate, diligentia cæteris aliquando prælucebis: &, quam in ſolvendis involutis quibuſque Philoſophiæ

* Dictum omni probavit eventus. Præſidis in tertia Inquiſitionum Curia munere defunctus.

eſt magnam in rerum Forenſiũ ſcientia laudem adeptus, & incredibili omnium deſiderio ante annos extinctus.

phiæ ambagibus dexteritatem atque ſolettiam nunc exhibes, eandem tunc in dirimendis litibus implicatiſſimis exhibebis.

Atque ut uno verbo complectar omnia, domeſticatum virtutum æmulator, ſicut feſtivitate ingenii, urbanitate morum, pietate, comitate in omnes Matrem amantiſſimam, ita contentione animi, doctrina, opinione probitatis Illuſtriſſimum Parentem referes; quem non tam generis ſplendor, & illius, quod gerit muneris amplitudo, quàm judiciorum ſcientia, labor, vigilantia, ſincerum æquitatis ſtudium, candor animi, & ſingularis quædam fucique omnis expers humanitas commendant. Verùm ſentio, dum tuis gentiſque tuæ laudibus immoror, præripi à me aliam laudis materiem, quam tu tibi ipſe ingenioſis reſponſis facturus es. Quamobrem, &c.

ALIA

Pro Theſi D. Henrici-Franciſci à Paula d'Ormeſſon d'Amboille. *

* Hodie Conſiſtorianus Comes Ærarii moderãdi Præfectura defungitur.

QUid iſthuc moris eſt, Adoleſcens Nobiliſſime, vel unde tam cupida contentionis, tam rixarum amans Philoſophia, ut amicos inter conjunctiſſimos patiatur lites, ac diſſidium velit? Tene ſervire huic conſuetudini, & inſtituti Philoſophici tam rigidum cuſtodem eſſe ac ſatellitem, ut hominem tibi tam multis, ut tute noſti, nominibus devinctum ad ineundum ſingulare tecum certamen provoces?

Si tua illa Philoſophia has mihi partes demandaret, ut in iſto Virorum Illuſtrium conſeſſu palam aperirem, quàm egregiè fueris de magiſtra illa vitæ ac morum diſciplina toto biennii curriculo meritus, quantùm Academia noſtra glorietur, quòd te hoſpitem atque alumnum habuerit; quàm grave apud omnes, dum hinc abſcedis, relinquas deſiderium tui; hæc ſi mihi, inquam, provincia traderetur, ut ultro volenſque oblatum dicendi de te, quid ſentiam, locum arriperem! ut facultati noſtræ qualicumque gratularer, cui tam ampla præconii materies contigiſſet! Tunc enim relegens animo ſingulos, quos decurriſti in hoc Lycæo, ſtudiorum gradus, narrarem, quantam olim vel in puero mirati ſimus ingenii maturitatem, & ſupra ſortem ætatis nihil indignam viro prudentiam. Prædicarem, ut annis creſcentibus vidimus adoleſcere pariter illa virtutum ſemina, quæ tibi natura felix inſevit, Parentis optimæ pietas ac ſapientia excoluit, liberalis educatio promovit, tuum ipſius ſtudium ac diligentia perfecit. Retexerem plauſus illos, qui tibi dati ſunt, vel in Scholis, cùm ingenii doctrinæque laureas acciperes, vel in Theatris, cùm perſonam tanta cum dignitate ſuſtineres, vel in hac Philoſophorum palæſtra, cùm Theſes, uti nunc facis, propugnares. Dicerem, ut verſatus hic nobiſcum es per tot annos ſine cujuſquam vel offenſione vel querela; ut reliquis ſemper pietate, ſtudio, docilitate, modeſtia, integritate morum præluxiſti; ut puerile nihil cùm ſaperes, nullius in te invidiam, ſociorum omnium exiſtimationem ac benevolentiam concitaſti; cujus rei vel unum hoc argumentum eſſe poſſit, quod illi te communibus ſuffragiis Sodalitii Deiparæ Præfectum ac moderatorem elegerunt: quo in munere ita te geris, ut publico dignus judicio videare.

Hæc ſunt, Adoleſcens nobiliſſime, quæ, ſi Philoſophiæ leges paterentur, cum ea ſecuritate extollerem,

quam

quam conſenſus omnium atque approbatio facerent. Aut ſi laudes ejuſmodi etiam debitas modeſtus quidam & inſitus tibi pudor reſpueret; quàm ego lubens immorater in recolendo inprimis & nunquam ſatis prædicando Ormeſſonii nomine, quod vel appellaſſe ſolùm, laudaſſe eſt, adeo gratiſſimam ſtatim refricat Illuſtriſſimi Avi tui memoriam; quem ſpectata toties rebus in arduis probitas, fides, æquitas ſuis amabilem, adverſariis, ſi quos habuit, verendum, charum omnibus atque admirabilem effecerunt: apud quem ſolitudo atque innocentia certum præſidium ſemper habuere: qui in cauſa difficili æque ac lubrica afflictæ ſaluti opitulari maluit, quàm videri quidpiam aut gratiæ, aut ambitioni, aut privatis offenſionibus tribuiſſe: qui in exercendo Magiſtratu conſtanter & ubique magnus, eodem abdicato major viſus eſt. Cui ſpectata integritatis fama plus auctoritatis ac ponderis, quàm pleriſque muneris dignitas atque amplitudo conferebat. Quo judice atque arbitro, homo privatus cùm eſſet, plures majoreſque controverſias componi vidimus, quàm apud ipſos Judices dirimerentur: cujus vita denique tota ingens documentum extitit, virtutem eſſe per ſe ipſam laudabilem, & nullis ad veram gloriam fortunæ præſidiis indigere.

Talis tantuſque vir, mirùm, niſi ſimilem ſibi filium procreaſſet. Ille vix in ipſo ætatis flore nobiliſſimæ provinciæ præfectus & paternæ laudis ſtudioſus æmulator, quàm egregium hodie perfectiſſimi magiſtratus exhibetet ſpecimen, quàm acres tibi, Adoleſcens Optime, ad eandem gloriam aſſequendam ſtimulos adjiceret, niſi præmatura mors, tibi vivam paternarum virtutum imaginem, nobis ſegetem laudis ampliſſimam, toti Galliæ decus ingens atque ornamentum invidiſſet!

Quanquam hortatore non eges, neque feſtinantem per te ipſum ad majora opus eſt, quiſquam ut extimulet. At ſi in novo, quod jam jam ingtedieris, rerum curriculo deſiderabis aliquem difficilioris viæ comitem aut ducem, habes ante oculos, Nobiliſſime Adoleſcens, proxima conjunctiſſimum affinitate Virum illum, quem ſequi tutum eſt, imitari glorioſum, aſſequi laudis ipſius cumulus haberi poſſit.

Felicem te, Nobiliſſime Adoleſcens, qui tam aptus ex te ipſo ad magna quæque tantum inſuper à domeſticis, quæ te undique circumſtant, exemplis præſidium invenias. Neque enim quidquam hìc adjicio de clariſſimis Majoribus, quos tibi materna nobilitas ſuppeditat, Illuſtriſſimam intelligo Magiſtrorum familiam, quæ auguſtiſsimo Galliæ Senatui tot Senatores, tot Præſides omni laude cumulatos dedit: ac præſertim Ægidium illum Magiſtrum Senatus ejuſdem Principem, virum difficillimis rei Gallicæ temporibus, tam bene de Religione, de Patria, de Rege meritum.

Sed vereor ne progreſſus fortè longiùs ego ſim, quàm Philoſophicæ leges patiantur, neque tam pugnaturus tecum in arenam deſcendiſſe videar, quàm meo erga te ſtudio facturus ſatis. Quare ut conſuetudini morem geram, &c.

Digitized by Google

ALIA.

Pro Theſi D. Franciſci-Victoris de Breteüil Treſigny *

* Hodie Rei bellicæ adminiſtratione fungitur.

Cùm ſyſtemata Philoſophiæ veteris ac novæ Proponeret, Defenderet, Conciliaret.

NOvum prorſus, inſolens & operoſum quiddam aggrederis, Nobiliſſime & ingenioſiſſime Adoleſcens, qui tam multas, tam diſcrepantes inter ſe, tam ex adverſo poſitas Philoſophiæ cùm veteris, tum novæ Opiniones non proponere modò, vel tueri, quod paucorum eſt, ſed etiam conciliare, quod vix quiſquam auſus eſt ante te, profitearis.

Tu ſcilicet generoſam imitatus audaciam, quam paternæ nobilitatis ſymbolum * Accipiter præferr, ibis per tot Philoſophiæ anfractus & ambages, quocumque adverſariorum æmulatio aut etiam malignitas juſſerit?

* Corpus primi ſymboli quod præferebat Theſis ſignatum hoc Lemmate. *Quo juſſeris, ibit.*

Tu non minùs conſtans eris ac ſecurus, quàm ſolet eſſe medias inter procellas, materni generis ſpecimen, Aquila, * neque te ulla in iſto, quod ingrederis bellandi genere inuſitato, pericula territabunt?

* Corpus ſecundi ſymboli, cum his vocibus. *Nec tanta pericula terrent.*

Tu Clypei * illius inſtar, quem armis hoſtilibus impervium fuiſſe ſacri Codices teſtantur, ſtabis contra omnium oppugnantium tela invictus & illæſus?

* Corpus tertii ſymboli hisſuperadjectis vocibus, *Tela omnia contra.*

Quin & hoc etiam polliceris, quod ſol * exoriens rerum univerſitati præſtat, id te vel in primo Adoleſcentiæ flore Orbi Philoſophico commodaturum, nihil ut ſit tam abſtruſum, quod non eruas; tam obſcurum quod non illuſtres, tam reconditum quod non pandas?

* Corpus quarti ſymboli hæc verba præferens: *Omnia pandet.*

Mirum illud profectò, & ſingulari plenum confidentia illis fortè videbitur, qui vim ingenii tui, perſpicaciam, & partam aſſiduo longioris curriculi labore eruditionem non noverint. Nobis verò, qui rerum à te in hoc Lycæo feliciter geſtarum ſeriem, qui palmarum tuarum gratiſſimam memoriam uſurpamus, non eſt, niſi quòd tibi plurimùm gratulemur.

Tamen ubi tam felix occurrit tibi gratulandi ſeges, quid dicam de te, Nobiliſſime Adoleſcens, qui unas mihi tecum dimicandi partes reliqueris. An non ergo durum hoc ſatis mihi videri debuit, quod Illuſtriſſimus parens tuus, * vir omni commendatione major propenſiſſimum meum erga ſe totamque clariſſimam familiam tuam ſtudium repreſſerit; quòd ſeveram impoſuerit mihi legem, ne prædicarem de ſe vel ſplendorem eximium antiquæ domus cum ſingulari modeſtia conjunctum, vel præſtantiſſimæ mentis ſublimitatem admirabili moderatione temperatam, vel geſta ab ipſo ſanctè atque incorruptè munera collaudarem. Quòd nihil dicere me voluerit de nobiliſſimis Fratribus, quorum alterum * hìc intueor polirioris ingenii virum, tantoque digniorem ea provincia, qua defungitur, quanto elegantiorem bonarum Artium amœnitatem cum aulica urbanitate conſociat. Alterum * etiam præſentem videremus, niſi illum juſſa Principis, & ingenitæ laudis æmulatio bellorum in periculis remoratentur.

* D. De Breteuil Conſiſtorianus Comes.

* Baro de Breteuil Legatis apud Regem admittendis Præfectus.

* Commendator de Breteuil Centurio Prætorianæ cohortis & manipularis ductor.

Quanta enim verò creſceret hinc mihi orationis ſeges ac copia, ſi quid delibare liceret ex iis omnibus, ſi vel materni generis gloriam, grato, uti decet, animo * proſequi; & tam in ipſo totius familiæ capite ſuperſtitem * venerari, quàm in illuſtriſſima Parente tua, quæ ſexus ſui dotes omnes ac virtutes cùm habeat, nul-

* Domini De Courtebourne Collegiū Societatis Jeſu Aquiſinū Duaci fundavere.

* Marchio de Courtebourne Caſtrorū

Præfectus & gubernator Heſdinienſis.

nullis ejuſdem vitiis, aut etiam nævis urgetur. Quæ ingenium, prudentiam, ſagacitatem, conſtantiam, dignam natalibus magnanimitatem, & cætera, quæ præſtantes viros commendare ſolent, in ſe complexa, unum hoc ſuis in rebus numerandum putat, ſi pietatem colere, rem domeſticam adminiſtrare ſapienter, plenam ſumma expectatione ſobolem feliciter inſtituere potuerit.

An non, inquam, iterum atque iterum peto, Nobiliſſime Adoleſcens, durum hoc ſatis mihi ſit, quòd pro debita paterno imperio reverentia iſthæc prætermittere ſilentio cogor, niſi tu me in eas conjiceres anguſtias, unde nihil tibi pariter liceat gratulari.

Quanquam vel cum dolore tuo non temperabo mihimet, quin adverſarii atque oppugnatoris partes tantiſper oblitus palam eloquar de te, quod ſentiunt omnes, quod loquuntur, quod, vel me tacente, commendarent. Quam enim non excitaſti apud unumquemque admirationem rerum tuarum toto illo ſtudiorum curriculo, quod in oculis noſtris iam glorioſè peregiſti? Suſpeximus in te adhuc puero prima fortunatæ illius indolis initia, quæ tibi moderatorum pariter ac ſociorum animos conciliavit: adolevit illa tecum, &c. quæ naturæ munus primo videri potuerat, mox longo ſtudio & aſſiduo labore perfecta maturæ rationis partus debuit reputari. Quantum hinc hauſiſti præſidium ad ingenuum morum candorem, quo præfulges, ad comitatis urbanæ gratiam, in qua ſuperiorem habes neminem; ad ipſam pietatem, cujus ſtudioſiſſimus ſemper extitiſti?

Jam ubi aut ingenio, aut eruditione, aut actionis ipſius lepore certandum fuit, quantos, quàm frequentes, quàm plenos cumulatoſque plauſus, in ſcholis, in exhedris, in ſcenis promeruiſti!

Nihil ego vereor, Nobiliſſime Adoleſcens, ne quid ad aſſentationem compoſitum, nimio tui tuorumque ſtudio, dixiſſe arguar. Locupletem habeo teſtem domum hanc totam, quam clariſſimi nominis gloria cohoneſtaſti, virtutum exemplis decoraſti, & incredibili quodam tui deſiderio jam jam afficies.

Perge hoc animo, Nobiliſſime Adoleſcens, perge ſic præferre facem junioribus fratribus, qui ætate quo te contingunt propiùs, eo laudabiliùs tuis veſtigiis inſiſtunt. Sed non video præripi tibi à me nobiliſſimi triumphi materiem, dum modeſtiæ tuæ vim facio. Quare, &c.

A L I A

Pro Theſi D. Alexandri-Joannis-Baptiſtæ Lambert de Torigny. *

* Hodie in ſecunda Libellorũ Suppl cum Curia præſider.

QUid me cupidum pacis & rixarum oſorem, ſi quis eſt, Philoſophicum in ſtadium perennibus diſcordiis ac contentionibus obnoxium pertrahis, Nobilis & ingenioſe Adoleſcens. Saltem ſi tua cauſa mihi veniendum foret in arenam; ſi quo contra adverſariorum tuorum tela clypeo, aut etiam enſe ad laceſſendum indigeres, paratum me ultro, nec quamcumque ſortis aleam pro te ſubire detrectantem invenires.

At illum provocari à te in ſingulare certamen, qui nihil tam doleret, quàm tibi nocuiſſe, hunc eligi hoſtem ex omnibus, qui tibi ante omnes amicus videri velit: eſt ne hoc amabo humanitatis illius, aut etiam indolis bonæ ac candidæ, quam in te nemo non ſuſpicit, nemo non amat?

Eſto ingenioſus, uti ſoles; perſpicax, eruditus, & in diſſolvendis Philoſophiæ ambagibus tam felix fortunatuſque, quàm viſus es non ita pridem, haberi poſſis; at vereor, ne parum amicus videare, & hoc, quo me laceſſis hodie, facinus, rerum tuarum gloriam aut deterat, aut etiam obſcuret.

Quid? Litem tibi intendi à me perperam credis? aut fortè fictum animi gratia videtur illud, quod queror? Vis quempiam de controverſia noſtra ſtatuamus arbitrum? Age nihil moror: adeamus Tribunal illius Judicis, * quem tibi ipſe inter cæteros maximè velis contingere: quem revereris & amas ut patrem, & à quo viciſſim paternæ charitatis ſtudio atque affectu diligeris. Magiſtratum illum intelligo hæredem avitæ probitatis, quem habere cauſæ ſuæ judicem nemo non ambiat; cui creditas bene res ſuas ac fortunas quivis arbitretur; cujus in judicio Litigator etiam pertinaciſſimus ultro ac volens acquieſcat: adeo omnium opinione ſagacitatem cum diligentia, probitatem cum urbana comitate, facilitatem cum æquitatis laude componit!

* D. Lambert in Curia Libellorum Supplicū Præſes adoleſcentis Patruus.

Equidem, ut fatear, quod res eſt, cum ſit ille fidelis, magnificus ac conſtans amicus, ſi quis unquam fuit, unum vereri poſſis, ne in tuendis amicorum partibus rigidum ſe præſtet vindicem, & mihi violatum à te jus amicitiæ conquerenti ex judice Patronus exiſtat.

Quanquam ne metue: abſit, ut ullum patiar tibi eſſe cum eo diſſidium, qui cum arctiſſimam fovere neceſſitudinem omni officiorum genere debeas. Malim ego vel ingrata defungi oppugnatoris provincia, ſi modò triumpho tuo ſerviam, &, quem tam auſpicato ingredi paras laudis ac gloriæ campum, hunc mihi gratuler aperuiſſe.

ALIA.

Pro Theſi D. Ludovici Abbatis Chomel. *.

QUò me evocas etiam è longinquo, * & quàm alienam imponis mihi perſonam ab ea quam tueri vellem, Nobiliſſime Adoleſcens? Si veniendum mihi huc fuiſſet, vel ut ſpectator ac teſtis forem, illius gloriæ quam ex hodierna concertatione relaturus es, vel ut plauderem ac gratularer victori, vel ut in hoc ampliſſimo conſeſſu profiterer palam, quàm egregiam hìc concitaris apud omnes opinionem tui; advolaſſem ultro ac lubens, neque me locorum intercapedo, neque amœnæ ſolitudinis amabilitas, neque conceſſa per has ferias ſolitis à laboribus ceſſatio retardaſſet, quominus propenſiſſimæ meæ erga te voluntati ſtatim obſequerer; &, quod non æquitatis minùs, quàm veteris neceſſitudinis ratio poſtulat, publicum rerum à te toto decennio bene geſtarum teſtimonium redderem.

* Nunc eſt Aurauſicanus Epiſcopus.
* Peregrinabatur oppugnator.

Neque me verò parum delectaſſet tam conveniens animo meo materies; ſive dicerem de ſingulari meo ſtudio erga familiam tuam, quam obiti multa cum laude magiſtratus, ipſa ſupremi Galliarum * Cancellarii amplitudo, & contracta cum primariis Aulæ Proceribus affinitas hodieque nobilitant; ſive de te ipſo loquerer, ac prædicarem ingenii tui perſpicaciam, ſuavitatem indolis, morum integritatem, pietatis ſtudium, indefeſſum laborem, cujus vel id unum inficiandum nemini argumentum erit, quòd intermiſſum longiori ac repetita ſæpius ægritudine ſtudiorum curriculum, confirmata nondum valetudine operoſiùs redemiſti; &, quod alii reparandis viribus tribuendum cenſuiſſent.

* Avus Abbatis Chomel Libellorum Supplicum Magiſter matrem habuit Carolam Seguier Cancellarii ex fratre Neptem. Hinc ipſi venit affinitas cū familiis de Sully, & de Coiſlin.

ſent feriarum tempus, * idem tu ſeriæ ac difficili, ſi qua eſt; exercitationi mancipaſti.

* Propugnata Theſis menſe Septembri.

Equidem ſcio dotes illas egregias, quas laudamus in te plurimùm ac ſuſpicimus, fructum eſſe liberalis illius educationis, quam hauſiſti domi, cùm ab illuſtriſſimo parente, tum ab ipſa piæ ſedulæque matris opera, cui nihil antiquius fuit, quàm ut in te & amantiſſimo fratre tuo, * cui Rex ante tempus ad ineundum Magiſtratum viam aperit, excoleret felicem indolem, & bene præparatos animos documentis pariter atque exemplis ad ſingula virtutum omnium officia informaret. Verùm quis neget eſſe hunc in adoleſcentia laudis cumulum, ſi diſciplinam bonam apponere lucro norit, & credita ſibi rerum optimarum ſemina valeat feliciter promovere?

* D. Chomel in Majore Conſilio hodie Senator.

Hinc vides, Adoleſcens Nobiliſſime, quàm læta mihi ſurgeret dicendi copia, niſi me adverſarium malles, quàm laudatorem. Ergo, tibi ut obſequar vel invitus, aggrediar, &c.

ALIA

Pro Theſi D. Achillis de Soubeyran. *

* In ipſo Juventutis & laudis & auditu extinctus proba iſſimæ amiliç ſpes lætiſſimas funeſtavit.

ECce poſtremis nunc demum hujus Lycæi laboribus perfungeris, nobilis & ingenioſe Adoleſcens, & emenſus feliciter longioris curriculi ſtadium optatam jam diu metam prope contingis. Reſtat una diſcriminis alea, quam ſubeas in præſentia, aut potius imminet nova palmarum ſeges, quam veteribus laureis adjicias.

Verùm quid dicam de te, aut potiùs quid non queriar, quem in hodierna contentione unum inter cæteros adverſarium elegeris? An levioris operæ victoriam illam fore cenſuiſti, ſi deſuetum multos jam annos Philoſophicæ palæſtræ pugilem ad certamen vocares? An titillaſſet fortè juvenilem animum ea laudis æmulatio, ut cum magiſtro olim tuo certaſſe dicereris? an, quia contentiones ac rixæ ſolent eſſe inter amicos amoris ipſius integratio, ſperaſti novum aliquod ex hac concertatione veteri noſtræ neceſſitudini pondus acceſſurum?

Quæcumque demum fuerit conſilii tui ratio, cum me deſcendere tecum in arenam voluiſti; ego certè apponam lucro quem tu mihi præter opinionem tuam commodum offers locum prædicandi de te, non tam quod ipſe ſentio, quàm quod omnes, quotquot te norunt, palam loquuntur.

Quanquam modeſtiæ tuæ facere vim jam videor, &, qui ſtatim ſe prodit in vultu tuo pudor ingenuus, ſilere me jubet. Sed an æquum eſt tibi morem ut geram? an, ſi indulgeam voluntati tuæ, florentiſſimæ hujuſce domus declinabo offenſionem, ubi tam illuſtria dediſti per tot annos virtutum omnium exempla, niſi ſaltem ipſius nomine gratias tibi quas debet, & rependit ultro, referam? Niſi profitear palam, quàm grave jam injicias apud eos deſiderium tui, quibus ſocietate tua deinceps carendum ſit? An diſſimulare mihi liceat, quàm ſuavis & amica nobis rerum à te geſtarum memoria futura ſit, cum te abſente atque inſcio retractabimus candorem animi, ſuavitatem indolis, morum innocentiam, pietatis ſtudium, quibus ſic præfulges inter ſocios, ut illi te in ſodalitii Deiparæ Virginis moderatorem ac præfectum communibus ſuffragiis aſſumpſerint.

Gra-

Digitized by Google

Gratulentur enim verò ſibi Parentes optimi, quorum piæ ſollicitudini tanto cum fœnore reſponderis. Gratuletur ſibi parens amantiſſima, quam non matrum de more tibi muliebriter blandientem, ſed ſtimulantem ad magna quæque perſenſiſti. Gratuletur multo magis parens optimus dignum heredem ſui nominis ac virtutis, & tam beatum prole ſua ſe putet, quàm tu parente felix videris. Magnum illud eſt, quod dico, atque haud ſcio, an quidquam ad commendationem tuam dici queat illuſtrius. Nam ut ſagacitatem ipſius, prudentiam, dexteritatem in agendis rebus prætermittam; quis illo aut melior, aut amantior æqui, aut amicus deditior, aut imis pariter ac ſummis vivit acceptior? Teſtes appello viros, quotquot hic adſunt, ampliſſimos, apud quos tanto in pretio eſt; teſtes volo confertiſſimos illos egenorum atque inopum greges, qui in Xenodochiis verſantur, quorum commodis impendit ſe totum ac devovet.

Sed dum mihi tacitè ſuffragantur omnes, ſentio orationi meæ reclamari ab iis unis, quibus placuiſſe inprimis ambiam. Quare, &c.

A L I A

Pro Theſi D. Jacobi Chauvelin De Beauſejour. *

* Hodie Oratoris Regii partes ſuſtinet in Præſidiali Curia.

ACturus hodie tecum contra mentis humanæ *ſpiritalitatem*, quam vocant, cujus & præſidio fretus ejuſdem mentis immortalitatem defendis; unum, ut fatear quod res eſt, ſentio argumenti genus, à quo non mediocriter pertimeſcendum mihi ſit. Neque enim argumentum illud aut petitum eſt extrinſecus, aut depromptum Philoſophorum è ſcholis, quod infringi rationibus, aut ſaltem infirmari poſſe videatur. Imò video tam fore planum illud ac plauſibile, ut omnium feriat oculos, & nullum ambiguitati relinquat locum. Quid multa? Aliud etiam adverſatio tuo incommodum impendet, quòd argumentum illud ſemper habeas ad manum; quod in te ipſo poſitum ſit; quòd ab eodem abſtinere non ſuſtineas. Vide ergo, quàm iniquis ego conditionibus ad certandum accedam, cui cum hoſte tam egregiè comparato dimicandum incumbat. Tamen ſi velles in hac concertatione noſtra, ubi de ſpiritali anima controverſia inſtituenda eſt, hoc indulgere mihi, ut ad decidendam ejuſmodi quæſtionem de te ipſo conjectura non fieret, tibi ultro volenſque permiſerim, ut in reliquis rationum momentis liberiùs excurras. Nam quo probare apud eum pacto aggrediar animam non eſſe ſpiritalem, in quo ſpiritus tam purus, tam vividus eſt, nihil ut à corporeæ molis ſocietate ac contagione patiatur? qui tam acutum cernit in rebus, nihil ut abſtruſum ipſi, nihil implicatum, nihil invium occurrat? Fuit enim vel à teneris fortunata præſtantiſſimæ tuæ mentis conditio, Nobiliſſime Adoleſcens, ut ipſius pueritiæ ignoraret tenebras, & ſupra ſortem ætatis altum neſcio quid ac ſublime ſaperet. Hinc tot palmares laureæ, quas in hac ingeniorum palæſtra tam conſtanter meſſuiſti, ut multiplicem certaminum tuorum varietatem victoriarum ac triumphorum numero metiri poſſis.

Quanquam hæc eſt nobiliſſimæ familiæ tuæ ingenita laus, quam hereditario jure tibi vindicas, ut ingeniorum ferax imprimis audiat. Habes ſcilicet in illuſtriſſimo Parente, præter cæteras, quibus abundat, animi dotes, auream morum probitatem,

tatem, ſincerum pietatis ſtudium, ſpectatam in judiciis æquitatem, charitatem in propinquos, in amicos fidem, conſtantiam in laboribus, in perfungendo magiſtratu vigilantiam; habes, inquam, uberrimos ditiſſimi ingenii fontes, unde locupletes ad te rivuli jugiter promanant. Habes in amantiſſimo Patruo parentem alterum, qui, dum abeſt ille gravioribus pro Regis Regnique gloria negotiis diſtentus, piam tibi ſollicitudinem impendit, & inſitos bonæ mentis igniculos omni ope ac ſtudio fovet, alit, inflammat. Imò familiaris eſt ingenii gloria nomini illi quod geris. Teſtis egregius ille vir, * & omni prædicatione major, cujus ſuaviſſimam hodieque memoriam provinciæ, quibus tot annos præfuit, recolunt; quem Conſiſtoriani Comites ſingulari præditum ſapientia venerantur, & amant multo magis devotiſſima in omnes voluntate conſpicuum. Teſtes ejuſdem liberi parenti ſimillimi; quorum Alterum Gallia tota ſuſpexit perfectum omni laude & cumulatum ſine rivali Oratorem; eundem præmaturo raptum funere lugere etiamnum non deſinit. Alterum jam plaudebat ſibi ſtimulis paribus ac præſidiis ad fraternum decus feſtinantem, niſi majoribus pro publica re obeundis muneribus ſervaretur.

* D. Chauvelin Conſiſtorianus Comes.

Sed næ ego lævus, qui diutiùs iſtis immorer, unde gravius cauſæ illi, quam tuendam ſuſcipio, detrimentum accedat. Quare, &c.

ALIA

Pro Theſi D. Nicolai Le Breton. *

* Patronum agit in Foro Juvenis lætiſſimæ expectationis.

FAuſtum habes hodiernæ concertationis augurium, Adoleſcens ingenioſe, cui ſemel atque iterum tam feliciter præluſeris. Teſtis ego palmarum tuarum, & congreſſus tecum in Philoſophico ſtadio novi, quibus ad certandum denuò præſidis inſtructus accedas. Verùm tam bene comparatus ad rem gerendam viriliter, & dignos ingenio tuo, dignos eruditione plauſus promerendos, utri plus debes, Naturæ an Arti? Equidem novimus quàm acrem ingenii vim, quàm capacem eruditionis bonæ, quàm patientem culturæ liberalis animum nactus fueris; ſic ut arriſiſſe tibi Natura benignior, & tanquam parens optima charum inter cæteros alumnum foviſſe amiciùs videri poſſit. Tamen, mihi crede, habes unde inſtitutioni, quam ſortitus es, gratuleris impenſiùs, qui Parentem optimum juventutis tuæ doctorem ac magiſtrum inveneris. Sobolis ille amantiſſimus non te alienis educandum manibus, aut liberalibus diſciplinis informandum tradidit. Ipſe ſumpſit hoc ſibi, ut ſtatim à pueris os filii tenerum figuraret; ut prima inſereret eruditionis ac doctrinæ ſemina, unde uberiores deinde fructus colligeret. Hic affixus tuo lateri morum cuſtos incorruptiſſimus non te opprobrii cujuſvis expertem modò atque integrum ſervavit, qui virtutis honos primus eſt, ſed per arduam ac difficilem virtutum omnium ſemitam ſecutum tibi iter aperuit. Hic te patientem laboris, bonarum artium cultorem, honeſtatis laudiſque æmulatorem effecit. Nihil te ſanum profectò patris hujus pœniteat, Adoleſcens optime, cui gratiam habeas tam ſingularem referendam. Hoc unum provide, ut, quo cœpiſti primùm, eodem pergas pede; & quem inoffenſo veſtigio fidum hactenus ac tutum vitæ ducem ſecutus es, eundem deinceps monen-

nentem ſana & ad meliora ſtimulantem conſecteris.

ALIA

Pro Theſi D. Ludovici Chauvelin, qui Oratoris olim in ſuprema Curia Regii filius eſt.

QUod vocaſti me hodiernæ concertationis in partem, habeo quas tibi plurimas referam gratias, nobilis & ingenioſe Adoleſcens. Nam cùm mihi dulce eſt ſervire gloriæ tuæ, & amplam tibi nobiliſſimi triumphi ſegetem aperire, tum nihil eſſe poteſt optatius, quàm teſtari palam meum erga te animum, & devotiſſimam jam diù familiæ tuæ voluntatem.

Verùm quàm ægrum inde mihi deſiderium renaſcitur, unde ſuaviſſima gratulatio ſe offert. Fruſtra requiram oculis in hoc ampliſſimo cœtu; Virum illum, quem ego, quem tu adeſſe præter cæteros vellemus, quem nobiliſſimi, qui hìc adſunt Magiſtratus, & clariſſimi Ordinum omnium Principes tam lubenter, tam cupidè intuerentur. Virum, inquam, illum, de quo meritò dubites, pluſne naturæ præſidiis, quàm partis ab arte, ſolertia, exercitatione momentis deberet; apud quem ingenii ſublimitas, ſumma dicendi vis, nativa ſermonis gratia, ſibi principatum vindicabant; qui civilibus ac domeſticis virtutibus circumſeptus, pius ſi quis fuit, filius, bonus parens, conjux optimus, ſtudioſus conſanguineus, fidelis ac generoſus amicus omnium judicio habitus eſt: cui oranti cauſas in Foro totus Senatus, univerſa civitas toties applauſit: quem controverſiarum ſuarum judicem aut arbitrum nemo non ambiit, nemo refugere viſus eſt, nemo, vel cùm lite caderet, incuſavit; adeo incorruptus æquitatis amator audiebat! qui raptus in ipſo ætatis flore acerbiſſimum toti Curiæ, Regi ipſi æquiſſimo virtutis æſtimatori, bonis omnibus mœrorem attulit. Senſiſti ipſe, Adoleſcens nobiliſſime, nam cur apertum publicæ opinionis teſtimonium vel cum dolore tuo prætercam? Senſiſti, inquam, ipſe, cùm in recenti luctu atratus totus ſolemne Theatrum palmari eruditionis, ingenii laurea decorandus conſcenderes, ut ad aſpectum tuum & nominis tui appellationem, non tam plauſus, quàm piam confertæ multitudinis miſerationem commoveris!

Nam quis pueritiam tuam fortiſſimo dulciſſimoque præſidio non doleret orbatam, cùm nova poſtmodum ex amantiſſimæ matris jactura lugendi ſeges acceſſiſſet? Quanquam non fuiſti omni ſolatio deſtitutus, cui tam multa informandæ & erudiendæ Adoleſcentiæ tuæ adjumenta ſuperfuerint. Nam cur refricare verear felicem avi paterni memoriam, qui poſtremos contritæ in aſſidua virtutum omnium exercitatione vitæ annos tibi liberaliter indulſit, qui honorifica defunctus cum ſumma probitatis laude præfectura, Conſiſtorianus demum Comes effectus, perfectam tibi conſummati Magiſtratus imaginem reliquit.

Verùm quid præterita requirimus, cùm magnos etiamnum habeas in illuſtriſſima familia tua orbitatis tuæ patronos, & domeſtica, quocumque vertas, rerum bene gerendarum exempla? Appellarem illuſtriſſimum Patruum tuum, niſi probè intelligerem quantùm ab omni laudum ſuarum commendatione refugiat. Patruum dico, quem tu merito colis ut patrem, quia paternum tibi amorem impertit, quia fraternas virtu-

tes

tes exhibet ad vivum, ingenio, comitate, morum elegantia, geſti feliciter Magiſtratus gloria fratri ſimillimus. Neque verò mirum eſt, quòd tam arcta fratrem utrumque jungeret olim concordia, quibus ſimiles animos eandem ad magna quæque indolem natura inſeviſſet. Atque hæc dicenti mihi nullus opinor refragabitur, qui, dum Fratrum nobile par ſub diſciplina noſtra, quod honori duxi ſemper, adoleſceret, felicia jam tum virtutum illarum ſemina deprehenderim.

At, ſi rigidum mihi de ſe ſilentium imponit Patruus ille tuus, non ſilebo certè paternam Aviam omni laude majorem. Commemorabo maternum Avum cum fidiſſima conjuge, quorum curam, attentionem, vigilantiam, & piam pro tua educatione ſollicitudinem experiris: quibus quàm charus, quàm dilectus habeare, tuo ipſius periculo pervidiſti. Meminiſti, cùm nuper de tua ſalute graviter angeremur, qualis fuerit totius familiæ tuæ mœror, anxietas, ægritudo? Ut omnes viciſſim domum iſtam ſolidos per dies complerent invaleſcentis aut remittentis morbi aſſidui & indefeſſi exploratores; ut alternantibus triſtitia & gaudio, tecum ingraveſcere, tecum convaleſcere viderentur. Non tacebo Eminentiſſimum Cardinalem propinqua tibi affinitate conjunctum *; cui lumen ingenii, eruditionis gloria, Religionis ſtudium, comitas morum, atque affabilitas plus admirationis apud omnes; quàm aut ſplendor natalium, aut ſacra Purpura contulere; qui pro ſuaviſſimo quo te affectu complectitur, dolebit hujus diei celebritatem ſibi ereptam fuiſſe.

* Adoleſcentis Amita nupſit Marchioni de Biſſy qui Em. Cardinali nepos eſt a Fratre.

An tibi liceat tot inter præſidia & domeſticarum incitamenta virtutum non æmulari grandiora, & mediocritate quadam eſſe contentum? Equidem ſcio, quò tua te indoles ferat, quàm nihil ab avitæ laudis æmulatione degeneres: quàm eximium in hoc Lycæo ingenii tui ſpecimen dederis; quàm exquiſitum Literaturæ politioris guſtum præ te feras, quàm acutum cernas reconditis & abſtruſis in diſciplinis. His rei bene gerendæ rudimentis cùm ætas, labor aſſiduus, & ipſa negotiorum facultas acceſſerint, dignum te profectò votis, quæ pro te facimus, dignum lætiſſima familiæ tuæ expectatione præſtabis.

PRO PUERO

Concertationem Theologicam auſpicante.

QUæ ſocietas eſt Pueris cum grandioribus & matura jam ætate Viris; & quod eſſe poteſt inſcitiæ noſtræ cum veſtra eruditione commercium, ut non modò in hoc ſacroſanctæ Theologiæ domicilium nobis aditus pateat, ſed doctiſſimis difficillimiſque concertationibus veluti facem præferre debeamus? Mihi certè perſcrutanti hujus inſtitutionis conſilium viſum eſt hoc præcaviſſe ſapientiſſimos antiqui moris Principes, ut hominibus Theologis imitandam ſuis in ſtudiis atque diſputationibus ætatis noſtræ naturam indolemque proponerent, à qua deflectere ſine grandi piaculo non liceret.

Eſt enim nobis Pueris inſitus quidam candoris & veritatis amor, ex quo Deus ipſe, ſi quid divinis Literis credimus, ſuam perficere laudem ambiat. Per nos fuci expers ac ceruſſæ nuda veritas loquitur, & ambages ac tricas peroſa nec fallit quemquam, nec adulari cuiquam didicit. Hæc pariter

riter Theologi cujuſvìs præcipua laus: hoc ille decus, tanquam ſummum gloriæ apicem, conſectetur; ut vel leviſſimas erroris umbras non amoveat à ſe modò, ſed veritati amicus uni captivam eandem in injuſtitia detinendam eſſe turpis adulator nunquam exiſtimet.

Quid de mea illa conjectura ſentiendum videatur, tuum judicium, ſapientiſſime Magiſter noſter Præſes, tua exiſtimatio ſit. Ego interim pro commiſſa mihi provincia propoſitam Quæſtionem aggredior in affirmantem & negantem. In affirmantem quidem ſic, &c. In negantem verò ſic, &c.

ALIA

Pro Puero inter Melitenſes Equites adſcripto.

MIrum vobis fortaſſe videbitur, Magiſtri noſtri ſapientiſſimi, quòd in hunc locum, ubi non armis, ſed ingenio & eruditione tota res peragitur, ego tam alieno à veſtris moribus habitu, videar ad dimicandum paratior, quàm ad diſputandum prodiiſſe. Nihil tamen noſter hic enſis vos terreat: qui me ſi ab hujus concertationis aditu, tanquam extraneum, arceat, id ſaltem excrabit Crux illa, quam gerimus, ut inter vos veſtriſque adeo in ſubſelliis locum aliquem promereri poſſim.

Eſt enim veſtrum inter ampliſſimum, & eum, in quem adſcripti ſumus, Ordinem affinitas tanta, tanta cognatio; ut alter alterius opem poſcere, & amicè conjurare videatur: adeo mutuis & communibus uterque officiis propugnandæ Fidei, tutandæ Eccleſiæ, Religioni fovendæ adlaborat. Vos, Eccleſiam qui regant, Paſtores educatis ac Doctores: Nos, qui pro eadem dimicent Milites exercemus. Vos, ne qua germanam Fidem corruptelæ labes inficiat, ſatagitis: Nos, ne quid eadem ab hoſtibus ſuis detrimenti capiat, procuramus. Vos inteſtinis bellis, nos exteris providemus. Vos Romanam Religionem doctrina veſtra Hæreticis metuendam exhibetis. Eandem nos armorum gloria Populis infidelibus formidabilem ſimul ac verendam præſtamus. Verbo dicam: ſicut in pace Eccleſiæ columen, præſidium ac decus Sorbona, ſic in bello Melita ejuſdem Eccleſiæ propugnaculum, arx firma & ornamentum meritò nuncupanda. Quare pro ea, quam Doctores inter Sorbonicos & Equites Melitenſes intercedere oporteat, neceſſitudine, licebit, credo, mihi, in propoſitam à doctiſſimo Domino Baccalaureo Quæſtionem aliquid diſputare.

GRATULATIONES

Adepturis ſacram Doctoris Theologici Lauream.

EST hæc fatalis hominum conditio, nihil ut magnum, nihil expetendum ipſis propoſitum ſit, quod magnis & aſſiduis eorum laboribus redimi non debeat. Pulchrum quiddam eſt, & omni prædicatione ſuperius quod ambis; N. habet Doctoris Laurea neſcio quid, quod percellat oculos, quod ambitionem titillet, tantoque potentiùs rapiat animos in amorem ſui, quanto videtur ea laus majorem ingenii & eruditionis famam præ ſe ferre. At quanti laboris fructus eſt ea gloria, quæ ſtimulis acrioribus urget optimum quemque, & deſiderio ſui avidum laudis animum incendit!

Unum

Unum ego te volo teſtem N. cujus ab ineunte ætate cogitationes omnes, vota, contentiones eò pertinuere, ut ſpectabilem Theologos inter Doctores locum mereteris. Age; quantùm tibi in eo, quod ingreſſus es, curriculo ſudandum fuit? Per quot ſalebras ac vepres, quàm difficiles per anguſtias tibi faciendus aditus, antequam votorum tuorum metam proximè contingeres? Mitto prima Literarum ſtudia, quibus vel à Puero animum excoluiſti: ſileo Philoſophiæ tricas atque ambages, quas expediendas ac reſolvendas habuiſti; Prætereo varios illos periculorum caſus, quos toties occupaſti impiger, ut Theologicum in ſtadium erumperes. Verùm quàm nova, quàm difficilis, quàm longa laborum ſeries tibi deinceps occurrit. Quantum operæ ponendum fuit in diſſolvendis Scholaſticæ nodis intricatioribus, in explicandis ſacrorum codicum oraculis, in volutandis defricandiſque ſanctorum Patrum voluminibus, in retegendis vetuſtioribus Traditionis veræ monumentis, in repetendis, ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, rerum geſtarum, quæ tam ad doctrinam, quàm ad diſciplinam pertinent, Annalibus. Tanti pretii viſa eſt illa gloria, quam tibi tot laborum ampliſſimam mercedem propoſuiſti.

Fruere illa enimverò, & citra cujuſquam invidiam fruere, jam referendus verendum Doctorum in ordinem, quorum ſocietate ingenii tui vis ac perſpicacia, indefeſſa contentionis aſſiduitas, & parta eruditionis tam ſacræ quàm profanæ ſupellex dignum te reddiderunt. Neque tu venies illis ſocius non amicus, qui tot præditus meritis magnum totius ordinis decus & ornamentum futurus ſis.

ALIA.

Quod longa difficilique navigatione defunctis contingere ſolet, ut ad propioris portus aſpectum reſpirare tandem incipiant, hoc ipſum tibi quis deferendum ultro non putet, N. ut Theologici maris curſum emenſus & optatæ ſtationis redditus tantumnum paulùm conquieſcas. Neque in eo, quod decurriſti feliciter, oceano, locus otio aut deſidiæ fuit. Remigandum habuiſti fortiter adverſus tumentes ac procelloſos Errorum fluctus, qui fragilem, quam regebas, cymbam identidem concuſſere. Fuit exerenda ſagacitas atque ſolertia, qua latentes periculoſarum opinionum ſyrtes ac ſcopulos declinates: pugnandum imperterrita & invicta mente adverſus impugnantium hoſtium impetus, qui tibi partas opes auferre velle, vel amicum invidere litus videbantur. Non extimuiſti tot periculorum caſus: prudentem te ac ſtrenuum navigii tui moderatorem exhibuiſti: cumulatam ex omni parte victoriam tibi pro jure tuo gratularis. Appone lucro gloriam illam, quam meritus es, & in umbra palmarum tuarum conquieſce.

Quanquam quid requiem loquor, ubi novus labor exſurgit? quid gratulor victoriam, quando metuendos hoſtes æmulatio laudis rurſum exſuſcitat, qui partum triumphi decus invideant? Quid portum vel arenam commemoro, ubi novum maris æquor arandum incumbit? Sic eſt; difficilis & laborioſa tibi reſtat etiamnum via, quam peragas, nec leve vel roboris vel induſtriæ ſpecimen edendum ſupereſt.

Tamen nihil eſt ipſe, quod metuas, aut quod metuamus tibi. Habes in conſcientia inchoati ſcienter ac vi-

ac viriliter curſus, unde proſperum navigationis exitum tibi polliceare. Habemus nos in rebus à te tanta cum gloria geſtis, unde felix reliquæ peregrinationis conjiciamus augurium, & plenum victoriæ cumulum vel ante tempus tibi gratulemur. Una breviſſimi temporis reſtat mora, cujus detrimentum, ſi quod videri poſſit, uberiori palmarum fœnore compenſabis.

A L I A.

ERat hoc apud veteres cùm Græcos, tum Romanos in more poſitum, ut ſpectati virtute pugiles multarumque palmarum Athletæ rude donarentur; & impetrata miſſione non cogerentur ultra diſcriminis aleam ſubire. Hæc porro conſuetudo apud nos hodie ſi vigeret, N. quis te patereturdeſcendere rurſus in arenam; qui his ingenii doctrinæque certaminibus egregium dediſti tam ſæpe ſolertiæ tuæ atque eruditionis ſpecimen?

Te quoties vidimus enimverò, cùm validiſſimis adverſariorum oppugnationibus impetereris; cùm difficillimæ divini juris Quæſtiones proponerentur; cùm intricata ſacrorum Codicum oracula haberes explicanda; cùm tuendam Conciliorum auctoritatem, conciliandam Patrum inter ſe pugnantium ſententiam. Traditionem è tot Annalium veluti ruderibus eruendam ſuſciperes? Quoties, inquam, te vidimus ac ſuſpeximus tam varia, tam multiplici difficultatum mole circumſeptum quaſi ludentis ſpeciem exhibere? tanta cum facilitate & excelſæ mentis perſpicacia diſſolvebas nodos, ambages expediebas, reſolvebas ænigmata, tenebras ipſas & obſitam jamdiu caliginem ingenii tui ſplendore diſſipabas!

Cur ergo veniendum tibi etiamnum ad manus, quaſi dexteritatis ac ſolertiæ faciendum haberes periculum? An te novæ laudis cupidum putem, nec contentum ſatis primarum Laurearum gloria, niſi illuſtrius quoddam victoriæ decus adjicias? Eſto; æmulare, per me licet pugilum illorum nobilem audaciam, qui plurimis jam defuncti periculis ultro deſcendebant in campum, veteres palmas recentibus cumulaturi. Non detrectabo vel hac conditione certamen; tuo triumpho minimè reluctans aut invitus ſerviam; ac ſi diſpendio meo ſuppeditare tibi gloriæ materiem oporteat, ſenties me tecum armis imparibus paratum decertare.

A L I A.

QUàm laudabile videri debet illud Majorum noſtrorum inſtitutum, qui tam variis, tam frequentibus, tam aſſiduis Exercitationibus ſtimulandam Candidatorum æmulationem cenſuerunt. Scilicet exiſtimabant illi ſapienter ac verè eſſe conditionem ingenii terræ perſimilem. Ac, quemadmodum illa, quantumvis pinguis ſit ac ferax ex ſe ſe, nihil præter ſpinas aut avenas ſteriles procreat, niſi diligenti cultura exerceatur; ita largus ingenii fons areſcit continuò, vis ejuſdem atque acies quantocyùs hebeſcit, niſi ad felicem ipſius naturam Exercitatio frequens accedat.

Igitur quàm ſedulò incumbit in laborem avarus Agricola, quàm impigrè terram aratro vertit, quàm operosè illam verſat omnem in partem, fructus ut ferat expectationi ſuæ pares; tam acriter, benignam ingenii venam quiſquis nactus eſt, illam pertentabit, tam aſſiduè eandem extundet,

det, tam gnaviter ſollicitabit ac ſcrutabitur, ſi quid admiratione dignum elicere voluerit.

Quare miretur nemo, quòd tot homines ingenioſi immenſis per tot annos laboribus ſe ſe macerent; quòd dies noctéſque chartis impalleſcant, quòd conſeneſcant in ſtudiis, quòd quotidianæ dimicationis aleam non reformident. Norunt illi nimirum, quàm infructuoſa & inutilis foret ad gloriam, quam ambiunt, ingenii ſui ubertas ac copia, quam inerti ſegnique otio langueſcere paterentur.

Sed quid iſta perſequor operoſius? Unum te appellabo teſtem hujuſce rei locupletiſſimum, N. Equidem miramur in te eximiam ingenii vim, perſpicaciam ſingularem, acres inprimis igniculos, quibus ad capeſſendas liberales artes feliciter comparatus videri poſſis. Sed age; an tibi ſic placuiſti in egregiis illis dotibus, quas acceperas à natura, ut labori parceres; ut vim inſitam ſtudio non promoveres; doctrina non excoleres; aſſiduis concertationibus non exerceres? Hoc tu ſi abnueris fateri, modeſtiæ plus æquo ſerviens; nos certè non poſſumus palam non profiteri, qui ſuſpeximus in te tam ſæpe confertiſſimam eruditionis cujuſcumque ſupellectilem; quæ non tam ingenii, quàm laboris ipſius & exercitationis fructus eſt. Fruere gemina illa laude; quarum altera, ſi naturæ munus eſt, altera virtutis unius tuæ merces debet videri.

ALIA.

Cogitanti mihi nonnunquam varios illos honorum gradus, per quos ſapientiſſimi Majores noſtri Theologiæ Candidatos ad ſupremum Doctoratus apicem aſcendere voluerunt, contigit admirari non abſimilem ordinis illius imaginem, quem auctor naturæ in ipſa tempeſtatum varietate ac viciſſitudine tam ſapienter inſtituit.

Præit reliquis anni temporibus gratiſſima Veris amœnitas; & admirabili florum pulchritudine, quos parturit, adfuturæ mox ubertatis lætiſſimam expectationem exſuſcitat. Ita cæteros ad honorum titulos recludunt aditum prima Baccalaureatus inſignia; quibus Candidati, quotquot decorantur, ſuaviſſimis, quos explicant ingenii eruditioniſque floribus, orituram poſtmodum copioſiſſimæ doctrinæ ſegetem prænunciant.

Veri ſuccedit æſtas, per quam ardentiſſimis ſolis caloribus natura tota incenditur, promoventur ſegetes, fructus matureſcunt, terra ſuas opes ubique pandit & ambitioſiùs oſtentat. Quid ad Theologicæ Licentiæ labores, qui Baccalaureatum ſubſequuntur, repræſentandos accommodatius eſt? quo tempore fervent imprimis diſputationum æſtus, acuuntur ingenia, mens eruditur, diteſcit memoria, & magnificus per ſingulos dies maturæ jam ac perfectæ eruditionis apparatus, mirantibus ſacræ Facultatis oculis atque animis exhibetur.

Æſtatem Autumnus occupat, optatiſſima ante alias omnes anni tempeſtas, quæ ſtrenui ac diligentis Agricolæ penſat labores, vota cumulat, gratiſſimis cujuſcumque generis opibus præteritam egeſtatem gratulatur. Tam expectata nobis omnibus, poſt dura longiſſimi curriculi tædia, ſacra Doctoratus laurea contingit, quæ priores levat moleſtias, cupidum ingenuæ laudis animum exſatiat, conciliat ubique nomen ac famam, & ad quem-

quemlibet deinceps dignitatum apicem viam aperit.

Reſtat anni pars ultima, per quam partis licet frui vitæ bonis cum otio, quod nulla ſævientis frigoris acerbitas perturbat. Sic reliquo vitæ tempore Laureæ ſuæ in umbra Theologiæ Doctor conquieſcit, & quantumvis ſæviant fata, ſuaviſſimum habet in ſua dignitate ſolatium pariter ac ſubſidium. Gratulare tibi, N. Quodcumque in hoc, quod decurrimus, ſtadio gravius occurrit, jam emenſus es feliciter; una ſupereſt laborioſæ contentionis merces ac compenſatio, digna ingenio tuo, digna eruditione merces, quam adeptus brevi expertem ab omni ſollicitudine plenamque nobili otio tranquillitatem experieris.

A L I A.

QUàm diſſimile ſtadium illud eſt, quod decurrimus ab eo, quod ambitioſum hominum genus Olympicis in ludis ingrediebatur. N. Illi difficilis curſus ea conditione tentabant aleam, ut, cùm plurimi certarent ſimul, unus ex omnibus periculoſi certaminis præmium ferret. Nos, ſi longiorem fortè difficilioremque campum ſubimus, ſaltem ea ſpes manet, defuturam nemini, quam ambimus omnes, aſſidui laboris mercedem. Illi felices inter cæteros & ſupra vulgus hominum elati ſibi videbantur, ſi pulvere, quem in curriculo collegerant, conſperſi redirent; Nos glorioſis antiquitatis totius tam ſacræ quàm profanæ ſpoliis onuſti revertimur. Illos una vis membrorum aut in declinando metæ offendiculo dexteritas victores efficiebat: Nos contentioni mentis & improbo labori victoriam debemus. Illorum quidem vertendum induſtriæ, quod fortunatæ decurſionis palmam referrent; at partem laudis illius aliquam Equorum velocitas atque exercitatio vindicabat: Nos inſtituti peractique feliciter curriculi gloriam nemini præterquam nobis ipſis gratulamur.

Quòd ſi illi, quos ſpes incerta, merces fragilis invitabat, tam alacres, tam contemptores periculorum inveniebantur; quanto alacriores, & ad difficultatum obices ſuperandos paratiores eſſe nos oportet, quos expectatio certa & immortalis Laureæ gloria incendit?

His ego te acuerem ſtimulis, N. niſi ſpectatum feciſſes palam tam ſæpe, quàm nullis ad gloriam incitamentis egeas. Tua te virtus hortatur ſatis ac ſtimulat, nec opus eſt, ut currentem tam laudabiliter quiſquam paret incendere. Perge porro tam felicibus auſpiciis; Tibi te uni ultro permittimus; neque dubitamus partum victoriæ decus tibi vel ante tempus gratulari, qui tam potentibus ad eandem reportandam præſidiis inſtructus videare.

A L I A.

Pro Socio Sorbonico.

QUàm vaſtum, quàm uberem, quàm plenum refertumque bonarum rerum copia campum nobis hìc offers atque aperis. Agnoſco laboris indefeſſi fructus, revereor, ut par eſt, eximium ingenii & ſingularis eruditionis ſpecimen, majorem omni prædicatione noſtra dicendi ſegetem fateor in hodierna concertatione fuiſſe nobis oblatam. Scilicet jam recludis & explicas opes illas, quas aſſiduo tot annorum ſtudio comparaſti. Invitas unumquemque ad ſpatiandum

horto.

Digitized by Google

horto in amœniſſimo, quem florum omnium varietate, fragrantia, pulchritudine diſtinxiſti. Pateris etiam decerpere nos ad arbitrium fructus illos, quos ſeminaſti tam ſedulò, irrigaſti tam prudenter, tam feliciter excoluiſti. Felix illa tellus, quæ ſtrenuos adeo peritoſque cultores tulit, quæ alumnos ſuos tales ad artes informat; quæ vigilantiam, laborem, induſtriam incendit. Plaudat ſibi domus hoſpita, cujus è gremio prodis tam excultus ipſe, & ad excolendos alios tam egregiè comparatus. At gratuletur ſibi impenſiùs Sorbonica familia, quæ te filium in ſuum ultro ſuſcepit, cui lætiſſimam quamque ab inſtitutione bona ſpem affers; quam inclyta virtutum omnium fama, & parto rerum bene geſtarum decore, ingenio, pietate, doctrina cumulabis. Nos verò, qui te felici noſtro fato commilitonem in eadem palæſtra nacti ſumus, beatos nimis ac fortunatos, ſi non admiratores tantùm rerum tuarum, ſed imitatores etiam videamur.

A L I A.

Pro Doctoratus Candidato, eodemque Religioſo.

QUoties ego oculos conjicio Theologos in viros, ex quibus Pariſienſis Facultas conflata eſt, toties intueri mihi videor terribilem illam Errorum monſtris ordinatamque caſtrorum aciem, quam ſacræ Literæ deſcribunt, aut fortiſſimam atque inexpugnabilem Turrim illam, ex qua mille clypei dependent, omnis armatura fortium. Nam qui tandem illi ſunt, niſi inſtructus adverſum Religionis hoſtes exercitus, paratus ſemper decertare viriliter, & tutam ab omni impugnatione Eccleſiam præſtare. At licèt unus ſit idemque omnibus animus, quanta inter illas militares Religionis copias, & quàm admirabilis varietas occurrit!

Neque verò Religioſi Ordines minùs utilem ab omni ævo laboranti Eccleſiæ navaverunt operam, aut ſuis hodieque laboribus levem ſacræ illius Militiæ gloriam ſibi vindicant. Noſtis pietatis ſtudium cum eruditionis laude componere, & dum crudiendis rudibus, pravis erroribus dedocendis, revocandis ad antiquam fidem errantibus verbo pariter & opere incumbitis, facit vis precum & obſecrationum veſtrarum apud præpotentem Deum, ne, quod ſuſcipitis cumque, ſuo ſucceſſu defraudetur, aut ulla pars laboris veſtri caſſa & irrita ſit. Plaudite vobis, generoſi Chriſti Milites, contendite novas cumulare palmas, veteribus recentes triumphos adjicere. Tuque inprimis, qui tam ſæpe noſtris in concertationibus eximium dediſti ingenii reconditioriſque doctrinæ ſpecimen, qui novum in decus, in novum Ordinis tui lumen aſſurgis, quam ſuſcitaſti jam diù lætiſſimam expectationem tui, fac eandem ut ſuſtineas, aut, ſi fas, vincas etiam ac ſuperes.

A L I A.

QUod olim difficillimis Eccleſiæ temporibus facere ſolebant Religioſæ vitæ cultores, ut è ſolitudinibus ſuis ac ſpeluncis prodirent palam laboranti Religioni opem laturi; id ipſum vos quanto totius Eccleſiæ commodo facitis hodieque, quos nobilis quædam divinæ gloriæ æmulatio ex ipſo quietis & tranquillitatis ſinu ad juvandos labores noſtros adducit? Ac licet ſingulari Dei omnipotentis beneficio non deſint in Clero Gallicano inſignes pietate ac do-

ctrina viri, qui ſterileſcere vineam Domini minimè patiantur; tamen tam gratum eſt, quàm quod gratiſſimum, quod nobis ultro volenteſque miniſterium impenditis. Neque verò nos piget habere ſocios noſtrorum laborum tot inſignes ſagaciore ingenio, eruditionis laude, pietatis gloria viros, quibus nihil eſt antiquius, quàm ut ſuum in Eccleſiam ſtudium palam approbent, & ſtrenuos ſe ejuſdem defenſores ac vindices quocumque rerum ſuarum diſcrimine exhibeant. Quod ſi, Scriptura teſte, frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma reputatur, quàm formidandam errorum monſtris ſocietatem illam eſſe oportet, quæ conjunctiſſimos tot fratres oſtentat eodem divinæ gloriæ ſtudio ſuccenſos? Adeſte nobis igitur totis animis. Ecce tot regiones albæ jam ad meſſem, quæ veſtram opem deſiderant. Venite lætis agminibus omnes tibi perſimiles, omnes ab iiſdem inſtructi pietatis ac doctrinæ præſidiis, quæ ſuſpicimus in te, quæ tibi impensè gratulamur.

A L I A.

Est hæc multorum querela, qui in eo verſantur ſtadio, quod tu tam feliciter decurris, tantam eſſe concertationum multitudinem ac varietatem, quibus intereſſe Theologicæ Laureæ Candidatum, & ingenii pariter ac doctrinæ eximium dare ſpecimen neceſſe eſt; ut vix ſibi ſuperſit ab ea negotiorum mole ſatis otii, quod propriis ſtudiis impendant. Quòd ſi tam ſpecioſæ expoſtulationis videtur eſſe locus aliquis, uti revera eſt, quid par eſt ſentire de vobis, quos Religioſæ diſciplinæ ineluctabilis quædam diſtractio à continuis ſtudiorum laboribus multo magis avertit, & mentem diviſam inter multa & intentam pluribus, vel invitam ac reluctantem diſſipant? Nam quid ego memorem diurnas nocturnaſque preces, quid referam pſallendi in choro aſſiduitatem, quid varias domeſtici inſtituti occupationes, quid indefeſſam opitulandi Proximo ſollicitudinem, quid impoſitum multis diſſeminandi Verbi divini munus recenſeam?

Tamen quis non miretur tam diverſa inter, & tam implicata negotia prodire homines tam excultos Literis omnibus, tam comparatos adverſus contentioſæ ſcholæ difficultates, tam ſcientes juris divini, tam peritos in interpretandis ſanctorum Patrum operibus, quàm ſi deſtituti importuna cæterarum rerum ſollicitudine, in unos Theologicæ Licentiæ labores haberent incumbendum?

An non par eſt credere, quod de ſe Doctor Angelicus profitebatur, eos majorem eruditionis ſupellectilem ex ipſa Crucifixi contemplatione, quàm ex ipſis librorum fontibus comparaſſe? Quod cùm de multis Religioſarum familiarum incolis, qui certaturi nobiſcum in hanc Theologici ſtadii arenam deſcendunt, pronunciare licet; tum de te inprimis, qui tantum doctrinæ apparatum cum tanta pietatis laude conſocias.

PRÆFATIONES

Ad auſpicandum Magiſtratum.

Etſi tacita quædam rerum magnarum æmulatio, & ipſa, quæ me circumſtant, exempla domeſtica jam pridem adhortantur, ut ampliſſimam hujus Ordinis plenamque auctoritate ſumma dignitatem conſectarer,

Prin-

Princeps Senatus Illuſtriſſime, illuſtriſſimi Præſides, Senatores ampliſſimi, tamen hoc aditu laudis, quem tot præſtantiſſimis viris patuiſſe video, non modò me par nondum ætas tanto muneri, ſed multò magis rei ipſius, quam ambirem, amplitudo prohibebant.

Alterum quidem difficultatis caput ſublatum jam videor mihi poſſe gratulari; quandoquidem Regis optimi ſingularis indulgentia præſcriptæ Legibus ætati ſic derogandum putavit, ut jus etiam ſuffragii præter ſpem ac meritum concederet. Verùm ſentio nihil dum pœne confectum eſſe, qui graviſſimum, qui mihi refringendus ſupereſt, obicem jure merito perrimeſcam.

Quanta enimverò maturitate ingenii eum oportet eſſe præditum, qui ſedere non dubitet inter clariſſimos Magiſtratus, quos non tam contracta in Foro canities, quàm plena majeſtate gravitas & conſummata quædam prudentia verendos exhibet? Quanto rerum Forenſium uſu exercitatus ac contritus debet accedere ad dicendam de capite fortuniſque hominum ſententiam, quam & ipſi, qui eximia florent Judiciorum ſcientia, non ſine aliqua trepidatione pronunciant? Quanta denique firmitas mentis animique conſtantia in eo requiritur, qui nec illudi ſe blandientium illecebris, nec dominantium auctoritate perterreri patiatur?

Hæc certè meditanti mihi diligentiùs non levem hodieque motam afferant, Illuſtriſſimi Præſides, Senatores clariſſimi, niſi me veſtra ſuſtentet humanitas, & certum difficillimis in rebus præſidium polliceatur. Quid enim metuendum habeam, ſapientiſſimos pariter peritiſſimoſque magiſtros nactus, quorum ſub diſciplina errare non poſſim; qui, ſi quid erit ambiguum, reſolvent; ſi quid obſcurum, diluent; ſi quid intricatum, expedient atque explicabunt. Jam verò quantum facultatis accedet; ſi mihi conjicere oculos identidem liceat, in auguſtiſſimum hujus Senatus caput ac Principem, quem non tam illuſtris avorum gloria per continuam tot annorum ſeriem propagata, quàm inuſitata quædam juris Forique ſcientia, incorrupta æquitas & mancipata jam dudum ipſius genti pietas in Deum, in Regem fides, in populum amor commendant!

Hac ego fretus expectatione I. S. P. Illuſtriſſimi Præſides, Clariſſimi Senatores minùs verear flagitare, ut in hoc ſanctiſſimo Themidis ſacrario conſidere vobiſcum liceat. Quod ſi pro veſtra ſingulari humanitate conceſſeritis, ſic conabor præclariſſima illa, quæ paſſim editis, probitatis, vigilantiæ & æquitatis exempla conſectari, ut veſtro judicio atque calculo non omnino indignus videar extitiſſe.

ALIA.

EX quo ſingularis Regis optimi indulgentia & veſtra omnium humanitas fecere, Illuſtriſſime Senatus Princeps, Præſides Illuſtriſſimi, Clariſſimi Senatores, ut ante præſcriptam Legibus ætatem liceret mihi ampliſſimi hujus Ordinis auctoritatem contingere; intellexi pervidendum mihi primùm, quid poſtularet à me munus illud, quod ambirem, & gnarus deinde imponendi mox oneris ad ſuſtinendum illud viriliter incumbendum putavi.

Verùm id ipſum quod volebam noſſe, quanto penitiùs vidi, tanto ſenſi magis adſpiraſſe me forte altiùs,

tiùs, quàm par eſſet, & tenuitatis meæ conſcius, ambitioſi prætermodum voti me me tantùm non incuſavi. Quibus enim præſidiis didici inſtructum eum eſſe oportere, qui recenſeri velit clariſſimos tot inter viros, quibus ingenii laus, eruditionis fama, longus rerum Forenſium uſus, æquitatis amor & ſpectata probitas verendum toti Galliæ nomen conciliarunt. Quàm perſpicacem natura, ſolertem mente eum eſſe oportet, quàm multa experientia exercitatum, qui implicatam tricis atque involucris veritatem adeat, & eandem ſimulationum larvis obductam poſſit internoſcere. Ut non leviter Literis & doctrina tinctus eſſe debet ille, qui populorum mores varios, conſuetudines regionum, Veterum inſtituta, Leges, Edicta, totius antiquitatis ſeriem animo complectendam habeat, & ortas ſingulis de rebus contentiones dirimendas ſuſcipiat! Ut rigidus æqui defenſor, & fidus conſtanſque Innocentiæ patronus, quem nec utilitatis propriæ ratio moveat, nec perturbet metus, nec gratia demulceat aut inclinet.

Tamen etſi hæc timorem afferunt non levem, non deterrent tamen juvenilem animum, aut cupidum rerum bonarum conſeneſcere patiuntur. Imò ſenſi, ut fatear, quod res eſt, novos hinc mihi admoveri ſtimulos, unde invaleſcere metus debuiſſet; & quanto præſtantior viſa eſt, quæ circumfulget vos gloria, tanto ſuccendit ambitionem acriùs, & ad æmulandum, quod magnum eſt, provocavit. Veſtrum erit ignoſcere Ill. Sen. P. Illuſtriſſ. Præſ. Clar. Senatores, ſi quid audere videar, præterquam quod aut ætas ferat, aut tenuitas noſtra patiatur.

At informantem animo & præcipientem votis omnibus aliquam perfecti Magiſtratus imaginem, non licuit illius adipiſcendæ ſpem fovere certam, niſi aſſiderem illis propiùs, qui abſolutum ejuſdem exemplar ſinguli ſubjicerent. Verſabor ego quotidie, dicebam mihimetipſe tacitus, tot inter Fori lumina, neque non pars aliqua lucis illius inexhauſtæ ad nos pertinebit, quæ, quod erit caliginoſum cumque excutiet. Adero ſedulus comes præſtantiſſimis Ducibus, & eorum veſtigiis inſiſtens per intricatas Legum ac Litium ambages inoffenſo pede decurram. Reſpicere etiam licebit in ipſum auguſtiſſimi Senatus Principem & ab illius ore pendere, unde tota Effata, tot Themidis oracula prodeunt.

Hac ego fretus expectatione multo magis, quàm ulla ſagacitate mentis aut induſtria aggrediar, &c.

A L I A.

QUod ambieram votis omnibus, & quod tenuitatis meæ conſcius vix audebam mihi polliceri S. P. I. Præſid. Ill. &c. id hodie non ſperare modò poſſe videor, ſed etiam ſingulari humanitatis veſtræ beneficio prope conceſſum gratulari. Tamen cogitanti mihi quanti ſit in hoc verendo Themidis ſacrario, tot inter clariſſimos Magiſtratus locum occupare, impenſus à vobis favor neque metum abſtulit omnem, neque ſollicitudinem exemit. Nam cùm conjicerem oculos in unumquemque veſtrum, quos ſpectata probitatis fama, Religionis ſtudium, æquitatis commendatio, rerum forenſium experientia huic urbi regiæ tam ſpectabiles, totique Regno tam verendos effecit, ſenſi quantis inſtructum præſidiis oporteat eum eſſe, qui venire vobiſcum in tanti muneris ſocietatem confidat. Ac licet nullis ego laboribus,

bus,

bus, nec innatæ, ſi qua eſt, ſolertiæ parcitum hactenus voluerim, ut imponendi mox oneris molem quoquomodo ſuſtinerem, ſentio nihilo ſecius, quàm temere ad tantum honoris faſtigium adſpirarem, niſi ex aſſiduo vobiſcum uſu certa potentiſſimi ad rem bene gerendam præſidii ſpes affulgeret.

Scilicet veſtra me omnium exempla rudem adhuc inexpertumque rerum magnarum erudient, & quotidianum perfecti abſolutique Magiſtratus ſpecimen oſtentabunt. Felicem me fortunatumque S. P. I. Ill. Præſid. Senat. Clariſſ. ſi ponere in lucro poſſim tot momenta, tot incitamenta virtutum; ſi veſtram in defungendo munere prudentiam, aſſiduitatem, diligentiam, integritatem poſſim æmulari!

Verum ad iſtas quæ mihi cum cæteris communes ſunt partes obeundas accedit aliud officii genus, quod mihi ſingularim incumbit, cui exſolvendo par an futurus unquam ego ſim, non auſim mihi polliceri. Intelligo perenne quoddam grati ac memoris animi monimentum, quod à me pro jure ſuo poſtulat ſingularis illa humanitas ac benevolentia, qua parentem amantiſſimum per tot annos devinxiſtis. * Conſcius hic quidem quantùm debeat vobis omnibus, & breviores ratus eſſe vitæ ſuæ terminos, quàm ut referre gratiam pro dignitate poſſit; voluit beneficii veſtri memoriam in filio propagari, neque me tam paterni muneris, quàm ſui erga vos ſtudii atque obſervantiæ heredem accedere. Hanc ego patris optimi voluntatem tueri ſic conabor, ut à paternis moribus nihil degenerem filium approbetis. Aggrediar itaque, &c.

* Hæc illi conveniunt cujus in gratiam pater ſe ſe Magiſtratu abdicat.

ALIA.

Pro Candidato Magiſtratus Militiam navalem diu Profeſſo.

INnumeris per tot annos Pelagi circumactum erroribus, & variis defunctum periculis tandem aura benignior tranquillum optatæ ſedis hujus in portum me revexit, Illuſtriſſime Senatus Princeps, Præſides Illuſtriſſimi, Clariſſimi Senatores. Quanquam nec ardor ille commendandi nominis tumultuoſi Martis laboribus ſic animum incendit unquam, ut inſitum penitus & ipſo parentum ſanguine propagatum placidæ Themidis ſtudium reſtinxerit. Imò vel inter ipſas furentis maris procellas, inter graviſſima bellorum diſcrimina ſenſi creſcere magis ac magis atque in dies promoveri amorem illius tranquillitatis, qua conſeſſus veſter auguſtiſſimus perfruitur, quam & pro virili parte cæteris omnibus impertit.

Atque ut nihil ego diſſimulem cogitationum mearum coram tot viris illuſtriſſimis, quos veritus ſum ſemper, ut par erat, quos rerum mearum moderatores ac magiſtros deinceps ſum habiturus: duxi faciendum mihi periculum Navalibus in caſtris, qualem eſſe me Forenſibus in negotiis decerer. Dum appenſum lateri geſtabam enſem, aut eundem in hoſtes diſtringebam, non amore cædis aut ſanguinis, ſed defendendæ patriæ ſtudio, dicebam, Gladium illum, quem Juſtitia portat, non ad hominum perniciem, ſed ad tuendam legum æquitatem vobis fuiſſe permiſſum. Dum contra ventos ac procellas & tumentes irati maris fluctus luctandum foret; ſentiebam labore non minùs improbo adverſus civilium negotiorum

difficultatem opus eſſe. Si quæ inter navigandum vitandæ prudenter ſyrtes, ſi quis declinandus ſcopulus occurreret; memineram quanta in excutiendis cauſarum tricis ſolertia, quanta in pervidendis fraudum ambagibus perſpicacia requireretur. Denique quoties aut ſuſtinendum viriliter hoſtis impetum, aut eundem laceſſendum haberemus; intelligebam virum Judicem, nullo unquam metu, nulla vi auctoritatis ac gratiæ infringi oportere. Veſtrum erit, Viri Illuſtriſſimi, exiſtimare, qualem ex rudiore illa diſciplina fructum perceperim. Quòd ſi veſtrum ad Tribunal accedenti refigenda nihilominus multa, perdiſcenda mihi multo plura cenſebitis; accipite me, oro vos atque obteſtor, veſtram in diſciplinam, tanto docilis animi obſequio erudiendum, quantum olim Tyro Junior præpoſito Navis Præfecto deferebam.

Quod cùm ab humanitate uniuſcujuſque veſtrum polliceri mihi poſſe videor, tum certè ſperare non dubitem eandem ab Illuſtriſſimo Senatus Principe gratiam, quem nihilominus reverendum ſemper arbitrabor, quam ipſum rei Maritimæ Imperatorem non ita pridem verebar. Illius ſingularem in dirimendis litibus ſolertiam, ſummam in reſolvendis Legum ambagibus dexteritatem, parem in promovendis tuendiſque populorum commodis alacritatem, vigilantiam, dignam inclyto nomine ac ſanguine gravitatem nec admirari deſinam, nec, quantùm tenuitatis meæ ratio patietur, admirari.

ALIA.

QUæ confidentiam afferre ſolent Candidatis loci hujus auctoritatem contingentibus, Magni Auſpices ac Patroni, arctiſſima cum ampliſſimis Magiſtratibus affinitas atque cognatio, Nomen pro veſtra humanitate amicum vobis ſemper & acceptum, ea me, ut fatear, quod res eſt, mirum in modum angunt ac non mediocriter perturbant, Præſides Illuſtriſſimi, Clariſſimi Senatores. Sentio enim unus omnium optimè quantum mihi ferendum onus incumbat, qui circumſeptus tot illuſtribus ac pœne domeſticis exemplis non modò alienum quidquam ab ea laude committere verear, ſed propenſiſſimæ veſtræ erga me benevolentiæ, aut etiam honorificæ cupiam expectationi debeam reſpondere.

Equidem nec mihi unquam defuit æmulatio nobilis ad gloriam, nec voluntas ad perfringendos obices quoſcumque bene præparata. At cogitanti mihi ſeriò ac maturè perpendenti quas in eo dotes ac virtutes eſſe oporteat, qui venire præſumat in ſocietatem veſtræ dignitatis, qui ſedere non dubitet cum verendis Magiſtratibus, quos longa rerum Forenſium experientia, ſublimioris ingenii vis ac ſagacitas, ſpectata jam diù operoſiſſimis cauſarum in controverſiis prudentia nobilitant, viſum eſt ſemper arduum quid & ſumma cum difficultate conjunctum. Quem enim par eſt habere me ſenſum tenuitatis meæ, qui nihil in me præter cupidum rei bene gerendæ & patientem diſciplinæ animum deprehendam; qui præſcriptum Legibus veſtris tempus prævertere pertentem; qui rudi & inexperta manu formidabilem tractare Themidis Bilancem confidam? Næ me ambitioſi præter modum voti tantùm non pœniteat, niſi me ſingularis Regis optimi gratia, & veſtra inprimis omnium indulgentia confirmarent nutan-

tan-

Digitized by Google

tantem, & novam ad bene ſpetandum fiduciam afferrent.

Sinite igitur, Illuſtriſſimi Præſides, Senatores Clariſſimi, ut dulciſſimo recreatus illo patrocinio, quo me tutari vobis placuit in præſentia, quo meos fovere tot abhinc annis non deſtitiſtis, ad ſubeundam hodierni diſcriminis aleam paulò confidentiùs accedam.

Tu verò Præſes Illuſtriſſime, * qui vices illius geris, cujus præſidium ac clientelam potiſſimum ambiiſſem, qui tam bonus in ſuos, tam comis in omnes videri ſoles, non abnues, uti ſpero, nobis impertiri partem aliquam illius humanitatis, quam omnibus affatim impendis.

* Hæc cõveniat dicere, ſi Princeps Senatus abſit & alius ejuſdem vices obeat.

Hac ego ſpe fretus, Illuſtriſſimi Præſides, Senatores Clariſſimi, aggrediar, &c.

ALIA.

QUæ junioribus Candidatis ad veſtræ dignitatis communionem aſpirantibus incutere metum ſolent, verenda Senatus auguſti majeſtas, frequentiſſima clariſſimorum Magiſtratuum corona, graviſſimum operoſæ inprimis, quam ſubeundam habent, aleæ diſcrimen, S. P. I. &c. ea me non modò non conturbant hodie ſtudioſum ejuſdem gratiæ petitorem, ſed etiam lætiſſima quadam expectatione recreant ac conſolantur. Quanquam abſit, ut confidens Ego præter cæteros, aut tenuitatis meæ, quam profiteri non dubitem, oblitus videar. Scio unus omnium optimè, quanti ſit hujus loci contingere auctoritatem, unde hominum fortunæ ac fata dependent: non ignoro, quibus cum cùm ab ingenii, tum ab animi dotibus comparatum eſſe oporteat, qui in ferendis judiciis aſſidere confidat probatis tot Magiſtratibus, quos eruditionis præſtantia, longiſſimus rerum Forenſiùm uſus, ſingularis amor æquitatis & ſpectatiſſima graviſſimis in controverſiis animi firmitas atque conſtantia commendant. Scio quantum incumbat oneris ambitioſo quantumvis peritori, qui præſertim ante præſcriptam veſtris legibus ætatem virium ſuarum facturus periculum vobis ſpectantibus deſcendat. Tamen hæc ipſa plus fiduciæ quàm timoris, plus roboris atque alacritatis, quàm diffidentiæ aut torporis inſpirant. Nam quid aliud religioſum iſtud Themidis ſacrarium inſinuare deceat, præter legum reverentiam & ſtudium æquitatis, quorum ſemina bene natis animis natura ipſa liberaliter inſevit? Quos par eſt afferre ſenſus juniori Candidato clariſſimorum tot Magiſtratuum præſentiam, niſi ut imitanda ſibi putet præclariſſima, quibus illi præfulgent, laboris, vigilantiæ, aſſiduitatis, probitatis exempla? Quid ſuaviſſimi ipſorum mores ſpirant, præter humanitatem atque indulgentiam, qua rudes atque imperitos bonarum Artium adſciſcunt ultro dignitatis ſuæ in conſortium, ut eoſdem ſuis ipſi præceptis informent, & ad magna quæque æmulanda adhortentur?

His ego, & tuo inprimis præſidio fretus, Senatus Princeps Illuſtriſſime, quod polliceri mihi non verear, aggrediar, &c.

ALIA.

Pro Clerico Magiſtratum Clericalem ambiente.

NOn inanem magni nominis umbram affectat quiſquis veſtræ

ſtræ dignitatis æmulator ampliſſimum in hunc Ordinem ambit aggregari, Senatus Princeps illuſtriſſime, illuſtriſſimi Præſides, Senatores clariſſimi. Quanti enim eſt Regiæ Majeſtatis vindices, tutores Legum, Populorum Judices atque Arbitros appellari? Neque verò vobis minùs honorificum videri debet, quòd Eccleſia ſua auctoritati veſtræ jura credidit, & ſuum in hoc æquitatis domicilio præſidium ac decus collocatum ſibi gratulatur.

Hinc illa Senatum inter ac Sacerdotium neceſſitudo ſingularis, ut eos, qui ſacræ militiæ nomen dedere, ſocietatis atque conſiliorum in partem admittere non vos pigeat, & præſtantiſſimos inter Magiſtratus adſcribendos ultro ac volentes cenſueritis.

Hac ego fiducia fretus multa magis, quàm ullis ad tuendam tanti muneris amplitudinem inſtructus præſidiis deſcendo petitor in arenam, & mihi etiam atque etiam precor impertiri partem aliquam illius bonitatis atque benevolentiæ, qua ſtudioſiſſimum quemque Magiſtratus Candidatum fovere conſueviſtis.

Tu mihi patrocinium tuum pro humanitate tua non abnues, Senat. P. Ill. neque ſuffragari judicio tuo dubitabunt tot clariſſimi Senatores, qui te colunt omnes & amant, adeo ſplendore virtutum tuarum, & mitiſſimi ingenii comitate ſingulorum animos devinxiſti. Tu mihi, inquam, patrocinium tuum non abnues, qui, ut adirem hujus diſcriminis aleam, hortator non ſemel adfuiſti, & me viribus meis, ut par eſt, diffidentem de tua etiam humanitate bene ſperare juſſiſti. Quare, &c.

ALIA.

Pro Filio, cujus in gratiam Pater Magiſtratum abdicat.

Quàm multis ego devinctus nominibus veſtrum ad Tribunal accedo gratum ac memorem animum teſtaturus, Senat. P. Ill. Illuſtriſſimi Præſides Senat. Clar. Debeo ſingulares optimo Regi gratias, qui Magiſtratus auſpicandi facultatem indulſit. Non me ſilere patitur veſtra in parentem meum conſtans per tot annos benignitas atque benevolentia, cujus partem in me aliquam ſentio pro veſtra humanitate derivari. Ipſa parentis amantiſſimi charitas, qui me vocat in difficilem pariter & honorificam provinciam, poſtulet gratiſſimam in filio voluntatem.

Quid me facere par eſt, ut in hodierna contentione veſtro dignus calculo videri poſſim? Utinam equidem deprehenderem in me aliqua virtutum illarum ſemina, quarum felix comitatus clariſſimos, quot quot hìc adſunt, Viros circumſtat, quos plena majeſtate gravitas, conſummata prudentia, laus probitatis, æquitatis fama commendant. Verùm dotes illas ac virtutes cùm vindicare mihi non liceat, felicem me ſaltem ac fortunatum, ſi ſtrenuo ac diligenti obſequio ſinceram optimo Principi fidem, ſi devotiſſimo in unumquemque veſtrum ſtudio, meam ampliſſimo huic Ordini obſervantiam approbare poſſim! Si quam impendiſtis parenti amantiſſimo benevolentiam, hanc omni officio promeruiſſe videar! Conſcius ille quidem quàm ſit impar unus referendæ vobis, ut par eſt, gratiæ, filium in partem memoris animi putavit adſciſcendum, neque tam in eo paternam provinciam, quàm ſuam.

Digitized by Google

ſuam erga vos voluntatem eſſe propagandam. Quem ego facere votorum compotem, quàm cupidè ambiam, patere etiam atque etiam precor, Sen. P. Ill. interpellari te à me vadem atque obſidem, apud quem ipſum fidei ſacramentum dicturus ſum.

A L I A.

ETſi votorum meorum benignitate veſtra compos factus habeo plurimùm unde mihi graturer S. P. Ill. &c. tamen incipio ſubvereri, ne fortè videar altiùs adſpiraſſe, quàm decebat, aut certè præfinitum adeundis Magiſtratus honoribus tempus feſtinatione præpoſtera antevertiſſe. Etenim dum contemplor attentiùs auguſtam Senatus ampliſſimi majeſtatem, & oculos circumfero ad illa ſubſellia tot verendis referta Magiſtratibus, ſentio quanti ſit auctoritatem hujus loci contingere, & ſpectatiſſimos inter virtutum omnium laude viros recenſeri.

Nam quid ad commendationem veſtri Ordinis tam altum prædicari poſſit, quod ejuſdem dignitate inferius videri non debeat? Agite; quam meretur apud omnes admirationem primum illud Galliarum Tribunal, hæc Princeps maximi Regni Curia, hic conſeſſus primariæ nobilitatis, quo judice atque arbitro graviſſimæ cujuſcumque generis controverſiæ dedeciduntur; in quem adſcribi votis omnibus ambiunt, quotquot Duces creantur à Regibus, tam plena dignitatis appellatione, hoc honoris apice non contenti, donec in veſtrum numerum aggregentur, & permixti vobiſcum iiſdem in ſubſelliis conſideant? Quam obtinet apud univerſas Imperii noſtri provincias laudem ac famam hic Senatus cæterorum veluti parens, à quo videlicet omnes prognati, cujus in ſubſidium creſcente regno & negotiorum multitudine variis deinde temporibus ſunt à Regibus noſtris inſtituti.

Sed an brevibus Regni Gallici finibus circumſcribitur Ordinis veſtri reverentia? Quo enim habetur in pretio ab exteris gentibus, quæ ſedem hanc tam ſæpe contentionum ſuarum judicem atque arbitram elegerunt? Quoties veſtrum ad Tribunal clariſſimi totius Europæ Principes, Reges, Imperatores appellavere, ut ex ore veſtro ſua veluti fata in cauſa fortunarum, interdum & capitis expectarent?

Erit igitur aliquis tam conſcius ingenitæ virtutis, tam felicibus vel à natura, vel ab educatione inſtructus præſidiis, qui ſibi pertimeſcendum non putet participem fieri veſtræ dignitatis, & ad tantum honoris faſtigium aſſurgere? Neque enim vacuum & inane nomen geritis, neque aut Toga, aut Purpura, aut reliquis Magiſtratus prærogativis atque inſignibus veſtri muneris amplitudo continetur. Aliis gradibus perveniſtis ad eam gloriæ famam, quam ſuſpicit univerſus orbis ac reveretur. Vobis ſagaciſſimi ingenii ſublimitas, prudentia ſingularis, Juris utriuſque, Legum, Conſuetudinum; totius Antiquitatis explorata cognitio, longus rerum Forenſium uſus, ſpectata difficilliimis in controverſiis dexteritas, aſſiduus labor, probitas, fides, æquitas tantam ubique nominis commendationem peperere.

Me verò, P. I. quem ſua tenuitas incuſat, & ætas, cui pro veſtra humanitate derogandum cenſuiſtis, tanto oneri ſuſtinendo parem nondum effecit, pœne pigeat veſtram ambiiſſe gratiam, niſi me tacita laudis æmulatio, cupida præter modum rei bene geren-

gerendæ voluntas, & veſtra inprimis indulgentia recrearent. Veſtrum erit P. I. C. S. rudem & inexpertum Tyrronem conſiliis, experientia, exemplis erudire; meum verò docilem culturæ ac diſciplinæ patientem, quod unum in me recipio, animum afferre.

A L I A.

Eximium illud & ſingulare prorſus veſtræ in noſtram ætatem humanitatis ac benevolentiæ argumentum eſt, pro qua immortales debemus vobis omnibus, & referimus, ut par eſt, gratias, S. P. Ill. Præſides Illuſtriſſimi. Ampliſſimi Senatores, quod junioribus nobis facilem ad veſtros honores patere aditum volueritis. Tamen dicam ego confidentiùs, neque vereor, ne quis veſtrum mihi ſuccenſeat, aut leviore poni à me in loco beneficii magnitudinem arbitretur, dignum hoc fuiſſe ſagaciore prudentia conſilium; neque quidquam à vobis aut dignitati veſtræ convenientius, aut informandæ graviſſimis rebus Juventuti, aut publicæ etiam rei ſalubrius conſtitutum videri, quàm quòd veſtræ auctoritatis in conſortium nos ante tempus Legibus præſcriptum admitti placuerit.

Quid enim prudentiſſimos viros & rerum Forenſium ſcientia, uſu atque exercitatione ſpectatiſſimos magis deceat, quàm habere comites ac ſocios cupidos bonarum Artium æmulatores, qui quotidiana eruditionis veræ documenta excipiant, qui graviſſimorum Magiſtratuum ab ore pendeant. Auditores attenti ac ſeduli, qui arcana Themidis Oracula ſuſpiciant & admirentur? Quid oſores otii & patientes laboris Magiſtratus delectet impenſiùs ac conſoletur, quàm ſi propenſam plus æquo ad ceſſandum juventutis indolem patientia ſua atque aſſiduitate ſic traducant ad meliora, ut in operoſa negotiorum mole ſe amet, & laudabilem Fori exercitationem deſidioſis mollioris vitæ illecebris facilè anteponant?

Nobis verò, quibus hoc gratificari per veſtram humanitatem non piget, ut in conſortium veſtræ dignitatis matura nondum ætate veniamus, quanta neceſſitas incumbit, ut quantocyùs Forenſis militiæ leges, inſtituta, diſciplinam imbibamus? Quod ajunt vulgò, magnum eſſe quid à teneris aſſueſcere, quos, amabo, reſpiciat æquiùs generatim & universè dictum illud, quàm eos, quibus in laborioſo litium ac controverſiarum curriculo vita traducenda eſt, qui niſi recentibus adhuc à ſtudio Literarum animis prima contentioſæ inprimis operæ rudimenta veſtris ſub oculis didicerimus, vix ac ne vix quidem deſugimus periculum, ne faſtidio ac ſatietate langueſcat animus, nec perinde ac debet, laudis ac gloriæ ſtimulis urgeatur. Nihil eſt porro, quod nobilem illam gloriæ æmulationem vehementiùs acuat, quàm tot clariſſimorum Magiſtratuum in numerum ac ſocietatem cooptari, quorum ſuffragio ſi quid dicere, ſi quid facere dignum contigerit, is votorum ac gaudiorum cumulus accedat.

Agitur & magna publicæ rei utilitas, ut inter verendos canitie ſua & longo uſu contritos Magiſtratus, juniores etiam Candidatos agnoſcat. Quantam enim toti Galliæ expectationem movent illi, quos optimis moribus, atque inſtitutis adoleſcere ſentiat! Quàm læta ſurgit populis ſibi gratulandi ſeges, qui non defuturos unquam ſibi polliceantur, quos in anguſtiis ſuis, in orbitate, in peri-

periculis ſtudioſos rerum ſuarum defenſores ac vindices prævideant; qui novis quotidie incrementis ſpectabilem toti orbi auguſti Senatus exiſtimationem ac famam increbreſcere intelligant.

Quare ſi nobis pro veſtra indulgentia egregiè conſultum voluiſtis, qui noſtram ætatem veſtra in ſubſellia admiſeritis, veſtræ etiam gloriæ, parcite, ſi dico, communibus populorum commodis etiam conſuluiſtis. Meum erit in obeundo Magiſtratu ita perſonam tueri meam, nihil ut pœnitendum dixiſſe videri poſſim.

A L I A.

Ad petendam Regii Oratoris dignitatem comparata.

TAnta eſt Oratoris Regii dignitas, tam honorifica appellatio, amplitudo tam ſingularis, Præſes illuſtriſſime, Clariſſimi Senatores, ut lucis ſuæ ſplendore facilè perſtringat juniores præſertim oculos, & tacitum illius ambiendæ deſiderium inſpiret. Tamen an licebit mihi pro humanitate veſtra confidentiùs profiteri quod ſentio, & intimos cordis mei receſſus coram ſapientiſſimis viris aperire?

Ego ſic exiſtimavi ſemper Oratoris Regii munus, cujus me Candidatum eſſe permiſiſtis, prætendere quidpiam aliud, quod titillet magis animos, & ingenitam rei bene gerendæ æmulationem acriùs incendat: ſpecioſam dico, quam offert illuſtrandi tempus in omne nominis, & colligendæ non vulgaris gloriæ ſegetem. Quid enim tam admirabile, quàm in ampliſſimo graviſſimorum Senatorum conſeſſu exſurgere unum aliquem, qui id, quod omnibus ſentiendum, ſolus prævertere ac eloqui confidat? quid tam jucundum auditu, quàm ſapientibus ſententiis gravibuſque verbis ornata Oratio ac perpolita? Quid tam magnificum, quàm judicum religiones, Senatus gravitatem unius Oratione ad ſuam ſententiam converti? quid Oratori ipſi tam optabile, quàm ut & ſibi ipſe honori, & amicis utilitati, & Reipublicæ emolumento eſſe poſſit?

Verùm quanto illuſtrior ejuſmodi provincia eſſe ſolet, tanto periculoſior videri debet illi, qui ejuſdem petitor ambitioſus accedat. Eſt aliquis enim verò, ita ſecurus ſui, ita propriæ tenuitatis oblitus, ut metuendæ plenum opus aleæ vel adire ſine metu, vel defungi cum gloria ſe poſſe præſumat. Neque enim paſſim obvium eſt in eo ſtadio tam feliciter decurrere, in quo incerta plerumque ac lubrica, referta ſalebris ac ſentibus, ambagibus implicata via ſe offert.

Mihi certè, cui nec defuit unquam æmulatio nobilis ad laudem, nec voluntas ad perfringendos obices quoſcumque comparata, cogitanti ſeriò ac maturè perpendenti, quas in eo dotes eſſe oporteat, qui Regii Oratoris partes implere non ignobiliter velit, viſum eſt arduum quiddam & ſumma cum difficultate conjunctum. Age enim, quàm vivida vis ingenii, quàm copioſa, quàm exculta dicendi facultas, quàm eximia utriuſque juris ſcientia, quàm explicata municipalium externarumque Legum notio, quàm familiaris Regiarum Conſtitutionum uſus requiritur! Ad hæc quanta mentis acies in expediendis tricarum nodis, in reſolvendis ambagibus perſpicacia, in retegendis ſimulationum involucris judicii maturitas, in dirimendis litigantium

con-

contentionibus laus æquitatis accedat neceſſe eſt.

Hæc porro gerendi cum laude tam operoſi Magiſtratus adjumenta quoniam gratulari mihi non auſim, qui nec felicibus ſatis natus auſpiciis, nec longa propter ætatem rerum experientia videri poſſum inſtructus, non contingerem hodie loci hujus auctoritatem verendi muneris cupidus præter modum petitor, niſi veſtra diffidentem, ut par eſt, viribus, benevolentia ſuſtentaret.

Verùm quoniam viſum eſt vobis laboris ac ſolertiæ noſtræ, ſi qua eſt, facere periculum, ita me geram, Præſes Illuſtriſſime, Clariſſimi Senatores, ut Anteceſſoris mei, qui partes ſuas implevit multa cum laude, & Collegarum meorum, quantum erit in me, veſtigiis inſiſtam.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
Quæ Rhetorica continentur.

A

Abigail ad Davidem pro Nabalo conjuge, 235.

Adjuncta, quid ſunt? Quotuplex Adjunctorum genus, 163. Præcedentia, *ib.* Comitantia, conſequentia, *ibid.* Exempla, *ibid.* Adjunctorum uſus, 164. Adjunctorum comitantium exempla, 168.

Adjunctio quid ſit? Ejuſdem exempla, 59.

Adverſa, quid ſunt, quomodo tractantur? 145. Eorum exempla, 146. 147.

Adulatio perniciosa, ſententia varias in Periodos conformata, 18. 19.

Alexander Magnus cum Philippo patre comparatus, 58. Opes ſuas in Amicis habendis poſitas cenſebat, 85.

Allegoria. Ejus definitio & exempla, 45.

Ambroſius. Ejus Oratio ad Theodoſium Imp. poſt cædem Theſſalonicæ peractam, 26.

Amici, opes viri Principis, 85.

Amicitia divina omni ſtudio colenda, 225.

Amicus fidelis ac ſincerus, neceſſarius in vita, ſententia varias in Periodos conformata, 17. 18. 19.

Amilcar. Filium Annibalem adigit ſacramento, ne faciat unquam cum Romanis pacem, 152.

Amplificatio. Quibus è locis eruitur, 34.

Anaphora quid ſit? 50. Ejus exempla, *ibid.*

Andromache. Ejus ad Ulyſſem Oratio cùm is Aſtianacta ad mortem repeteret, 66

Annibal, argumentum Orationis, cùm Capuæ otiaretur, 71.

Annominatio, quid ſit? ejuſdem exempla 5[illegible]. Antimetatheſis, quid ſit? Ejuſdem exempla, 57.

Antitheton, quid ſit? Ejuſdem exempla, 57.

Antitheſis, Figura ſententiarum. Illius exempla, 96.

Antonius, non audiendus de Pace, Oratio ad Ciceronis imitationem conformata, 21.

Antonomaſia, quid ſit? 45.

Apodoſis, Periodi pars poſterior, 6.

Apoſiopeſis, Figura. Illius exempla, 85.

Apoſtrophe, Figura. Quot modis ſit. Illius exempla, 74. 75.

Argumentum, quid eſt? 106. Unde eruuntur argumenta? *ibid.* De ratione eruendi argumenti, 107.

Argumentatio. Quid eſt, & quotuplex, 223. Argumentatio Rhetorica per quid differt ab Argumentatione Philoſophica, *ibid.* Argumentatio Rhetorica quotuplex, 224. Quomodo varianda, 253. Exempla, 254.

Aſella (Vinnius) Horatii apud eum excuſatio, quod paterno ipſius nomini viſus eſſet illudere, 127.

Auxeſis ſeu Incrementum amplificandæ Periodo deſervit, 25. 26.

B

Bacchanalia. Eorum inſectatio, 82. Beatitudo æterna conſectanda. Oratio Parænetica, 181. 182.

Blanca. Ejus Oratio ad filium ad imitationem Ciceronis conformata, 20.

Britannicus, defenditur à Burrho apud Neronem, 56.

Brutus, ejus inſectatio cùm Cæſarem interfeciſſet, 53.

Burrhus; ejus Oratio ad Neronem pro Britannico, 56.

Ca-

C

CÆſar (Julius) Ad eum Oratio, ut iis parcat, qui contra ipſum arma tulerant, 240.
Catachreſis, quid ſit? 45.
Cauſa quid ſit, quotuplex? Cauſæ efficientis exempla, 178. Quis eſt illius uſus, *ibid.* Cauſæ materialis exempla, 177. Quis eſt illius uſus, 178. Cauſæ formalis exempla, 178. Quis eſt illius uſus, 179. Cauſæ finalis exempla, *ibid.* Quis eſt illius uſus? 181.
Cauſæ, valent ad amplificandum, 39.
Chriſtiani Heroes, profanis Heroibus præſtant, 59. Fruſtra pœnarum metu aut acerbitate à profitenda religione ſua deterrentur, 241. 242. Chriſtiani degeneres hoc nomine indigni, 246.
Chriſtus, infans Orator diſertiſſimus, 61.
Cicero (M. Tullius) Ejus prudentia extollitur, cùm in exilium ultro cederet, 34. Eidem gratulatio poſt reditum, 35. Ejus Oratio poſt interfectos auctoritate ſua Catilinariæ Conjurationis ſocios, 94.
Cicero interfectus ab Antonio vindicatur à filio pro patre perorante, 104.
Cicero. Ejus Oratio de interficiendis Catilinæ ſociis, 194.
Cinna, conjurationis reus apud Auguſtum pro ſe dicit, 115.
Climax. *Vide* Gradatio.
Communicatio, Figura quot modis fiat? Illius exempla, 71.
Compar. *Vide* Iſocolon.
Comparatio, quid ſit, & quotuplex, 201. Quomodo ducitur argumentum à vario comparationis genere. Exempla, 189. 190. 191. 192.
Complexio, quid ſit? 50. Exemplum Complexionis, 52. 53.
Conceſſio, Figura. Duplex illius uſus: ejuſdem exempla, 90. 91. Formulæ illius uſurpandæ, 91.
Concordia, inter fratres tuenda. Oratio 143. 144.
Conduplicatio quid ſit? 51.
Congeries. *Vide* Synatroiſmus.
Conjugata, quid ſunt? 123. Conjugatorum exempla. Quomodo tractatur hic Locus, 124.
Conſcientiæ bonæ & malæ deſcriptio, 112.
Conſequentia, eorum frequentatio valet ad amplificandum, 37.
Contradicentia. *Vide* Repugnantia.
Contraria, Amplificationi deſerviunt, 37. *Vide* Oppoſita.
Coriolanus à ſolvenda Romæ obſidione deterretur, 185.
Converſio quid ſit? 50. Exemplum converſionis, 52.
Correctio. Figura. Alia verbi, alia ſententiæ. Utriuſque exempla, 69.
Cothurnix, Defenſio Adoleſcentis qui poſcebatur reus, quòd Cothurnicis oculos effodiſſet, 48.
Creuſa. Ejus ad Æneam Oratio ad imitationem Ciceronis conformata, 23.
Crocodilus, Dilemma captioſum: ratio tractandi illius Dilemmatis ſimul & eludendi, 246. Exemplum illius in cauſa Forenſi utrinque adumbratum à p. 248. ad pag. 253.

D

DEcuſſis, conformationem exhibet Periodi Decuſſatæ, 6.
Definitio, amplificandæ Periodo deſervit, 24. 36.
Definitio, quid ſit, quomodo ſit, quotuplex eſt apud Oratores? 108. Illius exempla, *ibid.* Definitio per Enumerationem, per Similitudinem, per Congeriem, 109. Per Cauſas, *ibid.* Per Effecta, 110. 111. Per Negationem & Affirmationem, 111.
Demoſthenes. Ejus eloquentia populi ingenio accommodata, 86.
Deprecatio. Ejus exempla, 107. Apud quos adhibetur? 106. Quis illius uſus, & quibus in locis adhibetur, 101.
Dilemma, quid eſt? ratio tractandi Dilemmatis. Exempla, 245. Ratio ejuſdem diluendi, 244. Dilemma captioſum, 248. Quomodo diluendum, 247.
Diogenes defenditur, quòd accenſa face hominem quæreret media de luce, 51.
Disjunctio, quid ſit? Ejuſdem exempla, 60.
Diſſimilia, valent ad amplificandum, 38.
Diſſimilitudo, quid ſit. Quomodo ornatur Diſſimilitudo, 138. Illius exempla, *ibid.*
Diſtributio, Figura. Illius exempla, 88.
Di-

Diſtributio, quid ſit? Ejuſdem exempla, 60.
Documenta patris ad filium ad primam expeditionem bellicam proficiſcentem, 151.
Dubitatio, Figura. Alia verbi, alia ſententiæ. Utriuſque exempla, 70. Formulæ illius uſurpandæ, 71.

E

Effecta, quid ſunt. Quotuplicis generis. Quomodo ducitur ab Effectis argumentum, 184. Quomodo tractatur Locus ab Effectis, *ibid.* Exempla, 184. 185. Valent ad amplificandum, 39.
Elocutio Oratoria qualis eſſe debeat, 3.
Eloquentiæ commendatio, 186. Præmia, quàm laudabiliter laborioſæ juventuti propoſita, 188.
Emphaſis, Figura, 85.
Enthymema, Ratiocinationis imperfectæ ſeu non completæ genus. Illius exempla, 239.
Enumeratio partium, amplificandæ Periodo deſervit, 25.
Enumeratio partium, quid eſt, & quotuplex, 116. Enumeratio per partes ex quibus conſtat, *ibid.* Per partes Integrantes, 117. Per Species, *ibid.* Per Cauſas, Effecta, Congeriem 118. Per quas Figuras tractatur, 118.
Epiphonema. Figura. Ejus exempla, 101. 102.
Epiphora quid ſit? 49.
Ethopeja, Figura. Illius exempla, 80.
Exclamatio, Figura. Ejus exempla, 102. 103.
Execratio, Figura. Ejus exempla, 101.
Exempla, valent ad amplificandum, 40. 41.
Exemplum, præſtantiſſima ſimilitudinis ratio. Exempla illius ſimilitudinis, 136. 137.

F

Fama quid eſt? Locus à fama quomodo confirmatur? 204. Quomodo infirmatur? 205.
Figuræ ſententiarum, 64.
Figura quid ſit, & quotuplex? 50.
Figura Orationis ornatus, ejus definitio, 44. Figurarum uſus, 105.

G

Genovefa, Heroibus quibuſcumque illuſtrior, 97
Genus, quid ſit apud Oratores; quomodo trahitur argumentum à Genere, & quis eſt illius uſus? 128. Exempla argumenti à genere, 129.
Germanicus, Piſonis inſidiis ſublatus poſt mortem ultorem invenit, 171. 172.
Gloria, in ea appetenda ſervanda moderatio, 63.
Goliath à Davide proſtratus, 168.
Gradatio, quid ſit? 51.

H

Harioli. In eos qui de futuris rebus Hariolos conſulunt, 245.
Herodias, poſtulat ſibi dedi caput Joannis Baptiſtæ, 202. Confutatio ejuſdem petitionis, 203.
Homerus. Conſolatio ad eum quòd cœcus factus fuiſſet, 155.
Hyperbaton, quid ſit, 46.
Hyperbole, quid ſit & quotuplex? 46.
Hypotipoſis, Figura. Illius exempla, 79.

I

Jacobi luctus, cùm tinctam Joſephi, ut ferebatur, extincti tunicam aſpexiſſet, 32.
Jeſus, ejus nomen celebratur, 54. 55.
Imitatio Ciceronis in quo poſita ſit, 2. Imitatio Periodorum Ciceronianarum à n. 7. ad 14.
Inciſum, quid ſit in Periodo? 4.
Inductio, quid eſt? Illius exempla, 136.
Innocentius IV. S. Ludovicum ad expeditionem Hieroſolymitanam proficiſcentem hortatur, 180.
Interpretatio, amplificandæ Periodo deſervit, 25.
Interrogatio. Figura. Ejus exempla, 64.
Inventio, quid eſt, 106.
Jonathas. Ejus ad Saulem Oratio pro Davide, 122.
Jonathas defenditur apud Saulem quòd contra latam à Rege Legem paululum mellis guſtaſſet, 133.

Joſephus. Ejus defenſio à Juda ſuſcepta, dum in Ciſternam mitteretur, 103.
Ironia, quid ſit? Frequens apud Ciceronem, 46. Exemplum Ironiæ, 47. 48.
Iſocolon, quid ſit? Ejuſdem exempla, 573. 574.
Juda, Joſephi defenſionem ſuſcipit adverſus fratres, 103.
Juditha. Ejus Oratio ad Betulienſes reciſo Holophernis capite, ad imitationem Ciceronis conformata, 22.
Juſjurandum quid eſt? Quomodo hic Locus confirmatur? Exempla, 200. Quomodo refutatur? Exempla, 201.
Juventus, ſtudioſa per liberales Artes exercenda, 141. 142. 143.

K

Κόμμα, 4.
Κῶλον, 4.

L

Labor improbus omnia vincit, 141. 142. 143.
Leges ſeu præjudicia quid ſunt? 195. Lex quotuplex. Quomodo confirmatur Locus à lege? Exempla, 196. Quomodo confutatur? Exempla, *ibid.*
Licentia, Figura. Illius uſus & exempla, 89. 90.
Loci aſſumpti ſeu extrinſecus petiti qui ſunt, 195.
Loci Oratorii, eorum Diviſio & Diſtributio, 106. 107. Quomodo eruuntur argumenta è Locis Oratoriis, 106.
Ludovicus Magnus poſteritati commendatus, 131. 132. 133.
Ludovicus (ſanctus) ad expeditionem Hieroſolymitanam properans Innocentium IV. S. Pontificem hortatorem habet, 180.

M

Machabæi. Eorum mater inter filiorum funera triumphans, 80.
Manlius accuſatur apud patrem eundem & Conſulem, 197. Idem defenditur, 199.
Maria, ejus puriſſimi Conceptus celebrantur, 47.
Maria, Scotorum Regina accuſatur in Elizabetham conjuraſſe, 220. Eadem defenditur, 221.
Melampus celebris Medicus accuſatur, quòd oraſſet Deos ſibi fortunari redeuntem annum, 209. Idem defenditur, *ibid.*
Membrum, quid ſit in Periodo? 4. Periodi Amplificatio, 24. Quomodo fiat 24. 25.
Metalepſis, quid ſit? 45.
Metaphora, quid ſit? 44.
Metellus (*Lucius Cæcilius*) dum mediis ex ignibus Palladium eripit, privatus oculis cenſetur removendus à Pontificia dignitate, 228. Idem defenditur, 230. 231.
Metonymia, quid ſit? 45.
Modeſtia, Adoleſcente digniſſima, 113.
Moyſis Oratio ad Iſraelitas reditum in Ægyptum cogitantes, 27.

N

Nabalus, Abigailis precibus à Davide ſervatus, 235.
Negantia. *Vide* Repugnantia.
Nero. Nunquam fuit Imperator, 126.
Nero Chriſtiani nominis hoſtis à perſequendis Chriſtianis deterretur, 241.
Neronis inſectatio, cùm Britannicum inter epulas veneno interfeciſſet, 33. Ad Neronem Chriſtianorum Apologia, 42.
Nobilitas in Virtute poſita, 113. 114.
Notatio Nominis, quid ſit? quomodo ornatur hic locus? 123. 124.

O

Onomatopeja, quid ſit, 45.
Oppoſita, quid ſunt? Quotuplex oppoſitorum genus, 145.
Orator popularis, quis habendus? 86.
Oreſtes furiis agitatus ob matrem occiſam, 160.
Oximoron, quid ſit? Celebre ejus exemplum, 57.

Pa-

Digitized by Google

P

Pacifici nomen magnificis quibuſque nominibus præferendum, 125.
Parabola, quid eſt? quis eſt illius uſus? exempla, 135. 136. 137.
Paradiaſton, quid ſit, 61.
Parentheſis, Figura. Illius exempla, 97.
Paronomaſia. *Vide* Annominatio.
Particulæ, Periodi vincula. Quotuplicis ſint generis? 15.
Paupertas, veras eſſe in Paupertate divitias, 156.
Periphraſis, quid ſit, 46.
Periodicus ambitus, Quadrigarum curſu deſignatus, 5. 6.
Periodus. Varia illius definitio. Ejuſdem partes, 3. 4. Diviſio Periodorum in Bimembres, Trimembres, Quadrimembres, Rotundas, Quadratas, Decuſſatas, 5. 6. 7. Periodi ad imitationem Ciceronis, exactæ, à n. 7. ad 14. Periodi artificium in quo poſitum, 15. Periodi venuſtas in quo poſita, 14. Ratio Periodos alias cum aliis connectendi, 19.
Permiſſio, Figura. Illius exempla, 96.
Petra. Alexandri Magni oratio ad trecentos milites ut Petram invadant, 233.
Philippus Macedo cum Alexandro comparatus, 58.
Piſo, Germanici interfecti reus in Senatu accuſatur, 172.
Polyptoton, quid ſit? ejuſdem exempla, 61.
Polyſyntheton, quid ſit? 61.
Pompejus, victus & in Ægyptum fugiens Patronum habet apud Ptolomæum, 236.
Porſena, excitatur ad pacem cum Romanis faciendam, poſtquam ejus Scriba pro ipſo interfectus fuiſſet, 210. Idem avertitur ab ea re faciendâ, 211.
Poſthumius, junior, ejus oratio ad Patrem Dictatorem cum ab eodem damnatus eſſet ad mortem, quòd illius injuſſu Volcos debellaſſet, 73.
Præjudicia ſeu præjudicatæ opiniones. Quomodo occurrendum præjudiciis, 204.
Prætermiſſio, Figura. Illius uſus & exempla, 87. 88. Quibus exponitur formulis, 88.
Priventia, quid ſunt? 151. Quomodo tractatur hic locus, ejus exempla, 153.
Prolepſis, Figura. Illius exempla, 68. Quot modis fiat? 68.
Proſopopeja, Figura. Quot modis fit? Illius exempla, 75. 76. Deſervit Amplificationi, 41.
Protaſis, Periodi pars prior, 6.
Puritas vitæ, divinæ amicitiæ vinculum eſt, 226.

Q

Quadrigæ à carceribus ad Metas procurrentes periodicum ambitum deſignant, 6.
Quæſtio. *Vide* Tormenta.

R

Ratiocinatio, Rethorica quotuplex, 224. Ejuſdem artificium & exempla, 224. 226. In tractanda Ratiocinatione immutatur plerumque Propoſitionum ordo. Exempla 232. Ratiocinatio imperfecta ſeu quinquepertita minor. Illius exempla, 234.
Regulus ad Carthaginienſes re cum Romanis infecta, 28. Ejuſdem oratio de non permutandis Captivis, 91.
Relata, quid ſunt? Relatorum exempla, 150.
Religio Chriſtiana per totum orbem propagata magnum miraculum, 161.
Repetitio, quid ſit? 50. Exemplum Repetitionis, 52. 53.
Repugnantia, quid ſunt? Quomodo tractatur hic locus, 157. 158. Quis eſt illius uſus, 157. Valent ad amplificandum, 38.
Reſponſio, Figura. Ejus exempla, 64.
Rhenus trajectus à Gallis hoſte ripam defendente, 170.
Roſcius cædis paternæ accuſatus defenditur, 159.

S

Salomon, agitur coram ipſo cauſa mulierum de infantibus vivo & mortuo litigantium, 147.
Saul, Samuelis umbram per Pythoniſſam ab inferis evocat & conſulit, contra Philiſtæos pugnaturus, 76.
Scævola (*Q. Mutius*) Ejus Oratio ad

Porſenam, ſcriba ejus interfecto, pro ipſo Rege, 100.
Seneca damnatus à Nerone conſolatione recreatur, 148.
Similiter Cadens quid ſit? Ejuſdem exempla, 54.
Similiter deſinens, quid ſit? Ejuſdem exempla, 53.
Similitudo quid ſit apud Oratores, 134. Illius exempla, *ibid.* Quotuplex eſt ſimilitudinis genus, 135. Quomodo ornatur ſimilitudo. Valet ad amplificandum, 134.
Simon Dux Judæorum ad vindicandam fratris ſui Jonathæ mortem hortator, 193.
Simploce, quid ſit? 50.
Sorites, Ratiocinationis genus. Illius exempla, 237.
Stoici. In Moroſam eorum auſteritatem Oratio. 139. 140.
Subjectio, Figura. Ejus Exempla, 64.
Suſtentatio, Figura. Duplex illius uſus: ejuſdem exempla, 84. 85.
Synatroiſmus, quid ſit? Ejuſdem exempla, 60.
Synecdoche, quid ſit? 45.
Synœcioſis quid ſit? 57.
Synonimia, quid ſit? Ejuſdem exempla, 60.

T

Teſtes. Locus à teſtibus quomodo confirmandus? Exempla, 206. Quomodo infirmandus? Exempla, *ibid.*
Teſtimonium, quotuplex, 205.
Theodoricus, occiſo Symmacho, videtur ſibi illius caput intueri in capite piſcis, quod appoſitum fuerat ad menſam, 78.
Tormenta. Locus à Tormentis quomodo confirmatur? 218. Idem quomodo confirmatur? 219. Exempla, *ibid.*
Traductio, quid ſit? 50.
Tropus, Orationis ornatus: ejus definitio, 44. Alius verborum, *ibid.* Alius ſententiarum, 45.

V

Verba, quæ amplificationi deſerviunt, 29.
Veturia. Ejus Oratio ad Coriolanum Romæ excidium meditantem, 65.
Vinnius Aſella. *Vide* Aſella.
Vinum. Ejus infectatio, 120. Ejuſdem Apologia, 121.

INDEX SACRARUM ORATIONUM.

In Feſto Sanctorum Omnium Oratio I. 257.
In idem Feſtum Oratio II. 264.
In Feſto Natalis Domini. Oratio III. 271.
In Paſſione Domini. Oratio IV. 278.
In ſacro die Pentecoſtes. Oratio V. 284.
In Feſto Corporis Chriſti. Oratio VI. 290.
De Pietate erga B. Virginem. Oratio VII. 296.
De Neceſſitate promovendæ ſalutis æternæ. Oratio VIII. 304.
De Peccato Lethali. Oratio IX. 310.
De Morte. Oratio X. 317.
De Morte Peccatorum. Oratio XI. 325.
De inferorum Pœnis. Oratio XII. 331.
De Otio. Oratio XIII. 337.
De promovendis diligenter ſtudiorum laboribus. Oratio XIV. 343.
De Perſeverantia Chriſtiana. Oratio XV. 349.
De Relapſu in Peccatum. Oratio XVI. 354.
De Neceſſitate bene traducendæ Juventutis. Oratio XVII. 362.
De Præſentia Divina. Oratio XVIII. 370.
De ſtatu vitæ rite eligendo. Oratio XIX. 377.
In idem argumentum. Oratio XX. 385.

Digitized by Google

INDEX ORATIONUM PANEGYRICARUM.

Gallos tam falli ab hoſte neſcios, quàm vinci, Oratio 394.
Ludovico Magno Pacifico Victori. Oratio II. 406.
Gloriæ Sæculi Gallis vindicata. Oratio III. 422.
Jacobi II. Magnæ Britanniæ Regis Laudatio Funebris. Oratio IV. 436.
Fortuna hujus Anni ſpes hoſtium feſellit, noſtras ſuperavit. Oratio V. 455.
In Natalibus Sereniſſimi Ducis Britanniæ. Oratio Extemporalis VI. 470.
Ars dicendi, qualem Rethores in ſcholis docent, à recentioribus temere oppugnata vindicatur, Oratio VII. 479.
Res proſperas Hoſtibus minùs gloriæ, quàm adverſas Gallis peperiſſe. Oratio VIII. 494.
Galliam magnum habere in ſe ipſa adverſus quoſcumque caſus ſubſidium. Oratio IX. 505.
Utra utri præſtet, Eloquentia Sacra, an Forenſis. Oratio X. 520.

INDEX CAUSARUM FORENSIUM.

Cæteros inter Galliæ Populos quis ferre primas dicendus ſit. Cauſa I. 534.
Horatius ſororicida. Cauſa II. 546.
Filii L. Junii Bruti Conſulis ab ipſo Patre morte damnati. Cauſa III. 554.
Polycrates, ſeu Amoris paterni in Liberis Triumphus. Cauſa IV. 564.
Iphicrates, & Acoetes. Cauſa V. 575.
Herodes Filiorum apud Auguſtum Cæſarem Accuſator, Cauſa VI. 586.
Nemo ſorte ſua contentus. Cauſa VII. 595.
Utra præferenda ſit Statura Magna, an Parva. Cauſa VIII. 606.

PLAIDOYERS.

I. Melampe Medecin d' Athenes, 613.
II. L' Ami caution pour ſon Ami, 621.
III. Megathyme & Agapie, 634.
IV. Les Abeilles, 644.

INDEX EPISTOLARUM.

Rhetor Initiatus Rhetori Candidato poſt Ferias Autumnales ruſticanti, 656.
Reſponſio, *ibid.*
Rhetor idem Amico Reduci, 657.
Mater ad Magiſtrum Filioli, cùm Puerum tardiùs ad Literarium ludum remitteret, 657.
Lentulus Fabio, cùm invitatus ad Cœnam non veniſset, 658.
M. Tullius Cicero T. A. Miloni Maſſiliæ exulanti, cùm ſcriptam, quam pro eo dixerat, Orationem mitteret, 658.
Milonis Reſponſio, 659.
Miſpanus Barcinonenſi Gubernatori, de ineptis, qui Lutetiæ ſpargebantur rumoribus de deditione Urbis cùm illa acriter defenderetur, 659.
Reſponſio, 660.
Marcellus Lentulo, ut Lepidum Magiſtratus Candidatum adjuvet, 660.
Amico præmaturum filii ſui funus dolenti, 661.
Ad amicum: raram eſſe apud homines ſinceritatem, 661.
Adoleſcens ad Patrem, cùm juſſus ſcribere de ſtudiorum progreſsu nihil haberet boni quod ſcriberet, 662.
Idem eidem cùm Primas inter ſuos teneret, 662.
Fabios amiſsa ludo pecunia, ad hominem ava-

avarum, qui ſe amicum jactabat, ut tuam, præſtet. 663.
Reſponſio, 664.
Ariſto, pro recuperata valetudine, 664.
Amico Poetæ, ut ſuſceptum narrandi res à Gallis præclarè geſtas, conſilium exequatur, 665.
Alexander Arimazi Petræ Gubernatori de urbe dedenda, 665.
Arimazis Reſponſio, 666.
Amico expectata jam diù prole recens aucto, 666.
Amico ſuo, ob miſſum recens editum ab eo opuſculum, 666.
Uxor Thomæ Mori ad conjugem pro Religione Catholica in carcere detentum, & pro eadem ſubeundæ morti proximum, 667.
Marcellus Lentulo adverſis rebus laboranti, 668.
Filius Adoleſcens Patri, ut perſonam agerè in Theatro ſibi liceat, 668.
Reſponſio Patris, 669.
Filius Parenti, ut emunctæ Crumenæ jacturam reſarciat, 669.
Reſponſio Patris, 670.
Filius Parenti amantiſſimo Calendis Januariis recurrentibus, 670.
Matri Filioli ſui plus æquo amanti, 671.
Amico, quem iniquus rumor ſparſerat ex gravi morbo fuiſſe extinctum, 672.
Amico rebus proſperis plus æquo ſuperbienti, 672.
Demoſtheni, qui ex acie cùm fugeret, & adhæſiſſet Rubo inter fugiendum, diſertam ad Rubum ipſum, quem hoſtem crederet, Orationem habuerat, 673.
Adoleſcens nobilis Patri, ut patiatur ſe, abjecto Literarum ſtudio, ad bellum proficiſci, 674.
Reſponſio Patris, 674.
Amico ad Borbonias aquas valetudinis gratia profecto, 675.
Amico in extremis Galliæ partibus commoranti de inſolita Cœli temperie, quæ tractum Pariſienſem afficiebat, 676.
Heraclitus Democrito res humanas perpetuo riſu excipienti, 676.
Reſponſio Democriti, 677.
Amicus in ſeceſſu ſuo rerum æternarum meditationi vacans, ad Amicum civilium curarum undis immerſum, 678.
Amico Adoleſcenti ad primam bellicam Expeditionem magna animi alacritate feſtinantem, 678.
Amico Laureato, 679.

INDEX FABULARUM.

Volucres de Rege faciendo deliberantes, 683.
Perdix & Auceps, 683.
Aſinus & Aper. 683.
Lupus & Ovis, 684.
Phœbus & Boreas, 684.
Simiarum gemina prole, 685.
Lupus & Echinus, 685.
Vultures & Columbi, 686.
Paſtor & Moloſſus, 686.
Leo & Mus, 687.
Leo ad expeditionem bellicam ſe comparans, 687.
Lepus & Teſtudo, 688.
Equus & Aſinus, 688.
Agnus, Canis & Lupus, 689.
Lepus & Perdix, 689.
Pavonis ad Junonem querelæ. 689.
Jupiter & Apis, 690.
Leænæ exequiæ, 690.
Cervus ad Fontem, 691.
Canis, Vulpes & Lepus, 691.
Aquila & Cornicula, 692.
Teſtudo & Anates, 692.
Muſtela, Lepus & Felis, 692.
Cervus & Vitis, 693.
Simius & Vulpes, 693.
Aſinus Dominos mutans, 694.
Stultus & Sapiens, 694.
Rana, Mus & Milvus, 694.
Accipiter & Philomela, 695.
Agricola & ejus Filii, 695.
Cucurbita, Glans & Ruſticus, 696.
Leo cum Aulicis, 696.
Muli Duo, 696.
Lupus & Macilentus Canis, 697.
Vulpes & Gallus, 697.
Piſciculi, 698.

I N-

Digitized by Google

INDEX ORATIUNCULARUM.

PRoluſio ad concertationem Philoſophicam, quæ ad Propugnantem pertinet, 702.
Alia, 703.
Alia, 704.
Alia, 705.
Proluſiones ad ineundum certamen Philoſophicum.
Pro Theſi D. Guillelmi Briçonnet, 707.
Pro Theſi D. Henrici Franciſci à Paula d'Omerſon d'Amboile, 708.
Pro Theſi D. Franciſci Victoris de Breteuil Treſigny, 710.
Pro Theſi D. Alexandri Joannis Baptiſtæ Lambert de Torigny, 711.
Pro Theſi D. Ludovici Abbatis Chomel, 712.
Pro Theſi D. Achillis de Soubeyran, 713.
Pro Theſi D. Jacobi Chauvelin de Beauſejour, 714.
Pro Theſi D. Nicolai le Breton, 715.
Pro Theſi D. Ludovici Chauvelin, 716.
Pro Puero Theologicam concertationem auſpicante, 717.
Alia, pro Puero inter Melitenſes Equites adſcripto, 718.
Gratulatio adepturis ſacram Doctoris Theologici Lauream. 718.
Alia, 719.
Alia, 720.
Alia, 720.
Alia, 721.
Alia, 722.
Alia, pro Socio Sorbonico, 722.
Alia, pro Doctoratus Candidato Religioſo, 723.
Alia, 723.
Alia, 724.
Præfationes ad auſpicandum Magiſtratum, 724.
Alia, 725.
Alia, 726.
Alia, pro Candidato Magiſtratus Militiam Navalem diù profeſſo, 727.
Alia, 728.
Alia, 729.
Alia, pro Clerico Magiſtratum Clericalem ambiente, 729.
Alia, pro Filio cujus in gratiam Pater Magiſtratum abdicat, 730.
Alia, 731.
Alia, 732.
Alia, ad petendam Oratoris Regii dignitatem, 733.

F I N I S.

MHG 2012110

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google